
31
4 E
21


MICHAELIS BAII,

CELEBERRIMI IN LOVANIENSI ACADEMIA THEOLOGI,

OPERA:

Cum Bullis Pontificum, & aliis ipſius cauſam ſpectantibus, jam primùm ad Romanam Eccleſiam ab convitiis Proteſtantium, ſimul ac ab Arminianorum cæterorumque hujuſce temporis Pelagianorum impoſturis vindicandam collecta, expurgata, & plurimis quæ hactenus delituerant opuſculis aucta: ſtudio


A. P. THEOLOGI.



COLONIÆ AGRIPINÆ

Sumptibus BALTHASARIS AB EGMONT & Sociorum. M. DC. XCVI.

PRÆFATIO.



N novissimis de Christi gratia disputationibus nihil frequentiùs auditur, quàm Michaelis Baii nomen & Baianorum: ac simul dicere ausim nihil minùs viris etiam eruditis esse notum, quàm quid Michael Baius senserit ac scripserit, & quid posteriori ævo in ejus causa fuerit peractum: adeò rara sunt in bibliothecis ejus opera, ac adeò neglecta est causæ tam insignis Theologi inquisitio. Fulminibus Vaticanis, quæ in quosdam articulos, ipsi perperam adscriptos, à Pio V. & Gregorio XIII. vibrata creduntur, Virum hunc cum suis libris non percussum modò ac perculsum, sed & penitùs attritum, absque ulla veri disquisitione censent Theologi ferè omnes, in ipsa etiam Academia Lovaniensi.

Qui Jansenii Episcopi Iprensis *Augustinum* primi impetivere, ac pro ejus Censura institere vehementiùs, eo potissimùm titulo ipsam ab Urbano VIII. obtinuerunt, quòd à Jansenio ibi renovatas dicerent sententias, quæ ex Michaelis Baii libris, si ipsis fides est, collectæ, à præfatis Pontificibus prohibitæ fuerant ac damnatæ. Id norunt omnes qui legerunt Bullam, quâ Urbanus VIII. Cornelii Jansenii Augustinum proscripsit; vel ea, quæ Ludovici Molinæ schola contra Jansenium ab anno 1640. ad annum 1653. evulgavit.

Qui autem à Jansenii partibus firmiùs steterunt, sic ejus susceperunt vindicias, ut suæ causæ satis esse judicarint ostendisse quàm procul à vero sit quòd Jansenius vel unum ex damnatis his articulis asseruerit; nullatenus discutientes, an isti articuli Michaeli Baio jure attributi sint, & an in sensu Michaelis Baii erronei sint vel hæretici: ut contendebant Theologi è Societate, ac præ cæteris P. Ripalda, qui ingens volumen contra Baium & Baianos typis dedit. Hæc enim prima est machina, quâ præfati Molinæ Schola Augustinianam de gratia sententiam conatur evertere.

Interim verò primum caput, ex quo Protestantes arguunt Ecclesiam Romanam à prisca fide deflexisse ad Pelagianismum: & ex quo Arminiani, Sociniani, aliique horumce temporum Pelagiani jactitant ac gloriantur Romanam Ecclesiam idem cum ipsis sentire, illud est, quòd Pius V. non satis se præcavens à malevolentia æmulorum Michaelis Baii, qui ex ejus scriptis varias sententias collegisse se dicebant, instantes ut Censurâ Pontificiâ configerentur, Bullam confecerit anno 1567. quâ omnes illas indiscri-

minatim veluti hæreticas & erroneas prohibuit ac damnavit. Et quòd Gregorius XIII. cùm prior censura tumultuantibus minùs profecisse videretur, eam novo diplomate, ut falsò ferunt, confirmaverit.

Unum sufficiat super hæc audivisse Leydeckerum, in Ultrajectina Academia Theologum Protestantem, qui in secunda Disputatione historico-Theologica de vario Jansenistarum fato, postquam plures ex memoratis

Thesi 13. & 14. sententiis adduxisset: subjungit: *Ecce invisas Romæ propositiones &c.* Deinde Pontificiæ Censuræ conclusionem sic refert: *quas quidem sententias strictâ coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, & quæcunque super his verbo scriptove emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus, &c.* Post hæc addit: *Pium V. secutus est Gregorius XIII. suum Prædecessorem. Vidit enim non defuisse suò tempore Theologos & Professores qui articulos in præcedenti Constitutione damnatos asserere & defendere pergerent. Igitur eorum temeritatem & audaciam, ad totius Ecclesiæ scilicet periculum pertinentem, minimè dissimulandam censuit; sed verò ad coercenda hujusmodi ingenia, quarto Cal. febru.* 1570. (per errorem, puto, Typographi, loco 1579.) *editam Pii Bullam, articulosque ibidem notatos iteratò confirmavit, referente Urbano VIII. in sua contra Jansenistas seu Baianos Decreto.*

His ita enarratis, ut in Urbani VIII. Bulla legerat, Romanos istos Pontifices sic insilit: *Atqui non sic Pius egit ex devota in veritatem, gratiæ gloriam, & Christi merita, pietate: non se ostendit Gregorius pastorem verè γρηγοροῦντα pro sanctâ fide, resumente suas vires in dies Pelagianismo... Sed & datus erat Ecclesiæ Romanæ jam libellus repudii;* ET DEBUIT ILLA DESERTA PALAM FACERE SE PLANE EXCIDISSE EX GRATIA, PELAGIANISMUM AMPLEXAM, QUI ANTICHRISTI FIDES ESSE DEBUIT, UTI SUBRUIT CHRISTIANISMI FUNDAMENTA.

Thesi 17. Tum ex historia demonstrat Bullam Pontificiam Minoritarum ac Jesuitarum consilio confectam esse atque evulgatam, *Motis ergo*, ait, *per M. Baium controversiis, acta omnia ferè per Jesuitas. Franciscanorum secutos vestigia, Dominicanis æmulos atque invisos.*

Ac postquam retulit (ex quorum fide nescio) quòd missus sit Lovanium Bellarminus magnus Jesuita, qui de quæstionibus cognosceret, remve omnem componeret vel ad Papale Tribunal deferret; sic concludit: *Conficitur ergo Decretum Michaelis Baii &c.*

In Disputat. tertia: Thesi 24. Denique totis viribus contendit certum esse Baianas propositiones quovis modo ut scandalosas, falsas & erroneas, eoque condemnatas in Ecclesia

Romana.

Romana esse habitas. Et earum Censuræ opponit assertiones in libro Domini Bossuet cui titulus: *Exposition de la doctrine Catholique &c.* à Cardinalibus & ab ipso Papa anno 1679. die quarto Januarii approbatas. Deinde infert quòd istæ *Bullam contra Baium reddant evanidam, & Papatûs horrorem tegant, &c:* non tamen, ait, adeò ut injustam demonstrent Protestantium ab Ecclesia Romana secessionem. Immò iterum vehementiori impetu instat Leydeckerus his verbis: *Adhuc dico justa fuit Patrum nostrorum ex Babele secessio: æquum manebit nostrum in Romam odium: frustra invitabimur ad regressum, qui novimus Pontificiæ Curiæ solitas artes, dolos, fraudes. Si hæc* (quæ in libro Domini Bossuet habentur) *Romanæ Ecclesiæ fides est; condemnentur antè evulgatæ Bullæ contra Baium &c.*

Ex quibus liquet, quòd sicut Arminiani, Sociniani & alii novi Pelagiani gloriari non desinunt & jactare Romanam Ecclesiam pro hæretica habere Augustini doctrinam de gratia & prædestinatione; & nullum esse doctrinæ caput quod ipsa acriùs oppugnet: ita ex alia parte Protestantes ex his Censuris, quibus priscam germanamque Ecclesiæ fidem in Baio proscriptam volunt, multo zelo demonstrare conantur quòd Ecclesia Romana à fide defecerit & in Pelagianismum sit prolapsa, ut hac arte suos in eorum à nobis secessione foveant. Arminius in Declaratione suæ sententiæ.

Ut ergo quivis boni & æqui arbiter judicet quàm vanus sit iste Remonstrantium aliorumque hujusce ætatis Pelagianorum triumphus; quantâque injuriâ alii in Ecclesiam Romanam insurgant: & quàm merito jure qui Ecclesiæ Romanæ firmiùs adhærent, contendunt genuinam Apostoli & Augustini doctrinam, in Michaele Baio nihil detrimenti per Pontificum Bullas esse passam, sed illæsam atque inconcussam hactenus permansisse: operæ pretium fuit, ipsa Michaelis Baii opera & quicquid eorum occasione patratum est, in lucem proferre. Eâ igitur mente novam hanc omnium operum Baii, simulque eorum quæ circa hæc gesta sunt, editionem adornavimus: & in duas partes distinximus. Prior Michaelis Baii opera concludit. Altera Bullas & alia quæ causam ejus spectant, complectitur. Ea inter, plurima sunt quæ hactenus inedita manserant ac ignota. Alia erant nonnullis in locis corrupta, quæ ad Codicum Mss. fidem emendavimus. Porrò nihil ex nobis, sed vel ex authenticis instrumentis, vel ex Codicibus, eo tempore quo res relatæ contigerunt, manu exaratis, protulimus.

Præter hæc, quæ in hac editione prodeunt, habentur Michaelis Baii Commentarii in Magistrum Sententiarum, ac ejus explicationes in psalmos. Quandoquidem verò magnum volumen implerent, quod multarum impensarum foret; ideò eorum editionem distulimus, donec ea legendi

cupido studiosos invadat, & ad ea publici juris facienda invitet ac compellat.

Interim his utere; nec falsâ te decipi patiaris eorum opinione qui sibi imaginantur, ac contra omne verum spargunt, libros Michaelis Baii à Summis Pontificibus fuisse prohibitos. Eos liberè libenterque lege, & quò plus eos legeris, eò pluris facies, & plus in germana sanctorum Patrum, & maximè Augustini, doctrina proficies.

PETRI OPMERI, BATAVI, DE MICHAELE BAIO TESTIMONIUM: IN OPERE SUO CHRONOLOGICO, AD AN. 1589.

MICHAEL BAIUS, Atho Hannoniæ ortus, vir ingenio facili, & Sacrarum Litterarum eruditâ notitiâ exornato; in quo nescias an doctrina modestiæ, probitati morum facilitas comitasque cesserit. Quibus virtutibus insignitus, omnium hominum, Principum etiam virorum studia, magnetis instar, ad se attraxit, summâque cum laude divinarum rerum mysteria per annos quadraginta in alma Lovaniensi Universitate, ubi lauream in eadem Facultate consecutus fuerat, interpretatus est. Dein illustri etiam ejusdem Academiæ Magistratu, quem Cancellariatum vocant, annis quindecim perfunctus, & ad S. Synodum Tridentinam Regio jussu missus, egregium ingenii, eruditionis, modestiæque testimonium præbuit. Sed & Philippum Marnixium, S. Aldegundi Dominum, alterum nostri ævi solique Tanchelinum, si opiniones ejus in fidei rebus spectes, SS. Eucharistiam ore sacrilego proscindentem, edito libello prostravit. Dumque adhuc magna & posteritate digna meditatur, morbus ante diem irrepsit, qui septuaginta & sex annos habentem sustulit. Ejus laudes insigni encomio pro-

prosecutus est Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theologus, qui & monumentum eidem, in Sacello Collegii auspiciis Adriani VI. Pont. erecti, cui ille præfuerat, poni curavit. Quique ut gradu, ita & nunc Cancellariatûs fastigio par suo Patruo, non exigua quoque eruditionis suæ testimonia seræ posteritati transmittit, æternùm victurus.

EX
ATHENIS BELGICIS
SEU
NOMENCLATORE INFERIORIS GERMANIÆ SCRIPTORUM:
AUTORE
FRANCISCO SUVERTIO
ANTUERPIÆ 1628.

MICHAEL BAIUS, Melini in territorio Athensi nascitur anno Incarnationis Dei 1513. quo nihil doctius, aut nihil etiam humilius sæculum istud habuit: quod de illo elogium Cardinalis Toletus aliquando tulit. Sacræ Theologiæ in Lovaniensi Academia Doctor, & per quadraginta annos Professor Regius, eximiæ virtutis ac maturi consilii fuit. Ad Oecumenicam Synodum Tridentinam (cujus & finem spectavit) unà cum Cornelio Jansenio & Joanne Hesselio à Philippo Hispaniarum Rege missus, egregiam ingenii, doctrinæ, ac pietatis, in celeberrimo illo Christiani Orbis theatro, testificationem dedit. Facultates suas moriens pauperibus legavit, Collegio Lovanii excitato sub patrocinio B. Augustini, cujus Opera cùm novies perlegisset, invenit tamen semper quid ruminaretur. Joannes Bernartius Mechliniensis J. C. reliquas ejus virtutes funebri oratione est prosecutus. Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theologus, illi monumentum in sacra æde Collegii Pontificii, cui annis multis præfuit, posuit, ex quo varias præstantissimi viri functiones licet cognoscere.

cupido studiosos invadat, & ad ea publici juris facienda invitet ac compellat.

Interim his utere; nec falsâ te decipi patiaris eorum opinione qui sibi imaginantur, ac contra omne verum spargunt, libros Michaelis Baii à Summis Pontificibus fuisse prohibitos. Eos liberè libenterque lege, & quò plus eos legeris, eò pluris facies, & plus in germana sanctorum Patrum, & maximè Augustini, doctrina proficies.

PETRI OPMERI, BATAVI, DE MICHAELE BAIO TESTIMONIUM: IN OPERE SUO CHRONOLOGICO, A. D. A. N. 1589.

MICHAEL BAIUS, Atho Hannoniæ ortus, vir ingenio facili, & Sacrarum Litterarum eruditâ notitiâ exornato; in quo nescias an doctrina modestiæ, probitati morum facilitas comitasque cesserit. Quibus virtutibus insignitus, omnium hominum, Principum etiam virorum studia, magnetis instar, ad se attraxit, summâque cum laude divinarum rerum mysteria per annos quadraginta in alma Lovaniensi Universitate, ubi lauream in eadem Facultate consecutus fuerat, interpretatus est. Dein illustri etiam ejusdem Academiæ Magistratu, quem Cancellariatum vocant, annis quindecim perfunctus, & ad S. Synodum Tridentinam Regio jussu missus, egregium ingenii, eruditionis, modestiæque testimonium præbuit. Sed & Philippum Marnixium, S. Aldegundi Dominum, alterum nostri ævi solique Tanchelinum, si opiniones ejus in fidei rebus spectes, SS. Eucharistiam ore sacrilego proscindentem, edito libello prostravit. Dumque adhuc magna & posteritate digna meditatur, morbus ante diem irrepsit, qui septuaginta & sex annos habentem sustulit. Ejus laudes insigni encomio pro-

prosecutus est Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theologus, qui & monumentum eidem, in Sacello Collegii auspiciis Adriani VI. Pont. erecti, cui ille præfuerat, poni curavit. Quique ut gradu, ita & nunc Cancellariatûs fastigio par suo Patruo, non exigua quoque eruditionis suæ testimonia seræ posteritati transmittit, æternùm victurus.

EX ATHENIS BELGICIS SEU NOMENCLATORE INFERIORIS GERMANIÆ SCRIPTORUM:

AUTORE FRANCISCO SUVERTIO

ANTUERPIÆ 1628.

MICHAEL BAIUS, Melini in territorio Athensi nascitur anno Incarnationis Dei 1513. quo nihil doctius, aut nihil etiam humilius sæculum istud habuit: quod de illo elogium Cardinalis Toletus aliquando tulit. Sacræ Theologiæ in Lovaniensi Academia Doctor, & per quadraginta annos Professor Regius, eximiæ virtutis ac maturi consilii fuit. Ad Oecumenicam Synodum Tridentinam (cujus & finem spectavit) unà cum Cornelio Jansenio & Joanne Hessellio à Philippo Hispaniarum Rege missus, egregiam ingenii, doctrinæ, ac pietatis, in celeberrimo illo Christiani Orbis theatro, testificationem dedit. Facultates suas moriens pauperibus legavit, Collegio Lovanii excitato sub patrocinio B. Augustini, cujus Opera cùm novies perlegisset, invenit tamen semper quid ruminaretur. Joannes Bernartius Mechliniensis J. C. reliquas ejus virtutes funebri oratione est prosecutus. Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theologus, illi monumentum in sacra æde Collegii Pontificii, cui annis multis præfuit, posuit, ex quo varias præstantissimi viri functiones licet cognoscere.

cupido studiosos invadat, & ad ea publici juris facienda invitet ac compellat.

Interim his utere; nec falsâ te decipi patiaris eorum opinione qui sibi imaginantur, ac contra omne verum spargunt, libros Michaelis Baii à Summis Pontificibus fuisse prohibitos. Eos liberè libenterque lege, & quò plus eos legeris, eò pluris facies, & plus in germana sanctorum Patrum, & maximè Augustini, doctrina proficies.

PETRI OPMERI, BATAVI, DE MICHAELE BAIO TESTIMONIUM:

IN OPERE SUO CHRONOLOGICO, AD AN. 1589.

MICHAEL BAIUS, Atho Hannoniæ ortus, vir ingenio facili, & Sacrarum Litterarum eruditâ notitiâ exornato; in quo nescias an doctrina modestiæ, probitati morum facilitas comitasque cesserit. Quibus virtutibus insignitus, omnium hominum, Principum etiam virorum studia, magnetis instar, ad se attraxit, summâque cum laude divinarum rerum mysteria per annos quadraginta in alma Lovaniensi Universitate, ubi lauream in eadem Facultate consecutus fuerat, interpretatus est. Dein illustri etiam ejusdem Academiæ Magistratu, quem Cancellariatum vocant, annis quindecim perfunctus, & ad S. Synodum Tridentinam Regio jussu missus, egregium ingenii, eruditionis, modestiæque testimonium præbuit. Sed & Philippum Marnixium, S. Aldegundi Dominum, alterum nostri ævi solique Tanchelinum, si opiniones ejus in fidei rebus spectes, SS. Eucharistiam ore sacrilego proscindentem, edito libello prostravit. Dumque adhuc magna & posteritate digna meditatur, morbus ante diem irrepsit, qui septuaginta & sex annos habentem sustulit. Ejus laudes insigni encomio pro-

ecutus est Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theologus, qui nonumentum eidem, in Sacello Collegii auspiciis Adriani VI. Pont. i, cui ille præfuerat, poni curavit. Quique ut gradu, ita & nunc Canriatûs fastigio par suo Patruo, non exigua quoque eruditionis suæ testiia feræ posteritati transmittit, æternûm victurus.

E X
THENIS BELGICIS
S E U
NOMENCLATORE INFERIORIS
GERMANIÆ SCRIPTORUM:
A U T O R E
RANCISCO SUVERTIO
A N T U E R P I Æ 1628.

MICHAEL BAIUS, Melini in territorio Athensi nascitur anno Incarnationis Dei 1513. quo nihil doctius, aut nihil etiam humilius sæculum istud habuit: quod de illo elogium Cardinalis Tous aliquando tulit. Sacræ Theologiæ in Lovaniensi Academia Doctor, per quadraginta annos Professor Regius, eximiæ virtutis ac maturi consifuit. Ad Oecumenicam Synodum Tridentinam (cujus & finem specta-) unà cum Cornelio Jansenio & Joanne Hesselio à Philippo Hispania- n Rege missus, egregiam ingenii, doctrinæ, ac pietatis, in celeberrimo Christiani Orbis theatro, testificationem dedit. Facultates suas moriens uperibus legavit, Collegio Lovanii excitato sub patrocinio B. Augustini, us Opera cùm novies perlegisset, invenit tamen semper quid ruminare-. Joannes Bernartius Mechliniensis J. C. reliquas ejus virtutes funebri tione est prosecutus. Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theogus, illi monumentum in sacra æde Collegii Pontificii, cui annis multis efuit, posuit, ex quo varias præstantissimi viri functiones licet cognoscere.

cupido studiosos invadat, & ad ea publici juris facienda invitet ac compellat.

Interim his utere; nec falsâ te decipi patiaris eorum opinione qui sibi imaginantur, ac contra omne verum spargunt, libros Michaelis Baii à Summis Pontificibus fuisse prohibitos. Eos liberè libenterque lege, & quò plus eos legeris, eò pluris facies, & plus in germana sanctorum Patrum, & maximè Augustini, doctrina proficies.

PETRI OPMERI, BATAVI, DE MICHAELE BAIO TESTIMONIUM: IN OPERE SUO CHRONOLOGICO, AD AN. 1589.

MICHAEL BAIUS, Atho Hannoniæ ortus, vir ingenio facili, & Sacrarum Litterarum eruditâ notitiâ exornato; in quo nescias an doctrina modestiæ, probitati morum facilitas comitasque cesserit. Quibus virtutibus insignitus, omnium hominum, Principum etiam virorum studia, magnetis instar, ad se attraxit, summâque cum laude divinarum rerum mysteria per annos quadraginta in alma Lovaniensi Universitate, ubi lauream in eadem Facultate consecutus fuerat, interpretatus est. Dein illustri etiam ejusdem Academiæ Magistratu, quem Cancellariatum vocant, annis quindecim perfunctus, & ad S. Synodum Tridentinam Regio jussu missus, egregium ingenii, eruditionis, modestiæque testimonium præbuit. Sed & Philippum Marnixium, S. Aldegundi Dominum, alterum nostri ævi solique Tanchelinum, si opiniones ejus in fidei rebus spectes, SS. Eucharistiam ore sacrilego proscindentem, edito libello prostravit. Dumque adhuc magna & posteritate digna meditatur, morbus ante diem irrepsit, qui septuaginta & sex annos habentem sustulit. Ejus laudes insigni encomio pro-

ecutus eſt Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theologus, qui nonumentum eidem, in Sacello Collegii auſpiciis Adriani VI. Pont. i, cui ille præfuerat, poni curavit. Quique ut gradu, ita & nunc Can-riatûs faſtigio par ſuo Patruo, non exigua quoque eruditionis ſuæ teſti-iia ſeræ poſteritati tranſmittit, æternùm victurus.

E X
THENIS BELGICIS
S E U
NOMENCLATORE INFERIORIS
GERMANIÆ SCRIPTORUM:
A U T O R E
'RANCISCO SUVERTIO
A N T U E R P I Æ 1628.

MICHAEL BAIUS, Melini in territorio Athenſi naſcitur anno Incarnationis Dei 1513. quo nihil doctius, aut nihil etiam humi-lius ſæculum iſtud habuit: quod de illo elogium Cardinalis To-us aliquando tulit. Sacræ Theologiæ in Lovanienſi Academia Doctor, per quadraginta annos Profeſſor Regius, eximiæ virtutis ac maturi conſi-fuit. Ad Oecumenicam Synodum Tridentinam (cujus & finem ſpecta-) unà cum Cornelio Janſenio & Joanne Heſſelio à Philippo Hiſpania-n Rege miſſus, egregiam ingenii, doctrinæ, ac pietatis, in celeberrimo Chriſtiani Orbis theatro, teſtificationem dedit. Facultates ſuas moriens uperibus legavit, Collegio Lovanii excitato ſub patrocinio B. Auguſtini, jus Opera cùm novies perlegiſſet, invenit tamen ſemper quid ruminare-. Joannes Bernartius Mechlinienſis J. C. reliquas ejus virtutes funebri atione eſt proſecutus. Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theo-gus, illi monumentum in ſacra æde Collegii Pontificii, cui annis multis æfuit, poſuit, ex quo varias præſtantiſſimi viri functiones licet cognoſce-re.

minatim veluti hæreticas & erroneas prohibuit ac damnavit. Et quòd Gregorius XIII. cùm prior censura tumultuantibus minùs profecisse videretur, eam novo diplomate, ut falsò ferunt, confirmaverit.

Unum sufficiat super hæc audivisse Leydeckerum, in Ultrajectina Academia Theologum Protestantem, qui in secunda Disputatione historico-Theologica de vario Jansenistarum fato, postquam plures ex memoratis
Thesi 13. & 14. sententiis adduxisset: subjungit: *Ecce invisas Romæ propositiones &c.* Deinde Pontificiæ Censuræ conclusionem sic refert: *quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, & quæcunque super his verbo scriptove emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus, &c.* Post hæc addit: *Pium V. secutus est Gregorius XIII. suum Prædecessorem. Vidit enim non defuisse suo tempore Theologos & Professores qui articulos in præcedenti Constitutione damnatos asserere & defendere pergerent. Igitur eorum temeritatem & audaciam, ad totius Ecclesiæ scilicet periculum pertinentem, minimè dissimulandam censuit; sed verò ad coercenda hujusmodi ingenia, quarto Cal. febru.* 1570. (per errorem, puto, Typographi, loco 1579.) *editam Pii Bullam, articulosque ibidem notatos iteratò confirmavit, referente Urbano VIII. in sua contra Jansenistas seu Baianos Decreto.*

His ita enarratis, ut in Urbani VIII. Bulla legerat, Romanos istos Pontifices sic insilit: *Atqui non sic Pius egit ex devota in veritatem, gratiæ gloriam, & Christi merita, pietate: non se ostendit Gregorius pastorem verè γρηγορoῦντα pro sancta fide, resumente suas vires in dies Pelagianismo... Sed & datus erat Ecclesiæ Romanæ jam libellus repudii;* ET DEBUIT ILLA DESERTA PALAM FACERE SE PLANE EXCIDISSE EX GRATIA, PELAGIANISMUM AMPLEXAM; QUI ANTICHRISTI FIDES ESSE DEBUIT, UTI SUBRUIT CHRISTIANISMI FUNDAMENTA.

Thesi 17. Tum ex historia demonstrat Bullam Pontificiam Minoritarum ac Jesuitarum consilio confectam esse atque evulgatam, *Motis ergo*, ait, *per M. Baium controversiis, acta omnia ferè per Jesuitas. Franciscanorum secutos vestigia, Dominicanis æmulos atque invisos.*

Ac postquam retulit (ex quorum fide nescio) quòd missus sit Lovanium Bellarminus magnus Jesuita, qui de quæstionibus cognosceret, remve omnem componeret vel ad Papale Tribunal deferret; sic concludit: *Conficitur ergo Decretum Michaelis Baii &c.*

In Disput. tertia: Thesi 24. Denique totis viribus contendit certum esse Baianas propositiones quovis modo ut scandalosas, falsas & erroneas, eoque condemnatas in Ecclesia Romana

mana esse habitas. Et earum Censuræ opponit assertiones in libro Do-i Bossuet cui titulus: *Exposition de la doctrine Catholique &c.* à Cardi-ous & ab ipso Papa anno 1679. die quarto Januarii approbatas. Dein-nsert quòd istæ *Bullam contra Baium reddant evanidam, & Papatûs orem tegant, &c:* non tamen, ait, adeò ut injustam demonstrent Pro-ntium ab Ecclesia Romana secessionem. Immò iterum vehementiori etu instat Leydeckerus his verbis: *Adhuc dico justa fuit Patrum no-um ex Babele secessio: æquum manebit nostrum in Romam odium: fru-invitabimur ad regressum, qui novimus Pontificiæ Curiæ solitas artes, do-fraudes. Si hæc* (quæ in libro Domini Bossuet habentur) *Romanæ esiæ fides est; condemnentur antè evulgatæ Bullæ contra Baium &c.*

x quibus liquet, quòd sicut Arminiani, Sociniani & alii novi Pelagiani iari non desinunt & jactare Romanam Ecclesiam pro hæretica habere gustini doctrinam de gratia & prædestinatione; & nullum esse doctri-caput quod ipsa acriùs oppugnet: ita ex alia parte Protestantes ex his suris, quibus priscam germanamque Ecclesiæ fidem in Baio proscri-n volunt, multo zelo demonstrare conantur quòd Ecclesia Romana à defecerit & in Pelagianismum sit prolapsa, ut hac arte suos in eorum obis secessione foveant. Arminius in Declaratione suæ sententiæ.

Jt ergo quivis boni & æqui arbiter judicet quàm vanus sit iste Re-strantium aliorumque hujusce ætatis Pelagianorum triumphus; quan-e injuriâ alii in Ecclesiam Romanam insurgant: & quàm merito jure Ecclesiæ Romanæ firmiùs adhærent, contendunt genuinam Apostoli Augustini doctrinam, in Michaele Baio nihil detrimenti per Pontificum las esse passam, sed illæsam atque inconcussam hactenus permansisse: æ pretium fuit, ipsa Michaelis Baii opera & quicquid eorum occa-e patratum est, in lucem proferre. Eâ igitur mente novam hanc omni-operum Baii, simulque eorum quæ circa hæc gesta sunt, editio-adornavimus: & in duas partes distinximus. Prior Michaelis Baii ra concludit. Altera Bullas & alia quæ causam ejus spectant, com-titur. Ea inter, plurima sunt quæ hactenus inedita manserant ac igno-Alia erant nonnullis in locis corrupta, quæ ad Codicum MSS. fidem ndavimus. Porrò nihil ex nobis, sed vel ex authenticis instrumentis, ex Codicibus, eo tempore quo res relatæ contigerunt, manu exaratis, ulimus.

Præter hæc, quæ in hac editione prodeunt, habentur Michaelis Baii nmentarii in Magistrum Sententiarum, ac ejus explicationes in psalmos. ndoquidem verò magnum volumen implerent, quod multarum ensarum foret; ideò eorum editionem distulimus, donec ea legendi

*** 3 cupido

cupido studiosos invadat, & ad ea publici juris facienda invitet ac compellat.

Interim his utere; nec falsâ te decipi patiaris eorum opinione qui sibi imaginantur, ac contra omne verum spargunt, libros Michaelis Baii à Summis Pontificibus fuisse prohibitos. Eos liberè libenterque lege, & quò plus eos legeris, eò pluris facies, & plus in germana sanctorum Patrum, & maximè Augustini, doctrina proficies.

PETRI OPMERI, BATAVI, DE MICHAELE BAIO TESTIMONIUM: IN OPERE SUO CHRONOLOGICO, AD A. N. 1589.

MICHAEL BAIUS, Atho Hannoniæ ortus, vir ingenio facili, & Sacrarum Litterarum eruditâ notitiâ exornato; in quo nescias an doctrina modestiæ, probitati morum facilitas comitasque cesserit. Quibus virtutibus insignitus, omnium hominum, Principum etiam virorum studia, magnetis instar, ad se attraxit, summâque cum laude divinarum rerum mysteria per annos quadraginta in alma Lovaniensi Universitate, ubi lauream in eadem Facultate consecutus fuerat, interpretatus est. Dein illustri etiam ejusdem Academiæ Magistratu, quem Cancellariatum vocant, annis quindecim perfunctus, & ad S. Synodum Tridentinam Regio jussu missus, egregium ingenii, eruditionis, modestiæque testimonium præbuit. Sed & Philippum Marnixium, S. Aldegundi Dominum, alterum nostri ævi solique Tanchelinum, si opiniones ejus in fidei rebus spectes, SS. Eucharistiam ore sacrilego proscindentem, edito libello prostravit. Dumque adhuc magna & posteritate digna meditatur, morbus ante diem irrepsit, qui septuaginta & sex annos habentem sustulit. Ejus laudes insigni encomio pro-

rosecutus est Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theologus, qui
: monumentum eidem, in Sacello Collegii auspiciis Adriani VI. Pont.
ecti, cui ille præfuerat, poni curavit. Quique ut gradu, ita & nunc Can-
ellariatûs fastigio par suo Patruo, non exigua quoque eruditionis suæ testi-
nonia seræ posteritati transmittit, æternùm victurus.

EX

ATHENIS BELGICIS

SEU

NOMENCLATORE INFERIORIS GERMANIÆ SCRIPTORUM:

AUTORE

FRANCISCO SUVERTIO

ANTUERPIÆ 1628.

MICHAEL BAIUS, Melini in territorio Athensi nascitur anno Incarnationis Dei 1513. quo nihil doctius, aut nihil etiam humilius sæculum istud habuit: quod de illo elogium Cardinalis To-
etus aliquando tulit. Sacræ Theologiæ in Lovaniensi Academia Doctor,
: per quadraginta annos Professor Regius, eximiæ virtutis ac maturi consi-
i fuit. Ad Oecumenicam Synodum Tridentinam (cujus & finem specta-
it) unà cum Cornelio Jansenio & Joanne Hessselio à Philippo Hispania-
ım Rege missus, egregiam ingenii, doctrinæ, ac pietatis, in celeberrimo
lo Christiani Orbis theatro, testificationem dedit. Facultates suas moriens
auperibus legavit, Collegio Lovanii excitato sub patrocinio B. Augustini,
ujus Opera cùm novies perlegisset, invenit tamen semper quid ruminare-
ır. Joannes Bernartius Mechliniensis J. C. reliquas ejus virtutes funebri
ratione est prosecutus. Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theo-
ogus, illi monumentum in sacra æde Collegii Pontificii, cui annis multis
ræfuit, posuit, ex quo varias præstantissimi viri functiones licet cognosce-
re.

re. Siquidem virtutum ejus & omnigenæ eruditionis decora nulla ætas conticescet, ut quæ in nepotes suos singulari providentiâ transfudit, & eandem Academiam per illos etiam hodie sustentat, dum paulò antè in Jacobo nepote, modò in Ægidio abnepote videndum se & imitandum exhibet. Monumentum verò quod ei obtigit, est tale:

Hic jacet sepultus

Egregius vir D. ac M. N. Michael de Bay
Athensis, Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Decanus,
Universitatis Cancellarius & Conservator, Generalis
per Belgium Inquisitor, Regius S. Theologiæ
Professor, & Collegii Pontificii Præses,
Decessit 16. Septembris anno 1589.
Decanatûs anno 14. Professionis 40.
Præsidentiæ 39. ætatis annum agens 77.
Animæ quietem, Lector, precare.

TESTIMONIUM
AUBERTI MIRÆI
IN
ELOGIIS BELGICIS,
DE
MICHAELE BAIO.

QUæ res in unum eundemque hominem rarò admodum convenire solent, præstans ingenium, & summa animi modestia; eæ ambæ in Michaele Baio ita enituerunt, ut de illo ornando certasse inter se videantur. Nam & in Philosophiæ studiis, quibus primos annos Porcensi in gymnasio Lovanii dedit, ita excelluit, ut superiorum ætatum Philosophis ingenio doctrinâque par haberetur. Quam eximiam laudem cumulabant singularis morum facilitas, & hilaris naturæ comitas. Quibus quidem virtutibus, cum penitiore Sacrarum Litterarum, quas annos quadraginta Regius Professor publicè interpretatus est, cognitione conjunctis, voluntates & studia hominum ita ad se attrahebat, ut Principibus etiam viris, in his Joanni Austrio, Belgicæ Proregi, hospitio à se idemtidem in Pontificio Lovanii Collegio cui præerat, excepto, gratus semper extiterit. Et virum tantis ingenii doctrinæque præsidiis ad maxima quæque munera Reipublicæ obeunda instructum, privatæ vitæ otium ambitiosæ cupiditati anteposuisse, & tranquillam in studiis ætatem perpetuò egisse, summæ moderationis, excelsique animi præclarum specimen fuit. Quanquam illustrem ac perpetuum Academiæ Lovaniensis Magistratum (vulgò Cancellariatum vocant) ultrò oblatum declinare non potuit: in quo obeundo annos quatuordecim summâ omnium gratiâ versatus, eximiam sibi laudem peperit.

Ad Tridentinum Concilium, cujus & finem spectavit, unà cum Cornelio Jansenio, & Joanne Hesselio, à Principe nostro missus, egregiam ingenii, doctrinæ ac pietatis in celeberrimo Christiani orbis theatro testificationem dedit. Omitto quæ cum Philippo Marnixio Sanct-Aldegondio de SS. Eucharistia, pro Romana Ecclesia subtilissimè disputavit. Sacris tam sanctè vir pius quotidie operabatur, ut inter sacrificandum & lacrymas effunderet frequenter, & easdem aliis excuteret. Facultates suas moriens pauperibus An. 1561.

testamento legavit, Collegio Lovanii, sub patrocinio B. Augustini, quem religiosè semper coluit, excitato. Reliquas ejus virtutes funebri oratione Joannes Bernartius Mechliniensis JC. est prosecutus. Jacobus Baius, fratris filius, Doctor itidem Theologus, illi monumentum in æde sacrâ Collegii Pontificii ab Hadriano VI. exædificati, posuit.

TESTIMONIUM VALERII ANDREÆ IN BIBLIOTHECA BELGICA, ANNO 1643. SECUNDUM EDITA, DE

MICHAELE BAIO.

MICHAEL BAIUS, Melini in territorio Athensi, anno 1513. natus, cùm primùm per ætatem licuit litteris & studiis melioribus se dedit; & puer admodum Lovanium veniens, in Porcensi ibidem gymnasio biennali cursu decurso, inter Philosophiæ candidatos anno 1535. tertium locum obtinuit. Hinc Collegii Pontificii alumnus, eâ modestiâ morumque gravitate inter contubernales suos per totum quinquennium vixit, ut qui Standonicæ Domui præesset dignior inventus sit nemo. Hîc triennio rexit; solidoque inde sexennio Philosophiam docuit pari fructu & laude.

Anno 1545. Theologiæ laureâ insignitum, Pontificium Adriani VI. Collegium Præsidem accepit. Cæsar Sacrarum Litterarum Professorem constituit: Academia Doctorali purpurâ, anno Do. 1550. quinto Cal. Julias donavit: Philippus Rex Catholicus Tridentum unà cum Cornelio Jansenio,

& Joanne Hesselio an. 1563. misit. Hîc ad illum velut ad oraculum itum est, quâ erat ingenii celeritate, judicii profunditste, doctrinæ excellentiâ. Lovanium absoluto Concilio reversus, anno 1575. Joanne Molinæo vitâ functo in D. Petri (*ecclesia*) Decanus, & triennio pòst Privilegiorum Academicorum Conservator eligitur. Qua in dignitate constituto, de morum modestiâ puero ingenitâ; de victûs temperantia, quæ in eo semper viguit; de pietate, quæ pia meditanti, & sacris quotidie operanti lacrymas frequenter excussit, nihil decessit. Sibi semper similis, vultu gravitatem, sed urbanitati mixtam præferebat: in colloquiis lepidus & facetus, in facetiis gravis & eruditus: omnibus affabilis, benignè audiebat omnes, comiter respondebat omnibus. In sacrarum Litterarum Professione Patrumque lectione assiduus erat; è quibus cùm clarissimum illud Ecclesiæ Sydus, D. Augustinum, nonies totum attentè legisset, invenit tamen semper quod ruminaretur. *Scripsit:*

De meritis operum, *libros* 2.

De prima hominis justitia, *& virtutibus impiorum*, *libros* 2.

De Sacramentis in genere contra Calvinum.

De forma Baptismi. Lovanii simul edita 1565. 8. *apud Joannem Bogardum.*

De libero hominis arbitrio, *lib.* 1.

De Charitate, *Justitia & Justificatione*, *libros* 3.

De Sacrificio, *lib.* 1.

De Peccato Originis, *l.* 1.

De Indulgentiis, *lib.* 1.

De Oratione pro Defunctis, *lib.* 1. Omnia ibid. 1566. Atque hæc Lovanii excusa, recudi Autor posteà noluit, postquam intellexit in iis quædam Pio V. Pont. Max. displicuisse.

Responsionem ad Quæstiones Philippi Marnixii, *De Ecclesia Christi & Sacramento Altaris.* Ibid. typis Petri Zangrii. 1579. 8.

Apologiam pro Responsione, *contra objectiones ejusdem de veritate corporis Christi in Eucharistia.* Ibid. 1581. 8. & cum aliis pro eadem Responsione Apologiis, Coloniæ 1583. 8. Lovanii 1590. 4.

Epistolam ad Ambrosium Lootsium, *Abbatem Parcensem*, *De Statuum inferioris Germaniæ unione cum iis*, *qui se desertores Romanæ Ecclesiæ vocant:* & *De Juramento*, *quod* eorum jussu à Clero & Monachis *exigitur.* Lovanii 1578. & Coloniæ, 1579. 8.

Epistolam ad Doctorem P. Castillo, *De juramento*, *jussu Ducis Alençonii*, *Antuerpiæ in Prætorio concepto & comprobato* (die 12. Apri. 1582.)

Obiit anno Dom. 1589. 16. Cal. Octobris, annos natus 77. Defunctum pro funere laudarunt Joan. Bernartius J. C. & Jacobus Baius, Doctor Theologus, patruum nepos: qui eidem patruo suo in sacello Collegii, ubi sepulturam elegerat, monumentum sepulchrale posuit.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA

VITÆ

MICHAELIS DE BAY.

ANno 1513. Michael de Bay, sive Baius, natus est Melini, quod est oppidum Belgii in Athensi ditione.

1533. Lovanii ad Philosophiæ studium in Collegio Porcensi admissus est.

1535. Magister Artium renunciatus est.

1541. Assumptus est in Præsidem Domûs Standonicæ, in qua ipse enutritus fuerat.

1544. Ex Facultate Artium in Consilium Universitatis adscitus est: ac Philosophiam docere incepit.

1545. Ad sacræ Theologiæ licentiam, ut vocant, est promotus.

1550. Sacræ Theologiæ purpurâ fuit insignitus, ac inter Theologiæ Magistros annumeratus: & delectus in Collegii Pontificii Præsidem.

1551. Sacrarum Litterarum interpres in eadem Academia Lovaniensi à Carolo V. institutus est: quod munus per quadraginta annos non integros, sed inchoatos, exercuit.

1552. In Michaelis Baii sententias, qui cum Scriptura ac Sanctis Patribus, magis quàm cum recentioris scholæ Magistris, loquendum ac sentiendum ducebat, palam invehi cœpit Ruardus Tapperus, in eadem Academia Doctor Theologus, quem ipse Baius in Theologia audierat, sed cujus opiniones à Pelagianismo minûs abhorrentes non sectabatur.

1560. Octodecim articuli, quos nonnulli Michaeli Baio tribuebant, & de quibus multa maximè inter Fratres Minores Belgii erat contentio, à Guardiano Conventûs Nivellensis simul & à Guardiano Conventûs Athensis deferuntur Sorbonæ, quæ in eas Censuram tulit. Ipsam Baius, mox ut accepit, suis annotationibus expunxit: ac sic expunctam ad P. Antonium Sablonium, FF. Minorum in Flandria Provincialem, misit.

hanc Censuram cum M. Baii annotationibus hactenus ineditis habes in 2. parte hujus operis.

1561. Plures articuli confinguntur, & Michaeli Baio adfinguntur. Exhibentur Cardinali Granvellano, omnia tum temporis in Belgio regenti: & ipse eos tradidit Michaeli Baio, qui statim ad singulos respondit: & suâ responsione os æmulorum occlusit.

Eodem anno Cardinalis Commendonus, qui per Belgium transiens multa de Michaele Baio intellexerat, de eo & de Joanne Hessellio, altero

Academiæ Lovanienſis Doctore Theologo, ſcripſit ad Cardinalem à Mantua, ei expendendum proponens, an expediret ut duo iſti Theologi ad Synodum Tridentinam mitterentur. Quandoquidem verò negotium hujuſmodi Theologorum non diſcuſſerat; prudenter adjecit ſe nolle infauſtum præſagium de iſtis præcinere.

1563. Michael Baius priora ſua opuſcula *de libero arbitrio*, *de Juſtificatione*, & *de Sacrificio*, publici juris fecit Lovanii cum Approbatione Doctorum ac Regis Privilegio. Tum à Rege Catholico delegatus ivit Tridentum, ac Synodo interfuit.

1564. Abſolutâ Synodo Tridentinâ Michael Baius Lovanium reverſus, Libros *De meritis operum*; *De prima hominis juſtitia*: *& De virtutibus impiorum*: nec non *De Sacramentis in genere*, ac *De forma baptiſmi*, typis dedit.

Eodem anno Judocus Raveſtyn à Tileto, ſive Tiletanus vulgò nuncupatus, multa contra Michaelem Baium clanculum ſuſcepit; ac Hiſpaniarum Academias ipſumque Regem in eum commovere per litteras ſategit.

Hujus epiſtola, hactenus inedita, habetur in 2. parte.

1567. Michael Baius ivit cum Cornelio Janſenio, ac præfato Judoco Tiletano ad Conventum Cameracenſem.

Eodem anno Pius V. Michaele Baio nihil ſciente, Bullam condidit, quâ ſeptuaginta ſex propoſitiones, quæ ex Michaelis Baii libris dicebantur collectæ, velut hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas & offenſivas, reſpectivè damnavit, ſimul declarans nonnullas earum in proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento poſſe defendi.

Hæc Bulla nuſquam Romæ affixa eſt aut promulgata: ſed duntaxat Lovanii hoc anno prælecta à Maximiliano Morillon, Vicario Generali Cardinalis Granvellani, Archiepiſcopi Mechlinienſis, cui iſtius Bullæ executio à Romano Pontifice fuerat demandata. Nullum exemplar Bullæ, ſed duntaxat Articulorum, dare voluit Morillon, quantumvis requiſitus.

1568. Michael Baius cum memorato Judoco Raveſtyn, & Cunero Petri, juniore Academiæ Lovanienſis Doctore Theologo, collationem de Sacrificio per litteras habuit.

Iſta Collatio primùm edita extat in 2. parte.

Eodem anno FF. Minores in ſuis Comitiis Nivellenſibus præfatos ſeptuaginta ſex articulos ejuraverunt.

1569. Michael Baius Pio V. ſcripſit litteras, quibus conqueritur quòd nullum Bullæ, quâ proſcripti ſeptuaginta ſex articuli paſſim circumferebantur, exemplar obtineri poſſet neque Romæ neque Lovanii: ſimulque ſuam Apologiam miſit, in qua luce clariùs demonſtrat quàm falſò iſti articuli ipſi adſcribantur: & quo ſenſu plerique ipſorum veriſſimi ſint, & ad mentem Auguſtini.

Papa reſcripſit, juxta recentiorem Romanæ Curiæ ſtylum, cauſam maturè fuiſſe diſcuſſam; ac Baium hortatur ut ſe Cenſuræ ſubjiciat.

Eodem anno quidam P. Julianus à Quercu, Miniſter Minoritarum Provinciæ Flandriæ, Decretum dedit, quo ſibi ſubditis mandat ut memoratos articulos abjurent, ac omnia Michaelis Baii ſcripta à ſe dimittant; & ipſiſmet Sororibus, ut omni ſuper hæc querelâ abſtineant: libri tamen aut ſcripta Michaelis Baii nullibi damnata vel prohibita reperiuntur.

Hoc Decretum primò editum habetur in 2. p.

1570. Cu-

1570. Cunerus Petri in Sabbathinis exercitationibus, & F. Godefridus Leodius, Minorita, in Concionibus quas Lovanii habebat, Michaelem Baium cœperunt exagitare.

Hanc Mich. Baii explicationem, hactenus ineditam, Vide in 2. parte.

Ipse, qui hactenus silentio se continuerat, consilio ac suasu trium Episcoporum, videlicet, Sylvæ-Ducensis, Iprensis ac Gandavensis, mentem suam circa hujusmodi Articulos in scholis publicis aperuit, ostendens quâ arte conficti fuerint.

Litteras Rythovii &c. primùm editas Vide in 2. parte.

Dux Albanus, Belgii Præfectus, ab æmulis Baii circumventus, instat apud Episcopos, qui Synodo Mechliniensi hoc anno habitæ intererant, ut Pii V. Bulla Lovanii ritu solemniori promulgaretur: quod & præstitum die decimâ sextâ Novembris hujus anni. Rector istius Academiæ Formulam professionis fidei circa hæc præscripsit: verùm à Decano & ab aliis Theologiæ Magistris rejecta est. Hinc majores motus: & graviores in ipsum Morillonium querelæ.

Istius Commentarii valde prolixi ideam habes in 2. parte.

1571. Cunerus Petri, qui ex Doctore Theologo Lovaniensi primus Leuwardiæ Episcopus factus fuerat, Commentarium scripsit in recensitas septuaginta sex sententias, quas dicit damnatas, QUAMQUAM EARUM NONNULLÆ ALIQUO PACTO IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO SUSTINERI POSSENT: Quæ una præcipui ex Baii æmulis declaratio omnem de famoso commate quæstionem dirimit.

1575. Tot calumniis nihil obstantibus, Michael Baius renunciatus est Cancellarius Academiæ Lovaniensis, & Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Petri Lovanii Decanus.

Eodem anno ipse duas singulares Orationes habuit: alteram de Jurisdictione Episcoporum: alteram de infallibilitate Romani Pontificis. Utraque habetur in 1. parte.

1577. Cœpit Disputatio per Litteras inter Michaelem Baium & Philippum Marnixium Sanct-Aldegondium, Calvinianum, circa quæstiones de Ecclesia, & de Eucharistia.

1578. Michael Baius in Conservatorem Privilegiorum Academiæ Lovaniensis assumptus est.

Cùm sub anni 1577. finem Belgæ Confœderati tam Catholici quàm Acatholici arctioris unionis fœdus adversùs Joannem Austriacum, Belgii Præfectum inivissent; hoc anno 1578. Ordines Belgii edixerunt ut singuli etiam Monachi & de Clero jurare compellerentur fidem ac obedientiam Mathiæ Archiduci, & defectionem à Joanne. Michael Baius id intelligens scripsit Ambrosio Lootsio, Abbati Parcensi, prope Lovanium, litteras, quibus eum Christianâ libertate corripiebat quòd isti unioni ac sacramento consensisset; ostendebatque quantùm fidei Deo ac Regi debitæ adversaretur hæc unio & istius jurisjurandi exactio.

1579. Gregorius XIII. Constitutionem edidit, in qua declarat se in sui Prædecessoris Pii V. Registro invenisse Bullam, qua 76. articulos damnaverat; ac vult illius exemplo, quòd suæ huic Constitutioni inserit, integram fidem haberi. At ne verbum quidem habet, quo Bullam istam confirmet aut Articulos in ea expressos iterum damnet. Unde stupeas id vulgò ab ipsismet Lovaniensibus assertum.

Ista-

Ista autem Gregorii XIII. Bulla nec Romæ quidem affixa est: sed solummodò in scholis Lovaniensibus promulgata à P. Francisco Tolet, Jesuita; quem Papa ad id Lovanium delegavit. Sed nec ullum ipsis Lovaniensibus Theologis concessum est istius Bullæ exemplum.

Denique P. Toletus, criminationibus, quæ in Michaelem Baium factæ fuerant, diligentiùs excussis, & eàrum veritate penitiùs disquisitâ, auditoque Michaele Baio, comperit mera esse mendacia, putasque calumnias, quæ de eo Pontifici ac Regi Catholico scripta & dicta fuerant, summamque tanti viri modestiam, profundamque eruditionem miratus dixit se Michaele Baio humiliorem aut doctiorem neminem vidisse. Imo pollicitus est se curaturum ut Pontifex meliora & æquiora de illo non modò sentiat, sed etiam inspiret Regi Catholico. Ipse Baius litteras per eundem P. Toletum Gregorio XIII. scripsit, qui ei statim rescripsit cum multis Paternæ dilectionis testimoniis, ac unum suæ Bullæ exemplum misit, quod hactenus obtineri non potuerat.

Gregorii XIII. epistola primùm edita extat in 2. parte.

1582. Michael Baius, suo Regi ad mortem usque fidelissimus, argumenta dissolvit, quibus Antuerpienses suadere satagebant Belgis esse licitum jurejurando se obstringere ad obediendum Duci Alençonio, abdicatâ, quæ Regi Hispaniarum debebatur, obedientiâ. Eam in rem litteras scripsit Doctori Petro Castillo, qui istius Juramenti formulam cum argumentis Antuerpiensium ad ipsum transmiserat.

1585. Joannes Franciscus Bonomus, Episcopus Vercellensis, à Gregorio XIII. ob alia negotia in Belgium delegatus, Lovanium venit. Ibique apud ipsum eædem institutæ sunt adversùs Michaelem Baium criminationes, quas Cornelius Reyneri, Decanus Sacræ Facultatis, anno 1580. in Facultate frustrà proposuerat. Et ad contentiones omnes componendas, animorumque concordiam in Academia Lovaniensi stabiliendam, iste Legatus jussit ut Theologica Facultas suam circa memoratos 76. Articulos mentem clarè exponeret, quo omnes istius Academiæ Theologi idem sentirent ac loquerentur. Hæc Expositio à Joanne Lensæo, Doctore Theologo concepta, postquam cæteris Magistris prælecta ac probata est, fuit Pontificis legato tradita.

Hæc expositio in 2. parte excersa habetur.

1589. Michael Baius annos natus 77. per tot labores ad beatam quietem pervenit, vitâ functus die decimâ sextâ septembris.

INDEX.

INDEX OPERUM


PRIMÆ PARTIS.

INDEX OPERUM

SECUNDÆ PARTIS.

* * *

Expli- editum.



PRÆ-

PRÆFATIO IN LIBRUM DE PECCATO ORIGINIS.

MIRABERIS forsitan, studiose Lector, quid mihi in mentem venerit: ut post tot tractatus, disputationes & controversias de peccato originis, non ab Augustino tantùm: sed etiam à recentioribus scriptoribus editas, rursus idem argumentum aggrediar, maximè pullulantibus quotidie tot novis hæreticorum erroribus, contra quos potius videri queat acuendus scribentium stilus. Dicam paucis quid me impulerit. In duorum hominum causa, *inquit Augustinus*, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides christiana consistit. *Quamobrem non minus operæ ponendum esse putavi, ut quisque fidelis suæ originis corruptionem, in qua omnes mortui delictis, & filii iræ nati sumus; & à qua nos Christus, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos fecit, probè intelligeret: & secundùm Apostoli præscriptum cum gratiarum actione sæpius ad memoriam revocaret: quàm in refellendis eorum erroribus, qui jam olim sepultas hæreses, & à nostris majoribus clarissimè confutatas & damnatas, quotidie resuscitant,*

De peccato origin. c. 24.
Ephes. 2.
Titum 3.
Philip. 2.

tant, à quibus nemo facilè decipitur, nisi qui antiquæ fidei
2 Tim. 4. *pertæsus, & auribus pruriens, juxta sua desideria, mendaciorum magistros quærit, à quibus novos errores hauriat. Hac igitur ratione adductus, præsupposito dogmate, quo omnes indubitanter credimus, nos in iniquitatibus concipi,*
Psal. 50. *& filios iræ nasci, quanta potui brevitate conatus sum juxta scripturas sacras, & veterum monumenta sanctorum explicare: quid sit quod peccatum originis dicimus, quare sit peccatum, & quo ordine deleatur: ne quis fortè obscuris & involutis quorundam disputationibus illusus, suspicetur illud non esse rem in scripturis sacris explicatam, & fidelibus notissimam, contra quam, quamdiu in hac vita sumus, quotidie dimicamus, & gloriosa exercemus certamina; sed imaginariam, abditam, & veluti à somniante confictam; quæ cogitari possit, & credi, sed nulla ratione sentiri aut intelligi: de qua sic disseruerint veteres Ecclesiæ doctores, ut illam magis quæsivisse, quàm invenisse videantur. Quia ejusmodi imaginationes de peccato originis, non ex eo natæ videntur, quòd veteres Ecclesiæ doctores obscurè significaverint, quid ex scripturis sacris intellexerint esse peccatum originis; sed quòd nonnulli posteriores, Philosophicis erroribus impediti, obscurum, aut etiam falsum esse putaverint, quod ab illis contra hæreses & hoc eruditissimè dissertum est.*

Distributio operis.


DE



DE PECCATO ORIGINIS ET EJUS REMISSIONE, LIBER UNUS.

CAPUT I.

Quòd circa peccatum originis apud Pelagianos duplex error extiterit.



CIRCA peccatum originis apud Pelagianos duplex error extitit. Alter eorum qui Adæ peccatum ipsi soli nocuisse asserebant, ejusque posteros, qui ex illo nati sunt, neque peccatum neque mortem generatione traxisse, sed prorsus tales natos esse, qualis ipse à Deo creatus est moriturus videlicet non pœna culpæ, quam postea commisit, sed necessitate naturæ quam morti obnoxiam in sua creatione acceperit. Contra quem errorem propriè dirigitur, quod in Concilio Milevitano definitum est. Ut *quicunque dicit Adam primum hominem, mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, Anathema sit.* Item : *placuit ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur,* Cap. 1. Cap. 2.

pietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, Anathema sit. Cæterùm, quia hic error à divo Augustino aliisque catholicis scriptoribus nimia evidentia revincebatur, ideo alii nonnihil à Pelagio recedentes, alium errorem excogitaverunt, dicentes mortem duntaxat corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus hominum transiisse; quem propriè damnavit Concilium Arausicanum secundum, ubi

Cap. 2. ait: *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est: non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur,*

Rom. 5. *injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti:* Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt. De quo Augustinus: *Sed Pelagiani quomodo dicunt solam mortem ad nos transiisse per Adam? Si enim propterea morimur, quia ille mortuus est, ille autem mortuus est, quia peccavit, pœnam dicunt transire sine culpa, & innocentes parvulos injusto judicio puniri, trahendo mortem sine meritis mortis; quod de uno solo mediatore Dei & hominum homine Christo Jesu, catholica fides novit, qui pro nobis mortem, hoc est, peccati pœnam, sine peccato subire dignatus est.*

Contra 2. epistolas Pela. lib. 4. cap. 4.

Contra Cas. c. 10. Et infra: *Hanc singularem mediatoris prærogativam, Pelagiani evacuare conantur, ut hoc jam non sit in Domino singulare, si Adam ita propter culpam, mortem passus est debitam, ut parvuli ex illo nullam trahentes culpam, mortem patiantur indebitam.* Prosper quoque: *Quid peccato læsum est, si id læsum non est, unde peccatum est? Nisi fortè dicatur in Adæ posteros pœnam transiisse non culpam, quod omni modo falsò dicitur. Et ob hoc fortè non dicitur, nimis enim impium est hoc de Dei sentire justitia, quod à prævaricatione liberos, cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa,*

De incar. cap. 14. *ubi non latet pœna, & societas peccati convincitur de communione supplicii.* Fulgentius quoque: *Si qui ergo mortem solam & non etiam peccatum ex homine primo transiisse in genus humanum nituntur asserere, mirum si non intelligunt quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primò quia Deum dicunt injustum, in eo quod mori facit parvulos, quos nulla volunt istius originalis peccati contagione pollutos, quosque manifestè constat infantili ætate, aliquid actualis peccati, propriâ non posse voluntate contrahere.* Et infrà: *Quâ justitiâ parvulus subjicitur peccati stipendio, si nulla est in eo pec-*

Rom 9. *cati pollutio? vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum? Et cum non sit iniquitas apud Deum, qui fecit hominem ad imaginem suam; quæ justitia est, ut imago Dei quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Hæc ne est Creatoris benignitas, ut ima-*

Rom. 3. *ginem suam creet, eamque sine ulla iniquitate condemnet, cùm non sit iniquus Deus qui infert iram?* Cùm itaque duo isti errores ante annos mille manifestissimè confutati sunt & damnati: certâ fide credendum est, & humiliter confitendum, omnem hominem qui de viri mulierisque concubitu nascitur, in ini-

Rom. 5. quitatibus concipi, & iræ filium nasci: *Quia per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita* (merito videlicet peccati, quod omnes ex uno contraxerunt) *mors in omnes pertransiit.* Qualem enim se primus homo peccando fecit, tales & genuit, ut quod in illo factum erat pro-

Joan. 3. priâ actione, in cæteros transiret generatione. Quod enim natum est ex carne,

ne, caro est: Et quod ex immundo semine concipitur, necessum est ut immundum & in iniquitate concipiatur.

CAPUT II.

Quid sit peccatum originis.

SED quid illud sit quod Adam propriâ peccati actione contraxit, & in cæteros generatione propagavit, quod nos maliciam naturalem quia nobiscum natam, & peccatum originis quia ex parentibus contractum nuncupamus, à multis studiosè quæritur, & non ab omnibus invenitur, quia de illo diversa sentiuntur. Alii enim asseruerunt peccatum hoc, esse nudam justitiæ originis, in qua naturaliter à Deo conditi sumus, privationem. Alii verò diffiniunt esse vitium quo caro concupiscit adversus spiritum, existimantes peccatum hoc nudam privationem non esse, sed actum quendam habitualem vitiosum, originali justitiæ contrarium, à quo naturaliter mali, & ad malum semper intenti sumus. Nam licet omne peccatum, imo omne malum à privatione
dicatur: quia nihil est aliud quod dicitur malum, quàm naturalium privatio *Aug. Enchir. c. 11.*
bonorum: Attamen peccatorum alia in actu vitioso consistunt, quæ nos commissionis peccata vocamus, ut fornicatio sive in actione sive in habitu: Alia vero in nuda privatione, absque omni actu, quæ dicuntur peccata omissionis, ut non subvenire indigenti, non honorare parentes. Quæritur igitur primùm, utri horum generum connumerari debeat originale peccatum. Si enim nuda originalis justitiæ privatio est: igitur connumerandum est peccatis omissionis, quæ actum nullum habent. Si verò actum aliquem habeat originali justitiæ contrarium, tunc connumerandum est peccatis commissionis, quæ in actu vitioso consistunt, ut fornicatio in concubitu cum ea muliere, cum qua concumbi non debuit. Scripturæ sacræ, quæ peccatum originis commemorant, fere actum aliquem insinuant, quia tribuunt illi operationem,
quæ nudæ privationi non competit, ut: *Quare me posuisti contrarium tibi, &* *Job. 7.*
factus sum mihimet ipsi gravis? Et: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio.* *Galat. 5.*
Et: *Peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Et: *Caro concupiscit ad-* *Rom. 7.*
versus spiritum. Et: *Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt.* Qui- *Galat. 5.*
bus planè consonat, quod toties repetit Augustinus, peccatum originis *Rom. 8.* *De nup.*
quando remittitur, manere actu, & præterire reatu: quia actu manere non *lib. 1. c. 27.*
posset, si actum non haberet. Igitur peccatum originis non in nuda aliqua *Contra Julia. lib. 6.*
privatione, sed in actu vitioso, & inordinato consistit, cum quo omnes nas- *cap 8.*
cimur. Qui etsi in infante non appareat quamdiu neque in bono, neque in malo, cogitatione versatur, quia utrumque in illo consopitum vacat, & bonum naturale rationis, & malum originale peccati: attamen temporis progressu se prodit, quando puer crescendo vana cupit, vana sapit, & contra semetipsum pugnare incipit. Sine lege enim peccatum mortuum est in infante, *Rom. 7.*
& quasi non sit, latet occultum, sed cùm venit lex, id est, cùm accedente mentis judicio, lex illi innotescit: tunc peccatum vivendo, atque mala operando se prodit; & quale fuerit, etiam tunc cùm veluti profunda ebrietate, in

 infan-

Rom. 7. infante sopitum jacebat, ostendit. Nam *peccatum ut appareat peccatum*, inquit Apostolus, *per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum, per mandatum.* Hoc igitur est quod nos peccatum originis dicimus, propter quod baptizantur infantes, vitium in quo nascimur, quo crescendo vana cupimus, vana sapimus, & nisi misericordia Domini spiritu mentis, saltem aliquo usque renovati, ab ejus dominatu liberemur, etiam innumera mala committimus.

CAPUT III.

Quòd originalis vitii quatuor sint partes.

HUjus vitii plures sunt partes. Ignorantia in mente, malicia in voluntate, inobedientia inferiorum partium animæ erga superiores, & rebellio Rom. 7. membri genitalis contra imperium voluntatis, quod alio nomine lex peccati & lex membrorum nuncupatur. Ignorantiam intelligo, non quâ fit, ut aliquid simpliciter nesciatur: sed vitium quo cùm ad annos discretionis pervenimus, impedimur, ne de Deo, & legitimo ejus cultu veritatem recipiamus, id est, quo fit, ut terrena sapiamus, & non percipiamus ea quæ sunt spiritûs 1 Cor. 2. Dei, nisi ipse mentes nostras illuminet. Quâ enim lege jubemur Deum colere, & mandatis ejus obedire, eâdem jubemur veram ejus notitiam, & mandatorum ejus, non repellere. Porrò voluntatis maliciam ex eo maximè co- Rom. 5. gnoscimus, quòd Deum & justitiam ejus, etiam cognitam non amemus, nisi charitas Dei diffundatur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis; ut amor mundi cum quo nascimur, in Dei amorem commutetur. Inferiorum verò partium animæ, erga superiores inobedientia, & rebellio membri genitalis, contra imperium voluntatis, tantæ evidentiæ vitium est, ut etiam ab impiis idolorum cultoribus improbetur: licet enim natura non postulet, ut sine genitalium motu filii seminentur; attamen quemadmodum oculi, labia, lingua, manus, pedes, ad opera sibi congrua, non proprio jure, sed imperante voluntate rapiuntur: sic & genitalia in opere sibi congruo, ad nutum voluntatis moverentur, nisi ex prima transgressione, inobedientiæ vitium contraxissent, quo sic suâ lege, ad opus proprium concitantur: ut neque cùm mens voluerit, exurgant; neque cùm mens voluerit conquiescant: sed semper suo jure ferantur, etiam si tunc moveantur aut quiescant, quando id poscit volentis intentio.

CAPUT IV.

Quòd ob vitia, alieno opere contracta, nascantur omnes iræ filii.

OB hæc igitur vitia, cum quibus post lapsum concipitur, quisquis ex viri Ephes. 2. mulierisque congressu concipitur, nascuntur omnes iræ filii, & æternæ damnationi obnoxii, etiamsi hæc vitia in se non fecerint, sed ea tantùm ex

sua

ſua generatione contraxerint. Quia ſicut Adam ſuæ creationis initio Deo acceptus erat, quia rectus erat & juſtus, etiamſi ſe rectum non fecerat: (ſicut adhuc hodie Deo accepti ſunt infantes recenter baptizati, qui tamen nullâ ſuâ operatione ſunt juſti) ſic etiam Deo diſplicet infans recenter genitus: quia eſt Deo, & legibus ejus ex innato vitio contrarius, etiamſi non propria operatione, ſed parentum duntaxat generatione talis ſit. Quia ſicut equum, aut ſervum quærentes, non tam intuemur quis eum genuerit, aut fecerit; quàm intuemur qualis ſit: ſic & Deus hominem judicans, non tantùm intuebitur quis eum bonum aut malum fecerit: ſed etiam an bonus an malus ſit, ſive proprio, ſive etiam alieno opere talis ſit. Adeò ut inter ſententias ad fidem Catholicam pertinentes, conſtanter dicat Auguſtinus. *Scimus etiam parvulos ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos bonum vel malum. Geſſerunt autem non per ſeipſos, ſed per alios eo tempore quo in corpore fuerunt.* *Epiſt. 157. Sentem. 8. ad Vitalem. 2. Cor. 5.*

CAPUT V.

Quare concupiſcentia & lex membrorum potius in homine quàm in brutis ſit culpa.

SED hic multiplex difficultas exoritur. Prima eſt: Quomodo concupiſcentiæ habitus, quo appetitus inferior citra voluntatis imperium, ad concupiſcendum movetur, & lex membri genitalis, qua veluti ſuo jure, ad opus ſibi congruum concitatur, ad peccatum originis pertinere dicantur: cùm hæc eadem etiam in brutis naturaliter reperiantur, in quibus non ſunt vitia, ſed natura. *Prima difficultas.*

Reſponſio.

Quemadmodum coitus maſculi cum qualibet ſui generis fœmina, in brutis eſt natura; in hominibus verò eſt culpa, & fornicatio, aut adulterium dicitur: Sic etiam quòd appetitus ſenſitivus, citra cujuſquam ſuperioris potentiæ gubernaculum aut imperium, ſuo jure in quodvis objectum ſibi delectabile concupiſcendo feratur, inhiando ex ſenſu percipere voluptatem; & quod membrum genitale, non imperio voluntatis, ſed œſtro libidinis ad opus ſibi congruum excitetur in beſtiis, quæ ſic à deo inſtitutæ ſunt ut rationem non habeant cui cætera parêre debeant, eſt natura: in hominibus verò, qui aliter à Deo conditi ſunt, & à quibus juxta naturæ ſuæ leges exigitur, ut inferiora ſuperioribus obſequantur, eſt culpa. Unde Auguſtinus de peccato originali contra Pelagium, explicans quomodo homo dicatur comparatus jumentis inſipientibus: *Etſi homo*, inquit, *in honore poſitus, & non intelligens comparatur pecoribus, eiſque ſimilis ſit, non tamen uſque adeò ſimilis ſit, ut pecus ſit. Comparatur namque per vitium, non pecoris vitio, ſed naturæ. Tantæ namque excellentiæ in comparatione pecoris eſt homo: ut vitium hominis, natura ſit pecoris. Nec tamen ideo natura hominis, in naturam vertitur pecoris, ac per hoc Deus hominem damnat*, inquit, *propter vitium quo natura dehoneſtatur, non propter naturam, quæ vitio non aufertur.* Et in Pſalmum 103. concione 4. *Quod equo natura eſt, homini crimen* *Aug. contra Julia. libr. 4. cap. 2. De pecc. orig. c. 40. Pſal. 48.*

men est. Idem habet contra Julian. libro 4. cap. 14. in fine. Cum itaque natura pecoris crimen & vitium sit hominis, propter quod Deus hominem damnat, satis clarè ostenditur, à concupiscentia bestiarum, quæ illis est natura, non rectè duci argumentum, ad concupiscentiam hominum, quasi videlicet etiam ipsis sit natura & non vitium, nisi simul præsupponatur (quod absurdissimum est) hominem peccando in naturam transiisse bestiarum, & jam non amplius esse hominem, sed bestiam, eandem scilicet cum brutis animalibus naturam habentem. Ex quo etiam intelligi potest, quid responderi debeat ad id quod objici solet ex lib. 3. Augustini de libe. arb. cap. 20. Ubi licet non asserat hominem ab initio talem à Deo creari potuisse, qualis nunc nascitur: Sed quòd si talis conditus fuisse dicatur (sicut posteà dixerunt Pelagiani) tamen vincuntur Manichæi, qui voluerunt duas, boni scilicet & mali coæternas esse naturas, sicut apud Augustinum docetur lib. 1. retract. cap. 9. Et lib. de bono perseverantiæ cap. 11. & 12. ubi etiam expresse testatur Augustinus se lib. 3. de lib. arb. secundum utrumque sensum, Pelagianum videlicet & nostrum, id est, catholicum, restitisse Manichæis, licet unum duntaxat teneret. Attamen etiamsi talis quispiam homo à Deo creari posse fingatur, quales nunc nascimur, sicut finxit Julianus (ut est apud Augustinum libro 3. contra Julianum cap. 12.) nihilominus quia quisque id natura est, quod à Deo conditus est: ideo concupiscentia, in tali homine natura esset non culpa, non pœna, imò nec vitium, quod semper naturalium est ablatio bonorum; sed naturæ donum, nulli verecundiæ, nulli reprehensioni obnoxium, in quo non propter aliquod vitium improperio aut vituperatione dignum, sed propter naturæ bonum brutis comparetur: sicut nunc ob visum & auditum illis comparari possumus, quos naturaliter cum eis communes habemus. Cæterùm in nobis qui aliam à Deo naturam sortiti sumus, non potest non esse vitium, quòd caro concupiscit adversus spiritum: & quòd aliquod corporis membrum, citra voluntatis imperium, suo jure ad opus sibi congruum concitetur, id quod nobis non solum justè improperatur: sed etiam ad æternam damnationem imputatur, nisi ante hujus vitæ terminum ex aqua & Spiritu Sancto renascamur in Christo. Et ideo, sicut superiùs ostendimus, quòd concupiscentia, quæ brutorum natura est, vitium & crimen est hominum: sic etiam dicendum est, de illius ficti hominis concupiscentia, cum qua naturaliter creatus esse fingitur, sicut novimus creatas esse bestias; quòd concupiscentia illi quidem homini esset natura, nobis autem & pœna est & culpa, sicut subjecta ratione ostenditur. Omnes enim uno ore fatemur ipsum concupiscere, quod in malo ponitur, & quo illicitum aliquid appetitur, sic ex sua ratione malum esse, ut si voluntas accesserit non possit non esse peccatum, sed concupiscentia habitualis, quæ peccatum originis est, & per se nihil aliud parit, quam hujusmodi motus illicitos, quos etiam nobis nolentibus producit, non potest melioris esse conditionis aut naturæ, quam sit naturalis ejus effectus: Igitur habitualis concupiscentia, sic est ex suâ ratione mala, ut si po natur esse voluntaria, non possit non agnosci esse peccatum. Jam verò in infante qui recens nascitur, concupiscentia sic est voluntaria, quemadmodum voluntarium est quicquid dici potest originale peccatum, & quo voluntaria

Dilutio objectio. ex lib. 3 Aug. de lib. arb.

In en bi-rid. c. 11.

Galat. 5.

Joan. 3.

taria esse dicitur, originalis justiciæ privatio (quam plerique formale vocant in peccato originis:) Igitur concupiscentia in sua ratione aliquid complectitur, ratione cujus rectè peccatum nuncupatur, & infanti recens nato ad damnationem imputatur.

CAPUT VI.

Qua ratione peccatum originis sit in omnibus æquale.

Altera difficultas est, quòd peccatum originis sit in omnibus nascentibus æquale. Sed concupiscentia, & libido carnis, non est in omnibus nascentibus æqualis, sed in aliis major in aliis minor, sicut temporis progressu in infantibus manifestissimo experimento comperitur: Igitur concupiscentia, & carnis libido non sunt partes peccati originis. *Secunda difficultas.*

Responsio.

Simili planè ratione doceretur, quòd nec privatio justitiæ originalis dici posset esse peccatum originis: quia pro ratione indolis, qua præditi nascuntur infantes, in aliis major, in aliis minor invenitur. Neque enim dubitari potest, eos plus de rectitudine naturali perdidisse, qui feroces, iracundi, crudeles, immites, avari, rapaces, & aliis similibus vitiis nascuntur infecti: quàm qui placidi, mites, mansueti, liberales, & misericordes reperiuntur, idque non instituto, aut disciplinâ, sed naturâ. Quia (sicut contra ingratos testatur Prosper) universa hæc munera, quibus destituti sunt priores, ex primo naturæ habentur honore, & supersunt de magnis illis opibus, quas in creatione acceptas, per primam tansgressionem perdidimus, de quibus Augustinus; *non usque adeò*, inquit, *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint. Unde meritò dici possunt ipsi infideles, in ipsa impietate vitæ suæ, facere aliqua legis vel sapere, quia non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearetur, impressum est.* Porrò quòd de his divinæ imaginis reliquiis in alio plus, in alio minus naturaliter insit, ostendit non tantùm diversorum puerorum eadem diligentia institutorum diversissima, imò planè adversa conversatio: Sed etiam Sapiens, cum ait: *Puer eram ingeniosus, & sortitus animam bonam.* Similiter Job dicens: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Quia cum multis ex utero matris non egreditur miseratio: sed feritas, & quædam animi crudelitas, quæ se prodit, accedente mentis judicio. Cùm igitur neque concupiscentia mala, neque justiciæ originalis privatio, neque aliud quidvis, quod quis suspicetur esse peccatum originis, in omnibus nascentibus reperiatur æquale, sed in aliis minus & in aliis majus: *manifestum est dici non posse peccatum originis in omnibus actu esse æquale, sed solùm reatu, & demerito.* Quod licet non immerito quis admiretur, quia ex inæqualibus actibus malis videntur nasci debere inæquales reatus: attamen quomodo fieri possit (quantum Deus adjuverit) paucis conabor aperire: sicut plus boni operis est in eo qui voluit facere bonum & fecit, quam in eo qui voluit, &, Deo dispo-

Ad difficultatem responsio.

De spirit. & litera cap. 27.

Sapient. 8.

Cap. 31.

Peccatum originale in omnibus est æquale non actu, sed demerito.

 nente,

nente, facere non potuit: quia in hoc tantùm est velle bonum, in illo verò etiam ipsum facere bonum, & tamen æquale est meritum: quia diversitas ex sola Dei dispositione provenit, non ex volentium studio, & electione: ex
1 Cor. 3. quibus tamen perpenditur omnis mensura meriti. *Unusquisque enim recipiet se-*
Rom. 2. *cundùm suum laborem*, Et: *Deus reddet unicuique secundùm opera sua:* Item sicut plus mali operis est in eo, qui voluit facere malum & fecit, quam in eo qui voluit & non potuit: & tamen idem est demeritum, & reatus æqualis: quia diversitas etiam ex sola Dei providentia contigit, qui alterum permisit consummare quod voluit, alterum verò non permisit. Sic in eo qui perversissima indole nascitur, longe plus est vitiorum & privationis originalis justiciæ, quàm in eo qui Deo miserente sortitus est animam bonam: & tamen apud Deum sunt æqualiter rei, quia diversitas vitiorum quæ in eis reperitur, non provenit ex genitorum, aut generantium studio, & opere: sed tantùm ex Dei miserentis dispositione, qui collatis uni bonis animi dotibus, non permisit eum tantùm vitiorum nascendo contrahere, quantùm contraxit alter, & quantùm ex vi primæ transgressionis etiam à generante contraxisset, nisi Deus corrupti seminis actionem, data meliori indole misericorditer in eo nonnihil correxisset. Sicut enim Deus secundùm altitudinem sapientiæ suæ, quosdam valde malos nasci permittit, per quos ostendat, quanta fuerit virtus primæ transgressionis, etiam ad subversionem totius posteritatis. Sic etiam quibusdam naturaliter utcunque bonam indolem tribuit, ut ex his veluti primæ integritatis vestigiis cognoscatur, & quanta initio fuerit humanæ conditionis excellentia, cujus tam præclara sunt vestigia, & quàm multiplex sit conditoris benevolentia, qui creaturam à se fugientem, etiam in reprobis hominibus, præclaris naturæ dotibus ornare non cessat.

CAPUT VII.

Quòd peccatum originis possit infanti imputari, etiam si non sit ex propria ejus voluntate profectum.

Tertia difficultas. TErtia difficultas est, quomodo infanti possit imputari quod non ex ejus voluntate profectum, cùm peccatum omne debeat esse voluntarium. Quam difficultatem etiam suo tempore movit Julianus, cui breviter respondit
Cont. Juli. lib. 3. c. 5. Augustinus. *Frustrà putas ideo in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hoc enim rectè dicitur, propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium, quod tamen & ipsum à mala voluntate primorum hominum sumpsit exordium.* Quod ut plenius intelligatur considerandum est, quæstionem qua quæritur: Utrum omne peccatum debeat esse voluntarium, non esse definitionis quæstionem, sed causæ & originis, cui impertinens est, Utrùm id quod peccatum esse dicitur, sit ab ejus voluntate profectum cui inest, an ab alterius cujuspiam; quia à quacunque voluntate sit, semper verum est, quòd neque ex Deo sit, neque ex æter-
Cont. Jul. lib. 3. c. 5. na aliqua natura mala Deo contraria. Sed *sicut peccati origo, voluntas mala est*, inquit Augustinus, *ita nisi voluntas mala, non est cujusquam origo peccati.* Cæterùm

terùm quemadmodum de abortivo differentes, homo ne sit an non, non inquirimus, an à Deo ducat originem, (quanquam homo esse non possit nisi quod à Deo sit;) sed an animam habeat rationalem, quod ad ejus definitionem propriè pertinet. Sic de actu aliquo differentes, an ex suo genere sit peccatum; non hoc inquirere debemus, an sit à voluntate, vel à qua sit voluntate profectum; sed an ex suo genere sit divinorum inobedientia mandatorum, quæ peccati propria definitio est. Quia quicquid ejusmodi est, undecunque sit hoc, sine ambiguitate ex sua ratione peccatum est. Sed si ulteriùs inquiratur, cui peccatum hoc debeat imputari: tum demum rectè quæritur, à qua voluntate ducat originem: quia peccatum suæ origini jure imputatur, nisi fuerit illi dimissum; sicut Adæ dimissum esse credimus, quicquid propriâ voluntate in se mali fecit, & in posteros generando trajecit. Cæterùm quia vitium cum quo infans concipitur, ratione suæ originis non ipsi infanti, sed vel generanti, vel primo duntaxat parenti imputaretur. Ideò sciendum est, omne id quod re verâ secundùm propriam rationem peccatum est, undecunque ducat originem, tantùm quia inest, veraciter illi imputari, si vel actu, vel habitu ei dominetur: sic ut non gerat contrarium mentis affectum. Quapropter *concupiscentiæ malum, tantum quia inest*, inquit Augustinus, *infantem tenet in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi ejus vinculum in illa quæ fit in baptismo remissione peccatorum omnium solveretur.* Infans igitur ex hoc nascitur filius iræ, quia nascitur cum vitio ex sua ratione divinæ legi contrario, quod illi, non quidem actu, sed habitu dominatur, etiam si illud vitium propriâ voluntate sibi non fecerit, sed nascendo duntaxat, ex seminis corruptione, contraxerit.

Ambrosius cap. 1. libri de paradiso simili ferè modo definit peccatum.

Vide D. Aug. lib. 2. de peccat. mer. c 34. Et Ire. lib. 3. cont. hæres. cap. 34.

De peccat. originis cap. 39. Contra Julia. lib. 6. cap. 5.

CAPUT VIII.

Quòd vitia animi à parentibus in filios traducantur, sive anima sit ex traduce, sive non.

SEd hinc rursus nova difficultas emergit. Quomodo mentis ignorantia, & malicia voluntatis, quæ propriè ad animam pertinent, à parentibus per generationem transeant in filios, cùm in Ecclesia Christi, verisimilior habeatur opinio, quæ dicit animam à parentibus in filios cum corpore non traduci, sed à Deo immediatè novam corpori infundi. Cui respondet Augustinus quòd quemadmodum rerum corporalium qualitates, mirabili modo affectis nostris sensibus, ad memoriam & animam transeunt, rursus ab anima ad corpus: sicut colores virgarum quas variavit Jacob, afficiendo transierunt in animas pecorum matrum, atque inde rursus, eâdem affectione transeundo apparuerunt in corporibus filiorum: id quod & in fœtibus humanis aliquando contigisse legimus: sic etiam fieri potest, ut vitia quæ animæ parentis adhæserunt, per generationem, non migrando de subjecto in subjectum, sed afficiendo, mirabili modo in animam filii transeant, etiamsi anima filii non trahatur à parentibus, sed immediatè infundatur à Deo, quia quomodolibet id accidat, attamen experientiâ comperimus, filios non tantùm corpore, sed etiam ingenio, &

Quarta difficultas.

Contra Julia. lib. 5. cap. 9.

Genes. 30.

& aliis animæ qualitatibus quâdam lege naturæ perentibus nasci similes, sive animam trahant à parentibus sive non. Dicimus igitur, non tantùm corporis, sed etiam animæ vitia, à parentibus per generationem transire in filios, *quia aut utrunque vitiatum, anima videlicet & corpus, ex parente trahitur*, inquit Augustinus, *aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur*. Quid autem horum sit verum, inquit, libentius disco quam dico, ne audeam dicere quod nescio. Hoc autem scio, id horum esse verum, quod fides vera, antiqua, catholica, qua creditur & asseritur originale peccatum, non esse, convicerit falsum.

Libro 5. contr. Juli. cap. 3.

CAPUT IX.

Quòd infantes etiam à parentibus baptizatis peccatum originis trahant.

QUæritur etiam, quomodo proles peccatum originis ab illis parentibus trahant, qui per sacramentum fidei sunt ab omni peccato liberati? neque enim videntur parentes in proles posse transmittere, quod ipsi non habent. Quibus respondendum, quòd in baptizatis peccatum originis prætereat reatu, sed maneat actu. Manet enim lex illa concupiscentialis, quæ illi membro dominatur, quo fit ipsa generatio. Ex illa autem manente lege, quod nascitur, renasci indiget ut sanetur, inquit Augustinus, quia parentibus duntaxat qui baptizati sunt, & renovari jam cœperunt dimissa est, non etiam filiis, qui illam à parentibus contraxerunt, & ab ejus dominatu liberati non sunt, quia igitur parentes Christiani non mente gignunt, quâ renovari cœperunt, sed corpore, quo adhuc vetusti sunt, ideo vetustos tam mente quàm carne non novos filios gignunt. Nam si de eo bono gignerent quo novi sunt, & adversus carnem concupiscunt, tunc novos & spirituales filios gignerent, quod fide catholica scimus non fieri. Sive igitur à Christianis, sive ab Ethnicis parentibus, ad generationem filiorum semen decidatur, semper immundum est quod gignitur, & mundari indiget, quia de immundo semine concipitur quod fuit corruptum ab initio. Sed quemadmodum manens, sed non dominans carnis iniquitas parentibus dimissa est per baptismum: sic etiam potest recenter natis dimitti, si in fide ecclesiæ sacramenta salutis percipiant, sed nisi eis etiam dimittatur, nihil eis proderit parentibus prius facta dimissio.

De pecc. mer. lib. 2. cap. 28.

CAPUT X.

Quòd errant, qui habitus, nec merita, nec demerita esse posse existimant.

EXistimant etiam quidam, in infante nihil reperiri quod ad meritum, vel demeritum illi jure possit imputari: quia quicquid in ipso est, id non secundùm operationem, sed secundùm habitum duntaxat in ipso est, quem neque meritum, neque demeritum esse posse arbitrantur, eò quòd Aristoteles in Ethicis asserat, quòd

Lib. 1. c. 8.

quòd in olympia, non hi, qui sunt elegantissimi formâ, præstantissimique robore, sed qui decertant, coronis afficiuntur, atque ex eo colligat, summum hominis bonum non in habitu, sed in operatione virtutum debere constitui. Cæterùm vehementer hallucinatur. Primò quidem, quia longè aliud est meritum, aliud summum hominis bonum, quod tantùm merces est, & meriti finis, non meritum. Deinde cùm actiones tàm vitiorum quàm virtutum (quæ propriè merita sunt) per se ex habitibus oriantur, quomodo non est meritum, quod per se est causa meriti. Maximè cùm Apostolus non tàm ebriis, quàm ebriosis comminetur, quòd regnum Dei non possidebunt. Cui consonat Augustinus dicens, quòd avaritia vitium est, id est, qualitas secundùm quam malus est animus, etiam quando nihil agit, unde avaritiæ vel rapinæ serviat. Quia id, quo in hac vita malus est animus, jure meritum esse dicitur. Similiter contra Julianum: *Sed ne fortè dicas*, inquit, *contra hoc potius pugnare baptizatos, quòd sibi ipsis prioris vitæ mala consuetudine fecerunt, quanquam si hoc dicis*, inquit, *jam procul dubio cernis, atque concedis, esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus qui ex illo contractus fuerat, auferatur in baptismo*. Nam si ex habitu qui consuetudine paratur, contrahitur reatus, qui aufertur baptismo: igitur habitus reum facit, & est justi supplicii meritum. Sed omnium apertissimum est, quod ait in libro de bono conjugali, ubi æquiparans continentiam Abrahæ, quæ tantùm in habitu fuit, continentiæ virginum nostri temporis, quæ est in opere, & meritum patientiæ sanctorum martyrum, quæ in opere apparuit, merito patientiæ aliorum æquè sanctorum, quæ tantùm fuit in habitu: quocirca, inquit, sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Joanne, qui passus non est: sic non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generavit: illius enim cœlibatus, & hujus connubium pro temporum distributione Christo militaverunt: Sed continentiam Joannis in opere, Abraham in solo habitu habebat. Quod igitur insinuat Aristoteles non habitibus, sed actibus virtutum præmia digna retribui, apud homines verum est, qui etsi habitus etiam in honore habeant: attamen quia merita ferè ex utilitate, damno, voluptate, aut tristitia metiuntur, quæ magis percipiunt ex actibus, quàm ex habitibus: ideò non habitibus, sed actibus præmia digna decernunt. Sed apud Deum, qui merita ex propria cujusque qualitate justâ lance perpendit, non minoris meriti sunt habitus, quàm actus, si modo tales sint habitus, ut tempore congruo suos actus proferant.

1. Cor. 6.

De perfectione just. ratio. c. 4.

Libro 2. cap. 5.

Cap. 21.

CAPUT XI.

Quòd non tantùm actus, sed etiam habitus vitiorum divinâ lege prohibeantur.

Dubitant etiam nonnulli: utrum habitus vitiorum, divinâ lege prohibeantur. Existimant enim, quòd quemadmodum homines non habitus, qui sensu percipi non possunt, sed actus duntaxat, eosque externos & sensibiles percipiunt, vetant, judicant, remunerantur, aut puniunt: sic

etiam Deus. Sed multùm hallucinantur, quia homines vident quæ parent, Deus autem intuetur cor: & ideo homines propriè & per se non de habitibus, sed tantùm de actibus judicant, qui subjiciuntur sensibus. Sed Deus qui omnia intuetur, habitus qui per se desideria peccatorum operantur, iisdem omnino legibus prohibet, & judicat, quibus ipsa peccatorum desideria. Quia

Exod. 20. Rom. 7. causa per se non est effectu suo melior. Sicut igitur, lege: *Non concupisces*, prohibentur illicita desideria: sic & ipsa concupiscentia, quæ per se & propriè, etiam nobis invitis nihil gignit, nisi ejusmodi desideria. Deinde quomodo concupiscentiæ habitus, cum quo infans nascitur, verum peccatum es-

De Para. cap. 8. set, si eum nulla lex prohiberet? *Non enim consisteret peccatum*, inquit Ambrosius, *si interdictio non fuisset. Nam ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et Augu-

De pecc. mer. lib. 2. cap. 16. stinus: *Neque negandum est hoc Deum jubere, ita nos in facienda justitia esse debere perfectos, ut nullum habeamus omnino peccatum. Nam neque peccatum erit si quid erit, si non divinitùs jubeatur, ut non sit.* Et infrà: *Quomodo non vetatur per*

De civit. Dei lib. 16. cap. 27. *Dei justitiam, si peccatum est?* Et alibi. *Omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti. Quamobrem si etiam parvuli (quod vera fides habet) nascuntur, non propriè sed originaliter peccatores; unde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur; profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores illius legis quæ in Paradiso data est, agnoscuntur.* Et super

De præcep. & dispens. Psalmum 118. Concione 25. *nullum est, nisi in lege peccatum.* Similiter Bernardus: *Omne peccatum contra Dei mandatum præsumitur:* Et rursus: *Deus prohibet omne peccatum.* Sicut igitur illicita desideria, etiam quæ nobis invitis fiunt divinâ lege prohibentur (ut docet Augustinus libro primo Retract. cap. 15. & de natura & gratia cap. 17.) Sic & ipse habitus concupiscentiæ, qui nihil aliud operatur quàm peccandi desideria; quia in effectu simul prohibetur quicquid per se est illius effectus causa.

CAPUT XII.

Quo sensu verum sit, quòd Deus homini nihil impossibile præceperit.

SEd à plerisque objicitur. Communis animi conceptio est, Deum homini nihil impossibile præcepisse, quam etiam diffinitivâ hâc sententiâ expressit Augustinus. *Nec impossibile potuit aliquid imperare Deus, quia justus est; nec damnaturus est hominem, pro eo quod non potuit vitare, quia pius est.* Sed infanti, imo & adulto, impossibile est carere habitu concupiscentiæ; nec concupiscentiæ habitus, neque prava ejus desideria, divinâ lege prohibentur, nisi quatenus humano subjacent arbitrio.

Responsio.

Quanquam communis animi conceptio, quâ dicitur Deus homini nihil impossibile præcepisse, sensu aliquo legitimo, quem statim explicabimus, verissima sit: attamen definitiva sententia quæ divo Augustino asscribitur, Augustini non est: sed Pelagii in epistola ad Demetriadem virginem, quam

Beda

Beda Juliano tribuit, sed Augustinus de gratia Christi cap. 22. 26. 37. & sequentibus Pelagii esse ostendit. Nam Augustini non esse, vel ex eo patet, quòd Tomo 4. Operum divi Hieronymi, in quo hæc epistola primum locum tenet, statim ei subjungitur epistola Augustini & Alipii ad Paulinam, quæ adversus eam ex professo disserit. Dico igitur communem animi conceptionem, quâ dicitur: Deum homini nihil impossibile præcepisse, de homine recto, qualis erat, cùm Deus ab initio mandata, & præcepta illi apposuit, esse verissimam, quia in illo statu, ex viribus sibi in sua creatione donatis, absque omni impedimento, & difficultate, præstare poterat quicquid Deus illi præceperat, & quod vetuerat vitare; sicut etiam significat scriptura, quæ dicit: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Nihil enim aliud fuit ei, mandata servare, quam velle servare. Nobis autem post lapsum irreprehensibiliter vivere velle non sufficit, inquit Prosper, nisi ipsum velle nostrum, quod languidâ possibilitate deficit, divina virtus adjuverit, quia illum ad non peccandum juvare poterat etiam sana natura, nos autem impedit vitiata; & illum peccare fecit sola peccandi voluntas, nos etiam cogit plerunque peccati jam facta necessitas. Propter quod Deo clamamus, & dicimus: *De necessitatibus meis libera me.* Hinc Apostolus: *Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem.* Et Propheta Hieremias cap. 10. *Non enim est hominis via ejus, nec viri ut dirigat gressus suos.* Et: *Linguam nullus hominum domare potest.* Quod igitur de homine recto, & in naturæ suæ integritate constituto rectissimè dicitur, hoc Pelagius de omnibus qui post lapsum ex Adam nati sunt, quos etiam rectos nasci contendebat, dicendum esse voluit, asserens Deum homini nec impossibile aliquid imperare potuisse, quia justus est, nec damnaturum hominem pro eo quod non potuit vitare, quia pius est. Cui respondet Beda, quòd *qui dicit Dominum homini* (corrupto videlicet) *non impossibile aliquid præcepisse, quia justus est, verum profectò dicit, si ad ejus respicit auxilium; si verò viribus animi sui fidit, refellit eum veridica sententia, quæ dicit:* Sine me, nihil potestis facere. Qui dicit eum qui pius est non damnaturum esse hominem (lapsum videlicet) pro eo quod vitare non potuit, contradicit pii redemptoris & justi judicis sententiæ, quâ etiam de parvulis ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Quod igitur consideratione primæ integritatis, & respiciendo ad vires homini in sua creatione collatas, verissimè dicitur: Deum nihil homini præcepisse impossibile: Hoc de homine corrupto dici non potest, nisi respiciendò ad divinum auxilium, quo sanctis Dei possibile, imò facile efficitur, quod per lapsum viribus humanis factum est impossibile. Ideò enim post lapsum sanctis possibile est quicquid præcipitur, quia Deo ad opitulandum, quo fiat quod jubet, nihil est impossibile, inquit Augustinus. Et rursus: *Deus non impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis:* & de perfect. justitiæ, ratioci. 9: *per arbitrii libertatem factum est, ut esset homo cum peccato: sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem; unde ad Deum fides clamat:* De necessitatibus meis educ me: *sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus, implere.* Et infrà: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi*

Sup Cant. lib. 1. ca. 5.
Eccli. 15.
Eccli. 15.
De vita contempl. li. 3. ca 2.
Psal. 24.
Rom. 8
Jaco. 3.
Libro 1. sup. cant. cap 6. ad 10. objec. Juliani.
Joan. 15.
Joan. 3.
De pers. mer. lib. 2. cap. 6.
De natu & gra. 43.
Psal. 24.

habendi dura necessitas. Sed quia suam corruptionem, & lapsum, non facilè agnoscit humana præsumptio: hinc facilè imaginatur, quòd quemadmodum suæ creationis initio, nullum impossibile præceptum accipere potuit: sic & post lapsum, datis semel præceptis teneri non possit, nisi implendi facultatem adhuc in suis viribus habeat, quod à ratione prorsus alienum est. Quia Deus legem, quam homini recto, & ad eam implendam idoneo posuit, non ideo postea mutare, imò potiùs tollere debuit, quia homo voluntariè peccando, suo vitio sibi obediendi facultatem ademit. Sed homo potiùs qui suæ infirmitatis sibi causa est, facultatem quam in sua natura non invenit, quærere debet ex gratia, ut quod ex propriis viribus sibi jam sentit impossibile, ex divino adjutorio fiat ei suave & facile.

CAPUT XIII.

Quare solum Adæ peccatum, generatione transeat in posteros.

QUærunt etiam, quare unicum primi hominis peccatum, in posteros transire putetur? Cùm etiam de aliis parentibus dicatur, quòd Deus vindicet *Exod. 20.* peccata patrum in filios? Quibus respondendum. Longè aliud esse, peccatum patris transire in filium, aliud peccatum patris in filium vindicari, quia peccatum patris tunc in filium transit, quando filius ex sua conceptione illud peccatum contrahit, quod prius in patre fuit, ut si filius superbus ex superbo, & libidinosus nascatur ex libidinoso. Sed peccatum patris tunc vindicatur in filium, quando filius, ob peccatum quod tantùm in patre fuit, pœnâ aliquâ à Deo afficitur, quâ affectus non fuisset, si pater ejus peccatum illud non admisisset. Dico igitur etiam posteriorum parentum scelera frequenter in filios vindicari, quia Deus parentum sceleribus provocatus, sæpè filiis infert supplicium propriis ipsorum peccatis alioqui debitum, quod tamen illis non inferret, nisi peccatis parentum ad id provocatus esset. Sed quia solum Adæ peccatum humanam naturam sic immutat, & corrumpit, ut suam corruptionem in omnes posteros generando transfundat. Ideo etiam solum illud peccatum in posteros transire dicitur, quod generando in filios traducitur. Cæterùm si ulteriùs roges: cur posteriora scelera, suis autoribus non talem maliciam statim ingenerent, quam in suos posteros transmittant, qualem primo homini ingeneravit prima transgressio quæ generatione decurrit in posteros; videtur respondendum: Omne quidem scelus ejus esse conditionis, ut suum autorem, & totam ejus posteritatem eo modo inficiat, quò infecit prima *Joan. 8.* hominis transgressio. Quia, qui facit peccatum, meretur servus peccati fieri. Et servus factus non nisi servos sibi similes generare. Quod enim nas*Joan. 3.* citur ex carne, caro est. Sed quemadmodum Deus vindictam primæ transgressioni debitam sic temperat, ut ex lapsis parentibus multos non tam perversos filios sinat generari, quam justo judicio nascerentur, nisi eis misericorditer indolem meliorem indulgeret: sic etiam Deus vindictam posteriorum parentum sceleribus debitam sic temperat, ut frequenter neque parentes ipsos suis

suis peccatis ita corrumpi sinat, sicut eorum meretur transgressio, neque corruptionem scelerum usu contractam in filios traduci sinat. Et siquando ex sceleratis parentibus etiam filii naturaliter valde scelerati nascantur; attamen quia omnis ea malitia, justo Dei judicio, ex sola prima transgressione trahi poterat, sicut etiam interdum ab iis parentibus trahitur, qui nulla propriæ actionis popularia scelera commiserunt: ideo qualiscunque sit ea malicia cum qua infans quispiam nascitur, ea propriè non propinquorum parentum sceleribus, sed tantùm primæ transgressioni ascribitur. Licèt tamen negari non debeat, quin occasione scelerum quæ à propinquis parentibus committuntur, nonnunquam proles & deteriores & miseriores nascantur, quàm alioqui natæ fuissent, si propinqui ipsorum majores ejusmodi scelera non commisissent; quia hoc modo visitat Deus peccata parentum in filios usque ad tertiam & quartam generationem, non tantùm faciendo eos miseriores, sed etiam sinendo nasci deteriores quàm alioquin nati fuissent si parentes eorum talia non perpetrassent. Sed hæc de peccato ipso dicta sufficiant. Nunc de ejus remissione & qualitate reliquiarum, quæ in baptizatis usque ad finem vitæ hujus remanent, pauca dicamus &c.

CAPUT XIV.

Quòd peccatum originis priùs solvatur reatu, quàm transeat actu.

SIcut alibi diximus, in peccato duo continentur: Actus & Reatus: Actus, ut adulterium, sive foris in opere, sive intus in voluntate: Reatus verò, ut obligatio quâ adulter nondum peccato remisso adhuc æternæ damnationi obnoxius invenitur, etiamsi adulterium opere deseruerit & voluntate. Nam *si quisquam verbi gratiâ*, inquit Augustinus, *fecerit adulterium, etiamsi deinceps nunquam faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentiâ remittatur.* Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admisit jam non sit, quia cum tempore quo factum est præteriit. Nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura: *Fili peccasti, non adjicias ultrà.* Non autem sufficit, sed addidit: *Et de pristinis deprecare, ut tibi remittantur.* Manent ergo nisi remittantur: Sed quomodo manent si præterita sunt? nisi quia præterierunt actu, manent reatu. Peccatum autem nullum dimitti potest, nisi peccatoris animus priùs per pœnitentiam ab illo avertatur. *Nisi enim conversi fueritis*, inquit Christus, *& efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et in Actis: *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Quia igitur pleraque peccata in actionibus consistunt, quæ cùm fiunt transeunt, nec possunt remanere cùm displicent, neque foris in opere, neque intus in voluntate, ut perjurium, homicidium, furtum, & similia: Hinc fit, ut ejusmodi peccata, semper priùs actu transeant, quàm possint per pœnitentiam solvi reatu. In his enim abolendis, servatur ordo quem designat Sapiens, cùm ait: *Fili peccasti, non adjicias ultrà, sed de præteri-*

De nupt. lib. 1. c. 26. — *Eccl. 21.* — *Matt. 18.* — *Luc. 13.* — *Act. 3.* — *Eccl. 21.*

tis

tis deprecare Dominum, ut tibi dimittantur. Cæterùm peccata quæ etiam nolentibus & invitis adhærent, nec statim abolentur cùm displicent, sed, ut extirpentur, indigent tempore & exercitio, ut habitus vitiorum, quos suprà & peccata esse diximus, & divinâ lege prohiberi, ut ebriositas, jurandi consuetudo, & similia: Hæc, inquam, peccata, priùs per baptismum, aut reconciliationis sacramentum reatu solvuntur, quàm transeant actu. Quibus omnino connumerari debet originale peccatum; quia quantumlibet in hac mortali vita odio habeatur, & ne regnet, etiam mortificetur: attamen (nisi fortè miraculo ineffabili creatoris) in nemine prorsus extinguitur ut non sit, sed primùm superatur, ne dominetur & regnet in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus, deinde reatu ejus per baptismum soluto, interimitur ne damnationi obnoxios teneat, & denique jejuniis, vigiliis, orationibus, & aliis piis exercitiis castigatur, donec in corporis morte, aut potiùs in corporis resurrectione simul cum morte prorsus absorbeatur in victoria.

1 Cor. 15. De pecc. mer. lib. 2. cap. 28. Rom. 7. Unde Augustinus: *Lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, non sic manet in membris eorum qui ex aqua & spiritu renati sunt, tanquam non sit ejus facta remissio, ubi omnino plena, & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis, quibus separabamur à Deo, sed manet in vetustate carnis, tanquam superatum* (quia videlicet non ampliùs dominatur) *& peremptum, quia non ampliùs facit reum.* Moritur enim in baptismo, eo reatu quo priùs tenebat. Et infrà: *Quandiu manet lex concupiscentialis in membris, manente ipsâ, reatus ejus solvitur.* Et rursus: *Sicut facta, & dicta, & cogitata iniqua, quantùm ad ipsos motus animi & corporis pertinet, jam præterierunt & non sunt; eis tamen præteritis, & non jam existentibus, reatus eorum manet, nisi peccatorum remissione solvatur: Sic contrà, in hac non jam præterita, sed adhuc manente lege concupiscentiæ reatus ejus solvitur, & non erit, cùm fit in baptismo plena remissio peccatorum.* Et

De nup. lib. 1. c. 25. alibi: *Quæritur quomodo concupiscentia carnis manet in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum? Respondetur,* inquit, *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur; quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra. Patet igitur primæ originis vitium, primùm in nobis spiritu Dei superari ne regnet, deinde baptismo interimi ut reatu non teneat. Sed tamen durante hâc vitæ miseriâ ad lu-*

1 Cor. 15. *ctam relinqui, ut continuò mortificetur, donec mors cum suo stimulo absorbeatur in victoria.*

CAPUT XV.

Quòd lex membrorum, quæ est libido carnis, in Sanctis non tantùm sit mala quia pœna, sed etiam quia divinæ legis est inobedientia.

CÆterùm de his originalis vitii reliquiis, quæ adhuc in baptizatis remanent, quæritur à nonnullis: utrùm in bonis an in malis debeant numerari?

Rom. 7. quibus satis apertè respondet Apostolus, cùm ait: *Scio quia non habitat in*

me,

me, hoc est, in carne mea, bonum. Et: *Mihi malum adjacet, condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*; cui consonat quod ait Augustinus, Eum qui licitè concumbit, malo benè uti. Utitur enim lege membrorum, & carnis libidine, quæ in baptizatis adhuc superest ex vitio originis, quæ quoniam mala est, ideò virgines & viduæ meliùs illâ non utuntur. Sed cùm ulteriùs quæritur: Quare libido carnis, & lex membrorum, in Sanctis sit mala, an tantùm quia est pœna: an etiam, quia est divinæ legis inobedientia? major difficultas exoritur, quia à plerisque non satis intelligitur, quomodo possit esse divinæ legis inobedientia, & peccatum non esse. Pœnam esse non dubitat, quisquis attentè considerat, ei inobedientiæ, quâ animus erga creatorem suum intumuit, justo Dei judicio retributam esse carnis inobedientiam, quâ membra illa quæ generationi serviunt, & ob rebellionem atque inobedientiam pudenda sunt, non tam imperio voluntatis, quàm ardore libidinis commoventur. Sed quòd ex eo etiam dicenda sit mala, quia divinæ legis est inobedientia, multis argumentis convincitur. Hoc enim manifestè significat Apostolus, rationem reddens cur adhuc sibi malum adjaceret, quando subdit: *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Quia nihil aliud est lex mentis, quàm lex Dei, cui si lex carnis propterea mala sit, quia repugnat: igitur ideo est mala, quia divinæ legis est inobedientia. Sicut etiam ostendit Augustinus, quando ait, Concupiscentiam, cujus reatus baptismo solutus est, jam non esse peccatum, sed sic vocari non tantùm quia peccato facta est, & quia peccatum facit si vincit, sed etiam quia peccandi delectatione movetur, etsi ei vincente delectatione justitiæ non consentiatur; nam peccandi delectatione moveri, legi Dei reluctari est. Nec his testimoniis satisfacit quod ajunt quidam, concupiscentiam legi Dei reluctari, non quòd sit legis transgressio, sicut nec ipse homo qui legi Dei effectivè repugnat: sed solùm quòd transgressionem legis effectivè operetur. Quia quâcunque lege prohibetur aliqua operatio, eâdem prorsus lege inhibetur, quicquid illam actionem per se operatur. Verbi gratiâ: In eo quod prohibetur fornicatio, simul etiam prohibetur fornicationis cogitatio, desiderium, voluntas, aspectus ad fornicandum, & quicquid per se ad hanc actionem inducit. Homo verò non per se, sed per accidens duntaxat est fornicationis causa. Et ideo lex prohibens nos esse fornicatores, non prohibet nos esse homines, sed prohibet nos esse in verbis lubricos, lascivos in factis, & alia hujusmodi quæ per se ad fornicationem provocant, sicut & ipsum concupiscentiæ malum.

De nup. lib. 2. c. 21. Contr. Jul. lib. 3. c. 21.

Rom. 7.

Contra 2. epist. Pel. lib. 1. c. 13.

Tertiò idem probat Augustinus lib. 2. contra Jul. cap. 5. Ubi legem peccati (cujus manentis reatus in sacro fonte remissus est) propterea vocasse dicit Ambrosium iniquitatem, quia iniquum est ut caro concupiscat adversus spiritum, sicut justum est ut spiritus concupiscat adversus carnem. Id quod repetit libro 5. capite 5. Et libro 6. capite 8. Igitur quomodo legis obedientia est, quòd spiritus concupiscit adversus carnem; sic legis Dei inobedientia est, quòd caro concupiscit adversus spiritum.

Quartò, idem probat quod ait lib. 6. contra Julia. cap. 5. *Quis tam impudens, qui cùm peccata mala esse fateatur, neget esse malam concupiscentiam peccatorum, etiam si adversùs eam concupiscentiæ spiritum peccata concipere ac parere non sinatur?* Sed ne quis fortè suspicetur, peccata propter inobedientiam, peccatorum verò concupiscentiam propter pœnam duntaxat ab Augustino malum dici, audiamus quæ statim sequuntur: *Tale porrò ac tam magnum malum, tantùm quia inest, quomodo non teneret in morte & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa quæ fit in baptismo remissione peccatorum omnium solveretur? Nam quod tantùm pœna est, & non divinæ legis inobedientia, vinculum habere non potest, quod nisi baptismo solvatur in ultimam mortem pertrahet.*

Quintò: concupiscentia quæ in baptizatis remanet, displicet Deo, sicut expresse testatur Augustinus super Psalmum 35. tractans illud: *Malitiam non odivi*, his verbis: *Si non potes non habere malitiam, vel oderis illam, quando incipit non esse?* cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem. *Antequam hoc fiat, vince peccatum, & voluptatem ejus; peccatum & iniquitatem ejus oderis, ut jungas te Deo, qui tecum illud odit. Juxta illud Judæ Apostoli:* Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam. Igitur concupiscentia est divinæ legis inobedientia.

1 Cor. 15.

Sextò: A pœna tantùm dicimur miseri, sed à concupiscentia dicimur etiam mali, juxta illud Evangelii: *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris*, &c. sicut verbis Hilarii ostendit Augustinus lib. 2. con. Jul. cap. 8. quæ sic habent: *Ipsis Apostolis, verbo licèt fidei emendatis atque sanctificatis, non deesse tamen maliciam per conditionem communis nobis originis docuit Christus dicens:* Si vos cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris: Igitur concupiscentia etiam in baptizatis est divinæ legis inobedientia.

Matt. 7.

Septimò: Omnis pœna quæ justa est, ex Deo est, siquidem non est malum in civitate quod non fecerit Deus, sed concupiscentia carnis ex Deo non est, sicut expresse testatur Joannes: Igitur non tantùm pœna est, sed etiam divinæ legis inobedientia.

Amos 3. 1 Joan. 2.

Octavò: ejus desideria etiam si nobis nolentibus fiant, sunt illicita: sicut testatur Augustinus de nupt. & concupis. lib. 1. cap. 27. Igitur ipsa concupiscentia est contra Dei legem & illicita.

Nonò: Sicut adulterii prætereuntis reatus manet, donec baptismi aut reconciliationis sacramento solvitur, sic contrà manentis concupiscentiæ reatus baptismo solvitur, sed adulterium, soluto reatu, adhuc rectè intelligitur divinorum inobedientia mandatorum. Igitur concupiscentia, soluto reatu, adhuc rectè dicitur divinæ legis inobedientia.

Decimò: Nulla est hujus vitæ pœna, quæ ob finem bonum expeti non possit, adeò ut Apostolus cuperet dissolvi, ut esset cum Christo, & optaret anathema esse Christo, pro fratribus suis secundùm carnem, sed concupiscentia carnis non potest ob aliquem bonum finem expeti, ne ob prolem quidem, quæ tamen sine ipsa non potest generari; ait enim Joannes: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est.* Igitur

Philip. 1. Rom. 9. 1 Joan. 2.

tur

tur concupiscentia carnis non tantùm est pœna, sed etiam divinæ legis inobedientia.

Denique, Christus ut per omnia fratribus assimilaretur, per omnia tentari voluit, & omnes toti naturæ humanæ communes miserias in se suscipere; sed non suscepit in se carnis concupiscentiam: Igitur non tantùm est miseria, sed etiam inobedientia, quæ in eum cadere non potuit, qui omnem justitiam implevit; de qua Augustinus: *Hanc concupiscentiam*, inquit, *diabolus in Domino non invenit, quia Dominus homo non per ipsam ad homines venit.* Unde dicit etiam ipse: *Ecce venit princeps hujus mundi, & in me nihil inveniet;* nihil utique peccati, nec quod à nascente trahitur, nec quod à vivente additur: nam ut nobis præberet patiendi exemplum, non habuit ille mala sua, sed pertulit aliena, in doloribus pro nobis, non in cupiditatibus fuit.

ad Heb. 2. & 4. *Lib. 2. de nup. cap. 5.* *Joan. 14.* *Libr. 5. contr. Jul. cap. 9.*

CAPUT XVI.

Quomodò concupiscentia carnis, in Sanctis, legis inobedientia esse possit, & damnatio ac proprii nominis peccatum non esse.

SED contra prædicta objicitur: Concupiscentia carnis, & prava ejus desideria, quæ nobis nolentibus fiunt, non sunt in Sanctis damnatio: quia nihil est damnationis in iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant; nec sunt peccata, sicut ostendit D. Jacobus, peccatum non in eo ponens, quòd quisque tentetur à concupiscentia sua abstractus & illectus, sed in eo quòd concupiscentia, aut animum oblectando concipiat, aut plenum consensum extorquendo, peccatum consummet. Ait enim sic: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus*; deinde: *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Super quem locum Venerabilis Beda: *Tribus modis*, inquit, *tentatio agitur, suggestione, delectatione, consensu.* Quod si hoste suggerente, delectari, aut consentire nolumus, tentatio ipsa nobis ad victoriam provenit, quâ coronam vitæ meremur accipere. Si nolumus delectari, inquit, ut etiam illam delectationem à peccato vindicet, & ad victoriam pertinere ostendat, quam casti conjuges in legitimo suo congressu, & pudicæ virgines in violenta oppressione, animo reclamante patiuntur: sicut etiam testatur Augustinus de civit. Dei. Unde Prosper: *Non concupiscentiam in nobis sentiendo*, inquit, *sed consentiendo peccamus.* Et similiter Augustinus de peccatorum merit.: *Concupiscentia cum parvulis nascitur, in baptizatis à reatu solvitur, in grandibus ad agonem manet, non sibi ad illicita consentientibus, nihil omnino nocitura.* Et de Genes. contra Manichæos: *Aliquando ratio commotam cupiditatem refrenat, quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur.* Et alibi sæpiùs, ut lib. 1. de civit. Dei cap. 18. de Genesi ad literam lib. 2. cap. 15. de nupt. & concup. lib. 1. cap. 23. lib. 2. cap. 34. super Psal. 118. concione. 3. in expositione quarundam propositionum ad Romanos 7. in verbo:

Objectio cont. prædicta. *Rom. 8.* *Jacob. 1.* *Beda in 1. cap. Jacobi.* *Libro 1. cap. 16. De vita contem. lib. 3. cap. 2. lib. 2. cap. 4.* *Libro 2. cap. 14.*

bo: *captivantem:* Sed nullo modo fieri posse videtur ut in homine subsistat divinæ legis inobedientia quin damnatio sit, & justo Dei judicio reum facere possit; quia odio sunt Deo impius & impietas ejus. Igitur concupiscentia carnis in baptizatis manens, in quibus nihil est damnationis, non potest dici divinæ legis inobedientia.

Sapien. 14.

Responsio.

Odibilis Deo est adulter & adulterium ejus, etiam tunc quando adulterium opere & voluntate pertransiit, donec fuerit reatu solutum. Sed non similiter quia adulter solutus adulterii reatu, Deo reconciliatur: ipsum verò adulterium, quod est legi Dei contrarium, irreconciliabile permanet. Eodem modo Deo odibilis est Cathecumenus & concupiscentia ejus, sed non similiter: Quia Cathecumenus per baptismum solutus concupiscentiæ reatu, Deo reconciliatur, & hoc etiam placet quod contra suam iniquitatem sævit. Ipsa verò concupiscentia quæ divinis legibus adversatur, nunquam reconciliatur Deo, sed semper illi displicet. Et ideò ipsâ odibili permanente, homo odibilis esse desinit: si modo se Deo conjungat, & concupiscentiam semper oderit, quam Deus nunquam odisse desinit. Nam si irreconciliato adulterio, potest is qui adulterium volens commisit, Deo & hominibus reconciliari; cur irreconciliatâ concupiscentiâ, non potest homo qui eam generatione contraxit, & invitus patitur, Deo reconciliari, sic ut illi omnino imputari non possit? Non quòd naturâ aut qualitate mutata sit, aut divinæ legis inobedientia esse desierit, (sicut existimant quidam) sed quòd ejusdem maliciæ permanens, superata tamen & imminuta, à legitimo Judice remissa, veluti nunquam extiterit habeatur. Id enim quotidiè etiam in humanis judiciis cernimus, in quibus scelera, ob id duntaxat suis authoribus ad pœnam imputari non possunt, quia priùs à legitimo judice, aut punita convenienter, aut simpliciter dimissa fuerint. Hanc rationem expressit Augustinus de nupt. & concup. cum ait: *Quamvis in omnibus gratia regeneratis sit ista carnalis concupiscentia repugnans legi mentis; tamen quia remissa est, jam non illis in peccatum imputatur.* Item contra 2. epist. Pelagia. dicens: *Ipsa carnis concupiscentia in baptismo sic dimittitur, ut insit nihil obfutura vitæ futuræ: quoniam reatus ejus generatione tractus, regeneratione dimissus est: Et ideò jam non est peccatum* &c. Idem habetur libro 6. contra Julianum cap. 5. Et clariùs cap. 6. per totum. Tamen de peccat. merit. dicit istud peccatum manere non solùm remissum, sed etiam superatum & peremptum: & sic ideo peccatum non est, quia superatum & remissum est, sicut etiam docet Magister in Sententiis suis. Nec potest in eo diversitas assignari inter adulterium & concupiscentiam quorum reatus solvitur, quòd adulterium priusquam solvatur ejus reatus, præterierit, concupiscentia verò manet: Quia sicut apud Deum non magis perit aut mercede fraudatur Sanctorum patientia quæ præterit, quàm bona voluntas quæ manet: sic nisi reatu solvatur, non minus puniuntur iniquitates quæ in actione consistunt, & cum fiunt prætereunt, quàm mala quæ permanent. Quia sive existant, sive non existant, ea tamen semper in memoria judicis perseverant,

Libro 1. cap. 24.
Libro 1. cap. 13.
Libro 2. cap. 28.
Libro 2. sententia. distin. 32. litt. B.

quæ

quæ disponit æternis suppliciis vindicare, nisi ea contigerit misericorditer Christi sanguine relaxari.

Dico igitur concupiscentiam malam & prava ejus desideria quæ nobis nolentibus insurgunt, veras quidem esse legis inobedientias totis viribus fugiendas; damnationes tamen, & veri nominis peccata post baptismum in Sanctis non esse, quamdiu illis non dominantur, sed cum Apostolo veraciter dicunt: Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum; quia illos coram Deo reos non faciunt: propriè enim peccatum non dicitur nisi divinæ legis inobedientia quæ reum facit, aut reatus ipse quem facit, qui salutaribus sacramentis diluitur. Nam baptismo aut sacerdotis absolutione propriè non actus peccati, sed reatus duntaxat tollitur. Sicut eleganter ostendit Augustinus de verbis Domini sermone 8. Et super Psalmum 87. docens solum Deum intus per semetipsum, animam peccatricem vivificare, ut ab operibus mortuis resipiscat, deinde per confessionem foras prodeuntem ministerio sacerdotum à peccatorum vinculis, id est, à reatu solvere. Unde Tertullianus: *Non ideo abluimur*, inquit, *ut delinquere desinamus; sed quia desivimus, quia jam loti corde sumus.* Nomine peccati, solum reatum intellexit Apostolus, cum ait: *Quòd si Christus non resurrexit à mortuis, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccatis vestris.* Neque enim significare voluit, quòd adhuc essent in fornicationibus & illicitis idolorum cultibus, quibus ante serviebant, & quos tunc opere & voluntate se reliquisse noverant, sed in reatibus duntaxat, quos baptismo solutos esse credebant. Eo videlicet sermonis genere, quo dicimus in baptismo peccata omnia dimitti, id est, omnium peccatorum reatus, sive actu præterierint, sive maneant: ut concupiscentiæ malum, de quo Augustinus: *Si quæritur quomodo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum? Respondetur*, inquit, *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur, quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen.* Et rursus: *In eis qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licèt adhuc manentis concupiscentiæ, remittatur, ut in peccatum (sicut dixi) non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cùm fiunt prætereunt, reatus tamen manet: sic illius quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam (verbi gratiâ) fecerit adulterium; etiam si nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentiâ remittatur: Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admisit, jam non sit. Sic itaque fieri econtrario potest, ut etiam illud maneat actu, prætereat reatu.* Quam sententiam contra Julianum posteà defendens. *Dixi sanè*, inquit, *quomodo manent peccata reatu, quæ prætereunt actu: sic econtrario fieri potest, ut concupiscentia maneat actu, & prætereat reatu.* Et infrà: *Nullo pacto*, inquit, *fieri potest ut maneat actio & abscedat reatus: hoc de sacrificio*, inquit Augustinus, *idolis oblato verissimè dicis.* Et paulò pòst: *Quapropter sicut idolis immolatio quæ jam nec in actione est, quia præteriit, nec in voluntate, quia error quo fiebat absumptus est, manet tamen reatus ejus, donec in lavacro regenerationis peccatorum omnium remissione solvatur: sic econtrario, quamvis reatus malæ concupiscentiæ eodem baptismate sit solutus, manet tamen*

Marginalia: Rom. 7. — Libro de pœn. — 1. Cor. 15. — De nupt. & con. li. 1. ca. 25. — Eodem libro c. 26. — Cont. Jul. li. 6. ca. 2.

tamen

tamen ipsa, donec medicinâ perficiente sanetur. Et rursus respondens calumniæ quam veritati struebat Julianus dicens, quòd si mala esset concupiscentia post baptismum manens, tunc baptismus non auferret crimina, sed raderet: *Tu autem qui putas*, inquit, *quòd si malum esset concupiscentia, careret eâ qui baptizatur, multùm erras; omni enim peccato caret, non omni malo..* Quod planiùs ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Quando verò peccata vocamus eas legis inobedientias quæ reos non faciunt, sive quia remissæ sunt, ut concupiscentiæ malum in fidelibus baptizatis, sive quia nunquam placuerunt, ut prava desideria quæ nobis omnino nolentibus insurgunt, tunc de peccato impropriè loquimur: sicut locutus est Apostolus sanctificatis fidelibus, cùm ait: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore; sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Et: *Peccatum vobis non dominabitur.* Et: *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Nam licèt concupiscentia, quam peccatum vocat Apostolus, per baptismum sanctificata non sit, nec legis inobedientia esse desierit, hoc enim si dicerem, inquit Augustinus, non eam malam esse dicerem, sed fuisse: Attamen quia superata est & dimissa, ideò peccatum propriè dici non potest. Unde nec propter ipsam, nec propter prava ejus desideria, quibus non consentimus, fatemur nos sine peccato non esse, ut quotidiè dicimus: dimitte nobis debita nostra; sed tantùm propter ea quæ cum aliquo consensu quotidiè incautis obrepunt, sicut docet Augustinus contra duas epist. Pelag. lib. 1. cap. 13. contr. Julia. lib. 2. cap. 10. super Psal. 118. concione 3. quia in pravis illis desideriis quæ nos non operamur, sed quod habitat in nobis peccatum, nos satis excusat quod ait Apostolus, *Nunc autem jam, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

Cont. Jul. lib. 6. cap. 5. Idem cont. 2. epist. Pelag. lib. 1. c. 13. lib. 3. cap. 3.

Rom. 6.

Rom. 7.

Contra Juli. lib. 6. cap. 6.

CAPUT XVII.

Cur illicitus concupiscentiæ motus Christianis dissentientibus non imputetur.

VErùm an huic excusationi locum faciat ipsa peccatorum remissio, quæ facta est in baptismo, sic ut baptizatis non imputentur, sed tantùm infidelibus, an potius ipsa rei natura, quæ non patitur, ut Deus justo judicio cuiquam imputet, quod invitus patitur, non est hujus loci differere: illud tamen non absurdè dici posse videtur, proprios & necessarios habitualis concupiscentiæ motus, quos homo in se non operatur, sed quod habitat in ipso peccatum, à sua causa non debere separari, sed sicut proprios fructus, cum arbore debere conjungi, eo modo quo actum exteriorem cum interiori jungimus voluntate, atque unum & idem peccatum esse dicimus; ac proinde ante baptismum universa mala desideria quæ ex habituali concupiscentia contra voluntatis imperium oriuntur, unà cum ipsa unum peccatum originis efficere, quod totum ab eo reatu peccati rationem & appellationem accipiat, quem habitualis concupiscentia pariebat, quando homini dominabatur (si enim nunquam dominata fuisset nunquam illum fecisset: quia Dei justitia non patitur, ut quis ob

ob id fit reus, quod omnino patitur invitus.) Sed hoc reatu soluto per baptismum, sicut habitualis concupiscentia quam voluntas odit, neque reatum aliquem parit, quia nullo modo dominatur, neque à præterito reatu peccatum dici potest, quia jam solutus est: sic & ejus desideria, quæ nobis nolentibus insurgunt, neque nos reos faciunt, quia nobis non dominantur, neque ab eo reatu peccata dici possunt, quem in causa sua aliquando habuerunt, quia ille priùs baptismate solutus est, quàm hæc in nobis orirentur. Hinc Augustinus, *Super Psal. 118. concio. 3.* cùm rogasset, quæ petamus dimitti nobis, cùm dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, *Matth. 6.* utrùm quæ nos operamur, quando peccati desideriis obedimus, an ipsa desideria nobis dimitti volumus, inquit, quæ nos non operamur, sed quod habitat in nobis peccatum? Respondet: *Quantùm ego sapere possum*, inquit, *langueris illius & infirmitatis, unde illicita desideria commoventur, quod peccatum vocavit Apostolus, universus reatus sacramento baptismatis solutus est. Nec deinceps languor iste nobis obesset, quamvis inesset, si desideriis ejus illicitis nullis unquam obedientiam præberemus.* Quibus verbis duo manifestissimè significat. Prius est quòd universus reatus, quo languor ille, unde illicita desideria commoventur, nos ante baptismum reos tenebat, sacramento baptismatis solutus est; posterius, quòd languor iste deinceps nunquam nobis obesse potest, aut reos constituere, nisi desideriis ejus obedientiam aliquam præbeamus; quia quod nullo modo voluntati dominatur non potest facere reum. Ex quibus rectissimè sequitur, quòd in oratione dominica, non pro hujus languoris aut desideriorum ejus, quibus non consentimus, remissione dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*: *Matth. 6.* sed solùm pro remissione eorum quibus aliquo modo consentimus, & consentiendo rei sumus; quia nemo remissione indiget, nisi qui aliquo modo reus est. His desideriis quæ inviti patimur admodum simile est homicidium ab invito commissum, quod tamen ex voluntaria aut multùm culpabili furia traxit originem: quia si reatus hujus originis non sit antè per legitimam pœnitentiam solutus, tunc homicidium etiam ab invito commissum, ab illo reatu peccatum est, quem priùs voluntariè peccando contraxit in origine homicidii, sed si ante perpetratum homicidium solutus fuerit reatus originis ipsius, tunc homicidium peccatum dici non poterit, neque ab eo reatu quo reum faciat homicidam, quia quod omnino involuntarium est, non potest parere reatum, neque ab eo reatu quem priùs in causa sua contraxerat. Quia per legitimam pœnitentiam antè solutus esse ponitur, quàm homicidium opere perpetraretur. Illud tamen observandum, quòd licèt justo Dei judicio reum facere non possit, quod est propriæ voluntati contrarium: attamen benè reum constituit, quod non est à propria voluntate perfectum, si modo voluntati saltem habitu dominetur. Sicut de peccato originis manifestissimum est, quod propterea originis esse dicitur, quia non proprio sed alieno opere contrahitur. Unde etiam D. Thomas: Licèt à peccato excusent ea quæ ab invitis contra legem Dei fiunt, attamen quæ à non volentibus, qui non sunt inviti, contra divinam legem fiunt, excusanda non putat. Quia saltem habitu dominantur rationi. Id quod non immeritò approbandum existimo, quia hæc peccato originis simillima sunt, quod justo Dei judicio imputatur

etiam parvulis, qui neque ad volendum neque ad nolendum habere possunt propriæ voluntatis arbitrium, sed tantùm ex eo rei sunt, quia alieno opere legis inobedientiam contraxerunt, quæ ipsis saltem habitu dominatur, ut dictum est: quia non gerunt contrarium voluntatis arbitrium.




MICHAELIS BAII, DE MERITIS OPERUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quòd in malis operibus nemo saltem hoc seculo meritum neget, sed tantùm in bonis.



CUM adversùs nostri temporis hæreticos de meritis operum disseritur, non est necessum operosâ disputatione laborare, ut ea peccata, de quibus scriptum est, quòd qui talia agunt regnum Dei non consequentur, justo Dei judicio æternâ morte damnari monstrentur: quia inter eos nemo adhuc tam impudens extitit, ut negare auderet aut crimina esse mortis æternæ merita, aut æternam mortem esse justum peccati stipendium. Nam quisquis id negaret, is futurum Dei judicium, quod nobis Scripturæ sacræ prænunciant, apertissimè damnaret. Sed cùm ex adverso quæritur: anne bona opera Sanctorum etiam justo Dei judicio vitam mereantur æternam, tunc plerique eorum retributionis magnitudinem, quam in malis operibus dissimulant, admirantur, & meriti nomen quod in malis operibus negare non audent, in bonis tanquam sinceritati fidei perniciosum abominantur, contendentes quòd quemadmodum in suppliciis peccatorum Domino tantùm cantamus judicium, sic in præmiis bonorum operum non nisi misericordiam aut gratiæ donum cantare debeamus. Ad quod ostendendum non tantùm illis utuntur argumentis quæ contra lapsi hominis opera militare videntur, sed etiam illis ex quibus eodem jure sequeretur, quòd nec beati angeli suæ perseverantiæ merito vitam consequuti sunt æternam, nec primus homo hanc justo judicio consequutus fuisset, etiamsi usque in finem hujus animalis vitæ in justicia perseverasset. Quantùm igitur Deus dederit primo loco conabimur ostendere, quòd quemadmodum dæmonibus æterna damnatio justum peccati stipendium fuit: sic etiam stantibus angelis æterna fœlicitas fuerit justa merces meriti. Deinde quòd eadem fœlicitas eodem prorsus modo homini non gratia, sed merces *Distributio operis.*

 meri-

meriti fuisset, si in bono quod acceperat usque in finem animalis vitæ constans perstitisset. Et denique, quòd non tantùm in homine si stetisset, sed etiam in eo qui post lapsum Christi sanguine reparatur vera credenda sunt merita, ob quæ justo Dei judicio vita reddatur æterna, licèt inter hominem integrum & eum qui reparatur hæc sit agnoscenda diversitas, quòd vita æterna homini integro permanenti, sicut facta est angelis, tantùm merces meriti fuisset, ei verò qui reparatur simul merces & gratia. Quibus expeditis, sumpto alio initio, ad ea transibimus quæ inter scriptores catholicos salvâ fidei unitate de eodem argumento disputantur.

CAPUT II.

Quâ ratione, Beatitudinis plenitudo angelis justa retributio fuerit.

Sicut in bene constituta republica non tantùm justitia est quando unaquæque res humanis usibus accommoda tanti venditur quanti vir prudens æstimaverit aut lex justa statuerit, sed etiam quando scelera iis multantur suppliciis quæ lex justa transgressoribus comminatur, & obsequia reipublicæ præstita illis præmiis compensantur quæ publicis legibus sunt proposita: sic etiam in curia cœlesti vera justitia fuit quòd angelis in justitia persistentibus æterna felicitas, & ab illa recedentibus æterna damnatio retributa sit. Nam utrumque illis in sua creatione lege naturali à Deo constitutum fuit, ut si per liberum arbitrium, quod acceperant rectum, in data sibi justitia persisterent, hujus perseverantiæ merito tantam beatitudinis plenitudinem acciperent, ut & deinceps cadere non possent & hoc certissimè scirent, si verò per idem liberum arbitrium ab accepta justitia recederent æternâ morte mulctarentur. Sed qui damnationem impiorum justo Dei judicio deputant, Sanctorum verò fœlicitatem non nisi muneri gratuito, hoc videntur attendere, quòd impii suam injustitiam ob quam damnantur à semetipsis habeant: justi verò suam justitiam ob quam glorificantur non nisi ex Dei adjutorio; quasi verò ad commutationis aut distributionis justitiam requiratur, ut id quod commutatur aut ob quod præmium aliquod decernitur, non sit alieno munere, consilio, aut auxilio partum, sed solùm illius industriâ qui aliud quippiam pro illo, justo judicio consequitur. Certè in commutationibus evidentissimum est, ibi etiam exactissimam justitiam inveniri, ubi ea commutantur quæ gratuito munere sunt accepta. Ex quo intelligimus nihil obstare quominus sit justa retributio, etiamsi ob illud fiat, quod alieno munere seu auxilio partum est, dummodò illius verè sit cui retributio fit. Sicut absque dubio sunt bona opera quæcunque vel angelo, vel etiam homini tàm lapso, quàm integro sunt divino munere collata: quia optimo jure nostrum dicimus quod nobis est legitimè datum. Sed
Objectio. objiciunt; Deus statim ab initio potuit ab angelis absque omni spe, aut obligatione mercedis, exigere quicquid illi unquam obsequii præstiterunt: igitur æternæ beatitudinis retributio non potest illis dici justitia, sed gratia. Res-
Responsio. ponsio: sicut carnalis dominus quamdiu servum in servitutis conditione relinquit,

quit, suo jure absque omni mercedis retributione potest ab eo quodvis obsequium servitutis exigere; & tamen postquam illum libertate donavit pro voluntario & legitimo ministerio sibi ab illo præstito justam debet mercedem: sic Deus licèt angelum initio ita naturaliter servum creare potuerit, ut absque omni retributionis debito quodvis obsequium ab illo exigere potuerit; attamen quia illum naturaliter liberum condidit, & conditum in sua potestate reliquit, apponens illi ignem & aquam, ut vel divinis legibus sponte obediens vitam consequeretur æternam, vel proprio arbitrio resistens æternâ morte damnaretur. Ideo finito cursu ministerii pro sua voluntaria obedientia, non tanquam gratiæ donum, sed tanquam meriti mercedem, æternam fœlicitatem adeptus est, quia Deus sic eum naturaliter liberum condiderat, ut cum eo non quasi cum servo, sed tanquam cum libero agere deberet, sicut etiam cum illo debet carnalis dominus agere quem voluntate propriâ fecit ex servo liberum.

Objicitur secundò: sicut angelis legem Dei servantibus promissa est æterna fœlicitas; sic etiam credentibus & pœnitentibus hominibus promittitur venia peccatorum: sed in peccatorum venia non est agnoscenda retributio justitiæ: igitur neque in vita æterna quæ bonis operibus redditur, sed tantùm gratiæ beneficium. Responsio. Inter has promissiones magna distantia est, non tantùm in hoc quòd illa pertinet ad legem naturæ, hæc verò ad propositum divinæ gratiæ, sed etiam in hoc quòd vita æterna angelo & homini in sua creatione tantùm intuitu bonorum operum promissa sit, eò quòd bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiant: ea verò promissio, quâ remissio peccatorum credentibus & pœnitentibus promittitur, longè magis respicit illud pietatis sacramentum in quo sanctificamur, quàm fidem ipsam quâ illud sacramentum creditur, aut pœnitentiam per quam ad remissionem peccatorum pervenitur, quia sine Christi merito hæc nullo modo ad remissionem peccatorum sufficerent. Et ideo in illa promissione continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur; in hac verò promissione magis commendatur gratuita Salvatoris redemptio, cujus intuitu credentibus & pœnitentibus datur peccatorum remissio, omnisque ea reparatio, quâ nos in Christo renovamur, ut virtutes, imminutio concupiscentiæ malæ, & perseverantia, quâ usque in finem in justitia perseveratur, quia fides & pœnitentia ex se secundùm justitiæ regulam nihil tale promerentur. Quod verò addunt quidam, opera bona non posse apud Deum esse merita, quia Deo nihil utilitatis adferunt, planè ridiculum est. Primò quidem, quia nec opera mala quicquam illi damni adferunt, quæ tamen nemo negat æternæ damnationis esse merita. Deinde, quia nec apud homines qui ob indigentiam aut avaritiam fere lucra sectantur semper meritum ex lucro metimur, sed frequenter ex eo duntaxat quòd eorum voluntati servitur à quibus operanti merces proponitur, sive opus ipsum utilitatem illis adferat, sive etiam damno afficiat; & denique Christus, qui apud patrem tanti meriti fuit, ut de illo dixerit: hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui; & cujus redemptio apud Deum copiosa describitur, Deo tamen nihil utilitatis attulit, sed ejus duntaxat gloriam quæsivit & promovit, sicut etiam quærunt &

2. Objectio

Responsio.

& promovent qui ejus vestigia secuti Deum in sua fide & conversatione glorificant.

CAPUT III.

Quòd æterna fœlicitas non aliter homini contigisset, quàm beatis angelis contigit, si homo etiam in accepta justitia perstitisset.

QUod de æterna fœlicitate sanctorum angelorum diximus, qui perseverantes in accepta justitia merito hujus perseverantiæ immarcessibilem coronam adepti sunt, hoc etiam de hominis beatitudine dicendum fuisset, si in accepta justitia perseverans ad vitam immortalem sine peccato interveniente translatus fuisset: siquidem hoc illi etiam naturali lege constitutum fuit, ut si suo conditori per obedientiam constanter adhæreret, ad eam vitam pertransiret in qua mori non posset, si verò ab ea recederet morte æternâ mulctaretur. Hoc enim expressissimè testatur Sapiens cum ait: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta sua; si volueris mandata servare conservabunt te,* & in perpetuum finem placitam servare, apposuit illi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam; ante hominem vita & mors, bonum & malum, quodcunque placuerit dabitur illi, nempe vita pro justicia, & mors pro iniquitate: sicut in Genesi dicitur. *Quâcunque horâ comederis morte morieris.* Quapropter sicut bonis angelis merces meriti fuit, quòd æternam beatitudinem & æternæ beatitudinis certitudinem ac securitatem sunt adepti, sic etiam homini fuisset si in sua rectitudine absque peccato usque in finem vitæ animalis perstitisset, sicut apertissimis verbis testatur Augustinus dicens: *Quid erit liberius libero arbitrio quando non poterit servire peccato? quæ futura erat & homini, sicut facta est angelis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

Eccles. 15. *Cap. 2.* *De corrept. gratiæ. cap. 11.*

CAPUT IV.

Quare vita æterna, quæ futura erat homini sicut facta est angelis merces meriti, per peccatum facta est in his qui liberantur donum gratiæ.

CÆterùm in eo quod Augustinus, vitam in qua liberum arbitrium peccare non poterit, per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factam esse donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat & homini, sicut facta est angelis, si homo in justitia perseverasset, ad eam diversitatem aspexit quæ est inter merita angelorum, seu quæ homo habuisset si in justitia perstitisset, & inter merita hominis jam à peccati servitute liberati. Quia enim priora illa merita fue-

fuerunt primæ creationis munera, non quidem aliquorum præcedentium operum meritis reddita, sed nec mali quippiam merentibus in sua creatione donata. Ideo juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non rectè vocantur gratia, quò fit ut tantùm meriti non etiam gratia debeat nuncupari. Sed in iis qui per redemptionis gratiam reparantur, nullum inveniri potest bonum meritum quod non sit gratis indigno collatum, & ideo sicut ejusmodi merita rectissimè gratia nuncupantur, sic & ipsa vita æterna cùm his meritis redditur, etiam juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non tantùm meriti merces sed etiam donum gratiæ dicitur. Dico juxta modum loquendi Scripturæ sacræ, quia quæcunque angelis aut homini in sua creatione nullis præcedentibus meritis à Deo donata sunt forsitan non improbandâ ratione possent dici gratiæ munera, sicut prosequitur Augustinus epist. 95. & de verbis Apostoli serm. 11. Sed quia Scriptura sacra, sicut ibidem dicit Augustinus, nomine gratiæ non nisi ea munera intelligit, quæ per Jesum Christum male merentibus & indignis conferuntur: ideò neque merita neque merces quæ illis redditur gratia dici debet, nisi in eo & illi cui merita indigno & malè merenti conferuntur. Unde Augustinus: *O homo si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia: tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui debetur.* In angelo igitur, & in homine si nunquam peccasset, vita æterna quæ meritis redditur tantùm merces est meriti, sed in illis qui à peccati servitute liberantur, quia ipsa merita sunt dona gratiæ malè priùs merentibus indulta, ideo vita æterna quæ his redditur, non tantùm merces meriti & stipendium justitiæ, sed etiam donum gratiæ efficitur, ut dictum est. *Epi. 105.*

CAPUT V.

Quòd sicut merita per peccatum perdita fuerunt: sic Christi beneficio homini sunt reddita.

CÆterùm quod hactenus distulimus, an homini post lapsum reparato etiam merita tribuenda sint, videamus. De hoc clamat Psalmista. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* *Psal. 13.* Unde etiam jubet Christus, ut quantumcunque in obedientia mandatorum profecerimus, attamen recolentes nativitatis & miseriæ nostræ primordia, quibus juxta veteris hominis formam huic sæculo & sub diaboli potestate nascimur, semper dicimus quòd servi inutiles simus, quia videlicet ex nostra origine ad omne opus bonum & ad omne bonum meritum inidonei sumus & reprobi. *Luc. 17.* Unde Augustinus: *non glorietur caro de meritis, quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium:* & rursus: *humana merita conticescant, quæ periêre per Adam;* merita, inquam, quæ homo ex semetipso habere posset, & dona Dei non essent, sicut docet Augustinus de grat. & lib. arb. cap. 6. *Sed si veraciter credimus, & salubriter confitemur promissionem Abrahæ factam & gratiam Dei per Jesum dominum nostrum non tantùm ad remissionem valere peccatorum, sicut docuit Pelagius,* *De corrept. cap. 12.*

De predest. Sanct. lagius, *sed etiam ad operationem bonorum operum, in quibus per Christum creati sumus, & quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus; tunc sicut in Adam omnia hominum merita periisse fatemur, sic etiam in Christo eadem reparata esse necessum est fateamur*; juxta illud quod per Malachiam promisit Dominus, quòd purgabit
Cap. 3. filios Levi, & erunt Domino offerentes sacrificium in justitia, & placebit Domino sacrificium Juda & Jerusalem, sicut dies sæculi, inquit, & sicut anni antiqui, quia opus verè bonum & Deo acceptum non potest non esse meri-
Cap. 15. tum. Unde in Genesi, *Noli timere Abraham*, ait, *ego protector tuus & merces*
Cap. 15. *tua magna nimis:* & secundo Paralipomenon: *Non dissolvantur manus vestræ,*
Cap. 40. & 62. *erit enim merces operi vestro:* & apud Esaiam: *Ecce merces ejus cum eo:* de qua
Matt. 5. etiam in Evangelio: *Beati estis*, inquit Christus, *cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me; gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* & rur-
Matth. 10. sus: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet:* item:
Matth. 20. *Voca operarios, & redde eis mercedem;* &: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam:*
Matth. 10. & Apostolus: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem:* &
1 Cor. 3 1 Cor. 9. rursus: *Si volens hoc ago, mercedem habeo, si invitus dispensatio mihi credita est:*
Cap. 10. & ad Hebreos: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet*
Cap. 11. *remunerationem:* & rursus: *Aspiciebat enim in remunerationem:* & ad Colossen-
Cap 3. ses: *Quodcunque facitis ex animo operamini sicut Domino & non hominibus, scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis:* & Joannes in Canonica sua:
2 Joan. *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis.* Sed quibus propositum est adversùs veritatem contentiosa exercere certamina, & omnem fallendi occasionem quærere, etiamsi diffiteri non possint quin
2 Pet. 2. Scriptura sacra dicens, quòd impii in corruptione sua peribunt accipientes mercedem injustitiæ, & quòd omnis prævaricatio accipiet justam mercedis retributionem, nominibus mercedis & retributionis palàm significet, mala opera esse justæ damnationis merita, attamen cùm passim de bonis operibus loquens, eisdem vocibus utitur, palàm asserens bonis operibus mercedem, retributionem, remunerationem, fieri, adhuc audent negare bona opera esse alicujus mercedis merita, & diligenter cavendum monent, ne ubi ejusmodi quippiam in Scripturis sacris legitur, correlatio aliqua mercedis & meriti cogitetur, sed omnis intentio ad eum scopum dirigatur quem ipsi sibi præfixerunt, nempe quòd fides, quâ se quisque justum esse statuit, sola sine operum meritis sine sacramentorum subsidiis, ad vitam ducat æternam. Cæterùm qui Scripturis sacris veraciter credunt, non minùs in bonis operibus quàm in malis inter mercedem & meritum correlationem intelligunt. Sciunt enim quòd *Deus justus judex reddet unicuique secundùm opera sua, iis quidem qui se-*
Rom. 2. *cundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam, iis verò qui sunt ex contentione & qui non acquiescunt veritati, iram & indignationem.* Nec aliter intelligunt vitam esse bonorum operum mercedem, quàm mortem esse stipendium peccati; nisi in hoc duntaxat quòd quia peccatum tantùm ab homine est, ideò mors non nisi stipendium est; quia verò bona opera in iis qui liberantur sunt Dei dona, & priùs indignis collata,

lata, ideò vita æterna quæ his redditur non tantùm merces meriti, sed etiam gratia nuncupatur, quia videlicet peccatoribus non deberetur nisi eis priùs merita donarentur.

CAPUT VI.

Quomodo vita æterna simul sit merces & gratia.

EX quo manifestè solvitur ea objectio quæ adversùs regeneratorum merita solet ex Apostolo confici: Gratia Dei vita æterna; igitur non est merces. *Objectio.* Utrumque enim in Scripturis sacris continetur, & utrumque respectu diverso- *Responsio.* rum verissimè dicitur. Nam vita æterna est gratia peccatori, quales omnes huic sæculo nascimur; & est merces benè operanti, qualis quisque ex Dei munere efficitur: de qua re Augustinus: *Ipsa vita æterna, quæ utique in fine* *Epi. 105.* *sine fine habebitur, & ideò præcedentibus meritis redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur:* & infrà: *Cùm enim dixisset stipendium peccati mors est, quis non congruentissimè & consequenter addere judicaret; stipendium autem justitiæ, vita æterna? & verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna. Sed B. Apostolus adversùs elationem vigilantissimè militans:* Stipendium, *inquit,* peccati mors. *Deinde ne justitia de humano se extolleret merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum; non à contrario retulit dicens, stipendium justitiæ vita æterna; sed gratia,* inquit, *Dei vita æterna:* & de gratia & libero arbitrio: *Si vita æterna bonis operibus red-* *Cap. 8.* *ditur, sicut apertissimè dicit Scriptura, quoniam Deus reddet unicuique secundùm opera sua; quomodo gratia est vita æterna, cùm gratia non pro operibus reddatur, sed gratis detur?* &c. *Ista quæstio,* ait, *nullo modo mihi videtur posse dissolvi nisi intelligatur & ipsa opera bona quibus æterna redditur vita ad Dei gratiam pertinere.* Si- *Cap. 11.* militer de correptione & grat. *Quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi à tanto Apostolo, gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est,* ideò gratiam vitam *æternam vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini.*

CAPUT VII.

Quomodo servi inutiles & quomodo utiles sint dicendi.

OBjicitur secundò: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi* *Objectio* *inutiles sumus:* sed servus inutilis nihil meretur à Domino: igitur apud *Luc. 17.* Deum nullum possumus obtendere meritum. Respondeo: Homo & angelus *Responsio.* naturaliter quidem servi Dei sunt, sed non eo modo quo servos dicimus qui sine ulla mercedis obligatione totâ vitâ dominis carnalibus serviunt. Verùm eo modo quo liberi & suæ potestati relicti promptâ voluntate pro condicta mer-

 cede

Eccli. 15. cede liberaliter serviunt. *Deus* enim *reliquit hominem in manu consilii sui:* cui
Matth. 20. etiam consummato opere dicit: *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade.* Et ideò servitutis modus quo angelus & homo servi Dei conditi sunt, non excludit rationem meriti, sed potiùs includit. Quod verò addit Christus, ut nos etiam inutiles agnoscamus, ad id respicere jubet quod peccando facti sumus; *omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sed si quis ab his se emundaverit,* inquit
2 Tim. 2. Apostolus, *erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino ad omne opus bonum paratum.* Ideò enim quisque Domino servus utilis est, quia ad benè operandum est idoneus. Quapropter licèt quantùmcunque in obedientia mandatorum Dei profecerimus, recolentes nativitatis nostræ primordia, nos semper inutiles servos, & ad opus bonum inidoneos agnoscere debemus: sicut Apostolus recolens quid esset antequam in Christo fuisset, se minimum Apostolorum
1 Cor. 15. imo Apostolico nomine indignum agnoscebat, eò quòd persecutus esset Ecclesiam Dei; attamen Dei munera contemplantes, quæ nos in isto consequimur, non solùm nos utiles, sed etiam meritis fœcundos dicere possumus: sicut se dicit Apostolus cùm ait: *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Unusquisque enim accipiet secundùm suum laborem; & alibi pro bo-
2 Tim. 4. no certamine dicit sibi repositam coronam justitiæ, *quam reddet mihi Dominus,* inquit, *in illa die, justus judex.*

CAPUT VIII.

Quòd vita æterna etiam particularibus operibus debita reddatur.

Objectio. OBjiciunt etiam: Deus vitam aut salutem non promittit nisi perfectis totius legis suæ observatoribus: sed nemo nunc talis reperitur: igitur in hominibus, saltem quales nunc sunt, nulla potest statui ratio meriti. Respon-
Responsio. sio. Scripturæ sacræ quæ legis observationi vitam aut salutem pollicentur æternam variis loquuntur modis. Aliæ enim totam legem generaliter comme-
Matt. 19. morant & nullam mercedis ingerunt mentionem, ut, *si vis ad vitam ingredi*
Matt. 24. *serva mandata:* &, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Aliæ verò particularia opera commemorant quibus sic vitam promittunt æternam, ut il-
Matt. 6. lam etiam nomine mercedis appellent; ut, *beati estis cùm maledixerint vobis homines,* &c. *gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* & rursus: *quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam:* &, *qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Ex prioribus igitur illis Scripturis, ad quas solas respexisse videntur qui hoc argumentum conficiunt, non satis clarè statui potest in quolibet bono opere ratio meriti, tum quia generaliter de legis observatione loquuntur, tum etiam quia nudam promissionem sine ulla mentione mercedis continent; sed quemadmodum ex eo quod
Matt. 5. scriptum est: *qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis;* certò statuimus hoc crimen etiamsi solum esset, æternæ damnationis esse meritum:

sic

sic ex posterioribus illis Scripturis satis manifestè ostenditur, ea opera quibus particulariter etiam sub nomine mercedis regnum cœleste promittitur, esse vitæ æternæ merita, licèt mercedem suam non consequantur, si ex aliorum mandatorum transgressionibus aliquod superveniat impedimentum.

CAPUT IX.

Quid Christi & quid nostris meritis propriè debeat ascribi.

NOnnulli etiam sic colligunt, nemo justum suæ iniquitatis pretium Deo persolvit, sed quisquis à peccatis liberatur illius pretio redimitur qui factus est nobis sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio: igitur nemo etiam ullum vitæ æternæ meritum Deo offert, quo justo Dei judicio illam consequatur, sed quisquis illam adipiscitur, illius tantùm merito adipiscitur qui sanctos suos salvos facit in regnum suum cœleste. Responsio; Quicquid ad humani generis reparationem pertinet, id non nostris meritis propriè, neque justo Dei judicio tribuendum est, quia alioqui saltem ex parte essemus nostri redemptores, sed tantùm proposito gratiæ Dei, per redemptionem quæ facta est in sanguine Christi. Et ideo fides, oratio, pœnitentia, remissio peccatorum, abolitio pœnæ temporalis quæ peccatis per sacramentum pœnitentiæ remissis quandoque relinquitur, conversatio sancta & perseverantia usque in finem vitæ hujus temporalis, imò & ipsa corporis resurrectio, propriè non nisi Christi meritis ascribenda sunt. Quia licèt ad remissionem peccatorum, abolitionem pœnæ post sacramentum pœnitentiæ restantis, mortificationem concupiscentiæ, & perseverantiam in obedientia mandatorum Dei, juxta promissiones Christi ex parte nostra requirantur fides, pœnitentia, oratio, satisfactio, & similia; attamen hæc per se nullo modo sufficiunt, ut justo Dei judicio jam dicta Dei dona consequamur, nisi illis suffragetur pretium sanguinis Christi, sine cujus merito nulla omnino fit hominis reparatio. Si enim per se sufficerent, tunc his acceptis ad cætera consequenda non esset passio Christi necessaria. Cæterùm quòd piè & justè in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequuntur æternam, id non proposito gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis humani generis constitutæ, & justo Dei judicio deputandum est, sicut suprà satis diximus. Nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum aspicitur, sed tantùm ad primævam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita, sicut inobedientiæ mors æterna redderetur. Licèt igitur universa generis humani reparatio solis Christi meritis tribuenda sit, ne si qua ejus pars alterius cujuspiam meritis propriè tribuatur, is saltem ex parte redemptor esse statuatur; attamen quòd operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus, vita reddatur æterna, id non Christi meritis, sed naturali institutioni hominis ascribendum est, ut diximus. Quod verò ad Timot. scribit Apostolus: *Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & salvum faciet in regnum suum cœleste:* non sic accipiendum est, quasi utrumque Christi meritis ascribi debeat, nempe quòd

Objectio. 1 Cor. 1. 2 Tim. 4. Responsio. 2 Tim. 4.

Apoſtolus ab omni opere malo liberatus ſit, & quòd pro fide ſervata coronam gloriæ ſit conſecutus: ſed tantùm quòd hæc duo ex Chriſti meritis adeptus ſit, videlicet quòd in præteritis tentationibus ſit ab omni opere malo cuſtoditus, & quòd uſque in finem vitæ temporalis in obedientia mandatorum Dei perſeveraverit ut ſalvus eſſe poſſit; qui enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Unde Apoſtolus volens oſtendere quomodo in hac mortali vita ex Chriſti meritis ſalvi facti ſumus: *Spe*, inquit, *ſalvi facti ſumus*; quando videlicet peccatorum remiſſionem accepimus, & Dei mandatis obedimus. Quòd igitur in hac vita juſti, pii, & apti regno cœlorum, ſeu ſpe ſalvi efficimur, non niſi propoſito gratiæ Dei deputandum eſt, quâ reſtauratur quod per peccatum in nobis perierat: ſed quòd juſtitiæ & pietatis merito regnum cœleſte conſequimur, juſto Dei judicio. Sed quantùm dedit Deus, expeditâ quæſtione de qua dubitare fas non eſt, nempe: Utrùm bona opera ſint vitæ æternæ merita; ſumpto alio exordio ad eas tranſeamus, de quibus inter fideles, ſalvâ pace catholicâ, variè diſputatur.

Matt. 10. *Rom. 8.*



M I-

MICHAELIS BAII,
DE
MERITIS OPERUM.
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quòd alii fundamentum meriti statuant divinæ naturæ consortium, alii verò totam ejus rationem ex obedientia præcepti metiantur.

INter eas quæstiones, quæ de meritis operum etiam à Catholicis variè disputantur, prima occurrit: An bonis operibus, id est, ex objecto, fine & reliquis circunstantiis per omnia divinæ legi consentaneis, ex sua qualitate & natura, quia videlicet sunt divinæ legis obedientia, an solùm ex prævia operantis dignitate, vita debeatur æterna. Sunt enim qui meritum non ex operis integritate, sed ex operantis dignitate metiendum existiment; adeò ut si quis imaginetur angelum aut hominem sic naturaliter conditum, ut sine inhabitatione ac directione Spiritus sancti totam Dei legem illibatè servaret, juxta horum sententiam nullum omnino vitæ æternæ meritum haberet, donec per inhabitantem Spiritum Sanctum supra naturæ suæ conditionem sublimatus, & in Dei filium adoptatus, divinæ naturæ consortium accepisset: sic enim accipiendum existimant quod in Canonica Petri dicitur, Deum nobis per Christum maxima & pretiosa donasse promissa, ut per hoc efficiamur divinæ consortes naturæ. 2 Petr. 1. Verùm licèt Scriptura sacra inter promissa nobis per Christum donata, etiam enumeret divinæ naturæ consortium, quo fugimus eam quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem; neque enim tales naturâ facti sumus, ut sine divino adjutorio ac consortio bonum facere valeamus: nusquam tamen addit in bonis operibus hanc esse meriti rationem, quòd non sine divino consortio fiant. Nisi quis fortè eò spectare existimet, quod ait Apostolus: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habuero*, &c. *nihil mihi prodest*. 1 Cor. 13. Sed quia pleni-

Joan. 14. plenitudo legis est charitas; & *qui non diligit me*, inquit Christus, *sermones meos non servat*: ideò forsitan non absurdè intelligi potest Apostolus docere, nullius esse meriti quæcunque sine charitate fiunt; non quòd in hac vita mortali esse queat aliqua vera & integra legis obedientia, quæ nullius apud Deum sit meriti: sed quia quæcunque sine charitate fiunt, etiamsi apud homines speciosa videantur, tamen apud Deum simulata tantùm & non vera sunt legis obedientia. Quicunque enim faciebant quod lex jubebat non adjuvante spiritu gratiæ, inquit Augustinus, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ, ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere. Igitur jam dictum Apostolorum testimonium nihil prohibet, quominus vera meriti ratio non in excellentia operantis, sed in vera obedientia divinæ legis esse dicatur: sicut Dominus in Genesi docere videtur, cùm ait Abrahæ: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*: & rursus ad Isaac: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit mandata mea.* Quapropter eorum sententia, qui in bonis operibus totam meriti rationem ex eo metiuntur, quòd sint obedientia mandatorum Dei, his rationibus ostendi posse videtur.

De spiritu & littera cap. 8.

Cap. 22.

CAPUT II.

Quòd sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritum: sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritum.

OPeri malo, non ex prævia aliqua peccantis indignitate, sed ex deformitate operis quæ qualitatem facit operantis, hoc est quia divinæ ordinationi
Rom. 13. resistit, mors debetur æterna; *qui enim resistunt*, inquit Apostolus, *ipsi sibi damnationem acquirunt.* Igitur bono operi, non ex prævia aliqua dignitate operantis, sed ex natura & qualitate boni operis quæ qualitatem facit operantis, quia videlicet Dei ordinationi consentit, vita debetur æterna. Deus enim personam hominis non accipit, sed uniuscujusque opus justâ lance perpendit, ut
Actor. 10. tàm bonis quàm malis unicuique secundùm opera sua retribuat. Nam *in omni gente*, inquit Petrus, *qui timet Deum & operatur justitiam acceptus est illi*: &: *Debetur merces bonis operibus si fiant*, inquit Concilium Arauf. 2. *sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Idem & Augustinus epist. 106. *Bona opera piâ retributione non frustrantur, cùm reddat Deus unicuique secundùm opera ejus; sitque gloria & honor & pax omni operanti bonum.* Sed in perpensione meritorum, forsitan nonnullos fallit solius externi operis consideratio: quia dum le-
Genes. 4. gunt quòd respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain autem & ad munera ejus non respexit, significari existimant boni operis meritum necessariò proficisci debere à bona qualitate operantis. Id quod verissimè existimant, si per operantis qualitatem, bonam ejus voluntatem, bonamque ejus intentionem atque internam devotionem intelligant, sine qua nullum est externi operis meritum: sed si qualitatem operantis intelligant, quæ omnem internam præ-

cedit

cedit actionem, à qua videlicet operans priùs supra naturæ suæ conditionem extollatur, quàm ullum etiam internum meritum possit operari, tunc omnino consequens esse videtur, ut ante omnem mali meriti rationem, in peccante etiam qualitas aliqua requiratur, per quam infra naturæ suæ conditionem dejiciatur, ut per opus peccati tam horrendo stipendio dignus inveniatur; quia Scripturæ sacræ bona & mala opera apud Deum æquâ lance perpendi significant, nec aliter legis suæ transgressoribus mortem comminantur, quàm factoribus vitam promittunt æternam. *Deus ab initio constituit hominem,* inquit Sapiens, *& reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta: Si volueris mandata servare conservabunt te: ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Non enim ait, si ex filio hominis, seu ut nonnulli loquuntur, ex homine in puris naturalibus constituto, in filium Dei per sublimantem te gratiam adoptatus, modo quodam deifico mandata Dei servaveris, conservabunt te, scilicet ad vitam æternam, sicut dicendum fuisse significant, qui nullum vitæ æternæ meritum agnoscunt, nisi in eis qui per Dei gratiam ex filiis hominum in Dei filios sublimati sunt: sed simpliciter, si volueris mandata servare, conservabunt te. Si volueris, inquit, ut intelligamus homini recens condito & in statu primæ suæ creationis constituto, (sive absque Spiritu Sancto creatus esse dicatur, sicut nonnulli doctorum scholasticorum errantes autumant, sive cum Spiritu Sancto, ut veritas habet) non aliud fuisse velle mandata servare, quàm servare. Quia sicut peccare in libera ejus potestate erat si vellet, sic etiam mandata Dei servare: nobis autem irreprehensibiliter vivere velle non sufficit, inquit Prosper, nisi ipsum velle nostrum, quod languidâ possibilitate deficit, divina virtus adjuverit: quia in multis verissimè dicimus, velle adjacet mihi, perficere autem non invenio; &: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Quapropter Christus in Evangelio hanc eandem primæ constitutionis cum humano genere initam pactionem repetens, non ait: Si vis mandata servare vitam consequeris æternam: sed ait: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; hoc interim insinuans, quòd quemadmodum æternæ morti omnes addicti sumus, quia primum Domini pactum cum humano genere initum, aut in primo parente duntaxat, aut etiam in proprio opere irritum fecimus: sic etiam vitam consequeremur æternam, si in primæ creationis nostræ statu persistentes Dei mandata illibatè servaremus.

Eccli. 15. *De vita contempl. lib. 3. cap. 3.* *Matt. 19.*

CAPUT III.

Quòd natura humana, etiam Spiritu Sancto destituta, si Dei mandata illibatè servaret esset de præmio secura.

SEd & Augustinus disserens de natura humana jam Spiritu Sancto destituta, satis manifestè ostendit, opera hominis etiam Spiritu Sancto destituti, & nondum per Christi gratiam in filium Dei sublimati, non posse non esse vitæ æternæ merita, si essent verè bona, & omni ex parte facta secundùm præscriptum divinæ legis; ait enim sic: *Natura humani generis ex unius illius prævarica-*

De natur. & gra. c. 2.

ricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna, etiamsi fides eam lateat sanguinis Christi: non enim injustus est Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ. Nam si talis natura humana legem implens non potest fraudari præmio, & mercede vitæ æternæ: igitur impletio legis est vitæ æternæ meritum, etiamsi ab eo fieret qui per Christi fidem nondum sublimatus est in Dei filium. Verùm si quem fortè movet, quòd naturam humanam ex unius illius prævaricatoris carne procreatam, etiamsi ad implendam totam legem sibi sufficeret, adhuc tamen à vita æterna secluderet primæ originis noxa, quam nascendo contraxisset, nisi per fidem Christi renascendo in aqua baptismi deleta foret; ac proinde non posse verum esse quod ait divus Augustinus: *Quòd si natura humani generis ex unius illius prævaricatoris carne procreata, possit sibi sufficere ad implendam legem, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna:* is intelligat ex originali noxa esse quòd natura humana, qualis nunc est, ad legem implendam sibi non sufficit; ac proinde divum Augustinum per naturam humanam ex primi prævaricatoris carne procreatam (quæ ad implendam legem sibi sufficeret) talem hominem intelligere, quales omnes nos nasci contendebat Pelagius, nempe ab omni culpa immunem, & ad servandam totam Dei legem ex intelligentia rationis sibi sufficientem, qui non egeat remissione peccati, neque ad implendam Dei legem auxilio Christi: sed solùm per Christi fidem, & renovationis lavacrum adoptione ex filio hominis in filium Dei, ut juxta Evangelium, possit videre regnum Dei. Hæc enim fuit Pelagii sententia, docentis infantes sine peccato nasci, & ad totam legem Dei perfectè implendam ex innata sibi virtute idoneos, modo doctrinâ legis adjuventur, quâ revocentur ab imitatione malorum. Contra quam dicit Augustinus, quòd si homo ex illius unius prævaricatoris carne procreatus, talis esset, qualem eum asserebat esse Pelagius, nempe ab omni peccato immunis, & ad implendam Dei legem sibi sufficiens, etiamsi Christum ignoraret, & per ejus fidem ac baptismum in filium Dei sublimatus non esset, & divinæ naturæ consortium adeptus, attamen deberet de vitæ æternæ præmio esse securus: quia talis homo justus esset, nec injustus est Deus, ut justum fraudet mercede justitiæ. Deus namquè erit injustus, inquit, si ad ejus regnum verum non admittatur justus: cùm & ipsius ejus regnum justitia sit, sicut scriptum est: Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Huic etiam consonat quod idem Augustinus toties inculcat, quòd justus Deus imagines suas ob omni peccato immunes (quales eas in primo suo ortu asserebat Pelagius) nunquam excluderet à regno Dei: quia has etiam non docebat Pelagius divinæ consortes naturæ. Nam si tales imagines cùm nihil boni egissent non possent alienari à regno Dei: igitur multò magis dignæ essent regno Dei, cùm factæ rationis compotes, illibatè Dei legem observassent, etiamsi per adoptionis gratiam ad sublimiorem statum tanslatæ non essent.

Contra Jul. lib. 4. c. 3.

Rom. 14.

CA-

CAPUT IV.

Quòd Pelagii sententia sit, opera bona citra gratiam adoptionis facta non esse regni cœlestis merita.

NEc qui ita sentiunt ea in re Pelagio consentiunt, (sicut quidam imperitè clamitant) sed hi potiùs qui contrà asserunt: Opera bona non esse regni cœlestis merita, nisi ab eis facta qui priùs in filios Dei adoptati, digni sunt regno Dei. Nam Pelagius docuit infantes (quos ab omni peccato immunes asserebat) non propter remittendum peccatum percipere baptismum, sed ut spiritalem procreationem non habentes creentur in Christo, & ipsius regni cœlorum participes, fiant eo modo filii & hæredes Dei, cohæredes autem Christi, inquit Augustinus, hoc est, ut de bono in melius translati admitterentur ad regnum Dei. Ex quo manifestè efficitur, quòd etiamsi usque in finem vitæ hujus mortalis divinam legem ita complerent, ut in nullo prorsus offenderent: attamen regnum Dei consequi non possunt, nisi per fidem Christi & baptismum adoptarentur in filios Dei. Quod nihil aliud est dicere, quàm bona opera etiamsi justa sint & secundùm legem Dei facta, non esse tamen regni cœlestis merita, nisi ab illo fiant, qui per fidem & baptismum adoptatus est in filium Dei. Sicut etiam apertè dixisse legitur Julianus, asserens multos sine lege, sine Christi fide, ex solis naturæ donis benè vixisse, & multa ac magna virtutum opera præstitisse, nec tamen nisi steriliter bonos fuisse, eò quòd regni cœlestis præmio frustrati sint.

Lib. 1. de peccat. meritis, cap. 18.

CAPUT V.

Quòd ex lege ideò non sit justitia, quia non ex lege, sed ex gratia est legis obedientia.

QUem Juliani errorem videntur nonnulli catholici in iis Scripturis intellexisse quibus dicitur, quòd in lege nemo justificatur apud Deum, & quòd ex lege non sit hæreditas. Has enim sic acceperunt, quasi docere voluerit Apostolus, quòd decalogus, & tota institutio vetus non justificaret obedientes coram Deo, nec eos cœlo dignos faceret, nisi priùs per fidem in sanguine Christi ex filiis hominum translati essent, & adoptati in filios Dei, eò quòd obedientia legis non placeat Deo nisi in reconciliatis; nec animadvertunt hunc eundem errorem olim à Pelagianis apud D. Augustinum etiam catholicis fuisse objectum. Quia enim catholici defendebant, quòd ex lege nemo justificetur apud Deum: inferebant Pelagiani eos dicere legem veteris testamenti non ob hoc datam fuisse, ut justificaret obedientes, sed ut gravior fieret causa peccati. Quibus respondens Augustinus: *Prorsus non intelligunt quid de lege dicamus*, inquit, *quia id quod dicit Apostolus (quem non intelligunt) dicimus. Quis enim dicat non justificari eos qui sunt legi obedientes, quando si non justificarentur non possent esse obedientes: Sed dicimus lege fieri, ut quid Deus fieri velit audiatur: gra-*

Galat. 3.

Contra epistolas Pelag. lib. 3. cap. 2.

tiâ verò fieri, ut legi obediatur. In quibus divi Augustini verbis duo manifestissimè continentur. Prius est: non ideò dictum ab Apostolo, quòd nemo in lege justificetur, quasi possit aliqua esse legis obedientia, quæ non sit vera justitia, sed quia per legem tantùm est cognitio peccati, non etiam legis obedientia, quam sola præstat gratia. Posterius est, quòd lex usque adeò justificet obedientes, ut nemo veraciter in externis operibus legi obediat, nisi priùs intùs justitiam & rectitudinem cordis habeat: quia fructum bonum non facit nisi arbor bona & vera cordis justitia. Unde etiam lex in Psalmis toties nomine justificationis intelligitur: quia videlicet quisquis illi veraciter obtemperat, is coram Deo justificatur. Nam quòd ea legis obedientia, quæ vel in impiis gentilibus, vel in Judæis ex lege viventibus apparuit, non fuit justitia, non ex eo accidit, quòd possit aliqua esse vera legis obedientia, quæ non sit vera justitia, etiam cœlesti præmio digna: sed quia obedientia illa tantùm coram hominibus apparuit in opere, & coram Deo obedientia non fuit in

Hebr. 11. corde. *Sine fide enim impossibile est Deo placere.* Et: *Quicquid non est ex fide, pec-*

Rom. 14. *catum est:* quia coinquinatis & infidelibus nihil est mundum: sed inquinatæ

Titum 1. sunt eorum mens & conscientia, habentium sapientiam non spiritalem, quâ diligant cœlestia, sed terrenam & animalem, quâ nihil nisi mundum sectantur. Hunc eundem errorem in locis suis communibus de promissione legalium nobis insinuat Philippus, cùm ait: Bona opera tunc mereri præmia, cùm fiunt ab iis qui fide jam consecuti sunt remissionem peccatorum: quia suprà dictam humanæ naturæ exaltationem in remissione peccatorum & reconciliatione fieri intelligit.

CAPUT VI.

Quòd opera pœnitentium non absurdè dici queant regni cœlestis merita.

Objectio. SEd objicitur: Licèt impii qui ab omni bono merito sunt immunes, nullum opus bonum faciant: attamen negari non potest, quin fides & pœnitentia catechumenorum ac pœnitentium, bona sint opera & Dei dona, quæ tamen nemo dixerit esse regni cœlestis merita: quia regnum cœlorum obtineri non potest sine prævia remissione peccatorum. Igitur opera bona, ratione suæ qualitatis, quia videlicet sunt vera divinæ legis obedientia, non sunt regni cœlestis merita, nisi ab iis facta sint, qui acceptâ peccatorum remissione

Objectionis ad regnum Dei translati sunt. Responsio: Nemo Catholicus dubitat, quin

dilutio. sancti fideles bonis suis operibus mereantur coronam justitiæ: & tamen illam non consequentur, si se averterint à justitia sua, propter legitimum impedi-

Apoc. 3. mentum quod peccando interponunt. Unde etiam dicitur: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam,* tibi videlicet debitam, & non immerito

Matth. 10. speratam: *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Eodem modo de bonis catechumenorum operibus dici potest, quòd sint quidem regni cœlestis merita, sicut de Valentiniani virtutibus dicit Ambrosius. Nam *qui-*

Matth. 10. *cunque dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli,*

amen

amen dico vobis, inquit Christus, *non perdet mercedem suam*: sed tamen hanc justissimam mercedem non consequentur, nisi & præcedentium delictorum impedimenta tollantur, & subsequentia non addantur, quia si ad eventum respicias, solam perseverantiam pro merito reputabis. Nemo enim salvus fiet nisi merito perseverantiæ.

CAPUT VII.

Quòd personæ operantis sublimitas in opere bono non auget rationem meriti: nisi quantùm auget rationem virtutis & boni,

OBjicitur etiam à quibusdam, quòd humillima Christi obedientia tantò majoris fuit meriti, quantò major erat qui se per obedientiam humiliabat. Igitur personæ sublimitas plurimùm confert ad rationem meriti, ac proinde à ratione alienum non erit, si dicatur quòd vitæ æternæ meritum non inveniatur nisi in operibus eorum qui adoptati sunt in filios Dei. Responsio: Personæ dignitas tantùm auget rationem meriti, quæ boni operis proprietas est, quantùm auget rationem virtutis & operis boni: sicut in obedientia & humilitate contingit, quæ tantò majorem habent virtutis & boni operis rationem, quantò major est qui veluti suæ dignitatis oblitus, pro rerum necessitate sese ad abjectissima quæque demittit. Sed in operibus aliarum virtutum, ut justitiæ, temperantiæ & similium, sicut personæ sublimitas nihil addit ad virtutis rationem, sic nec ad meritum quicquam adjicit, sicut cuivis considerare facillimum est. Imò forsitan quantò cuiquam plus collatum est, tantò minoris est meriti, nisi plus operetur quàm qui minus acceperunt, quia quantò plus illi datum est, tantò plus exigetur ab eo.

Ad objectionem responsio.

CAPUT VIII.

Utrùm peccata quæ dicuntur venialia, naturâ suâ talia sint, an tantùm divinâ misericordiâ.

DIsputant etiam catholici: utrùm peccata leviora, (quæ nos vulgò venialia dicimus, eò quòd in hac vita solo pacto dominicæ orationis, & in futura merito hîc benè actæ vitæ, precibus vivorum condonantur) naturâ suâ ejusmodi sint, ut à regno cœlorum non secludant, nec in mortem secundam præcipitent; an tantùm divinâ misericordiâ. Nam licèt Lutherus & alii quidam posteriores hæretici hanc quæstionem suis assertionibus inseruerint, dicentes omne peccatum naturâ suâ mortem mereri; nec desint Catholici qui hanc eorum sententiam tanquam hæreticam damnare præsumpserint, eò quòd Deus in futuro sæculo, ubi etiam datur horum peccatorum remissio, sine acceptione personarum judicet, secundùm uniuscujusque opus; attamen eruditiores illam non inter dogmata fidei contraria, sed potiùs inter opiniones nume-

Joannes Roff. art. 32.

numerandam existimant, eò quòd videatur multis non improbandis rationibus posse defendi. Nam omne opus verè bonum, etiamsi exiguum sit, naturâ suâ est vitæ æternæ meritum: *Quicunque* enim *dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Igitur omne peccatum etiam leve, & exiguum naturâ suâ est meritum æternæ mortis. *Stipendium enim peccati, mors est*, inquit Apostolus: &: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*; &: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis hujus*; &: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus*, imò nullus *vocabitur in regno cœlorum*; &: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Nam offensio non tantùm in criminibus, sed etiam in levioribus peccatis intelligitur, de quibus etiam scriptum est:. *In multis offendimus omnes.* Igitur non tantùm per crimina, sed etiam per leviora peccata, meretur quisque perdere quæ operatus est, & à cœlorum regno separari.

Matth. 10. Rom. 6. Ezech. 18. Deut. 27. Matt. 5. Jacob. 2. Jacob. 3.

Unde Augustinus: quis cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ de hac vita migraret, manente illâ sententiâ, quòd quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: nisi post paululum sequeretur; sic loquimini & sic facite, tanquam per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam; superexaltat autem misericordia judicium. Si enim sola crimina suâ naturâ à regno cœlorum excluderent, tunc omnes Sancti, qui de hac vita sine criminibus exeunt, cum certissima salutis spe demigrarent, etiam manente illâ sententiâ: Quòd quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus; quia non nisi de criminibus posset intelligi.

De peccatorum meritis lib. 2. cap. 3.

Huic sententiæ etiam consonum esse videtur, quod pro defunctis qui sine criminibus exierunt orat Ecclesia: Ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum; quia absurdum esse videtur apud justum judicem pro reo pœnam deprecari, quæ scitur illi justo Dei judicio non posse irrogari. Præterea de peccatis levioribus, ait Dominus Petro, *si non lavero te, non habebis partem mecum.* Igitur nisi sanguis Jesu Christi etiam ab his peccatis nos emundaret, secluderemur à regno Dei: quod non ex alia causa nasci videtur, quàm quòd hæc peccata naturâ suâ à regno Dei secludant, in quod nihil potest coinquinatum introire. Igitur non est improbanda opinio, quâ dicitur, quòd etiam levia peccata, secluso Christi sanguine, ex natura sua secludunt à regno Dei. Forsitan imaginantur quidam eos qui in hac vita à criminibus abstinent, suis bonis operibus promereri ut post hanc vitam, justo Dei judicio, leviorum peccatorum veniam consequantur. Sed ut apparet non bene imaginantur; tum quia sic falsum esset quod ait B. Jacobus: Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: nam qui totam legem servasset, & in uno duntaxat leviorum offendisset, non esset omnium quæ bene egisset reus, sed potiùs ob illa dignus qui hujus unius transgressionis justo Dei judicio veniam acciperet; tum etiam quia sanguis Jesu Christi non esset necessarius, ut nos ab hujusmodi peccatis emundaret, nec verum fuisset quod de ejusmodi peccatis ait Christus Petro: Si non lavero te non habebis partem me-

Joan. 13. Apoc. 21.

mecum: sed illi suffecisset sic Dei mandata custodire, ut à criminibus abstineret, & hujus abstinentiæ merito, justo Dei judicio, leviorum peccatorum veniam acciperet. Ad id ergo quod pro opinione contraria dicitur: Deum in futuro sæculo (ubi etiam leviorum peccatorum datur remissio) reddere unicuique secundùm opera sua, videtur respondendum, id quidem verum esse, sed eos qui hîc sanctè conversati sunt, & in Christi corpore usque in finem mortalis vitæ hujus fideliter permanserunt, hoc etiam suis bonis operibus, justo Dei judicio, meruisse, ut ad quorundam peccatorum veniam (quæ tamen alioqui mortem inferrent) posset eis sanguis Jesu Christi, cum orationibus Sanctorum in futuro sæculo imò etiam in extremo judicio suffragari. Ad quam veniam justo Dei judicio consequendam, propria eorum merita per se nullo modo sufficerent, si ex illis solùm tanquam à Christi corpore & meritis alieni judicarentur, quia bona opera quæ fecerunt non sunt justum pretium pro peccatis ipsorum, sed quia in vite tanquam palmites vivi usque in finem permanserunt, & hujus permansionis merito à vite immobiles effecti sunt. Ideò ad horum peccatorum veniam etiam meritis ejus participant, qui est sufficientissima propitiatio pro peccatis totius mundi, & sic accedente pretio sanguinis Christi, fideles pro iis operibus quæ per corpus gesserunt, non tantùm vitam, sed etiam leviorum peccatorum indulgentiam justo judicio consequentur; neque enim novum est aut inauditum, etiam in civilibus causis, ratione societatis aliquid cuipiam justo deberi judicio, quod illi nullatenus deberetur, si per se tanquam ab illa societate alienus judicaretur; sunt enim penè singularum societatum certa quædam privilegia, quibus non ob aliud gaudere debemus, quàm quòd ejusmodi societatibus inseri meruimus. Non igitur tàm ex propriis meritis, quàm ex societate vitis, in futuro sæculo justo Dei judicio Sanctis datur leviorum peccatorum remissio, ut dictum est. *1 Joan. 2.*

CAPUT IX.

Utrùm bona opera Sanctorum in die Judicii ampliorem mercedem accipiunt, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.

DUbitant etiam nonnulli, utrùm bona opera Sanctorum in die judicii ampliorem mercedem accipient quàm justo Dei judicio mereantur; sic enim loqui videtur B. Fulgentius cùm ait: *Vita æterna etiam non injustè gratia dicitur, quia non solùm donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantùm etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bonæ & ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis, excedat.* Quamvis enim non solùm credendi in Christum lumen, sed etiam pro illo patiendi virtutem, à Deo nobis donari Beatus Apostolus ostendit, illam tamen futuræ vitæ gratiam omnibus præsentis temporis passionibus anteponit, dicens: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et alio loco: *Id enim quod in præsenti est momentaneum* *De duplici prædest. lib. 1.* *Philip. 1.* *Rom. 8.* *2 Cor. 4.*

& leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Cui consentire videtur B. Bernardus sermone primo de annunciatione, dicens: *Quid enim sunt merita omnia ad tantam gloriam?* &c. Verùm juxta hunc modum vita æterna non tantùm in hominibus qui post lapsum reparantur, sed etiam in angelis & homine, si stetisset, donum gratiæ fuisset: id quod negat tamen Augustinus dicens, quòd vita æterna futura erat & homi-
De corrept. c. 11. ni, sicut facta est angelis merces meriti, quæ per peccatum in iis qui liberantur facta est donum gratiæ. Præterea sicut cœlestis gloria, in iis qui liberantur, incomparabiliter justorum tribulationes exuperat: sic in iis qui damnantur, acerbitas supplicii etiam incomparabiliter excedit jucunditatem delicti. Sed in his dici non potest, quòd modus supplicii excedit mensuram delicti, quia iniquitas esset apud Deum, qui infert iram. Igitur in iis qui liberantur gloriæ magnitudo non sufficienter ostendit, quòd modus præmii excedat mensuram meriti; præsertim quia non desunt qui peccatorum supplicia usquè adeò non putent esse meritis majora, ut etiam impios omnes in inferno non tantâ quantâ digni sunt atrocitate cruciandos existiment, sed mitioribus & levio-
Psal 76. ribus quàm merita eorum requirant: eò quòd non obliviscetur misereri Deus. Sed hoc dictum Psalmistæ ad vasa misericordiæ pertinet, & ad ipsos filios pro-
De ci. Dei libro 21. cap. 24. Jacob. 2. Matt. 5. missionis, inquit Augustinus, nam judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam: & qui ab adversario in carcerem mittitur, *non exiet inde*, inquit Christus, *donec reddat novissimum quadrantem.* Sicut igitur in impiis non est verisimile, supplicium futuri sæculi fore infra delicti mensuram: sic in justis minus verisimile est quòd retributio præmii exuperet mensuram meriti, etiamsi forsitan humanis sensibus aliud apparet.

PRÆ-

MICHAELIS BAII, SACRARUM LITERARUM IN ACADEMIA LOVANIENSI, PROFESSORIS REGII, DE PRIMA HOMINIS

Justitia & virtutibus impiorum, libri duo.

46

PRÆFATIO
IN
LIBROS DE PRIMA HOMINIS JUSTITIA, ET VIRTUTIBUS IMPIORUM.



Uanquam in omni quæſtione catholicam fidem concernente, ſummâ ſemper ope niti oporteat, ut (quantùm res ipſa patitur) vitetur error, & veritas teneatur: attamen id in iis quæſtionibus in primis conandum eſt, ſine quibus non ſatis intelligi queunt prima & præcipua fidei Chriſtianæ fundamenta, quia & ritè cognitæ magnum ad cæteras lumen adferunt, & ignoratæ multos inducunt errores. Tales autem quæſtiones ſemper eſſe judicavi, quibus quæritur: Qualis ab initio fuerit naturalis hominis integritas, & quid ſentiendum ſit de virtutibus impiorum, qui nullâ unius veri Dei fide imbuti, multa honeſta & apud homines laudabilia feciſſe leguntur. Nam ſine his quæſtionibus non ſatis poteſt intelligi, neque prima humanæ naturæ corruptio, neque ejuſdem per Chriſti gratiam reparatio; in quibus tamen duobus (ſi divo Auguſtino credimus) propriè fides Chriſtiana conſiſtit: neque enim aliud eſt corruptio quàm quod vulgò dicimus malum. *De peccato origi. c. 24.*

Quomodo autem diſcerni poteſt quid ſit homini malum, niſi priùs intelligatur quid ab initio fuerit naturaliter ejus bonum? cùm nihil aliud ſit quod dicitur malum, quàm naturalium privatio bonorum. Et rurſus: *Quomodo dijudicabitur quid redemptio gratiæ homini jam chriſtiano contulerit, niſi cognoſcatur quid prima tranſgreſſio à prævaricatore abſtulerit, & quid adhuc in impiis & à Chriſti redemptione alienis ex prima integritate ſuperſit?* De his igitur duabus quæſtionibus, ſine quibus non ſatis intelliguntur fidei noſtræ fundamenta, quantùm Deus adjuverit deinceps pauca diſſerere conabimur.

in Ench. cap. 11.

MICHAELIS BAII, DE PRIMA HOMINIS JUSTITIA.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quòd primi hominis rectitudo non fuerit sine inhabitante Spiritu Sancto.

PRimum hominem, in quo omnium hominum natura concreata est, initio fuisse conditum rectum negare nemo potest: quia id testatur Scriptura sacra dicens, quòd fecerit Deus hominem rectum; sed quatenus intelligenda sit hæc primæ creationis integritas, quam Scriptura sacra rectitudinem nuncupat, à quibusdam dubitatur. Non enim defuerunt qui dicerent, eum in sua prima creatione, sicut cætera animantia, sortitum esse animam, quæ ciborum adjuta præsidio, motum & sensum corpori præstaret, & per sumptionem ligni vitæ, senectam & mortem excluderet, sed non quâ polleret justitiâ, sapientiâ, mansuetudine, bonitate, & cæteris virtutibus, quibus quotidie per inhabitantem Spiritum Sanctum secundùm imaginem Dei reformamur. Id quod significatum existimant in eo quod ait Scriptura sacra: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem.* Et rursus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Sed hunc sensum manifestissimè refellit quod in Genesi legitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quia licet imago Dei possit in naturalibus potentiis intelligi, quæ sine virtutibus possunt existere, aut (ut Chrysostomus ait) in dominii similitudine: attamen similitudo non nisi in vera sapientia, & aliis virtutibus accipitur, quibus quotidie operante Spiritu Sancto secundùm imaginem Dei reformamur. Nam quantùm accedis ad similitudinem Dei, inquit Augustinus, tantùm proficis in charitate. Et Chrysostomus: *Sicut imaginem dixit ob principatus rationem: ita & similitudinem dixit, ut pro viribus humanis similes fiamus Deo mansuetudine,* inquam, & leni-

Eccles. 7.

1 Cor. 15.

Super Gene. Ho. 8. & 9.

in Psal. 99.

Super Gene. Ho. 9.

lenitate & virtutibus: quod & Christus dicit: *Similes estote patri vestro qui est in cælis*; & filiis Dei non aliud promittit Joannes, quàm quòd cùm apparuerit quid nunc sint, Deo similes erunt, quoniam videbunt eum sicuti est. In eo igitur quòd homo rectus ad imaginem & similitudinem Dei creatus legitur, debet intelligi conditus esse sapiens, justus, bonus, cæterisque virtutibus præditus, quibus quotidie in interiori homine renovamur, sicut etiam omnes veteres Scriptores intellexerunt. Irenæus. Adam eam, quam habuit à Spiritu Sancto sanctitatis stolam amisit per inobedientiam. Et rursus: *Quod perdideramus in Adam*, id est, *secundùm imaginem & similitudinem Dei esse: hoc in Christo Jesu recipimus*. Et lib. 5. ante medium lib. *Cùm spiritus commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem spiritus, spiritalis & perfectus homo factus est, & hic est qui secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei: si autem defuerit animæ spiritus, animalis est verè, & carnalis, derelictus, imperfectus erit, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per spiritum.* Et iterum eodem libro: *Qui infructuosi sunt justitiâ, si diligentiam percipiant, & veluti insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quâ secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei.* Cyprianus quoque: *Perfectos*, inquit, *dixit fieri Dei filios, si similitudo, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris.* Et rursus: *Adam contra præceptum cæleste, cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientiâ custode servavit.* Similiter Ambrosius: *Illa anima benè pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis; secundùm hanc imaginem erat Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit imaginem cælestis.* Et rursus: *Adam cùm in paradiso esset, cælestis erat.* Et tractans illud: *Jordanis conversus est retrorsùm* (sicut citat divus Augustinus) *Jordanis*, inquit, *conversus est retrorsùm, significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur.* Et rursus super Lucam, tractans illud: *Homo quidam ex Hierusalem descendebat: Angeli noctis & tenebrarum*, inquit, *ante despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ, & sic vulnera inferre consueverunt.* Chrysostomus etiam super Genesim, primum hominem sæpius terrestrem angelum vocat sapientiâ plenum, & spiritu prophetiæ præditum, cui summum honorem, eminentem gloriam, supernam gratiam, & angelicum statum tribuit ante peccatum. Et Hilarius (sicut citat Augustinus:) *Tanta & tam admirabilis*, inquit, *in nos misericordiæ Dei bonitas est, ut per quem in Adæ offensa generositatem primæ & beatæ illius creationis amisimus, per eum rursus id quod amisimus obtinere mereamur.* Similiter Cyrillus super Joannem: *Sanctificationem in spiritu & per spiritum ad nos derivabat, & quod erat ab initio, quando à Deo creati fueramus, idipsum renovat.* Et infrà: *A limo terræ formatum hominem à Deo Moyses scripsit, & quomodo animatus fuit, docens:* Inspiravit, *ait*, in faciem ejus spiraculum vitæ; *ita non absque sanctificatione spiritus animam homini datam significat.* Et rursum: *Renovari ergo ac reformari quodammodo ad imaginem primam participatione spiritus naturam hominis rogat, ut primam illam gratiam induti, peccatum superare possimus*: & infrà: *Breviter repetamus priscum humani generis donum*, id est, *quomodo sanctificationem spiritus ad vos revocat.* Et eodem capite: *Reformemus nos ad justitiam, ad sanctificationem,*

ad

1 Joan. 3.

Lib. 3. cap. 37. contra hæreses. Ibidem c. 20.

Ser. 3. de patient.

Lib. 6. exam. c. 7.

Super Psal. 118.

Lib. 1. contra Juli. capite 3.

Hom 16.

Lib. 2. contra Julia. cap. 18.

Lib. 11. cap. 25.

ad imaginem primam. Et lib. 12. cap. 56. *Deus pater per proprium verbum de limo terræ (ut scribitur) hominem formavit, animâ decoravit, & sui Spiritus participatione munivit:* & rursus: *Ut ergo ipsum esse discamus, qui ab initio naturam nostram creavit, & Spiritu Sancto signavit, rursus in ipso initio renovandæ naturæ, sufflatione Spiritum discipulis largitur: ut quemadmodum creati ab initio sumus, renovemur; & quemadmodum ad imaginem factus est tunc homo, similiter etiam nunc participatione Spiritus ad imaginem creatoris renovetur.* Et lib. 2. cap. 3. *Ab eodem,* scilicet Mose, *didicimus Spiritu ad imaginem divinam sigillatum hominem fuisse:* Et insufflavit in faciem, *ait,* spiraculum vitæ; *& fuit in paradyso, quousque gratiam Creatoris Spiritu Sancto inhabitante servavit.* Et lib. 1. *Adam non tempore, quemadmodum nos, prudentiam didicit: sed statim à sui creatione perfectè sapiens fuit.* Cap. 9. Et de incarnatione unigeniti, cap. 1. *Propter Adæ prævaricationem Spiritus ab humanitate discesserat, ob eamque causam in malis omnibus illa fuerat constituta.* Et lib. 6. dialo. cum Herma. *Ignoras,* ait, *quod humana natura, principio quidem ubertim recepit, ut particeps esset doni Spiritus.* Et lib. de ador. in spiritu: *Quod conditum est, ineffabili virtute animabatur, donoque Spiritus statim ornabatur; non enim aliter divinæ imaginis capaces sumus.* Augustinus etiam: *Fecit itaque Deus* (sicut scriptum est) *hominem rectum, ac per hoc bonæ voluntatis; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem.* Lib. 14. de Dei c. 11. Et rursus: *Cognoverunt quia nudi erant; nudati, scilicet, eâ gratiâ, quâ fiebat ut nuditas corporis, nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet.* cap. 17. Et de spiritu & litera: *Hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Cap. 27. Et de libero arb: *Quanquam enim credamus hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propriâ voluntate delapsus sit, tamen hoc cùm firmissimâ fide teneam, intelligentiâ nondum assecutus sum.* Et de civ. Dei lib. 13. *Fides Christiana prædicat primos homines ita fuisse conditos, ut si non peccassent, nullâ morte à suis corporibus solverentur: sed pro meritis obedientiæ custoditæ immortalitate donati, cum eis viverent in æternum.* Cap. 19. Similiter Leo primus: *Ut fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset autoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinæ bonitatis forma resplendeat, ad quam quotidie nos utique reparat gratia Servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* De jeju. decimi mensis sermo. 1. Et rursus: *Primus homo carnis substantiam accepit è terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem & similitudinem sui autoris vivens, formam Dei bonitatis atque justitiæ, in splendore imitationis, tanquam in speculi nitore servaret, quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem, si per observantiam legis datæ perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret.* De nati. Domini sermo. 4. Idem docet Dionysius de ecclesiast. hierar. cap. 3. parte 3. & Prosper responsione 8. ad capitula Gallorum, cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum Constitutionem contra inimicos gratiæ totus mundus amplexus est veraci professione (quemadmodum ipsorum habet sermo;) *Dicamus,* inquit, *gratiam Dei per Jesum Christum dominum nostrum non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere,*

lenitate & virtutibus: quod & Christus dicit: *Similes estote patri vestro qui est in*
1 Joan. 3. *cœlis;* & filiis Dei non aliud promittit Joannes, quàm quòd cùm apparuerit quid nunc sint, Deo similes erunt, quoniam videbunt eum sicuti est. In eo igitur quòd homo rectus ad imaginem & similitudinem Dei creatus legitur, debet intelligi conditus esse sapiens, justus, bonus, cæterisque virtutibus præditus, quibus quotidie in interiori homine renovamur, sicut etiam omnes veteres Scriptores intellexerunt. Irenæus. Adam eam, quam habuit à
Lib. 3. Spiritu Sancto sanctitatis stolam amisit per inobedientiam. Et rursus: *Quod*
cap. 37. *perdideramus in Adam*, id est, *secundùm imaginem & similitudinem Dei esse:*
contra hæreses. Ibidem c. 20. *hoc in Christo Jesu recipimus.* Et lib. 5. ante medium lib. *Cùm spiritus commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem spiritus, spiritalis & perfectus homo factus est, & hic est qui secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei: si autem defuerit animæ spiritus, animalis est verè, & carnalis, derelictus, imperfectus erit, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per spiritum.* Et iterum eodem libro: *Qui infructuosi sunt justitiâ, si diligentiam percipiant, & veluti insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quâ secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei.* Cyprianus
Ser. 3. de patient. nus quoque: *Perfectos*, inquit, *dixit fieri Dei filios, si similitudo, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris.* Et rursus: *Adam contra præceptum cœleste, cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam di-*
Lib. 6. *vinitùs gratiam patientiâ custode servavit.* Similiter Ambrosius: *Illa anima benè*
exam. c. 7. *pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis; secundùm hanc imaginem erat Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit ima-*
Super Psal. 118. *ginem cœlestis.* Et rursus: *Adam cùm in paradiso esset, cœlestis erat.* Et tractans illud: *Jordanis conversus est retrorsùm* (sicut citat divus Augustinus) *Jordanis,*
Lib. 1. contra Juli. capite 3. inquit, *conversus est retrorsùm, significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur.* Et rursus super Lucam, tractans illud: *Homo quidam ex Hierusalem descendebat: Angeli noctis & tenebrarum*, inquit, *ante despoliant quæ accepimus indumenta*
Hom 16. *gratiæ, & sic vulnera inferre consueverunt.* Chrysostomus etiam super Genesim, primum hominem sæpius terrestrem angelum vocat sapientiâ plenum, & spiritu prophetiæ præditum, cui summum honorem, eminentem gloriam,
Lib. 2. contra Julia. cap. 18. supernam gratiam, & angelicum statum tribuit ante peccatum. Et Hilarius (sicut citat Augustinus:) *Tanta & tam admirabilis*, inquit, *in nos misericordiæ Dei bonitas est, ut per quem in Adæ offensa generositatem primæ & beatæ illius*
Lib. 11. cap. 25. *creationis amisimus, per eum rursus id quod amisimus obtinere mereamur.* Similiter Cyrillus super Joannem: *Sanctificationem in spiritu & per spiritum ad nos derivabat, & quod erat ab initio, quando à Deo creati fueramus, idipsum renovat.* Et infrà: *A limo terræ formatum hominem à Deo Moyses scripsit, & quomodo animatus fuit, docens:* Inspiravit, *ait*, in faciem ejus spiraculum vitæ; *ita non absque sanctificatione spiritus animam homini datam significat.* Et rursum: *Renovari ergo ac reformari quodammodo ad imaginem primam participatione spiritus naturam hominis rogat, ut primam illam gratiam induti, peccatum superare possimus:* & infrà: *Breviter repetamus priscum humani generis donum*, id est, *quomodo sanctificationem spiritus ad nos revocat.* Et eodem capite: *Reformemus nos ad justitiam, ad sanctificationem,*

ad

ad imaginem primam. Et lib. 12. cap. 56. *Deus pater per proprium verbum de limo terræ (ut scribitur) hominem formavit, animâ decoravit, & sui Spiritus participatione munivit:* & rursus: *Ut ergo ipsum esse discamus, qui ab initio naturam nostram creavit, & Spiritu Sancto signavit, rursus in ipso initio renovandæ naturæ, sufflatione Spiritum discipulis largitur: ut quemadmodum creati ab initio sumus, renovemur; & quemadmodum ad imaginem factus est tunc homo, similiter etiam nunc participatione Spiritus ad imaginem creatoris renovetur.* Et lib. 2. cap. 3. *Ab eodem*, scilicet Mose, *didicimus Spiritu ad imaginem divinam sigillatum hominem fuisse:* Et insufflavit in faciem, *ait*, spiraculum vitæ; *& fuit in paradyso, quousque gratiam Creatoris Spiritu Sancto inhabitante servavit.* Et lib. 1. *Adam* Cap. 9. *non tempore, quemadmodum nos, prudentiam didicit: sed statim à sui creatione perfectè sapiens fuit.* Et de incarnatione unigeniti, cap. 1. *Propter Adæ prævaricationem Spiritus ab humanitate discesserat, ob eamque causam in malis omnibus illa fuerat constituta.* Et lib. 6. dialo. cum Herma. *Ignoras*, ait, *quod humana natura, principio quidem ubertim recepit, ut particeps esset doni Spiritus.* Et lib. de ador. in spiritu: *Quod conditum est, ineffabili virtute animabatur, donoque Spiritus statim ornabatur; non enim aliter divinæ imaginis capaces sumus.* Augustinus etiam: *Fecit itaque Deus* (sicut scriptum est) *hominem rectum, ac per hoc* Lib. 14. de c. Dei c. 11. *bonæ voluntatis; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem.* Et rursus: cap. 17. *Cognoverunt quia nudi erant; nudati, scilicet, eâ gratiâ, quâ fiebat ut nuditas corporis, nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet.* Et de spiritu & litera: *Hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem, in qua naturaliter facti sumus, in-* Cap. 27. *stauret in nobis.* Et de libero arb: *Quanquam enim credamus hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propriâ voluntate delapsus sit, tamen hoc cùm firmissimâ fide teneam, intelligentiâ nondum assecutus sum.* Et de civ. Dei lib. 13. *Fides Christiana prædicat primos ho-* Cap. 19. *mines ita fuisse conditos, ut si non peccassent, nullâ morte à suis corporibus solverentur: sed pro meritis obedientiæ custoditæ immortalitate donati, cum eis viverent in æternum.* Similiter Leo primus: *Ut fideliter atque sapienter creationis nostræ* De jeju. *intelligamus exordium, inveniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut imi-* decimi *tator sui esset autoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis,* mensis *quasi in quodam speculo, divinæ bonitatis forma resplendeat, ad quam quotidie nos* sermo. 1. *utique reparat gratia Servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* Et rursus: *Primus homo carnis substantiam accepit è terra, & rationali spiri-* De nati. *tu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem & similitudinem sui auto-* Domini *ris vivens, formam Dei bonitatis atque justitiæ, in splendore imitationis, tanquam* sermo. 4. *in speculi nitore servaret, quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem, si per observantiam legis datæ perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret.* Idem docet Dionysius de ecclesiast. hierar. cap. 3. parte 3. & Prosper responsione 8. ad capitula Gallorum, cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum Constitutionem contra inimicos gratiæ totus mundus amplexus est veraci professione (quemadmodum ipsorum habet sermo;) *Dicamus*, inquit, *gratiam Dei per Jesum Christum dominum nostrum non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere,*

lenitate & virtutibus: quod & Christus dicit: *Similes estote patri vestro qui est in*
1 Joan. 3. *cælis*; & filiis Dei non aliud promittit Joannes, quàm quòd cùm apparuerit quid nunc sint, Deo similes erunt, quoniam videbunt eum sicuti est. In eo igitur quòd homo rectus ad imaginem & similitudinem Dei creatus legitur, debet intelligi conditus esse sapiens, justus, bonus, cæterisque virtutibus præditus, quibus quotidie in interiori homine renovamur, sicut etiam omnes veteres Scriptores intellexerunt. Irenæus. Adam eam, quam habuit à
Lib. 3. cap. 37. contra hæreses. Ibidem c. 20. Spiritu Sancto sanctitatis stolam amisit per inobedientiam. Et rursus: *Quod perdideramus in Adam*, id est, *secundùm imaginem & similitudinem Dei esse: hoc in Christo Jesu recipimus*. Et lib. 5. ante medium lib. *Cùm spiritus commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem spiritus, spiritalis & perfectus homo factus est, & hic est qui secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei: si autem defuerit animæ spiritus, animalis est verè, & carnalis, derelictus, imperfectus erit, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per spiritum.* Et iterum eodem libro: *Qui infructuosi sunt justitiâ, si diligentiam percipiant, & veluti insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quâ secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei.* Cypria-
Ser. 3. de patient. nus quoque: *Perfectos*, inquit, *dixit fieri Dei filios, si similitudo, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris.* Et rursus: *Adam contra præceptum cæleste, cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam di-*
Lib. 6. exam. c. 7. *vinitùs gratiam patientiâ custode servavit.* Similiter Ambrosius: *Illa anima benè pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis; secundùm hanc imaginem erat Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit ima-*
Super Psal. 118. *ginem cœlestis.* Et rursus: *Adam cùm in paradiso esset, cœlestis erat.* Et tractans illud: *Jordanis conversus est retrorsum* (sicut citat divus Augustinus) *Jordanis*,
Lib. 1. contra Juli. capite 3. inquit, *conversus est retrorsùm, significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur.* Et rursus super Lucam, tractans illud: *Homo quidam ex Hierusalem descendebat: Angeli noctis & tenebrarum*, inquit, *ante despoliant quæ accepimus indumenta*
Hom 16. *gratiæ, & sic vulnera inferre consueverunt.* Chrysostomus etiam super Genesim, primum hominem sæpius terrestrem angelum vocat sapientiâ plenum, & spiritu prophetiæ præditum, cui summum honorem, eminentem gloriam,
Lib. 2. contra Julia. cap. 18. supernam gratiam, & angelicum statum tribuit ante peccatum. Et Hilarius (sicut citat Augustinus:) *Tanta & tam admirabilis*, inquit, *in nos misericordiæ Dei bonitas est, ut per quem in Adæ offensa generositatem primæ & beatæ illius*
Lib. 11. cap. 25. *creationis amisimus, per eum rursus id quod amisimus obtinere mereamur.* Similiter Cyrillus super Joannem: *Sanctificationem in spiritu & per spiritum ad nos derivabat, & quod erat ab initio, quando à Deo creati fueramus, idipsum renovat.* Et infrà: *A limo terræ formatum hominem à Deo Moyses scripsit, & quomodo animatus fuit, docens:* Inspiravit, *ait*, in faciem ejus spiraculum vitæ; *ita non absque sanctificatione spiritus animam homini datam significat.* Et rursum: *Renovari ergo ac reformari quodammodo ad imaginem primam participatione spiritus naturam hominis rogat, ut primam illam gratiam induti, peccatum superare possimus:* & infrà: *Breviter repetamus priscum humani generis donum*, id est, *quomodo sanctificationem spiritus ad vos revocat.* Et eodem capite: *Reformemus nos ad justitiam, ad sanctificationem,*

ad imaginem primam. Et lib. 12. cap. 56. *Deus pater per proprium verbum de limo terræ (ut scribitur) hominem formavit, animâ decoravit, & sui Spiritus participatione munivit:* & rursus: *Ut ergo ipsum esse discamus, qui ab initio naturam nostram creavit, & Spiritu Sancto signavit, rursus in ipso initio renovandæ naturæ, sufflatione Spiritum discipulis largitur: ut quemadmodum creati ab initio sumus, renovemur; & quemadmodum ad imaginem factus est tunc homo, similiter etiam nunc participatione Spiritus ad imaginem creatoris renovetur.* Et lib. 2. cap. 3. *Ab eodem*, scilicet Mose, *didicimus Spiritu ad imaginem divinam sigillatum hominem fuisse:* Et insufflavit in faciem, *ait*, spiraculum vitæ; *& fuit in paradyso, quousque gratiam Creatoris Spiritu Sancto inhabitante servavit.* Et lib. 1. *Adam non tempore, quemadmodum nos, prudentiam didicit: sed statim à sui creatione perfectè sapiens fuit.* Et de incarnatione unigeniti, cap. 1. *Propter Adæ prævaricationem Spiritus ab humanitate discesserat, ob eamque causam in malis omnibus illa fuerat constituta.* Et lib. 6. dialo. cum Herma. *Ignoras*, ait, *quod humana natura, principio quidem ubertim recepit, ut particeps esset doni Spiritus.* Et lib. de ador. in spiritu: *Quod conditum est, ineffabili virtute animabatur, donoque Spiritus statim ornabatur; non enim aliter divinæ imaginis capaces sumus.* Augustinus etiam: *Fecit itaque Deus* (sicut scriptum est) *hominem rectum, ac per hoc bonæ voluntatis; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem.* Et rursus: *Cognoverunt quia nudi erant; nudati, scilicet, eâ gratiâ, quâ fiebat ut nuditas corporis, nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet.* Et de spiritu & litera: *Hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Et de libero arb: *Quanquam enim credamus hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propriâ voluntate delapsus sit, tamen hoc cùm firmissimâ fide teneam, intelligentiâ nondum assecutus sum.* Et de civ. Dei lib. 13. *Fides Christiana prædicat primos homines ita fuisse conditos, ut si non peccassent, nullâ morte à suis corporibus solverentur: sed pro meritis obedientiæ custoditæ immortalitate donati, cum eis viverent in æternum.* Similiter Leo primus: *Ut fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset autoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinæ bonitatis forma resplendeat, ad quam quotidie nos utique reparat gratia Servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* Et rursus: *Primus homo carnis substantiam accepit è terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem & similitudinem sui autoris vivens, formam Dei bonitatis atque justitiæ, in splendore imitationis, tanquam in speculi nitore servaret, quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem, si per observantiam legis datæ perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret.* Idem docet Dionysius de ecclesiast. hierar. cap. 3. parte 3. & Prosper responsione 8. ad capitula Gallorum, cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum Constitutionem contra inimicos gratiæ totus mundus amplexus est veraci professione (quemadmodum ipsorum habet sermo;) *Dicamus*, inquit, *gratiam Dei per Jesum Christum dominum nostrum non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere,*

Cap. 9.

Lib. 14. de c. Dei c. 11.

cap. 17.

Cap. 27.

Cap. 19.

De jeju. decimi mensis sermo. 1.

De nati. Domini sermo. 4.

lenitate & virtutibus: quod & Christus dicit: *Similes estote patri vestro qui est in*
1 Joan. 3. *cælis*; & filiis Dei non aliud promittit Joannes, quàm quòd cùm apparuerit quid nunc sint, Deo similes erunt, quoniam videbunt eum sicuti est. In eo igitur quòd homo rectus ad imaginem & similitudinem Dei creatus legitur, debet intelligi conditus esse sapiens, justus, bonus, cæterisque virtutibus præditus, quibus quotidie in interiori homine renovamur, sicut etiam omnes veteres Scriptores intellexerunt. Irenæus. Adam eam, quam habuit à
Lib. 3. cap. 37. contra hæreses. Ibidem c. 20. Spiritu Sancto sanctitatis stolam amisit per inobedientiam. Et rursus: *Quod perdideramus in Adam*, id est, *secundùm imaginem & similitudinem Dei esse: hoc in Christo Jesu recipimus*. Et lib. 5. ante medium lib. *Cùm spiritus commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem spiritus, spiritalis & perfectus homo factus est, & hic est qui secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei: si autem defuerit animæ spiritus, animalis est verè, & carnalis, derelictus, imperfectus erit, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per spiritum.* Et iterum eodem libro: *Qui infructuosi sunt justitiâ, si diligentiam percipiant, & veluti insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quâ secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei.* Cyprianus quoque: *Perfectos*, inquit, *dixit fieri Dei filios, si similitudo, quam peccato*
Ser. 3. de patient. *Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris.* Et rursus: *Adam contra præceptum cæleste, cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam di-*
Lib. 6. exam. c. 7. *vinitùs gratiam patientiâ custode servavit.* Similiter Ambrosius: *Illa anima benè pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis; secundùm hanc imaginem erat Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit ima-*
Super Psal. 118. *ginem cælestis.* Et rursus: *Adam cùm in paradiso esset, cælestis erat.* Et tractans illud: *Jordanis conversus est retrorsùm* (sicut citat divus Augustinus) *Jordanis*,
Lib. 1. contra Juli. capite 3. inquit, *conversus est retrorsùm, significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur.* Et rursus super Lucam, tractans illud: *Homo quidam ex Hierusalem descendebat: Angeli noctis & tenebrarum*, inquit, *ante despoliant quæ accepimus indumenta*
Hom 16. *gratiæ, & sic vulnera inferre consueverunt.* Chrysostomus etiam super Genesim, primum hominem sæpius terrestrem angelum vocat sapientiâ plenum, & spiritu prophetiæ præditum, cui summum honorem, eminentem gloriam,
Lib. 2. contra Julia. cap. 18. supernam gratiam, & angelicum statum tribuit ante peccatum. Et Hilarius (sicut citat Augustinus:) *Tanta & tam admirabilis*, inquit, *in nos misericordiæ Dei bonitas est, ut per quem in Ada offensa generositatem primæ & beatæ illius*
Lib. 11. cap. 25. *creationis amisimus, per eum rursus id quod amisimus obtinere mereamur.* Similiter Cyrillus super Joannem: *Sanctificationem in spiritu & per spiritum ad nos derivabat, & quod erat ab initio, quando à Deo creati fueramus, idipsum renovat.* Et infrà: *A limo terræ formatum hominem à Deo Moyses scripsit, & quomodo animatus fuit, docens:* Inspiravit, *ait*, in faciem ejus spiraculum vitæ; *ita non absque sanctificatione spiritus animam homini datam significat.* Et rursum: *Renovari ergo ac reformari quodammodo ad imaginem primam participatione spiritus naturam hominis rogat, ut primam illam gratiam induti, peccatum superare possimus:* & infrà: *Breviter repetamus priscum humani generis donum*, id est, *quomodo sanctificationem spiritus ad vos revocat.* Et eodem capite: *Reformemus nos ad justitiam, ad sanctificationem,*
ad

ad imaginem primam. Et lib. 12. cap. 56. *Deus pater per proprium verbum de limo terræ (ut scribitur) hominem formavit, animâ decoravit, & sui Spiritus participatione munivit:* & rursus: *Ut ergo ipsum esse discamus, qui ab initio naturam nostram creavit, & Spiritu Sancto signavit, rursus in ipso initio renovandæ naturæ, sufflatione Spiritum discipulis largitur: ut quemadmodum creati ab initio sumus, renovemur; & quemadmodum ad imaginem factus est tunc homo, similiter etiam nunc participatione Spiritus ad imaginem creatoris renovetur.* Et lib. 2. cap. 3. *Ab eodem,* scilicet Mose, *didicimus Spiritu ad imaginem divinam sigillatum hominem fuisse:* Et insufflavit in faciem, *ait,* spiraculum vitæ; *& fuit in paradyso, quousque gratiam Creatoris Spiritu Sancto inhabitante servavit.* Et lib. 1. *Adam non tempore, quemadmodum nos, prudentiam didicit: sed statim à sui creatione perfectè sapiens fuit.* Et de incarnatione unigeniti, cap. 1. *Propter Adæ prævaricationem Spiritus ab humanitate discesserat, ob eamque causam in malis omnibus illa fuerat constituta.* Et lib. 6. dialo. cum Herma. *Ignoras,* ait, *quod humana natura, principio quidem ubertim recepit, ut particeps esset doni Spiritus.* Et lib. de ador. in spiritu: *Quod conditum est, ineffabili virtute animabatur, donoque Spiritus statim ornabatur; non enim aliter divinæ imaginis capaces sumus.* Augustinus etiam: *Fecit itaque Deus* (sicut scriptum est) *hominem rectum, ac per hoc bonæ voluntatis; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem.* Et rursus: *Cognoverunt quia nudi erant; nudati, scilicet, eâ gratiâ, quâ fiebat ut nuditas corporis, nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet.* Et de spiritu & litera: *Hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Et de libero arb: *Quanquam enim credamus hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propriâ voluntate delapsus sit, tamen hoc cùm firmissimâ fide teneam, intelligentiâ nondum assecutus sum.* Et de civ. Dei lib. 13. *Fides Christiana prædicat primos homines ita fuisse conditos, ut si non peccassent, nullâ morte à suis corporibus solverentur: sed pro meritis obedientiæ custoditæ immortalitate donati, cum eis viverent in æternum.* Similiter Leo primus: *Ut fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset autoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinæ bonitatis forma resplendeat, ad quam quotidie nos utique reparat gratia Servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* Et rursus: *Primus homo carnis substantiam accepit è terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem & similitudinem sui autoris vivens, formam Dei bonitatis atque justitiæ, in splendore imitationis, tanquam in speculi nitore servaret, quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem, si per observantiam legis datæ perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret.* Idem docet Dionysius de ecclesiast. hierar. cap. 3. parte 3. & Prosper responsione 8. ad capitula Gallorum, cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum Constitutionem contra inimicos gratiæ totus mundus amplexus est veraci professione (quemadmodum ipsorum habet sermo;) *Dicamus,* inquit, *gratiam Dei per Jesum Christum dominum nostrum non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere,*

Cap. 9.

Lib. 14. de c. Dei c. 11. cap. 17.

Cap. 27.

Cap. 19.

De jeju. decimi mensis sermo. 1.

De nati. Domini sermo. 4.

Quomodo autem discerni potest quid sit homini malum, nisi priùs intelligatur quid ab initio fuerit naturaliter ejus bonum? cùm nihil aliud sit quod dicitur malum, quàm naturalium privatio bonorum. Et rursus: *Quomodo dijudicabitur quid redemptio gratiæ homini jam christiano contulerit, nisi cognoscatur quid prima transgressio à prævaricatore abstulerit, & quid adhuc in impiis & à Christi redemptione alienis ex prima integritate superstit?* De his igitur duabus quæstionibus, sine quibus non satis intelliguntur fidei nostræ fundamenta, quantùm Deus adjuverit deinceps pauca disserere conabimur.

in Ench. cap. 11.

MICHAELIS BAII, DE PRIMA HOMINIS JUSTITIA.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quòd primi hominis rectitudo non fuerit sine inhabitante Spiritu Sancto.

PRimum hominem, in quo omnium hominum natura concreata est, initio fuisse conditum rectum negare nemo potest: quia id testatur Scriptura sacra dicens, quòd fecerit Deus hominem rectum; sed quatenus intelligenda sit hæc primæ creationis integritas, quam Scriptura sacra rectitudinem nuncupat, à quibusdam dubitatur. Non enim defuerunt qui dicerent, eum in sua prima creatione, sicut cætera animantia, sortitum esse animam, quæ ciborum adjuta præsidio, motum & sensum corpori præstaret, & per sumptionem ligni vitæ, senectam & mortem excluderet, sed non quâ polleret justitiâ, sapientiâ, mansuetudine, bonitate, & cæteris virtutibus, quibus quotidie per inhabitantem Spiritum Sanctum secundùm imaginem Dei reformamur. Id quod significatum existimant in eo quod ait Scriptura sacra: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem.* Et rursus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Sed hunc sensum manifestissimè refellit quod in Genesi legitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quia licet imago Dei possit in naturalibus potentiis intelligi, quæ sine virtutibus possunt existere, aut (ut Chrysostomus ait) in dominii similitudine: attamen similitudo non nisi in vera sapientia, & aliis virtutibus accipitur, quibus quotidie operante Spiritu Sancto secundùm imaginem Dei reformamur. Nam quantùm accedis ad similitudinem Dei, inquit Augustinus, tantùm proficis in charitate. Et Chrysostomus: *Sicut imaginem dixit ob principatus rationem: ita & similitudinem dixit, ut pro viribus humanis similes fiamus Deo mansuetudine,* inquam, *&* *leni-*

Eccles. 7.

1 Cor. 15.

Super Gene. Ho. 8. & 9.

in Psal. 99.

Super Gene. Ho. 9.

lenitate & virtutibus: quod & Christus dicit: *Similes estote patri vestro qui est in*
1 Joan. 3. *cœlis*; & filiis Dei non aliud promittit Joannes, quàm quòd cùm apparuerit quid nunc sint, Deo similes erunt, quoniam videbunt eum sicuti est. In eo igitur quòd homo rectus ad imaginem & similitudinem Dei creatus legitur, debet intelligi conditus esse sapiens, justus, bonus, cæterisque virtutibus præditus, quibus quotidie in interiori homine renovamur, sicut etiam omnes veteres Scriptores intellexerunt. Irenæus. Adam eam, quam habuit à Spiritu Sancto sanctitatis stolam amisit per inobedientiam. Et rursus: *Quod perdideramus in Adam*, id est, *secundùm imaginem & similitudinem Dei esse: hoc in Christo Jesu recipimus*. Et lib. 5. ante medium lib. *Cùm spiritus commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem spiritus, spiritalis & perfectus homo factus est, & hic est qui secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei: si autem defuerit animæ spiritus, animalis est verè, & carnalis, derelictus, imperfectus erit, imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem verò non assumens per spiritum.* Et iterum eodem libro: *Qui infructuosi sunt justitiâ, si diligentiam percipiant, & veluti insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quâ secundùm imaginem & similitudinem factus est Dei.* Cyprianus quoque: *Perfectos*, inquit, *dixit fieri Dei filios, si similitudo, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris.* Et rursus: *Adam contra præceptum cœleste, cibi lethalis impatiens in mortem cecidit, nec acceptam divinitùs gratiam patientiâ custode servavit.* Similiter Ambrosius: *Illa anima benè pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis; secundùm hanc imaginem erat Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit imaginem cœlestis.* Et rursus: *Adam cùm in paradiso esset, cœlestis erat.* Et tractans illud: *Jordanis conversus est retrorsùm* (sicut citat divus Augustinus) *Jordanis*, inquit, *conversus est retrorsùm, significavit salutaris lavacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur.* Et rursus super Lucam, tractans illud: *Homo quidam ex Hierusalem descendebat: Angeli noctis & tenebrarum*, inquit, *ante despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ, & sic vulnera inferre consueverunt.* Chrysostomus etiam super Genesim, primum hominem sæpius terrestrem angelum vocat sapientiâ plenum, & spiritu prophetiæ præditum, cui summum honorem, eminentem gloriam, supernam gratiam, & angelicum statum tribuit ante peccatum. Et Hilarius (sicut citat Augustinus:) *Tanta & tam admirabilis*, inquit, *in nos misericordiæ Dei bonitas est, ut per quem in Adâ offensa generositatem primæ & beatæ illius creationis amisimus, per eum rursus id quod amisimus obtinere mereamur.* Similiter Cyrillus super Joannem: *Sanctificationem in spiritu & per spiritum ad nos derivabat, & quod erat ab initio, quando à Deo creati fueramus, idipsum renovat.* Et infrà: *A limo terræ formatum hominem à Deo Moyses scripsit, & quomodo animatus fuit, docens:* Inspiravit, *ait*, in faciem ejus spiraculum vitæ; *ita non absque sanctificatione spiritus animam homini datam significat.* Et rursum: *Renovari ergo ac reformari quodammodo ad imaginem primam participatione spiritus naturam hominis rogat, ut primam illam gratiam induti, peccatum superare possimus:* & infrà: *Breviter repetamus priscum humani generis donum*, id est, *quomodo sanctificationem spiritus ad vos revocat.* Et eodem capite: *Reformemus nos ad justitiam, ad sanctificationem,*
ad

Lib. 3. cap. 37. contra hæreses. Ibidem c. 20.

Ser. 3. de patient.

Lib. 6. exam. c. 7.

Super Psal. 118.

Lib. 1. contra Juli. capite 3.

Hom 16.

Lib. 2. contra Julia. cap. 18.

Lib. 11. cap. 25.

ad imaginem primam. Et lib. 12. cap. 56. *Deus pater per proprium verbum de limo terræ (ut scribitur) hominem formavit, animâ decoravit, & sui Spiritus participatione munivit:* & rursus: *Ut ergo ipsum esse discamus, qui ab initio naturam nostram creavit, & Spiritu Sancto signavit, rursus in ipso initio renovandæ naturæ, sufflatione Spiritum discipulis largitur: ut quemadmodum creati ab initio sumus, renovemur; & quemadmodum ad imaginem factus est tunc homo, similiter etiam nunc participatione Spiritus ad imaginem creatoris renovetur.* Et lib. 2. cap. 3. *Ab eodem*, scilicet Mose, *didicimus Spiritu ad imaginem divinam sigillatum hominem fuisse:* Et insufflavit in faciem, *ait*, spiraculum vitæ; *& fuit in paradyso, quousque gratiam Creatoris Spiritu Sancto inhabitante servavit.* Et lib. 1. *Adam non tempore, quemadmodum nos, prudentiam didicit: sed statim à sui creatione perfectè sapiens fuit.* Et de incarnatione unigeniti, cap. 1. *Propter Adæ prævaricationem Spiritus ab humanitate discesserat, ob eamque causam in malis omnibus illa fuerat constituta.* Et lib. 6. dialo. cum Herma. *Ignoras*, ait, *quod humana natura, principio quidem ubertim recepit, ut particeps esset doni Spiritus.* Et lib. de ador. in spiritu: *Quod conditum est, ineffabili virtute animabatur, donoque Spiritus statim ornabatur; non enim aliter divinæ imaginis capaces sumus.* Augustinus etiam: *Fecit itaque Deus* (sicut scriptum est) *hominem rectum, ac per hoc bonæ voluntatis; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem.* Et rursus: *Cognoverunt quia nudi erant; nudati, scilicet, eâ gratiâ, quâ fiebat ut nuditas corporis, nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet.* Et de spiritu & litera: *Hoc agit Spiritus gratiæ, ut imaginem, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Et de libero arb: *Quanquam enim credamus hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propriâ voluntate delapsus sit, tamen hoc cùm firmissimâ fide teneam, intelligentiâ nondum assecutus sum.* Et de civ. Dei lib. 13. *Fides Christiana prædicat primos homines ita fuisse conditos, ut si non peccassent, nullâ morte à suis corporibus solverentur: sed pro meritis obedientiæ custoditæ immortalitate donati, cum eis viverent in æternum.* Similiter Leo primus: *Ut fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset autoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinæ bonitatis forma resplendeat, ad quam quotidie nos utique reparat gratia Servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* Et rursus: *Primus homo carnis substantiam accepit è terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem & similitudinem sui autoris vivens, formam Dei bonitatis atque justitiæ, in splendore imitationis, tanquam in speculi nitore servaret, quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem, si per observantiam legis datæ perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam mens incorrupta perduceret.* Idem docet Dionysius de ecclesiast. hierar. cap. 3. parte 3. & Prosper responsione 8. ad capitula Gallorum, cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum Constitutionem contra inimicos gratiæ totus mundus amplexus est veraci professione (quemadmodum ipsorum habet sermo;) *Dicamus*, inquit, *gratiam Dei per Jesum Christum dominum nostrum non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere,*

Cap. 9.

Lib. 14. de c. Dei c. 11. cap. 17.

Cap. 27.

Cap. 19.

De jejun. decimi mensis sermo. 1.

De nati. Domini sermo. 4.

bere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ita à Deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ author est, per conditionem jam hæc contulisse videatur, quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus. Idem docet Augustinus, seu potius Fulgentius de fide ad Petrum cap. 25. & de incarnatione capite 6. *Credimus itaque bonum & sine ulla carnis impugnatione à Deo creatore factum Adam, magnaque præditum libertate, ita ut & bonum facere in propria facultate haberet, & malum si vellet posset admittere.* Item: *Quisquis, ait, Christianæ religionis non vult inaniter imò damnabiliter portare vocabulum, credat firmissimè Deum nostrum primo homini non solùm bonæ voluntatis donum, quin etiam ad habendam custodiendamque justitiam integrum sanumque creasse libertatis arbitrium, ut si juvantem se gratiam Dei non desereret, præmium vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini.* Similiter Gregorius Magnus lib. 5. epistolarum cap. 114. & lib. 6. cap. 195 Item Celestinus dicit in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse. Ex quo intelligitur, omnes homines in illo naturalem possibilitatem & innocentiam habuisse. Et Concilium Arausicanum secundum dicit in Adam datum fuisse naturæ bonum, per quod collata erat fides. Ex quibus omnibus manifestissimè patet, omnibus veteribus patribus non tantùm visum esse primum hominem conditum esse plenum sanctificatione Spiritus, sed etiam multos id firmâ fide credidisse, hancque fuisse naturalem ejus dignitatem. Sed de hac parte plura infrà dicenda sunt.

De incarnatione cap. 12.

Epistola ad Episcopos Gal. cap. 4.

CAPUT II.

Quòd fieri in spiritum vivificantem sit per resurrectionem carnis deponere corporis mortalitatem.

1 Cor. 15. QUod igitur ait Apostolus: *Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Et rursus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*; non ita accipiendum est, quasi significare voluisset, primum hominem in sua creatione Spiritu Sancto caruisse, aut non nisi sensibilia & terrena sapuisse, sicut prætendere videtur apocrypha quædam & imperita quæstio scripta ab aliquo doctrinæ Augustini ac veritatis ignaro, & ejus operibus fraudulenter ac mendaciter inserta; sed quòd more cæterorum animantium adhuc cibo & potu ad motum & sensum indigeret, nec adhuc talis esset, quales in resurrectione futuri sumus, quando corpus ita spiritui subdetur, ut sine ulla corporalium alimentorum indigentia solo spiritu vivificetur. Ideò enim dicitur secundus Adam, id est, Christus factus in spiritum vivificantem, quia post hujus vitæ cursum, in quo terrenum & animale corpus habuit, quod in sua morte & sepultura seminavit, per resurrectionem immortale corpus accepit, cui jam pro vita sufficit sola animæ præsentia, sicut apertissimè interpretatur Augustinus de Genes. ad literam, his verbis: *Imaginem cœlestis hominis nunc ex fide portamus, habituri in resurrectione quod credimus.* Et rursus: *Corpus quod futurum est in resurrectione Sanctorum, spiritale appellat Apostolus, eò quòd miris modis ad omnem facilitatem &*

In quæst. mixtim ex utroque testamento quæst. 123.

Lib. 6. cap. 19.

Lib. 12. cap. 7.

& incorruptionem spiritui subdetur, & sine ulla indigentia corporalium alimentorum solo vivificetur spiritu. Et Epistola 146. *Christus per animale*, id est, *per mortale corpus nobis apparuit, qui utique si voluisset, cum corpore immortali primitùs advenisset; anima quippe in corpore animali vivit quidem, sed non vivificat usque ad auferendam corruptionem: in corpore verò spiritali, quoniam perfectè adhærens Domino unus spiritus est, sic vivificat ut spiritale corpus efficiat, absumens omnem corruptionem, nullam metuens separationem.* Et infrà: *Quid est, qualis terrenus tales terreni, nisi mortalis ex mortali? Et quid est, qualis cælestis tales & cælestes, nisi immortales per immortalem? illud per Adam, hoc per Christum. Dominus enim ad hoc terrenus factus est, cùm esset cælestis, ut eos qui terreni erant, faceret cælestes.* Item lib. 13. de civitate Dei: *Sicut spiritus carni serviens non incongruè* Cap. 2. *carnalis, ita caro spiritui serviens rectè appellatur spiritalis, non quòd in spiritum convertetur, sed quia spiritui summâ & mirabili obtemperandi facilitate subdetur, usque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem.* Et rursus: *In eo quod scriptum est,* factus est primus homo in animam viventem, *voluit* Cap. 23. *Apostolus intelligi corpus hominis animale: spiritale autem quemadmodum intelligendum esset ostendit, addendo,* novissimus Adam in spiritum vivificantem, *procul dubio Christum significans, quia jam ex mortuis ita resurrexit, ut mori deinceps omnino non possit.* Similia etiam habet lib. 1. retract. cap. 12. & in Enchir. cap. 91. Cùm igitur non tantùm primus homo Adam cùm crearetur, sed etiam novissimus cùm nasceretur, factus sit in animam viventem, & animale seu terrenum corpus, factus ex cœlesti terrenus, acceperit, manifestissimum est non rectè colligi: factus est primus homo Adam in animam viventem: igitur suæ creationis initio Spiritu Sancto caruit; sed multò rectiùs sic colligitur: formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est in animam viventem: igitur in sua creatione accepit Spiritum Sanctum, eo modo quo apud Joannem Spiritum Sanctum accepisse leguntur Discipuli, cùm Christus insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum.* Joan. 20. Nam hoc ipsum intellexit Cyrillus in spiraculo vitæ, quod apud Joannem à Christo factum legitur, sicut ex verbis ejus suprapositis est manifestum. Sed & Augustinus in libris de civitate Dei, disserens de eadem Scriptura Geneseos, illorum sententiam improbat, qui in hac scriptura intellexerunt animam Lib. 13. cap. 24. priùs homini datam, ac deinde eam quæ jam inerat Spiritu Sancto vivificatam; quia licet animarum præsentia sit corporum vita, attamen animæ rationales sine Spiritu Sancto, inquit, mortuæ deputandæ sunt. Ex quo manifestè sequitur, quòd si Deus primo homini animam sine Spiritu Sancto dedisset, tunc non viventem, sed mortuam animam illi dedisset: licèt interim non negemus intelligi posse, quòd Deus fecerit hominem in animam viventem, quia dedit illi animam cibi & potus subsidio corpus vegetantem, (ut dictum est.) Sed non potest intelligi dedisse homini animam Spiritu Sancto destitutam, ne sic corpus vegetasse putetur, ut ipsa in se mortua fuisse credatur.

C A-

CAPUT III.

In quibus consistat primæ rectitudinis integritas.

Consistebat autem primæ rectitudinis integritas, quam initio homini datam credimus, non tantùm in hoc, quòd mente per integram legis notitiam, & voluntate per plenam obedientiam suo creatori adhærebat, dicens cum Psalmista: Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam: sed etiam in eo, quòd inferiores animæ partes superioribus, & omnia corporis membra voluntatis imperio ad nutum serviebant; quod ex eo intelligitur, quia Scriptura sacra non tantùm hominem naturaliter in eo vitiatum arguit, quòd fide & charitate perditâ sese à Deo elongavit, de quo Psalmista: *Qui elongant se à te peribunt: perdes omnes qui fornicantur abs te;* sed etiam in eo quòd caro concupiscit contra spiritum, & quòd in uno membro voluntatis imperio subtracto, lex carnis repugnet legi mentis. *Iniquum est enim*, inquit Augustinus, *ut caro concupiscat adversus spiritum.* Et rursus: *Si prudenter hic saperes,* inquit, *profectò esse iniquitatem videres, quâ pars inferior hominis repugnat superiori, atque meliori.* Et iterum: *Neque enim nulla est iniquitas, cùm in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur.* Et nisi iniquum esset quòd pars aliqua corporis resistat imperio voluntatis, inhonesta & pudenda membra non essent, quæ magis suo jure quam voluntatis imperio moventur in homine. Neque enim nos in eis aliud pudet, quàm quòd imperio nostro caro non servit. Hinc beatus Job hujus rectitudinis jacturam deplorans: *Quare posuisti me contrarium tibi, inquit, & factus sum mihimetipsi gravis?* In hoc enim Deo contrarii sumus, quòd vel judicio mentis, vel consensu voluntatis ejus mandatis obsistimus, & nos nobis in hoc graves experimur, quia & membra quædam voluntati, & inferiores animæ partes superioribus, non sine nostra molestia reluctantur. De qua lucta & Apostolus: *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Et iterum: *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Unde Augustinus de peccatorum meritis lib. 2. cap. 23. *Primorum illorum hominum prima justitia fuit obedire Deo, & hanc in membris, adversùs legem mentis suæ, legem concupiscentiæ non habere.* Hæc lex in membris nostris habitans, & repugnans legi mentis, baptismate quidem dimittitur, sed in hac vita non finitur; & ideò in omnes posteros transmittit noxam originis, etiamsi à Christianis & sanctis parentibus generentur; quia eis qui baptizantur, & renovari jam cæperunt, dimittitur, non etiam illis qui ex eis nascuntur, nisi & ipsi similiter baptismate renoventur: sicut eleganter docet Augustinus de peccatorum meritis lib. 1. cap. 28. de nuptiis & concup. lib. 1. cap. 25. & lib. 2. contra Jul. cap. 6.

Psal. 72. Galat. 5. Contra Jul. lib. 2. cap. 5. Lib. 5. c. 3. Contra Jul. lib. 6. De pecc. mer. lib. 2. cap. 22. Job. 7. Rom. 7.

CAPUT IV.

Quòd primæ creationis integritas non fuerit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

VErùm licèt plerique recentiores, hominem in initio absque Spiritu Sancto creatum putaverint: attamen quia divus Thomas (quem multi sequuntur) rei absurditate & veterum Scriptorum testimonio permotus, ab eorum sententia recessit, docens ipsum cum Spiritu Sancto fuisse conditum: forsitan plerique non difficulter adducentur, ut supradictis Veterum testimoniis adhærentes, à communi recentiorum opinione discedant, fatentes hominem sic initio conditum esse rectum, ut justitiâ, pietate, & cæteris Spiritûs Sancti charismatibus repletus fuerit. Cæterùm quòd hæc fuerit naturalis ejus conditio, cujus semper necessario sit absentia malum, & non potiùs indebita quædam humanæ naturæ exaltatio, quâ ex bona melior facta sit, (sicut Pelagius per Christi fidem & baptismum adhuc quotidie fieri prædicabat) non facilè persuaderi sibi patientur. Quapropter de hac parte diligentiùs disserendum est. D. Augustinus in libris de civitate Dei, considerans quòd nihil aliud esset quod dicitur malum, quàm naturalium privatio bonorum: *Mali enim nulla natura est*, inquit, *sed amissio boni mali nomen accepit*. Ideò volens ostendere, quæ sit naturalis angelorum hominumque conditio, ante omnia jubet intueri, quid juxta Scripturæ sacræ testimonium sit utrique naturæ malum. Nam *sicut cæcitas oculi vitium est*, inquit, *& idem ipsum indicat ad lumen videndum oculum esse creatum; ac ex hoc ipso vitio suo excellentius ostenditur cæteris membris, membrum capax luminis; non enim alia causa esset vitium ejus, carere lumine. Ita etiam natura quæ fruebatur Deo, optimam se institutam docet, etiam ipso vitio, quo ideò misera est, quia non fruitur Deo; non enim vitium esset recedere à Deo*, inquit, *nisi naturæ, cujus id vitium est, potiùs competeret esse cum Deo. Cujus enim rectè vituperatur vitium, procul dubio natura laudatur*, inquit: *Nam recta vitii vituperatio est, quòd illo dehonestatur natura laudabilis*. Sicut ergo cùm vitium oculorum dicitur cæcitas, id ostenditur, quòd ad naturam oculorum pertinet visus; & cùm vitium aurium dicitur surditas, ad earum naturam pertinere demonstratur auditus: ita cùm vitium creaturæ angelicæ dicitur, quòd non adhæret Deo, hinc apertissimè declaratur ejus naturæ, ut Deo adhæreat, convenire. Sed non minùs hominum, quàm angelorum vitium est quod ait Psalmista: *Qui elongant se à te peribunt, perdes omnes qui fornicantur abs te*. Igitur non minùs naturæ hominum quàm angelorum est, quod apud eundem Psalmistam subditur: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in domino Deo spem meam*. Et eadem est de reliquis primæ integritatis partibus demonstratio. Quia enim vitium est hominis, quòd caro concupiscit adversus spiritum, & quòd lex carnis repugnat legi mentis, ideò manifestè intelligitur naturæ hominis esse, ut utrumque ad nutum pareat imperio rationis, quin nisi id ad hominis naturam pertineret, tunc ejus privatio malum non esset, præsertim in filio & cæteris posteris, in quibus ejusmodi qualitas nunquam

De civit. Dei lib. 11. cap. 9. Enchir. c. 11.

De civit. Dei, l. 22. cap. 1.

De civit. Dei lib. 11. cap. 17. lib. 12. cap. 1.

Psal. 72.

Objectio. extitisset. Sed ajunt quidam universa hæc, quæ ad originis vitium pertinent, eo modo in nobis mala esse, quomodo filio malum est carere dominio quod patri non tantùm pro se datum fuerat, licèt gratuitò, sed etiam pro tota posteritate. *Responsio.* Quibus respondeo, quòd ejusmodi privatio dominii, patri quidem mala esset, quia esset vera spoliatio temporalis boni; similiter forsitan mala esset filio jam genito, qui ad ejusmodi dominium jus aliquod habuisset: sed ei filio qui post ejusmodi justam spoliationem gigneretur, non magis posset mala dici, quàm si pater ejusmodi dominium nunquam habuisset: quia quantùm ad hunc filium attinet, pater perinde se habet, quasi ejusmodi dominium nunquam accepisset, nec in eo plus juris competit aut unquam competiit filio, quàm si pater illud nunquam habuisset. Quarè filius post ejusmodi dominii ablationem genitus, non est dicendus in illa ablatione læsus aut aliquo malo affectus esse, nisi fortè secundùm imaginationem quâ existimaret sibi aliquod jus in eo dominio adhuc competere, aut saltem aliquando competivisse.

CAPUT V.

Quòd naturale, sive secundùm naturam ex eo aliquid dicitur, quia ex nativitate trahitur.

SEd ut hæc res pleniùs intelligatur, sciendum est, naturale sive secundùm naturam ideò aliquid dici, quia ex nativitate sive origine trahitur; & natura, quòd ita sit nata (ut ait Athanasius.) Nativitas autem in humano genere duplex invenitur: *Duplex nativitas.* altera secundùm conditionem primæ institutionis, in qua primus homo sine vitio conditus est, omnesque nasciturі eramus nisi peccatum intervenisset: altera verò secundùm corruptionem primæ transgressionis, in qua peccato & morte astricti nascuntur quotquot secundùm peccati legem generantur. Quapropter duobus modis etiam aliquid ei naturale dicitur: altero simpliciter & propriè, quia videlicet ad primam illam, non sensu cognitam, sed Scripturis sacris nobis traditam divinæ institutionis nativitatem pertinet, ut anima, corpus & cætera quæ nobis in prima creatione donata sunt, sine quibus aut omnino esse non possumus, aut malo non caremus: altero impropriè & analogicè, quia ad posteriorem hanc nativitatem ex transgressione præcepti corruptam pertinet, ut libido, mors, & reliqua mala, quæ per peccatum in naturam humanam invecta generatione trajiciuntur in posteros; *Lib. 1. retract. c. 10.* de quibus duobus modis eleganter Augustinus: ***In eo quod dixi***, inquit, ***nullum est malum naturale, possunt Pelagiani latebram quærere, nisi hoc dictum ad naturam talem referatur, qualis sine vitio condita est: ipsa enim verè ac propriè natura hominis dicitur; translato autem verbo utimur, ut naturam dicamus etiam quali nascitur homo, secundùm quam dixit Apostolus:*** Fuimus enim & *Cap. 15.* nos aliquando naturâ filii iræ. Et rursus: ***In eo quod dixi***, inquit, ***naturâ esse malæ animæ nullo modo queunt; si quæritur quomodo accipitur quod ait Apostolus:*** *Ephes. 2.* Fuimus & nos naturâ filii iræ sicut & cæteri: ***Respondemus***, inquit, ***naturam, in his verbis meis, me intelligere voluisse illam quæ propriè dicitur natura, in qua sine***

sine vitio creati sumus; nam ista propter originem natura appellatur, quæ origo utique habet vitium quod est contra naturam. Et infrà retractans illud: *Spiritualia diligere, & justitiâ jubemur, & naturâ possumus: quæri potest*, inquit, *cur naturâ, & non gratiâ potius dixerim: sed contra Manichæos de natura quæstio versabatur; & utique id agit gratia, ut sanata natura, quod vitiata non potest, possit per eum qui venit quarere & salvum facere quod perierat.* Et rursus, de natura & gratia: *Ipsam naturam* (inquit) *aliter dicimus, cùm propriè naturam loquimur hominis, in qua primùm in suo genere inculpabilis factus est; aliter istam, in qua ex illius damnati pœna, & ignari &* carni subjecti nascimur. *Juxta quem modum dixit Apostolus:* Fuimus & nos (inquit) naturaliter filii iræ; *& Sapiens:* naturalis est malitia eorum. Lat. 19. Cap. 67. Ephes. 2. Sapient. 12.

CAPUT VI.

Quòd vera justitia fuerit primo homini naturalis.

Cùm itaque constet justitiam, de qua disserimus, sic primo homini in sua creatione fuisse collatam, ut & in illo esset, & in omnes ejus posteros generatione transiret, cum cæteris animi ejus corporisque dotibus, eo modo quo peccatum originis cum suis effectibus transit in omnes Adæ posteros, ob quod naturâ filii iræ dicimur: Mirum est quomodo quisquam dubitare queat, an sit homini naturale, quod tam evidenti ratione comprobatur ad primam ejus nativitatem debere pertinere: maximè cùm id expresse asserat D. Prosper contra Cussianum, dicens primum hominem tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem Dominum non desereret, possent in nobis quæ naturaliter acceperat perseverare. Et Leo primus, sermone primo de jejunio: *Si fideliter creationis nostræ intelligamus exordium*, inquit, *inveniemus hominem ad imaginem Dei conditum, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinæ benignitatis forma resplendeat;* & rursus, de pass. ser. 13. *Libertatem innocentiæ naturalis, quam primorum parentum prævaricatione perdidimus, nulla per se Sanctorum præcedentium merita receperunt.* Similiter Fulgentius, de incarnatione & gratia D. N. Jesu Christi cap. 23. *Potest igitur Deo donante, homo in Deum naturaliter credere: contra naturam quippe hominis est quòd in Deum non credit;* id quod repetit cap. 24. & 25. Quibus planè consonat Apostolus ad Rom. 2. docens quòd gentes, quæ ad Christi fidem conversæ, per veram justitiam ad primæ suæ creationis imaginem reformantur, non supernaturaliter, sed naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt. Quam expositionem latè prosecutus Augustinus de spiritu & littera cap. 26. tandem initio capitis 27. *Nec moveat*, inquit, *quod naturaliter dicit eos quæ legis sunt facere, non spiritu Dei, non fide: hoc enim agit spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Audi quod ait, nos in imagine Dei, quæ spiritu Dei instauratur, non supernaturaliter, sed naturaliter esse factos, & facilè intelliges primæ creationis imaginem, non supernaturalem & indebitam fuisse humanæ naturæ dignitatem: (sicut nonnulli ex Aristotele & Pelagianis autumant,) sed potiùs naturalem hominis sanitatem, Prosper. Leo I.

ad integritatem ejus pertinentem. Nam quemadmodum sanitas corporis, primarum est proportio qualitatum, quæ quando contra naturam vitiatur, statim nascitur infirmitas: sic naturalis animæ sanitas, legitima est omnium partium ejus obedientia, quæ si vel in una, vel pluribus partibus aliquo affectu malo perturbetur, is affectus rectissimè passio, perturbatio, & animi ægritudo dicitur, naturali ejus sanitati contraria, quæ (ut dixi) consistit in le-
Rom. 2. gitima omnium ejus partium obedientia. Unde etiam dixit Apostolus eos, qui spiritu gratiæ renovati divinæ legi obediunt, non supernaturaliter, sed naturaliter quæ legis sunt facere: quia nihil tam est homini naturale quàm mente legi Dei servire, & inferioribus animi partibus ipsisque corporis membris, menti Deo servienti obedire. Et contrà, nihil tàm naturæ contrarium, quàm vel mente à Deo recedere, vel aliquâ inferiorum partium menti Deo servienti reluctari: hoc est, nihil est homini tàm naturale, quàm legi sibi à Deo præscriptæ obedire, & nihil tàm contra naturam, quàm à præscripta lege recedere. Sunt tamen qui cum Pelagio existiment, jam dictum Apostoli testimonium de iis gentibus debere intelligi, quæ à gratia Christiana prorsus alienæ, ex primæ imaginis reliquiis ad similitudinem bonorum operum quædam laudabilia, proprio judicio, faciebant: sed hunc sensum non recipit Fulgentius; (sicut patet de incarnatione Domini nostri Jesu Christi cap. 25.) nec immeritò, quia licèt externum officium, in quo lex servari videtur, satis appareat humanæ naturæ consonum: attamen oculus, quo mens etiam in ejusmodi officiis probitatis à Deo suo fornicatur, prorsus est humanæ naturæ contrarius; & ideo impii quibus nihil mundum, sed inquinatæ sunt eorum
Ad Tit. 1. mens & conscientia, non naturaliter, sed vitiosè, simulatè, & mendaciter quæ legis sunt faciunt.

CAPUT VII.

Quòd, justitiam esse naturalem, etiam ostendant pœnæ pro primo peccato relictæ.

Hujus rei etiam manifestum argumentum complecti videtur ipsa pœnarum, pro peccato primæ transgressionis, ordinatissima retributio, quâ
Genes. 3. & serpens super pectus suum graditur, & mulier in doloribus parit, & terra in opere viri maledicitur, ut tribulos pariat, & vir in sudore vultus sui vescatur pane suo; quia hæ pœnæ, non in ablatione doni supernaturalis, sed in privatione bonorum naturalium consistunt. Nisi quis fortè tam absurdè sentiat: ut putet statim initio creationis rerum, non tantùm hominem dono quodam supernaturali & gratuito, supra naturæ suæ conditionem fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret, sed etiam serpentem, ut sublimis erectus pedibus insistens graderetur, (ut ait D. Basilius in homilia de paradiso to. 1.) & terram, ut sine laboris molestia, suâ fœcunditate fruges humano victui necessarias ultrò produceret: sicut adhuc hodie producit fœnum servituti hominum, & fructiferas arbores (quas nunc videmus, ad vindicandam significandamque humani seminis corruptionem, ex suo semi-

ne non nisi surculos degeneres parere, qui fructus producunt acerbos & humano victui ineptos) ut sui generis & fœcunditatis semina proferrent, quæ sine insitione ramusculi melioris in primitivæ suavitatis germina fructusque adolescerent. Quòd si mulierem forsan contendant, non nisi supernaturali dono, initio suæ creationis esse consecutam, ut non doloris gemitu, sed maturitatis impulsu ad pariendum viscera sua relaxasset, si ante peccatum peperisset, quia tantam illam viscerum extensionem, quæ partui necessaria est, sine dolore fieri potuisse non putant, nisi mediante quodam supernaturali dono; statim objiciuntur eis gallinæ & anseres, quos quotidiè videmus, mirâ intestinorum dilatatione, dura & pro corporis quantitate ingentia ova, non dono supernaturali, sed proprietate naturali sine omni dolore parere. Ex quibus facilè intelligent, quòd quemadmodum os, quod cibo sumendo destinatum est, pro ratione hujus muneris, ubi & quando volumus naturaliter, sine ulla molestia aut astringimus aut dilatamus: sic etiam mulier matricem & reliqua viscera quæ generationi & partui serviunt, pro ratione hujus muneris naturaliter & sine molestia, aut astrinxisset, aut dilatasset, nisi ob peccatum hac in parte damnata fuisset.

CAPUT VIII.

Quòd ii qui Philosophiam sequuntur, non rectè sentiunt de prima institutione naturæ humanæ.

VErùm qui Philosophorum insipientiam sequentes, nihil aliud quàm consuetudinem naturæ jam currentis attendunt, neglectâ Scripturâ sacrâ, quæ primæ creationis nostræ (cujus nunc nullum videmus exemplum) describit puritatem, id solùm homini naturale putant, quod jam nascentes ex parentibus trahunt; cætera verò quæ ex Scripturis sacris discimus nos in Adam accepisse, justoque Dei judicio in prima ejus transgressione perdidisse, & nunc, si electi sumus, solâ Dei misericordiâ in Christo recuperare, non ad humanam naturam, aut primam ejus institutionem, sed ad superadditam postea creatoris liberalitatem referunt; putantes primum hominem ex inferiore quadam conditione, in qua creatus erat, largitate creatoris per dona naturæ superaddita, fuisse sublimatum & in Dei filium adoptatum; eo modo quo imaginantur Pelagiani, suos infantes sine peccato nasci, & per baptismum à nullo peccato liberari: sed tantùm beneficio creatoris, ex filiis hominum vitæ cuidam inferiori destinatis, in Dei filios adoptari, qui regnum possiderent æternum, (ut patet ex Augustino lib. 2. contra duas epist. Pelagia. c. 6. & l. 4. c. 2.) Quasi videlicet homo non fuerit naturaliter ad hoc conditus, ut soli Deo serviret, & postea beatitudinem possideret: sed ut in naturali quadam vivendi ratione, quæ neque peccatum esset, neque regni cœlestis meritum, vitæ suæ cursum transigens, tandem naturalem quamdam beatitudinem acciperet, cujus neque locus, neque ratio in Scripturis sacris invenitur, sed à vanis & otiosis hominibus (juxta Pelagii sensum) ex Philosophia confingitur. Pelagius enim talem beatitudinem infantibus suis sine baptismo ex hac vita decedentibus

Vide de peccat. meritis lib. 1. cap. 18.

bus assignabat, secludens eos & à regno cœlorum, & ab inferno damnatorum, & locum quemdam medium eis præscribens, in quo non regnarent, sed vitâ fruerentur æternâ. Quem errorem refellit Augustinus lib. 1. *de peccatorum meritis* cap. 26. dicens nullum esse locum medium, ut non posset esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo; nam (sicut sæpe repetit contra Julianum) quomodo Deus justus, nulli obnoxiam peccato imaginem suam privare vitâ posset æternâ? Unde Christus volens auferre de cordibus malè credentium istam nescio quam medietatem, definitam protulit sententiam,

Lucæ 11. ubi ait: qui non est mecum, contra me est. Nec huic veritati fraudi esse de-

Objectio ex verbis Augustini. bet, quod ait D. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. ubi videtur sententiam quamdam mediam tribuere hujusmodi infantibus, quâ in die judicii neque præmium accipiant, neque supplicium patiantur; quia hunc locum

Solutio. sibi ab Hilario objectum diluit in li. de bono perseverantiæ cap. 11. & 12. dicens, nolle sibi de librorum illorum antiquitate præscribi, quos laicus Romæ incepit, & in Africa presbyter explicavit, in quibus tàm secundùm eam sententiam quam prætendebat Pelagius, quàm secundùm eam quam docebat populus catholicus, manifestè refellitur Manichæus, &c. quæ ibi clariùs poteris intueri.

CAPUT IX.

Quibus rebus attribui debeat appellatio supernaturalis, & quomodo.

SEd & illud intueamur, quibus in rebus ponenda sit illa supernaturalis appellatio, ut etiam ex hac parte eluceat; quatenus hæc nuncupatio primæ hominis justitiæ possit attribui. Augustinus lib. 9. de Gen. ad lit. elegantissimè docet, universa quidem effecta Dei providentiâ fieri atque gubernari, sed quorumdam causas atque rationes rebus ipsis creatis ab initio fuisse inditas, ut quòd ex grano tritici, non faba, sed triticum oriatur: quorumdam verò non, sed in Deo fuisse absconditas, quæ ubi & quando vult, non secundùm communem naturæ cursum, sed secundùm suum beneplacitum ad esse producit, longè aliud & aliter operans, quàm consuetudo naturæ currentis habeat, ut quòd petra, ad hominis jussum, aquæ fontem proferat, & lignum aridum atque politum sine ulla radice frondescat; hæc nos supernaturaliter & mirabiliter, illa verò naturaliter fieri dicimus, quamvis eâdem Dei sapientiâ

Quæstio. eâdemque providentiâ ea fieri atque gubernari non ambigamus. Quæro igitur, in utris numeranda sit primi hominis justitia, quam nisi peccasset generatione propagasset in filios? an in iis, quæ mirabiliter secundùm rationes in Deo absconditas, nobisquè ignotas, rarissimè & cum omnium admiratione fiunt? an potiùs in iis, quæ secundùm causas rebus creatis inditas, regulari-

Quæstionis resolutio. ter & modo nobis quotidiano, usu manifesto generantur? Ego sanè non nisi in posterioribus his effectibus eam ponendam esse sentio. De qua re etiam non video quis unquam dubitare potuisset, si Adam in sua integritate permanens, huic subtili distinctioni naturalium à supernaturalibus in primo homine,

ne, imò aperto errori peccando occasionem non dedisset. Ponatur enim (disputandi gratiâ) Adam cum sua posteritate talis permansisse, qualis initio conditus est, atque pari facilitate Deum agrosque coluisse, quis nunc conjectaret alterum esse nobis naturale, id est, ex ipsa generatione atque nativitate concessum, alterum verò supernaturale, id est naturæ nostræ indebitum, & creatoris munificentiâ nostræ integritati ad ornatum liberaliter adjectum?

CAPUT X.

Quâ ratione nunc dicatur justitia donum homini supernaturale.

QUando tamen justitia semel peccato perdita, secundùm dispensationem sacramenti à sæculis in Deo absconditi, per Christum nobis misericorditer redditur, tunc quod alioqui naturale est, non naturaliter secundùm vires in humana natura sitas, sed mirabiliter secundùm rationes in Deo absconditas nobis redditur: sicut docet Divus Prosper dicens, quòd quamvis secundùm naturam sit homini ut bonæ sit voluntatis, vitium tamen, quod per malam voluntatem irruit in naturam, non naturæ superatur virtute, sed gratiæ. Et Fulgentius de incarnatione & gratia: Natura humana sanari potest, sed illius gratia sanitatis accepit donum, ex quo creationis sumpsit initium. Nam si homo naturaliter sanari nullatenus posset, ad sanandum eum cœlestis medicus non venisset. Et eâ ratione nunc justitia nostra supernaturalis dici potest, sicut etiam à Cyrillo dicitur, cum ait: Creatura cùm serva sit, voluntate patris ad supernaturalia vocatur; & rursus: Ascendamus ad supernaturalem dignitatem per Christum, quia videlicet facultatem naturæ jam languentis exuperat. Nam licèt posse habere fidem, posse habere charitatem, seu esse reparabilem, naturæ sit hominum, (sicut habet Augustinus de prædestinatione Sanctorum cap. 5 & Prosper de vocatione gentium lib. 2. cap. 2. & contra Cassianum; & Fulgentius de incarnatione & gratia cap. 23.) tamen habere fidem, habere charitatem, & ad pristinam justitiam esse reparatum, est gratiæ fidelium, eo modo quo sanitas corporis gratiæ est, cùm neque viribus naturæ neque operâ medici reparari potest, sed solâ creatoris beneficentiâ redditur: non quòd res sit supernaturalis, aut naturali hominis integritati superaddita, sicut prophetia, gratia sanitatum, & alia multa, quibus sine malo caremus; sed quòd ipse efficiendi modus atque ratio, secundùm nativam operandi consuetudinem, in rebus creatis non inveniatur, sed ex superiori quodam & insolito atque occulto divinæ sapientiæ consilio proveniat, ut dictum est; nam bonum meritum animæ sequentis, naturæ prioris est.

Lib. 2. de voca. gentium c. 4.

Cap. 22.

Lib. 1. comment. sup. Joannem cap. 13.

De libero arbit. l. 3. cap. 20.

CAPUT XI.

Quòd non oporteat ea quæ naturalia dicuntur, semper ex internis rei principiis esse exorta.

Objectio. SEd prædictis objicitur: Naturalis qualitas dicitur quæ ex naturæ principiis oritur: sed nemo dixerit Adæ justitiam, quæ tantæ excellentiæ fuit ut eum divinæ naturæ consortem faceret, ex anima ejus & corpore naturaliter tanquam ex efficiente causa exortam: igitur non est illi dicenda fuisse naturalis, quasi ex naturæ viribus orta, sed supernaturalis & divino munere data.

Responsio. Responsio: Naturale non causæ aut originis suæ comparatione dicitur, sed rei cui sic inest, ut ad naturalem ejus integritatem pertineat, sitque ejus absentia malum, sive ex ejus principiis tanquam efficientibus causis oriatur, sive aliunde accedat, sicut manifestè patet de visu, auditu, sanitate corporis, aliisque qualitatibus ad hominis integritatem necessariis, quas quibusdam natura non contulit, sed Christi gratia reparavit; has enim nemo supernaturales vocat, aut naturales esse negat, sed earum duntaxat generationes. Quapropter sive ex naturæ principiis tanquam efficientibus causis orta fuerit primi hominis justitia, sive à Deo immediatè illi collata, (sicut plerique de anima rationali tradunt, quam tamen nemo supernaturalem esse arbitratur) adhuc tamen illi naturalis fuit, quia sic ad ejus integritatem pertinebat, ut sine ea non possit salva consistere, miseriâque carere, sicut de Angelica natura docet Augustinus lib. 12. de civit. Dei cap. 1. & 19. de utraque tam angelicâ videlicet, quam humanâ naturâ lib. 12. de civit. cap. 1. Utrique enim Deo per justitiam adhærere bonum est, & non adhærere malum, quod nihil aliud est, quàm naturalium privatio bonorum, sicut docet Augustinus in Ench. cap. 11. Unde *Cap. 2.* Basilius in regulis latiùs disputatis: *Charitate carere*, ait, *malum est, & malorum omnium gravissimum.* Sed & ipse Aristoteles (ex cujus Philosophia desumpta putatur hæc objectio) non ea tantùm naturalia sive secundùm naturam esse putavit, quæ ex internis principiis tanquam efficientibus causis oriuntur, quia & ipsa principia secundùm naturam esse dicit, quæ necesse est aliunde existere, & gravitatem levitatemque elementorum, quas quidam ejus sectatores non internis elementorúm principiis, sed generantibus tribuunt: sed generaliter quæcunque ad rei integritatem pertinent, sic ut sine illis aut omnino esse non posset, aut bene esse non posset maloque carere. Porrò quod ex Aristotele vulgò dicitur, omnia naturalia ex natura esse orta, non hûc spectat, ut nihil naturale dicatur, nisi quod ab internis principiis oritur, sicut de ipsis principiis ostenditur, quæ licèt non nisi ab externis fieri possint, tamen ab Aristotele naturalia dicuntur: sed ut, juxta infidelitatis errorem quo ex hoc inferiori mundo omnem Dei providentiam sustulit, (sicut testatur Gregorius Nyssenus in libro de providentia) alia à natura, alia à voluntate, alia verò à fortuna & casu, sine ulla Dei cooperatione fieri intelligantur. Cæterùm nobis, qui certâ fide credimus Deum, non tantùm naturalium, sed & voluntariarum, & fortuitarum omnium actionum esse principium, prorsus

ſus impertinens eſt: utrùm ea quæ rebus naturalia dicuntur, à Deo immediatè fiunt, an ab aliqua cauſa creata, ſive extrinſeca, ſive intrinſeca: quia quicquid ad rei integritatem pertinet, ſic ut ſit ejus abſentia malum, à quacumque cauſa fiat, id omnino à Deo fieri, & naturale eſſe dicendum eſt: ab ea ſcilicet nativitate in qua Deus bona cuncta creavit, nihil omnino in eis mali inſtituens, ſed univerſa ad rerum integritatem pertinentia illis in ſua nativitate tribuens, aut in opere, ut tactum ſentientibus, aut in origine, ut quorumdam animalium catulis viſum: quæ naſcendi ratio adhuc hodie in rebus omnibus inveniretur, ſi ſine ullo impedimento primæ creationis inſtitutio ſervaretur. Sed quia per malam voluntatem vitium in humanam naturam irruit, factumque eſt nobis quodammodo hæreditarium, hinc contra naturam, & contra primæ inſtitutionis nativitatem, nobiſcum mala multa naſcuntur, ut ſuperbia, libido, mors, & morbi quidam corporales, de quibus apud medicos, quæ licet prorſus noſtræ ſunt inimica naturæ & præter naturam, quia Deus non ea creavit, (ut ait Athanaſius in tractatu de def. Tom. 4.) tamen ſecundùm analogiam & impropriè naturalia dicuntur, quia nunc ſecundùm naturæ corruptionem nobiſcum naſcuntur ex parentibus, ut dictum eſt.

DE VIRTUTIBUS IMPIORUM.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

An defendendæ ſint virtutes deſcriptæ à Philoſophis.

ME etiam movet, quòd à Divo Thoma & aliis quibuſdam recentioribus, non ea tantùm virtus defenditur & explicatur, quam Deus per Chriſtum in nobis operatur, ſanctificans nos per omnia & ad unius veri Dei cultum revocans: ſed etiam illæ virtutes, quas Stoici & Peripatetici non dico præſtiterunt, (quia ſi quis ſcrupuloſè diſcutiat, quo fine ac præmio infideles omnes ſuas honeſtas actiones perfecerunt, forſitan vix ullos reperiat, qui etiam juxta illorum præceptiones debitam virtutis laudem meruerint, cùm ipſi retulerint penè omnia ad gloriam & honorem, ſicut docet Auguſtinus lib. 5. de civ. Dei cap. 12.) ſed quas in libris ſuis præceperunt, temperantiam, dico, liberalitatem, juſtitiam, & reliquas virtutes in ethicis ab Ariſtotele deſcriptas.

CAPUT II.

Quòd aliud ſit diſſerere de virtutibus, quàm de virtutum officiis.

NEc mihi nunc quæſtio eſt de honeſtatis officiis, quibus aut Deum colendo benè utimur, aut mundum diligendo malè, quæque apud ſapientes, & vulgares Chriſtianos, & gentiles penè eadem commendantur, exceptâ

 humi-

humilitate, patientiâ, & virginitate, quarum cognitio fidelibus propria est: quia ex divinæ providentiæ, peccatique originis fide dependet. Neque enim aut in prosperis humilitatem, aut in adversis patientiam, laudare possemus, nisi nos unius Dei potentiæ subjici, & cuncta ejus nutu justissimâ ratione fieri cognosceremus: virginalem verò pudicitiam, quæ libidini non modum sed interitum molitur, etiam naturæ corruptionem putaremus, nisi didicissemus ex fide catholica, omnem carnis libidinem vitium esse naturæ. Non itaque de officiis mihi quæstio est, quæ aliqua ex parte post lapsum in natura humana remanserunt integra, sed de virtutibus, quæ etiam finibus distinguuntur à vitiis.

CAPUT III.

Quòd Gentiles sua honestatis officia non in eosdem fines referenda putaverunt, ut virtutes dicerentur.

HÆc officia, alii ad voluptatem, alii ad honores, alii ad divitias, alii denique ad seipsa referenda esse præceperunt, nec pro virtutibus, sed pro vitiis ipsa habuerunt, nisi eum finem spectarent quem ipsi toti vitæ humanæ præficiendum esse putabant. Quod secutus Julianus, & nullius ipsorum errore contentus, omnium simul blasphemias uno sermone complexus est, sicut patet apud Augustinum lib. 4. contra Julianum; docuit enim virtutes, cùm ad æterna aut temporalia diriguntur, non in eo quod sunt, sed in eo variare quod merentur: *Nec nominis sui*, inquit, *possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetierunt præmii vel amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.* Ex quo palàm efficitur non modò omnes Philosophorum sectas, sed etiam plerosque vulgarium errores, veras habere virtutes, quia eas ad temporalia bona dirigunt, nempe ad voluptatem, divitias, honores aut aliud hujusmodi, veramque virtutem esse avarorum temperantiam, quæ tota divitiis incumbit, & ab Apostolo idolorum servitus nuncupatur; similiter ambitiosorum fortitudinem, comitatemque ebriosorum, quorum tamen Deus venter, & gloria in confusione ipsorum est: quia cùm ad temporalia bona dirigantur (si Juliano credimus) non possunt nominis, nec generis sustinere dispendium, sed solius, quod appetiverunt, præmii exilitate frustrantur. Hic error etiam quibusdam divi Thomæ sectatoribus arridet, adeò ut eum etiam suo doctori asscribere non erubescant, eò quòd in 2. 2. Peripateticorum virtutes ex eo à peccato vindicet, & virtutes esse contendat, quia ad aliquod bonum particulare referuntur, quod ad bonum universale sit referibile. Ex quibus verbis sic colligunt: quæcunque virtutum officia ad divitias, honores, aut simile bonum referuntur, ad bonum aliquod particulare referuntur, quod ad bonum universale sit referibile: igitur rectè à peccato vindicantur, & virtutes appellantur, licèt vitam non mereantur æternam, sed præmii exilitate frustrentur.

Cap. 3. Coloss. 3. Philip. 3. Quæst. 23. art. 7.

CAPUT IV.

Quòd honestatis officia cùm in Deum non referuntur non sint virtutes, sed vitia virtutes imitantia.

CÆterùm quia sententia hæc paucioribus placet, sublatisque Stoicorum & Peripateticorum virtutibus, quæ propter se expetuntur, simul ultrò corruet: ideò præsenti instituto satis fore putamus, (quantùm Deus adjuverit) ostendere virtutes eas quæ ab Aristotele describuntur, id est virtutum officia, quæ non ob aliud sed propter semetipsa expetuntur, non rectè à peccato vindicari, virtutesque non esse, sed virtutum simulationes & vitia virtutes imitantia, sicut ex professo ostendit D. Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 1. Ad quod ostendendum nihil opus esse duxi refellere duplicem illum cultum Dei, qui nescio ex qua Scriptura aut veterum traditione desumptus, à quibusdam solet quæstionibus hujusmodi dissolvendis adhiberi, quorum videlicet altero Christiani ex supernaturali charitate Deum, tanquam objectum beatitudinis & remuneratorem meritorum pro regno cœlorum consequendo, fructuosè & meritoriè colunt; altero verò nescio qui ex naturæ viribus solùm tanquam naturæ authorem, pro accepto beneficio creationis tantò sterilius colunt, quantò minorem in suo cultu remunerationem spectant: quia neque Philosophorum quisquam ad ullum Dei cultum suas virtutes esse referendas præcepit, id quod tamen valdè mirum esset, in tanta ingeniorum varietate studiorumque contentione, si ex solis naturæ viribus non solùm nosci, sed etiam præstari potuisset. Neque etiam D. Thomas in sua disputatione *Quæst. 2. 1. art 7.*
id prætendit, (ut patet $2_a. 2_a.$) sed ex eo putat esse virtutes, quia ad verum aliquod bonum particulare referuntur, quod ad bonum universale sit referibile, etiamsi in iis reperiantur, qui unum verum Deum aut cœcitate nesciunt, aut elatione contemnunt. Sed illi planè similes sunt de quo ait Psalmista, *dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Ubi in primis mirandum occurrit, quo- *Psal. 13.*
modo D. Thomas hanc proximi finis ad universale bonum referibilitatem, ad rationem virtutis sufficere existimet: cùm ejusmodi referibilitas etiam illi particulari bono competat, quod ab impiis præ universali bono & cum expresso ejus contemptu expetitur. Sed ne nostris rationibus impliciti huic disputationi pondus detrahamus, videamus quid de ea senserit Augustinus. *Aug. contra Julianum de virtutib. infidelium.*
Is igitur lib. 4. contra Julianum cap. 3. in principio, sic contra virtutes infidelium disserit: *Corpus non verâ ratione pudicum asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur, sed infidelis animum fornicari à Deo nemo potest negare, nisi qui se palam sacrarum literarum profitetur adversarium: igitur non potest pudicus veraciter dici, qui non propter Deum fidem connubii servat uxori.* Quam rationem de omni virtute, quâ Deo non servitur, sic generaliter instituendam esse intelligo. Homo ad hoc conditus est, & hoc debet, ut Deum ex omnibus suis viribus diligat, & illi soli serviat: sed qui secundùm virtutem vivit, quod debet facit, & ad quod conditus est: igitur qui Deo non servit etiam virtutum officia non ob aliud, sed propter semetipsa expetit, is non secundùm virtutem

vivit, sed simulat duntaxat, fornicans à Deo suo, & per honestatis officia quæ soli debuerunt creatori famulari, in cogitationibus & inanibus desideriis evanescit. Deinde post multam de virtute disputationem veluti concludes, ait: *absit ut virtutes veræ cuiquam serviant nisi illi, vel propter illum, cui dicimus:*
Psal. 79. Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus vel quibusvis commodis serviunt, veræ prorsus esse non possunt: quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. *Veræ quippe virtutes, Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus.* An non tibi videtur Augustinus his verbis non tantùm avarorum, ambitiosorum, Epicureorum & similium, sed etiam Stoicorum & Peripateticorum virtutes abjecisse? quando nec eas veras esse dicit, quæ nulli rei servire volunt, sed propter semetipsas expetuntur?

CAPUT V.

Quòd virtutes impiorum, quæ in Deum non referuntur, non ideò ab Augustino negantur esse veræ, quia non salvant, sed quia vitia sunt & damnant.

VErùm forsitan tacitus animo respondes, prædictas virtutes ob id ab Augustino non dici veras, quia steriles sunt & ad regnum cœlorum consequendum inutiles, non autem quia vitia sunt & peccata digna supplicio. Audi rogo quod sequitur: *Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Quæro enim à te, utrum virtus, quæ propter semetipsam expetitur, propter id fit propter quod eam fieri debere vera sapientia præ-
1 Cor. 1. cipit? Fit propter se, præcipitque id Aristotelis sapientia quam Apostolus
cap. 2. & lib. 2. retract. c. 63. stultitiam vocat: quia vera sapientia nos soli Deo servire præcipit, ut patet ex Enchy. Augustini: *Tu igitur veram profer sapientiam, quæ virtutem propter semetipsam fieri debere præcipit, aut certè mecum fatere, eam non tantùm non esse virtutem fructuosam, sed vanitatem manifestam, & ut minimum stipulam igne comburendam.* Maximè cum eo capite rejiciat Augustinus virtutes, quas steriles vocabat Julianus. *Nam bonum,* inquit, *non sumus quicquid steriliter sumus:* & infrà, eodem capite, rogatus à Juliano, si gentilis nudum operuerit, numquid quia non ex fide peccatum est? *Prorsus,* (ait) *in quantùm non est ex fide, peccatum est. Non quia per seipsum factum, quod est operire nudum, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Quæro enim ex te, utrùm infidelis de tali opere bono in Domino glorietur? Nam si non glorietur, aut eum peccare fateris, & mecum sentis aut negas, & ab Augustino non solùm erroris argueris, sed etiam inter impios numeraris. Deinde considera quid tibi respondendum sit ad illud Apostoli, quod toties urget Au-
Rom. 14. gustinus: *quicquid non est ex fide, peccatum est:* non eo sensu quem prætendunt quidam recentiorum, sed per fidem intelligens quod alibi passim in Scri-
Cap. 16. pturis intelligitur. Imò in lib. de grat. Christi & lib. 4. contra Julianum circa finem

finem 3. capitis palàm asserit, quòd quicquid non est ex fide per dilectionem operante peccatum est: *Omnis enim amor creaturæ rationalis aut est amor mundi, aut amor Dei*, hoc est (sicut ait Augustinus super illud Psalmi 9. in laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum:) *Omnis amor noster aut pravus est, & dicitur cupiditas vel libido*, aut rectus, & dicitur charitas sive dilectio. Fides autem quæ benè operatur, non per timorem aut cupiditatem, sed per dilectionem benè operatur, ut habet Augustinus de verbis Apostoli sermone 13. circa principium, & de gratia Christi cap. 26. Et ideò quicquid non fit ex fide per dilectionem operante, sed per cupiditatem aut timorem, ipso non recto fine peccatum est. Quod autem aiunt quidam, Augustinum verbis illis Apostoli nihil aliud voluisse intelligi, quàm quòd quicquid fit ex infidelitate peccatum est, quantùm ad præsentem quæstionem attinet, in eandem redit sententiam; quia magnæ infidelitatis vitium est existimare, quòd in aliqua nostra actione non oporteat nos Deo servire, sed mundo, sicut clarè demonstrat Scriptura, quæ dicit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Deuter. 6. Præterea Augustinus lib. 19. de civitate Dei, tam apertè virtutes has inter peccata numerat, ut nullâ videatur tergiversatione aliò posse torqueri; nam post multa tandem concludens: *Proinde virtutes* (inquit) *quas sibi animus videtur habere, per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia potiùs sunt quàm virtutes. Nam licèt à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur, cùm ad seipsas referuntur nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ & superbæ sunt, & ideò non virtutes sed vitia judicanda sunt. A quibusdam*, inquit, *veræ & honestæ putantur, cùm ad seipsas referuntur*. Hos ergo Stoicos vel Peripateticos, & post eos Pelagianos intelligo, nec video qui alii possint convenientiùs intelligi.

CAPUT VI.

Quare Stoicorum & Peripateticorum virtutes sint superbæ.

SEd licèt fortassis tanti doctoris authoritati succumbas, tacitus tamen in animo tuo miraris, cur Augustinus virtutes, quæ juxta illorum præceptiones rectæ rationi serviunt, superbiæ arguat, placet ut mireris dicentem, modò dictis fidem adhibeas. Sed ne difficultate permotus ejus verba aliò torquere coneris, si Deus id largiri dignabitur, conabor efficere ut non tantùm cedas authoritati, sed etiam rationi consentias. Augustinus igitur prædicto lib. 4. contra Julianum cap. 3. probat quidem hanc virtutis definitionem à philosophis traditam: Virtus est habitus animi naturæ, modo atque rectæ rationi consentaneus: sed quæ sit ratio recta ab ipsis ignoratum esse contendit. Nam Epicurus rectam rationem prædicabat, quæ totam hominis vitam carnis voluptati, tanquam summo bono, jubebat inservire. Stoicus verò & Peripateticus eam rectam esse contendebant, quæ totam hominis vitam non carni, sed menti supremæ hominis parti subjiciebat: quasi videlicet hominis summa fœlicitas in hoc consisteret. Sed utrumque reprehendit Christianus dicens, quòd Recta ratio cui serviat.

 recta

recta ratio neque voluptati, neque sibi tanquam summo bono, sed uni serviendum esse præcipiat conditori, juxta illud: *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies:* quia summum super hominem principatum, neque propter suas illecebras carni tribuit, sicut Epicurus, neque menti propter suam super reliquas partes eminentiam, sicut Stoici & Peripatetici: sed soli conditori, propter suam sempiternam virtutem, bonitatem & potentiam. Nam licèt ordo postulet, ut & corpus animæ, & partes inferiores superioribus pareant: tamen ante omnia requirit, ut mens suo pareat creatori, quia mens partibus sibi subditis non rectè imperat, nisi priùs, ut rectè imperet, se suo creatori subjiciat, fiatque obediendo similis Angelis, ut eas partes rectè sibi subdat, quas habet homo communes cum bestiis. In Stoicis autem & Peripateticis mens usque adeò non fuit de sui creatoris honore sollicita, ut scriptis ingentibus voluminibus quibus explicaret, quid ab inferioribus partibus sibi deberetur, ne verbum quidem addiderit, quo se creatori servire debere testaretur, quin potiùs divinas partes sibi arroganter per rapinam usurpans, totum hominem, vel ex hoc fore beatum judicavit, si sibi tanquam summæ Dominæ pareat, & se tanquam Deam quandam nulli subjectam adoret. De qua re Augustinus: *Cùm ad urbem Atheniensem*, inquit, *ubi philosophorum disciplinæ, studio & contentione fervebant, venisset Apostolus*, (sicut in Actibus Apostolorum legitur) *contulerunt cum illo quidam Philosophorum Epicureorum secundùm carnem viventes, contulit cum illis Paulus secundùm Deum vivens; dicebat Epicurus: Mihi frui carne meâ bonum est; dicebat Stoicus: Mihi frui mente meâ bonum est; dicebat Apostolus:* Mihi adhærere Deo bonum est: & cætera quæ sequuntur in eandem sententiam. Vides igitur qualem principatum super reliquas hominis partes sibi usurparit Stoica seu Peripatetica ratio, nempe ut tanquam earum Deus, omnibus ex arbitratu præesset, præsidendoque fœlicitatem impartiret, ipsa verò nulli serviret, nullius imperio subjaceret, quod quantæ superbiæ sit, jam opinor intelligis. Unde nec mirari debes quòd Augustinus ausus sit eas virtutes superbas appellare, quas vides non ex recto, sed ex tam superbo mentis judicio prodiisse. Insuper si prædictas Philosophorum virtutes agnoscas, vide quâ ratione dissolvas, quod & sermone prædicto & lib. 14. de civitate Dei cap. 2. & sequentibus docet Augustinus, nempe quòd non tantùm Epicurei, qui omnem suam vitam ad sensuum oblectamenta referunt, sed etiam Stoici (sicut etiam Scriptura loquitur) secundùm carnem vivere monstrantur; quia Scriptura sacra non patitur ut secundùm carnem vivere, sit steriliter benè vivere, sed potiùs malè vivendo mortem sibi fructificare, sicut dicit Apostolus: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Habes etiam de his virtutibus claram atque definitam sententiam D. Prosperi, lib. 3. de vita contemplativa cap. 1. & aliis locis innumeris, quam longè totiùs est sequi, quàm reprobandam sapientium sapientiam.

Deuter. 6. | Ser. 13. de verbis Apostoli. | Rom. 8.

CAPUT VII.

Quantùm ad fidem & religionem referat scire: utrùm virtutes liberi arbitrii viribus acquiri possint, an tantùm ex dono Dei.

VErùm his omnibus auditis, forsitan ita existimas, utcunque res habeat, parùm tamen fidei atque religionis Christianæ interesse, quid in hac quæstione asseratur aut defendatur; sic enim putant quidam quæstionem hanc speculationis esse & opinionis, non religionis aut morum. Non lubens Catholicorum quempiam erroris aut impietatis arguo: illud tamen audeo dicere, hanc quæstionem & ad veram sapientiam, & ad vitam Christianam rectè instituendam tantùm habere momenti, ut non satis idoneum sentiam ad formandos Christianorum mores qui in ea turpiter hallucinetur; cur autem ita sentiam jam paucis accipe. Habes ebriosum, incontinentem, contumeliosum, detractorem, aut similis vitii consuetudine depravatum, à sua turpitudine revocandum, quâ tu viâ id præstabis? Præcipit Philosophus ut spe præmiorum, timore pœnarum, odio turpitudinis, amore honestatis, & aliis id genus humanis præsidiis ipsum ad bonas actiones excites. Quæro igitur an tu exhortationem hanc satis putes esse Christianam, quæ captivum & vinculis impietatis colligatum, spem docet in se ponere, & sine liberatore, per solam peccati cognitionem, sua vincula rumpere posse? an potiùs Gentilem, aut Judæorum in sua lege gloriantium quemdam esse clamitabis? Quòd si fortè eam perfici debere putes, addendo aliquid de Christo invocando, ut infirmo peccatori, & cum magna difficultate resurgenti, manum auxilii sui porrigat, videsne quàm apertè in Pelagii sententiam concedas, qui pudore magis quàm judicio tandem eò compulsus est ut non tantùm in remissione peccatorum, sed etiam in vita rectè instituenda Christi gratiam agnosceret, non quidem eo modo quo veri confitentur Christiani, audientes vocem pastoris sui dicentis: *Sine me nihil potestis facere*, sed ut quod ex nobis cum labore possumus, Christi auxilio freti faciliùs impleamus; de qua re Augustinus de verbis Apostoli sermone 13. *Sed hic fortiter vigilate*, inquit, *ne dicat spiritus vester: si subtraxerit se cooperatio Dei & adjutorium Dei, spiritus meus facit hoc, etsi cum labore, etsi cum difficultate, potest tamen implere; non sic est adjutorium Christi: prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis illo non adjuvante, liberâ voluntate, sed malè: cùm dico tibi, sine adjutorio Dei nihil agis; nihil boni dico, nam ad malè agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem.* Joan. 15.

CA-

CAPUT VIII.

Quòd liberum arbitrium sine Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valeat.

NOn ait Augustinus: Ad benè agendum moraliter & steriliter habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem, (sicut docet Philosophia) sed ad malè agendum, inquit; nempe ut & falsas impiorum virtutes è medio tolleret, & illud simul in animis fidelium confirmaret, quod alibi sæpius inculcat ac repetit, liberum arbitrium sibi derelictum non nisi ad peccandum valere, & tantò citiùs propinquare iniquitati, quantò acriùs intenditur actioni: sicut ait Prosper lib. 1. de vocatione gentium cap. 2. Unde responsione 6. ad objectiones Vincentianas dicit multorum hominum talem esse malitiam, qualis est dæmonum, nec aliud discrimen invenit inter liberum arbitrium dæmonum & impiorum hominum qui sibi derelicti sunt, quàm quòd his superest, si Deus misereatur, reconciliatio, dæmonibus autem in æternum nulla servatur conversio. Similiter Augustinus in lib. de spiritu & litera, cap. 3. *Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet*, inquit, *si lateat veritatis via*,
Cap. 8. &c. Et contra duas epistolas Pelagianorum lib. 3. *Liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet:* & epistola 89. quæstione secundâ contra Pelagium: *liberum arbitrium*, inquit, *desertum à divino adjutorio, quàmlibet scientia legis excellat, nullo modo habebit justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ.*
Serm. 10. Similiter de verbis Apostoli: *Nostrum nihil nisi peccatum est. Quid enim habes quod*
1 Cor. 4. *non accepisti?* Hoc ipsum aliis quidem verbis, sed sensu eodem repetit lib. 1. Retract. cap. 15. dicens: *voluntas in tantùm libera, quia in tantùm liberata est, & in tantùm appellatur voluntas*, alioqui tota cupiditas, quæ voluntas propriè nuncupanda est, quæ non est alienæ naturæ additamentum, sed nostræ vitium: quia si voluntas nondum liberata tota cupiditas est, quæ vitium est: igitur non nisi vitiosâ cupiditate operatur, quicquid operatur, & sic non nisi ad peccandum movetur; quam sententiam usque adeò urget Augustinus epist. 106. ad Paulinum, ut oppositam errori Pelagii connumeret, dicens de ipso Pelagio, quòd interdum ita paribus momentis potestatem voluntatis æquâ lance perpendat, ut aliquantulùm etiam ad non peccandum valere definiat. *Quod si ita est*, inquit, *nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere. Nos*, inquit: igitur Pelagianorum vox est, potestatem voluntatis aliquantulùm ad non peccandum valere, quod sine dubio dicunt qui virtutes steriles illi tribuunt. Christianorum verò professio est, sine adjutorio gratiæ ad non peccandum nihil valere voluntatis arbi-
Quæst 2. trium. *Docet hoc*, inquit Augustinus epist. 89. *ipsa dominica oratio. Frustra enim rogantes Deum, dicimus:* Ne nos inferas in tentationem; *si hoc in nostra sit potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere.* Dictum est enim: Ne nos inferas in tentationem; quod intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas. Unde jam dicta epistola 106. inter ea dogmata quæ Augustinus duodecim Pelagii assertionibus opponit, quas nisi Pelagius in Concilio Palæstino damnasset,

ſet, ipſe damnatus exiſſet. Sic habet undecimum: *Fateatur, quando contra tentationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam.* Id quod etiam repetit Cæleſtinus Pontifex cap. 10. his verbis ex Carthaginenſi & Milevitano Conciliis deſumptis: *Quicunque dixerit gratiam Dei, in qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam peccatorum remiſſionem valere quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema ſit.* Nam ut ait Apoſtolus de tentatione diſſerens, *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Galat. 6.

CAPUT IX.

Quòd tentationem vincere ſit ab ea in peccatum non induci.

ET ne quis fortè reſpondeat, victoriam tentationum requirere ut is qui vincit opus ſalutiferum operetur, non autem ſufficere ut declinet à malo & peccatum evitet; in primis dominicam orationem opponimus, in qua fideles non tantùm Deo ſupplicant ut fiat voluntas ejus, quod eſt operari bonum, ſed etiam ne in tentationem inducantur, quod nihil aliud eſt quàm declinare à malo & vitare peccatum; ſicut expreſsè teſtatur Auguſtinus epiſt. 95. dicens: Qui autem orat, ne nos inducas in tentationem, orat ut non peccet, hoc eſt, ne quid mali faciat; idem habet in lib 50. homiliarum. Secundò objicimus Hom. 42. id quod Auguſtinus ſub nomine fidelium ſuprà tàm conſtanter aſſerit: ſine adjutorio gratiæ ad non peccandum nihil valere voluntatis arbitrium; quia ſi ſine ullo gratiæ adjutorio ſic poſſet ſingulos ejus motus per morales actus temperantiæ comprimere, ut nullum omnino peccatum pareret, ſine dubio ſi non ad benè & meritoriè vivendum, certè ad non peccandum plurimùm valeret: id quod tamen invenitur ſententiæ fidelium prorſus contrarium. Quibus tertiò adjungimus quod docet Cyprianus in ſermone de oratione dominica, etiam ſceleribus non committendis noſtram non ſufficere voluntatem: (ſicut citat Auguſtinus lib 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9.) Inſuper Cœleſtinus Pontifex cap. ſuo 6. refert & comprobat verba Innocentii primi, quibus ait in epiſtola 91. apud Auguſtinum: *Neceſſe eſt ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur; ſed quando vincimur, tunc malum facimus.* Igitur juxta horum Pontificum definitionem neceſſum eſt, ut quo auxiliante vincimus, eo rurſus non auxiliante non tantùm bonum omittamus, ſed etiam malum operemur & peccemus. Id quod etiam ſatis teſtatur Eccleſia quotidie per ſingulas horas clamans: *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me feſtina, dans gloriam Deo non ſolùm in ſingulis operibus bonis quæ facit, ſed etiam in ſingulis tentationibus, quibus declinat à malo; quia ſi Dominus manum ſuam avertat, nulla omnino exiſtit tentatio nec magna, nec parva, quæ militem Chriſti non conturbet:* ſicut expreſſiſſimè teſtatur Chryſoſtomus tractans illud primæ Corinth. 10. Sed faciet etiam cum tentatione proventum dicens: *Suntne ergo tentationes, quas ſuſtinere non poſſumus?* & quænam ſunt illæ? Omnes, ut ita dicam inquit: poſſibilitas enim divino nutu eſt. Quarè,

ut certò cognoscas, non solùm illas, quæ virtutem nostram exuperant, non posse nos sine divino auxilio superare, sed ne has quidem humanas, addidit: sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Neque enim mediocres illas quas dixi, inquit, propriâ virtute sustinebimus, sed in his etiam divino opus habemus auxilio, ut eas pertranseamus, & priusquàm pertranseamus, feramus. Unde Augustinus de verbis Apostoli: *Si Deus ipse non adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus, quia opera carnis non humano, sed divino spiritu mortificamus; & non solùm faciendo bonum se nihil esse testatur Apostolus, sed etiam de tentatione disserens statim subjicit: nam si quis existimat se aliquid esse, scilicet ex seipso, ipse se seducit, nempe ut non tantùm ad operandum bonum, sed etiam ad declinandum à malo pertinere ostendat quod ait Christus in Evangelio:* Sine me nihil potestis facere. Ex quibus omnibus talis ratiocinatio conficitur: Fides Christiana postulat ut fateamur, nos sine divino adjutorio nullam omnino tentationem posse sustinere quin peccemus, & in omnibus debere orare: Ne nos inducas in tentationem; nam (ut ait divus Prosper contra collatorem) quisquis in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant: Ne nos inferas in tentationem: sed is qui per moralem actum temperantiæ aut continentiæ, illicita carnis desideria comprimit, tentationem aliquam sustinet à qua non vincitur, nec peccat: igitur fides Christiana postulat ut fateamur id sine divino adjutorio non posse præstari. Ex quo ulteriùs sequitur, quòd non hi soli fures sint & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicunque aliunde quàm per ipsum in viam jùstitiæ conscendi posse docent, aut tentationes ullas sine ipsius adjutorio superari posse contendunt.

Serm. 13. *Galat. 6.* *Joan. 15.* *Matth. 6.*

CAPUT X.

Quâ ratione peccatores docendi sint vitam mutare, & vitiis superatis ad virtutes aspirare.

Aug. de natura & gratia, cap 68. *Sapient. 8.*

QUàm diversâ verò ratione Sapiens, ex summa sibi data sapientia, morum mutationem & contra tentationes carnis victoriam nos doceat, obsecro diligenter attende: Ut scivi, inquit, quod non possum esse continens nisi Deus daret, & hoc erat sapientia scire cujus hoc esset donum, adii Dominum, & deprecatus sum ex imis præcordiis. Nam de semetipso loquens sic nostris auribus videtur insonare: Quisquis incontinentiæ vitio laboras, (laborant autem adolescentes innumeri qualis tunc eram cùm istud primum intendi) non id sapias quod Epicurus, Stoicus, Peripateticus, aut Pelagianus, qui sapientiâ hujus mundi inflatus, se ex incontinente continentem, ex ebrioso sobrium, ex malo bonum, à semetipso fieri putat: sed illud tibi persuasum habe, quòd neque sobrius, neque continens, non dico fieri, sed nec perseverare possis, etiamsi jam talis sis, nisi Deus dederit; quod ubi cognoveris, etiam pro hac data tibi sapientia Deo gratias age, ac deinde prostratus ex imis Deum precare præcordiis, ut incontinentiâ & ebrietate sublatis, continentiæ & sobrietatis vir-

virtutem tibi largiatur. Et vide anne idipsum manifestissimè doceat Apostolus, cùm ait: *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati & de peccato, damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum*; nam si legis justificatio & impletio mandatorum Dei, non nisi in illis impletur qui secundùm spiritum ambulant, id est, qui spiritu Dei aguntur, (sicut interpretatur Augustinus princ. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum) *profectò non rectè sapiunt qui ad id aspirantes, non in adjutorio spiritus, sed in mandato legis & propriæ voluntatis arbitrio spem vitæ melioris constituunt.* Quapropter Augustinus de natura & gratia: *Si volumus*, inquit, *animos ad rectè vivendum frigidos & pigros Christianis exhortationibus excitare, verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur, ita sanè ut non solùm ad bonas actiones, verùm etiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus, atque instruere hâc sanitate doctrinæ ut & illi gratias agant cum instituerint benè vivere.* Quanquàm igitur ad rectè vivendum non parùm juvent pia monita, spes tamen vitæ melioris, semper in Domino & in potentia virtutis ejus, adversus omnes hujus vitæ tentationes est constituenda.

Cap. 61.

Ephes. 6.

MICHAELIS BAII, DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO, ET EJUS POTESTATE.

LIBER UNUS.

CAPUT I.

Quòd de libero arbitrio plures existant quæstiones.

IN Christiana religione vix ullum reperitur argumentum, in quo jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, diversis temporum successionibus, contra fidem Catholicam plures diuturnioresque quæstiones extiterunt, quàm de libero hominis arbitrio. Nam ut Stoicos prætercam, qui prætextu inevitabilis fati sui, liberum hominis arbitrium labefactare conati sunt: quis Manichæos ignorat nugatoriis rationibus æternam & immutabilem quamdam mali naturam fabulantes, à qua malum omne necessariam ducat originem? Quibus an connumerari debeant nostri temporis hæretici, contendentes omnia, non tantùm bona, sed etiam peccata, non ex libero hominis arbitrio, sed ex necessitate divinæ prædestinationis evenire: an potiùs Stoicis, non immeritò quispiam dubitarit. Certè Manichæis in hoc deteriores sunt, quòd illi confïcto nescio quo malorum omnium principio, naturali quâdam reverentiâ & æquitate, Deum non nisi bonorum autorem statuerunt, nec ex eodem bonitatis fonte dulcem simul & amaram aquam emanare posse putaverunt; hi verò, contra naturæ leges & omnis bene constitutæ mentis judicium, eò proruperunt insaniæ, ut eum, qui justitiæ & bonitatis est author, cujusque leges omnes & præcepta contra peccatum sunt, afferant suâ prædestinatione peccandi necessitatem reprobis injicere, à qua tamen neque eximi pos-

possint, neque peccando excusari; quòdque Deus in suis creaturis justo judicio ea in æternum puniat, in quæ illas per potentiam impellit; id enim expressè dicit Calvinus, secutus Lutheri & similium hæreticorum principia. His ex adverso occurrunt Origenes, Pelagius, ac horum sectatores, qui gratiæ Dei, (quâ prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, & quâ eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus atque in regnum ejus transferamur) *in tantùm*, inquit Augustinus, *inimici fuerunt, ut sine hac posse hominem crediderint facere omnia divina mandata.* Et addit: *Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei, ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret: dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam; tanquam etsi difficiliùs, tamen possint homines sine gratia facere jussa divina.* Nos igitur, quantùm Deus donabit, breviter explicare conabimur, primùm quid sit voluntas: deinde quibus modis libera esse seu liberum arbitrium constituere dicatur: postremò, tum quid ex se, tum quid ex divinæ gratiæ adjutorio possit.

De hære. 88.

Distributio operis.

CAPUT II.

Quid sit voluntas, & quomodo ab appetitu sensitivo distinguatur.

Voluntatem definit Augustinus, animi motum cogente nullo ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum; qualis motus non tantùm in iis qui ratione utuntur, sed etiam in amentibus, pueris & brutis reperitur. Nam quòd hic motus aliquo etiam pacto voluntas sit, non tantùm authoritate Aristotelis ostenditur, ubi ait, spontaneum seu voluntarium ad plura se extendere quàm electionem: est enim cum pueris, inquit, & animalibus cæteris nobis commune: sed etiam Scripturæ sacræ testimonio: *Quotquot enim receperunt eum*, inquit Joannes, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Et Apostolus Paulus: *Cùm mortui essetis*, inquit, *delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris hujus, spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes conversati sumus aliquando in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum*, &c. Nam in his duobus testimoniis nihil aliud est voluntas carnis, quàm appetitus sensitivæ voluntatis, qui nobis cum brutis est communis. Unde Prosper: *Omni*, inquit, *animæ humanæ, quantùm intelligere atque experiri datur, naturaliter qualiscunque inest voluntas, quâ aut appetitur quod placet, aut declinatur quod displicet.* Hujus voluntatis (quantùm ad naturalem pertinet motum ex vitio primæ prævaricationis infirmum) genera sunt duo, secundùm quæ voluntas hominis aut sensualis, aut animalis est: sed cùm adest gratia Dei, accedit ei per donum spiritus tertium genus, ut possit fieri spiritalis, & per hunc excellentiorem motum omnes affectus undecunque

Libro de duab. ani. cap. 10.

Lib. 3. ethicorum, c. 2.

Joan. 1.

Ephes. 2.

Lib. 1. de voc. gent. cap. 2.

que nascentes supernæ rationis lege dijudicet. *Sensualis igitur voluntas*, inquit, *quam & carnalem possumus dicere, non erigitur suprà eum motum, qui de corporis sensibus nascitur; qualis est in animis parvulorum, qui licèt nullo judicio rationis utantur, ostendunt tamen aliquid se velle, cùm videndo, audiendo, gustando, odorando, tangendo, & ea quibus delectantur amant, & ea quibus offenduntur oderunt. Quid est autem amare, nisi velle? aut quid est odisse, nisi nolle? Habent ergo etiam ipsi voluntatem suam, quæ etsi providendi & consulendi impos atque ignara sit, in his tamen amat agere quæ carnis sensibus blandiuntur, donec vigor rationalis ingenii per maturiora ministeria corporis excitetur, & ad famulantium sibi membrorum usum, non alieno motu, sed suâ lege moveatur. Ab hoc ergo sensuali appetitu, in quo remanent hi, quos etiam in annis majoribus excordes videmus & fatuos, ad animalem surgitur voluntatem*: hactenus D. Prosper. Cæterùm cùm voluntatem à motu sensuali, qui alioqui etiam voluntas est, distinguimus, tum per voluntatem eum tantùm intelligimus motum qui ex rationis judicio nascitur, quem Damascenus Aristotelem secutus definit esse, cujus principium est in ipso agente, sciente singula per quæ & in quibus est actus.

Libri 2. cap. 24.

CAPUT III.

Quòd rationalis motus voluntas dici possit, etiamsi non sit contingens, sed necessarius.

POrrò quemadmodum sensualis motus rectè appetitus dicitur, sive malus sit sive bonus, sive contingens sive necessarius: sic etiam motus rationalis rectè voluntas appellatur, sive in volentis potestate situm sit, ut eo relicto in diversum quippiam feratur, sive non: *quia esse contingens aut necessarium, neque in sensualis, neque in rationalis voluntatis definitione comprehenditur*. Hinc non tantùm dicimur velle ambulare, velle justitiam colere & similia, quæ & velle possumus & nolle: sed etiam dicimur velle esse beati, nolle esse miseri, licèt hos rationales motus non possimus abjicere. Similiter: *Pater diligit filium*, inquit Christus: Et, *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, inquit Pater: cùm tamen hanc sanctissimam voluntatem nunquam possit deponere. Sancti quoque angeli & homines beati, rectissimâ voluntate justitiam diligunt, & dæmones impiissimâ voluntate eam oderunt: & tamen neutri hanc suam voluntatem deponere possunt.

Joan. 3. Luc. 9.

CAPUT IV.

Quæ sit libertas à necessitate.

CÆterùm cùm voluntas libera esse dicitur, juxta duplicem libertatis rationem duobus modis potest intelligi. Altero & usitatissimo, quia qui vult quippiam, habet in sua potestate ut quod vult etiam possit nolle, aut contrà quod non vult, velle; quomodo liberâ voluntate vult Deus quæcunque foris operatur, ut novas hominum animas condere, pios de tentatione eripere, impios

impios æternis cruciatibus reservare. Et, sicut apud Matthæum legimus, potuit filius patrem rogare ut exhiberet sibi plusquam duodecim legiones angelorum, quod tamen non rogavit. Sed pater non liberâ voluntate diligit filium, ut qui illum non possit non diligere. Angeli quoque liberâ voluntate pro his aut illis hominibus apud Deum intercedunt: sed fœlici quâdam necessitate constricti Deum atque justitiam immobiliter diligunt: sicut dæmones miserâ necessitate eam semper oderunt, licèt in tentationibus, & aliis multis quæ adversus homines moliuntur, liberâ voluntate ferantur. Et ideò neque angeli sancti neque dæmones circa justitiam hoc modo sunt liberi, sed solùm circa ea quæ & velle possunt & nolle. Homines quoque in hac vita hoc modo in rebus plurimis liberâ utuntur voluntate, quia aut boni sunt, & Deo juvante bonum præ malo seu præ alio bono eligunt, aut si sibi relicti Deo servire non possunt, attamen in vitæ istius bonis appetendis & malis eligendis sunt liberi: bonis, inquam, quæ de bonis naturæ oriuntur, ut velle laborare in agro, velle manducare & bibere, & cætera quæ apud Augustinum lib. 3. Hypog. enumerantur. Possunt tamen mali homines ex hoc etiam dici liberi, quòd cùm propriâ voluntate malum faciant, Deo tamen adjuvante bonum amplecti possint: id quod de dæmonibus dici non potest, quia ad benevolendum nullum eis sperari potest divinum auxilium. Sed in eo quòd homines sibi benè esse volunt, & miseriam fugiunt, non ducuntur liberâ voluntate: quia hos rationales motus necessariò retinent aut in actu, aut saltem in habitu, & virtute. Hæc libertas vulgò à necessitate dicitur, quia videlicet necessitati opponitur: cui libertati etsi cum electione commune sit, quòd in iis tantùm versetur quæ in agentis sunt potestate, & cùm fiunt omitti possunt, attamen multò latiùs patet quàm electio; quia electio in iis tantùm invenitur, in quibus meditatio consultatioque præcessit, hæc verò libertas etiam in iis reperitur, quæ ex consuetudine aut quæ repentè fiunt sine ulla deliberatione, quia hæc sic ab agente fiunt, ut tamen omitti possint si cura diligens adhibeatur.

Cap. 26.

CAPUT V.

Quid sit libertas à servitute.

Altero modo dicitur voluntas libera, quia in eis quæ vult aut facit nulli servituti est obnoxia, sicut vulgò liber dicitur qui nullius servitutis jugo constringitur. Servitutem constituit aut involuntaria necessitas, quomodo servi sunt etiam qui bonum timore faciunt, aut noxia & insipiens animi propensio à qua se quis eximere non potest; nam in Scripturis sacris etiam servi dicuntur, qui libenter & pronâ voluntate iniquitati serviunt, à qua se eximere non possunt. *Omnis enim qui facit peccatum*, inquit Christus, *servus est peccati*. Et: *Cùm servi essetis peccati*, inquit Apostolus, *liberi fuistis justitiæ*. Et rursus: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Et in Epistola Petri, servi corruptionis appellantur, qui tam sunt in corruptionem proni,

Joan. 8.
Rom. 6.
2 Petr. 2.

proni, ut suis sectatoribus illam pro libertate polliceantur. Quapropter ad
Joan. 8. veram libertatem (de qua apud Joan. dicitur: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis,*) duo requiruntur, nimirum vera & syncera in id quod eligitur aut
Enchir. cap. 30. agitur animi propensio, & veri boni electio seu, ut ait Augustinus, rectè facti lætitia. Syncera quidem animi propensio & lætitia, ut non necessitate aut timore, sed sponte obediatur legitimæ potestati. Boni verò seu rectè facti electio, ne pro naturali & legitima potestate, hostili aut alienæ voluntati pareatur: hoc est, vera libertas est, Deo legitimè servire, sicut testatur Petrus,
1 Petr. 2. cùm ait: *Quasi liberi, non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.* Nam quantumlibet quis peccato voluntariè serviat, tamen quia diaboli laqueis irretitus, ad ipsius voluntatem captivus detinetur, donec à fortiore superveniente liberetur, servus non liber dicendus est, nisi impropriè & secundùm analogiam: quia videlicet hoc habet cum eo qui verè liber est commune, ut quomodo ille lubens & spontè servit justitiæ, sic iste injustitiæ; hoc modo servos peccati non simpliciter liberos, sed liberos justitiæ
Rom. 6. vocat Apostolus, quia videlicet à justitia sunt alieni. Sed quomodo servire justitiæ servitus est impropria & libertas vera, quia erga legitimam potestatem vera & spontanea obedientia: sic etiam voluntariè & liberaliter peccato servire, est libertas impropria & servitus vera, quia erga hostilem potestatem stulta & noxia captivi obedientia. Qui autem verè liberi sunt, hi & legitimè potestati & voluntariè obediunt, excepto unico Deo, qui quoniam nulli potestati subjicitur, solus ex eo liber esse dicitur, quòd sit sibi regula vitæ, & sine alieno præscripto omnia quæcunque vult faciat. Quem libertatis modum, primùm diabolus, deinde etiam homo peccando appetivit, quando voluit esse sicut Deus: sed quia hoc appetendo naturæ suæ modum per superbiam incomparabiliter excessit, justissimo Dei judicio perditâ libertate, quam in facili & prompta Dei servitute habebat, in miserrimam malæ suæ voluntatis dejectus est servitutem, à qua nemo liberari potest, nisi illius auxilio
Joan. 8. de quo scriptum est: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.*

CAPUT VI.

Quòd Sancti in hac vita nunquam sint perfectè liberi.

CÆterùm quia in hac vitæ miseria etiam sanctissimis quibusque competit
Rom. 7. quod ait Apostolus: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati:* &: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio: Spiritus enim*
Matt. 26. *promptus est,* ait Christus, *caro autem infirma:* ideò quamdiu hîc vivunt nunquam potiuntur libertate perfectâ, sed semper habent unde ad Deum clament:
Rom. 7. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Nam qua ex parte servimus Deo,* inquit Augustinus,
Super Joannem tract. 41. *liberi sumus: ex qua parte servimus legi peccati, adhuc servi sumus. Prima ergo libertas est,* inquit, *carere criminibus: sed ista inchoata est, non perfecta libertas. Habemus enim ex ista infirmitatem, ex qua parte accipimus libertatem. Tunc autem erit plena libertas, quando erit perfecta sanitas, ac totius boni consummatio, victo*

omni

omni ex parte peccato. Juxta hunc libertatis modum in omnibus quæ vult & facit liberrimæ voluntatis est Deus: quia neque invitus, neque sponte captivus quoquam trahitur, neque etiam in aliqua sua voluntate impeditur, sed omnia quæcunque vult facit. *Subest enim ei cùm voluerit posse*, inquit Sapiens. Sap. 12.
Liberrimi sunt & angeli & homines beati, etiam in eo quòd justitiam diligunt, quia sanguine Christi liberati, & sine servitute servi Deo facti, in hac sanctissima voluntate nullis malis desideriis aut reguntur aut impediuntur, sed aguntur à spiritu Dei, cui naturali ordine sunt sine servitute subjecti. Verùm dæmones in omnibus suis actionibus & desideriis miserrimi sunt suæ iniquitatis & malæ voluntatis, quam deponere non possunt, servi. *Similiter & impii homines, quamdiu non sunt à peccati dominio per filium liberati, servi sunt peccati: quia in omnibus suis actibus dominanti peccato serviunt, à cujus dominio sese eximere non possunt, nisi eos liberaverit filius.* Adeò ut & ipsa lex quæ est odor vitæ spirans ad vitam, efficiatur eis odor mortis in mortem, & peccato dominanti majores vires tribuendo, servitutem efficiat & molestiorem & deteriorem. *Virtus enim peccati lex*, inquit Apostolus, *& sine lege peccatum mortuum erat: sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit*, & occìdit. Sed *si vos filius liberaverit*, inquit Christus, *verè liberi eritis.* Gratias igitur agamus Deo, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habemus fructum in sanctificationem spiritus, & tantò liberiores sumus, quantò minùs peccato servimus, tunc futuri omnino liberi, quando in nobis nihil ampliùs retinebitur captivum sub dominio peccati.

1 Cor. 15. Rom. 7. Joan. 8. Rom. 6.

CAPUT VII.

Quòd libertati à servitute sit impertinens, utrùm actio sit in volentis potestate.

HUic libertatis modo impertinens est, utrùm id quod liberè fieri dicitur, etiam possit non fieri. *Quia voluntas juxta hunc modum ob id duntaxat libera dicitur, quia neque invita quoquam trahitur, neque sub aliqua hostili potestate sponte captiva tenetur, sed promptè & liberè id quod debet facit, & cui subesse debet lubens obsequitur.*

Hinc Augustinus: *Sic oportebat hominem priùs fieri, ut benè velle posset & malè; nec gratis si benè, nec impunè si malè. Postea verò sic erit ut malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio. Multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati esse sic volumus, ut esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Sicut ergo nunc anima nostra nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper est habitura: sed ordo prætermittendus non fuit. In eo quod ait, hominem priùs sic factum ut & bene velle posset & malè, *prioris modi libertatem significat, videlicet à necessitate*, de cujus tamen ratione non est posse benè & malè velle, seu posse peccare, ut rectè ait Anselmus: sed solùm flecti ex uno in aliud, sive id fiat ex bono in

Enchir. cap. 105. De lib. arbitrio. c. 1.

malum, sive ex bono in bonum aut melius, sive ex malo in malum aut pejus. Sed in eo quod subdit: *quòd nec libero carebit arbitrio, quando sic erit ut malè velle non possit: multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato:* ad posteriorem libertatis modum aspexit, *videlicet à servitute peccati:* quæ voluntatis libertas sola sub hoc nomine in Scripturis sanctis invenitur, ut
Cap. 8. apud Joannem: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Ea verò libertas voluntatis de qua priore loco diximus, quæ videlicet necessitati opponitur & ideò libertas à necessitate dicitur, non sub hoc nomine, sed alio quodam sermonis genere in Scripturis sacris expressa reperitur: ut cùm de homine recens condito dicitur, quòd Deus reliquit illum in manu consilii sui, manifestè si-
Ecclef. 15. gnificatur, quòd Deus illi voluntatem dederit, quâ & mandata Dei facere posset & omittere. Similiter ubi de homine justo dicitur, quòd potuit
Ecclef. 31. transgredi & non est transgressus, manifestè datur intelligi, utrumque in ejus potestate fuisse, nempe transgredi & non transgredi; & ideò licèt hic libertatis modus in Scripturis sacris non inveniatur hoc nomine expressus, non tamen propterea negandus est aut contemnendus, sed potiùs adversùs hæreticos (qui contra Scripturas sacras omnia ex necessitate evenire contendunt) religiosè suscipiendus & defendendus, ne sub prætextu externi nominis rem eam negemus, quam sine impietate etiam sub quocunque nomine negare non possumus.

CAPUT VIII.

Quòd liberum arbitrium idem sit quod libera voluntas.

PORrò quod de libera voluntate diximus, hoc etiam de libero arbitrio intelligendum putamus: quia quamvis liberum arbitrium à ratione potiùs quàm ab appetitu nuncupetur, attamen re ipsâ prorsus idem est quod libera voluntas, potestque iisdem modis intelligi quibus suprà liberam voluntatem distinximus. Nam licèt doctores catholici adversùs hæreticos liberum arbitrium sæpius in eo intellexerint, quòd possit omittere id quod facit, hoc est, in eo quòd in suis actionibus nullâ sit necessitate constrictum, sicut etiam intellexerunt Philosophi, qui posteriorem libertatis modum, qui nobis non nisi
Ench. cap. 105. de corre. & gra. c. 11. de civit. Dei, l. 22. cap. ult. per Christum contingit, ignoraverunt: attamen Augustinus secutus Evangelium, etiam liberum arbitrium in eo intellexit, quòd nullius extraneæ potestatis servituti esset obnoxium, sive in potestate haberet id quod agit omittere, sive non. Nam pluribus locis asserit, liberum arbitrium tunc liberius fore cùm non poterit servire peccato: nempe liberius quàm sit in hac vita, ubi sic adhæret justitiæ ut etiam possit servire iniquitati; quod juxta priorem libertatis modum dici non potest, quia in futura vita diligendo justitiam, nostrum arbitrium non erit priore modo liberum, sed solùm posteriori.

CAPUT IX.

Quòd aliud sit, quærere quid liberum arbitrium poterat cùm adhuc esset sanum: aliud quid nunc possit postquam à sua integritate decidit.

SEd postquam diximus quid sit voluntas, & quibus modis libera esse seu liberum arbitrium constituere dicatur, restat paucis explicemus quid ex se possit, & quid ex adjutorio divinæ gratiæ. Voluntas, inquam, non qualis ab initio condita est, cùm homo per illam omnia Dei mandata perfectè & sine ulla difficultate poterat implere, ac omnibus animi & corporis partibus sic imperare, ut in seipso nullum omnino sentiret dissidium. In quo statu recto & sine vitio si homo per liberum arbitrium manere voluisset, inquit Augustinus, *De cor. & gratia, cap. 10.* profectò sine ullo mortis & infœlicitatis experimento, merito hujusmodi permansionis, acciperet illam beatitudinis plenitudinem quâ & sancti angeli sunt beati, id est, ut cadere non posset ulteriùs, & hoc certissimè sciret. *Rectum* *Contra Collat.* *namque*, inquit Prosper, *& omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est, eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, possent in nobis quæ naturaliter acceperat perseverare, quia vellet, & merito perseverantiæ in eam beatitudinem perveniret, ut nec vellet decidere in pejus, nec posset. Sed ipso libero arbitrio, quo quamdiu voluit bonus mansit, à proposita sibi lege discessit*, & omnium virtutum decore, fraude invidentis exutus est, *perditisque per quæ ad æternam atque inamissibilem corporis animæque incorruptionem poterat pervenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota est damnationis & pœnæ? & quia omnes in illo peccaverunt, ideò quidquid ille perdidit perdiderunt. Perdidit autem primitùs fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientiâ & intellectu, caruit consilio & fortitudine, & impiè altiora sectando, à veritatis scientia & obedientiæ pietate dejectus est, nec ipso saltem timore sibi reliquo, ut ab interdictis metu caveret pœnæ, qui abstinebat amore justitiæ. Liberum ergo arbitrium ubi usum bonorum quæ acceperat fastidivit, & vilescentibus sibi felicitatis suæ præsidiis, insanam cupiditatem ad experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. Inde priusquam edendo carnem filii hominis & bibendo sanguinem ejus, lethalem digerat cruditatem, labitur memoriâ, errat judicio, nutat incessu, neque ullo modo idoneum est ad illud bonum eligendum & concupiscendum, quo se sponte privavit.* Non igitur quærimus, quid liberum arbitrium ex sua virtute poterat cùm adhuc sanum erat & integrum, quia tunc poterat non concupiscere & ab omni peccato tantùm quia vellet abstinere, quod nulli Sanctorum nunc in hac vita tribuitur: sed quærimus, quid nunc ex sua virtute possit, postquam delinquendo à sua integritate decidit; nam quemadmodum aliud est quærere, quid sapiat homini sano, & quid sapiat aut sapere possit jam lethali febre correpto. sic longè aliud est quærere, quid homo rectus & sanus ama-

amabat, & amando sine ulla difficultate præstabat, aliud verò quærere, quid jam velle aut præstare possit ægrotus, saucius & semivivus, cùm ad eum statum pervenit ut cum Psalmista dicere debeat:
Psal. 101. *Percussus sum ut fœnum, & arvit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Et, *ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.*
Psal. 40. Psal. 6. Et rursus: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.*

CAPUT X.

Quòd liberum hominis arbitrium, quale nunc est, ex se neque bonum facere possit, neque tentationem ullam superare.

PElagius docuit, liberum hominis arbitrium exteriori prædicatione atque exhortatione adjutum, ex innata sibi virtute adhuc posse universa præstare, quæ in sua primæva institutione poterat, nec aliter à seipso quale tunc erat differre, quàm quòd tunc nullas expertum peccati illecebras, sine omni impedimento ad omne opus bonum promptum esset & paratum, nunc verò peccandi consuetudine atque illecebris corporis paulatim vitiatum & corruptum, sic nos ex vitiis corporis malis desideriis obligatos teneat & adstrictos, ut hæc consuetudo vim quamdam videatur habere naturæ, nec quod bonum est nisi cum difficultate operari permittat; sic tamen, ut si ex ingenita sibi virtute fortiter & constanter bono insistere velit, exercitio & consuetudine tandem ad eam vitæ innocentiam & bene agendi facilitatem redeat, in qua primùm est conditum, hoc est, ad apathiam, quâ sine his affectionibus vivat quæ contra rationem accidunt mentemque perturbant, ut ait Augustinus. Sic enim colligebat Pelagius: Deus præcepit ut non concupiscamus, & ut Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus diligamus: sed nihil impossibile potest imperare qui justus est: igitur licèt cum difficultate & molestia, attamen ex nostris viribus possumus hæc universa præstare. Verùm hanc Pelagii collectionem manifestè refellit Christus in Evangelio, cùm ait: *Sine me nihil potestis facere.* Similiter Apostolus dicens: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et rursum: *Omnia possum in eo qui me confortat*, omnia videlicet quæ possum. Non enim simpliciter omnia poterat Apostolus, quia alibi dicit: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio:* sed quæcunque se posse sentiebat, hæc se non nisi in Deo posse & humiliter agnoscebat, & ingenuè profitebatur. *Quid enim boni operari potest perditus*, inquit Augustinus, *nisi quantùm fuerit à perditione liberatus?* Unde Cælestinus pontifex: *Illud etiam*, inquit, *quod intra Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est, ut quicunque dixerit gratiam Dei, quâ justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam peccatorum remissionem valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium*

[Margin notes: 14. de civit. Dei, cap. 9. — Joan. 15. — 2 Cor. 3. — Philip. 4. — Rom. 7. — Enchir. 30. — Epistola ad Episcopos Galliæ, cap. 10.]

rium ut non committantur, anathema sit. Et in quinto capitulo: ut quisquis dixerit, ideò nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, faciliùs implere possimus per gratiam, tanquam si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen etiam possimus sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficiliùs potestis facere; sed ait: Sine me nihil potestis facere; hactenus Cælestinus. *Joan. 15.* De qua re etiam Prosper ad capitula Gallorum ex plenario Concilio totius Africæ: *Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus,* inquit, *quorum constitutionem contra* *Cano. 8.* *inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, veraci professione (quemadmodum ipsorum habet sermo) dicamus, gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum,* *cujus concilii meminit August.* *non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos* *epist. 47.* *adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque ita hæc dona ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ author est, per conditionem jam hæc contulisse videatur, quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus. Unde aliâ creatione alioque principio renovari egemus in Christo, in quo sumus nova creatura novumque figmentum*; hactenus Prosper. Ex quibus verbis manifestè intelligitur, divina testimonia, quibus per præcepta & mandata liberum hominis convenitur arbitrium, non sic accipienda esse, quasi liberum hominis arbitrium sine Dei adjutorio ad vitam piam aut conversationem sanctam aliquid valere possit: sed ut intelligatur, quòd Deus id quod bonum est in nobis non sine nobis operetur, (sicut imaginabantur Manichæi) sed cooperantibus nobis. Nam quemadmodum omnis exhortatio & doctrina pietatis (si desit spiritus vivificans qui aures audiendi tribuat) litera est occidens & odor mortis in mortem: sic etiam justitiæ lex, quæ vel libris continetur vel mentibus hominum inscribitur, si spiritus sanantis gratiæ desit, nihil aliud quàm prævaricationem & iram operatur. *Lex enim auditores justitiæ facit, gratia factores,* inquit Augustinus. Et rursus: *Lex subintravit ut abundaret delictum,* *Contr. 2. epistolas Pela. lib. 3. cap. 2. Et de spirit. & lit. c. 6. Serm. 5. de quadrag.* *ut homo eo modo convictus atque confusus videret, non tantùm doctorem sibi esse necessarium, verùm etiam adjutorem Deum, à quo ejus itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas.* Et Leo Pontifex: *Deus ideò dat præceptum, ut excitet desiderium & præstet auxilium.* Quanquam igitur homini lapso imperatur vera & ab omni peccato libera justitia, quæ ab initio data & imperata fuit recto, ut ex ipso præcepto, quo ei hoc quod accepit indicitur, intelligat quid suo creatori debeat: attamen existimandum non est, quòd ad reddendum quod debet jam ex se sit idoneus, sed quòd per præceptum admoneatur, ut à litera occidente confugiat ad spiritum vivificantem, & facultatem quam non invenit in natura quærat ex gratia, hoc est, homini jam lapso ad hoc lex justitiæ indicitur, ut ex ea intelligat quid in sua prima creatione acceperit, ac proinde quid suo creatori debeat, ut expertus se reddere non posse quod debet, ex sua infirmitate admoneatur medicum quærere, & facultatem quam peccando perdidit, orando & nomen Domini humiliter invocando, à Deo misericorditer recuperare; quia ex se nec incipere, nec velle, nec cogitare potest quod bonum est: sed in singulis actibus, cogitationibus, motibus auxilio Dei indiget, non tantùm ad faciendum bonum quando nullâ tentatio-

ne impugnatur, sed multò magis declinando à malo & quotidianis tentationibus resistendo; hoc est, homo lapsus, non tantùm in singulis operibus bonis quæ nemine adversante facit, divino eget auxilio, sed etiam in singulis tentationibus superandis, quibus ad malum provocatur: sicut ex Dominica oratione ostenditur, in qua non minùs petimus, ne inducamur in tentationem, id est, ne à tentatione superati mali quippiam faciamus, quàm ut voluntatem Dei faciamus, id est, ut bonum operemur. Nam ex hac posteriori petitione, quâ dicimus: *Fiat voluntas tua*; rectissimè colligitur, divinum adjutorium in singulis operibus bonis, quibus voluntatem Dei facimus, esse necessarium, sicut nemine dubitante ante annos mille contra Pelagium universa collegit Ecclesia: igitur ex eo quòd petimus ne inducamur in tentationem, etiam rectè conficitur, in singulis tentationibus sufferendis, ut peccatum evitemus, divinum auxilium nobis esse necessarium, dicente Psalmistâ:
Psal. 26. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me*: &, *Deus in adjutorium meum intende: Do-*
Psal. 69. *mine ad adjuvandum me festina.* Quod etiam quotidiè per singulas horas frequentat Ecclesia, sciens quòd Dominus in voluntate sua præstet decori nostro
Psal. 29. virtutem, & quòd si avertat faciem suam à nobis, statim efficiamur contur-
Rom. 8. bati. Non enim carne, sed spiritu facta carnis mortificamus, & tentationes
Ibidem. omnes non propriâ virtute superamus, sed propter illum qui dilexit nos; adeò
Cap. 35. ut Prosper contra Cassian. dicere audeat, quòd *quisquis in tentatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidiè corda universorum fidelium clamant:*
Ephes. 6. Ne nos inferas in tentationem. Hinc Apostolus: *Confortamini in Domino*, inquit, *& in potentia virtutis ejus*; nam *si quis existimet se aliquid esse cùm nihil sit,*
1 Cor. 10. *ipse se seducit: Deus est enim qui facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.* Quem locum Apostoli tractans Chrysostomus: *Suntne ergo tentationes quas sustinere non possimus*, inquit, *& quænam sunt illæ? Omnes ut ita dicam*, inquit, *possibilitas enim in divino nutu est. Quare ut certò cognoscas, non solùm illas quæ virtutem nostram exuperant, non posse nos sine divino auxilio superare, sed ne has quidem humanas, addidit*: sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. *Neque enim mediocres illas quas dixi propriâ virtute sustinebimus, sed in his etiam divino opus habemus auxilio ut eas pertranseamus, & priusquam pertransea-*
De verb. Apostoli serm. 13. *mus, feramus.* Nam ut ait Augustinus: *Si Deus ipse non adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus.* Unde lib. 22. de civit. Dei, cap. 23. enumerans proprios justorum labores, quibus adversus vitia militant: *Vigiliis continuis excubare oportet*, inquit, *ne in hoc bello laborum periculorumque plenissimo, vel de viribus nostris speretur facienda victoria, vel viribus nostris facta tribuatur, sed*
1 Cor. 15. *ejus gratiæ de quo ait Apostolus:* Gratias autem Deo, qui dedit nobis victoriam
Rom. 8. per Dominum nostrum Jesum Christum; *qui & in alio loco:* In his, *inquit*, omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Quod igitur contra Pelagium
Cap. 3. Carthaginensi & Milevitano Concilio placuit: ut quicunque dixerit gratiam Dei, quâ justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam peccatorum remissionem valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema sit; non tantùm ad universas tenta-
Epist. 106. propositione 31. tiones quibus impugnamur, sed etiam ad singulas referendum est: sicut etiam retulit Augustinus, ubi à Pelagio exegit ut fateretur, quòd quando contra

ten-

tentationes concupiscentiasque dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam. Et Epistola 95. *Anathemet ergo Pelagius*, inquit, *scripta sua, ubi contra gratiam disputat possibilitatem defendendo naturæ ad vincenda peccata & implenda mandata.* Hinc Cælestinus Pontifex: *Nemo etiam baptismatis gratiâ renovatus*, inquit, *idoneus est ad superandas diaboli insidias & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Et rursus ex Zosimo: *Quod ergo tempus*, ait, *intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus causisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim ut quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo:* Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aëris hujus. Si tantùm dixisset Zosimus: *In omnibus actibus adjutor orandus est:* tunc facile fuisset suspicari, non in singulis tentationibus superandis, sed solùm in singulis operibus bonis faciendis, Dei adjutorium nobis esse necessarium: sed quando addidit, quòd in omnibus motibus adjutor & protector orandus est, quia non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, manifestè significavit, non solùm in singulis operibus bonis faciendis, sed etiam in singulis motibus pravis superandis, necessarium esse divinum auxilium. *Divini enim muneris est*, inquit Concilium Arausicanum 2. *cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus.* Manifestum est igitur, liberum hominis arbitrium, quale nunc est, etiam in regeneratis ex se non sufficere, neque ad bonum opus faciendum, neque ad tentationem malam superandam, sed horum potestatem nobis dari gratiâ Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, dicente Evangelio: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Liberum* enim *arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos habere*, inquit Augustinus, *sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati, in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit:* Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis. *Nec ita ut cùm quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potiùs ut ab illo audiens:* Sine me nihil potestis facere; *dicat ipse:* Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Sed objicitur: Qui tentatur ad fornicandum, is ex amore gloriæ, principatus, aut divitiarum sæpe ab hoc pernicioso affectu, sine ullo Dei adjutorio, revocatur: igitur mala tentatio potest sine ullo Dei adjutorio superari. Responsio. Quanquam timor pœnæ non nisi opus externum comprimit, ipsum verò internum peccandi affectum & consensum animi potiùs auget quàm minuit, tamen inter tentationes malas potest tanta diversitas atque pugnantia reperiri, ut simul menti non dominentur, sed altera ab altera sic comprimatur, ut neque opus externum, neque etiam mentis consensum obtineat. Quapropter dicendum non est, quòd is qui Dei auxilio destitutus tentatione aliquâ pulsatur, semper in illud peccati genus inducatur ad quod tentatione provocatur, quia fieri potest ut contrariis cupiditatibus agitetur quæ simul consistere non possunt: sed tamen quisquis tentatur ad peccandum, is necessariò in aliquam tentationem inducitur ac subjicitur peccati

Margin notes: Epist. ad Episcop. Gal. c. 6. — Ibidem. — Ephes. 6. — Cap. 9, 10. — Aug. contra duas epist. Pelag. lib. 1. cap. 2. — De cor. & gratia. c. 1. — Joan. 8. — Object. 1. — Responsio.

cati dominio, nisi à Domino protegatur: sicut de semetipso ait Psalmista: *Avertisti manum tuam & factus sum conturbatus*; quia vel hujus vel alterius malæ cupiditatis dominio subjicitur. Quapropter docet Augustinus vitia non veraciter vinci nisi verâ delectatione justitiæ, licèt aliquando sint apertissima vitia, quæ aliis vitiis vincuntur occultis quæque putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia & quædam sibi placendi altitudo ruinosa. *Tunc* itaque *victa vitia deputanda sunt*, inquit, *cùm Dei amore vincuntur*. Nam à quocunque vitia sic vincuntur, is in nullam malæ cupiditatis tentationem inducitur, quod propriè tentationem superare est: sed qui malam unam tentationem aliâ forsitan deteriori comprimit, is non est dicendus tentationem illam vicisse, sed mutasse: sicut nec servitutem evasisse dicendus est, qui mutavit dominum, sed quem ex servo contingit fieri liberum.

Psal. 29. De civit. Dei, l. 21. cap. 16.

CAPUT XI.

Quid liberum hominis arbitrium nunc adhuc possit ex innata sibi virtute.

Cùm itaque liberum arbitrium sine Dei adjutorio, neque bonum aliquod facere possit, neque à malo declinare, hoc est, neque ullam tentationem superare, sic ut in tentatione positum omne peccatum evadat; videndum est quid tandem possit. Hoc eleganter exponit liber tertius hypognosticon his verbis: Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum quæ ad Deum pertinent sine Deo aut inchoare aut certè peragere, sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis quam malis. Bonis dico quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam. Malis verò dico, ut velle idolum colere, velle homicidium, velle adulterium facere. Nam *voluntas humana*, inquit Prosper, *sine sui authoris participatione in terrenis occiduisque versatur. Si enim nec ad ista ordinanda rationalis animi vigeret ingenium*, inquit, *non vitiata esset sed extincta natura*. Et Maxentius vir Dei, in libello suo fidei: *Liberum autem naturale arbitrium*, inquit, *ad nihil valere credimus, nisi ad discernenda tantùm & desideranda carnalia seu secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortassis videri gloriosa; ad ea verò quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem & inoperationem intrinsecùs Spiritus Sancti*. Patet igitur, liberum hominis arbitrium, quale nunc est, ex semetipso nec bonum velle posse, nec tentationem ullam verè superare, sed mala duntaxat & carnalia, quale est adulterium, aut ea bona quæ ad utilitatem hujus temporalis vitæ pertinent.

De voca. Gent. l. 2. cap. 2.

Contr. Collat. c. 22.

CA-

CAPUT XII.

Quid liberum arbitrium possit ex adjutorio divinæ gratiæ.

POstquàm diximus quid liberum hominis arbitrium ex se possit, jam dicamus quid possit ex adjutorio divinæ gratiæ. Atque inprimis illud observandum est quod ait Augustinus: nullo modo dicendum esse, Deo deesse possibilitatem, quâ voluntas sic adjuvetur humana, ut non solùm justitia ista quæ ex fide est omni ex parte modò perficiatur in homine, verùm etiam illa secundùm quam postea in æternum in ipsa ejus contemplatione vivendum est. Quandoquidem si nunc velit etiam hoc corruptibile induere incorruptionem, atque hìc inter homines morituros eum jubere vivere minimè moriturum, ut totâ penitùs vetustate consumptâ, nulla lex in membris ejus repugnet legi mentis, Deumque ubique præsentem ita cognoscat, sicut Sancti postea cognituri sunt, quis demens audeat affirmare non posse? Sed quare non faciat quærunt homines, nec qui quærunt se attendunt esse homines. Sed licèt omnibus mortalibus etiam quantumlibet impiis, hanc possit Deus conferre potestatem, ut non tantùm credant & graviora Dei mandata observent, sed etiam ab omni peccato abstineant & omnem justitiam sic impleant, ut non sint inferiores angelis Dei: attamen secundùm altitudinem divini consilii sui, quibusdam ne hoc quidem tribuit ut possint credere; quales fuerunt de quibus ait Joannes, quòd propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde*; hoc est, quia juxta Isaiæ vaticinium, sic à Deo erant deserendi, ut ne credendi quidem munus acciperent. Nam licèt subinde dicat Augustinus, id esse in nostra potestate quod cùm volumus facimus, quale sine dubio videtur esse credere, credimus enim si credere volumus: attamen quia voluntatem credendi per nostram sufficientiam habere non possumus, sed solùm ex divino munere præparatam; ideò de illis quibus eam Deus dare non statuit, rectissimè dixit Joannes, quòd non poterant credere, quia juxta Isaiæ vaticinium illis decreverat non dare credendi voluntatem, sine qua nullam habemus credendi potestatem. Aliis verò tribuit quidem in hac vita credendi potestatem, sed non tribuit eis potestatem continendi ab omni concubitu; cujusmodi sunt fideles virgines, quæ non sunt de earum numero de quibus ait Christus: Qui potest capere capiat; sed potiùs de earum numero de quibus ait Cyprianus, quòd si nolunt aut non possunt in continentia perseverare, meliùs est ut nubant, quàm in ignem delitiis suis cadant. Qui igitur potest continere, contineat: si verò non potest, oret ut possit: quia si verè fidelis est, certissimâ fide credit, quòd non possit esse continens nisi Deus dederit. Aliis verò tribuit Dominus ut & credere possint & continere, & omnia hujus temporalis vitæ bona relinquere: tamen non tribuit eis, ut pro justitia & veritate possint hanc vitam temporalem contemnere, & Christum sequi morientem; cujusmodi fuit Petrus, cùm illi dixit Dominus: *Non potes me sequi modò, sequêris autem posteà*, cùm videlicet tan-

De spiritu & lit. cap. ultimo. *Rom. 7.* *Isaia 12.* *Lib. 2. retract. c. 1. & maximè lib. 2. c. 22.* *Joan. 12.* *Esa. 6.* *Lib. 1. Epist. 11.* *Sapient. 8.* *Joan. 13.*

ti boni dedero tibi potestatem; quæ potestas nihil aliud est quàm magna & robusta voluntas. *Qui enim vult facere Dei mandatum*, inquit Augustinus, *& non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam; poterit autem cùm magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est, magnâ charitate fecerunt. Hanc charitatem Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit; & tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat quando dicebat Domino:* Animam meam pro te ponam: *putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Qui igitur robustissimam atque ardentissimam charitatem non acceperunt, hi Christum pro justitia morientem nondum sequi possunt: qui verò acceperunt, sicut acceperat Petrus quando pro Christi nomine crucifixus est, magna quidem & miranda possunt; de quibus cum Apostolo humillimâ confessione dicunt: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Attamen in hac mortali vita, nunquam eò proficiunt ut ampliùs non concupiscant, aut dicere non debeant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* licèt ad id quotidie summâ nitantur instantiâ. Sed cur is qui dat eis credere, dat continere, imò animam pro justitia ponere, non etiam in hac vita tribuat ut possint contra legem Dei non concupiscere, aut certè ab omni peccato prorsus abstinere, in abdito judiciorum Dei positum est; de quo nihil aliud possumus quàm cum Hiere. dicere: *Scio, Domine, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos.* Qui continuò subjunxit: *Corripe, Domine, veruntamen in judicio, & non in furore. Tanquam diceret*, inquit Augustinus: *Scio ad correptionem meam pertinere, quòd minùs abs te adjuvor ut perfectè dirigantur gressus mei: veruntamen hoc ipsum noli mecum sic agere, tanquam in furore, quo iniquos damnare statuisti, sed tanquam in judicio, quo doces tuos non superbire.* Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? *Delicto tamen & merito nostro fit*, inquit Cyprianus, *ut laboremus, nec Dei opem in omnibus sentiamus.* Hoc igitur veraciter agnoscere & humiliter confiteri debemus, quòd liberum hominis arbitrium sibi dimissum, neque bonum facere possit, neque tentationem ullam sic vincere ut omne peccatum evadat, sed malum duntaxat aut bonum, quod ad ornamentum & subsidium præsentis vitæ pertinet; adjutum verò à Deo tantùm potest, quantùm placet Deo adjuvare, licèt in hac mortali vita nullus Sanctorum sic adjuvetur, ut aut non concupiscat aut peccatum nullum habeat, sicut ex Epistola Joannis discimus, quòdque id ad correptionem nostram pertineat, quòd à Deo minùs adjuvemur quàm necessarium est ut gressus nostri in via justitiæ perfectè dirigantur. *Ideò tamen*, inquit Augustinus, *quisque nostrûm bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit; nunc delectatur, nunc non delectatur; ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse, vel quòd scit, vel quòd delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quàm verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit:* Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. *Tantò autem magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, & author qualiumcunque bonorum omnium. Ut autem diligatur Deus, charitas ejus diffusa est in cordibus nostris, non per nos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

De gratia & lib. arb. cap. 17. — *Joan. 13.* — *Philip. 4.* — *Cap. 10.* — *Lib. 2. de pec. mer. cap. 17.* — *Lib. 3. ad Quirinum.* — *1 Joan. 1.* — *De pecc. merit. & remiss. cap. 17.* — *Psal. 84.*

MICHAELIS BAII, DE CHARITATE, JUSTITIA, ET JUSTIFICATIONE, LIBRI TRES.

DE CHARITATE, LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Ad intelligendam justificationem necessaria est charitatis cognitio.



DE Justificatione differenti, si bene & utiliter differere velit, magno studio quærenda est vera charitatis cognitio, quâ Deum diligimus & proximum, quia charitas aut justitia est, quam adipisci studet is qui justificatur: sicut docet Augustinus in fine libelli de natura & gratia, dicens quòd charitas inchoata, inchoata justitia est, charitas magna, magna justitia est; aut certè usque adeò justitiæ conjuncta, ut quamvis sine ea possit simulari, non tamen haberi aut acquiri: sicut docet Apostolus cùm ait: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1 *Cor.* 13. Et beatus Jacobus dicens, fidem quæ per dilectionem non *Jacob.* 2.

 opera-

operatur, usque adeò non præstare justitiam, ut etiam impietati dæmonum conjuncta reperiatur. Ut igitur & justitiæ rationem & justificationis modum deinceps investigare possimus, nunc quantùm Deus adjuverit, inquiramus quid sit charitas quam Scriptura tantopere commendat; unde sit homini charitas, à Deo an à seipso; & denique utrùm in iis tantùm reperiatur, quibus per baptismum aut salutaris pœnitentiæ remedium dimissæ sunt iniquitates, sic ut Dei vivi templum effecti sint, an etiam in Catechumenis & pœnitentibus, qui justitiam Dei esurientes & mandata ejus diligenter observantes, ad gratiam mysterii salutaris aspirant. Sic enim existimant quidam, ante peccatorum remissionem ne principium quidem aut vestigium ullum charitatis iis inesse qui sanctè vivunt, sed tum demum in momento accedere cùm ipsis peccata remittuntur.

CAPUT II.

Quot modis dicitur charitas, & quid sit.

DIvus Bernardus circa finem libelli de diligendo Deo, juxta morem loquendi Scripturæ sacræ duplicem nobis insinuat charitatem, dicens: Lex Dei charitas est, quæ trinitatem in unitate quodammodo cohibet. Nemo tamen me existimet charitatem hîc accipere qualitatem vel aliquod accidens, sed substantiam illam divinam; quod utique non novum nec insolitum, 1 Joan. 4. dicente Joanne: *Deus charitas est*. Dicitur ergo charitas & Deus & Dei donum. Itaque charitas dat charitatem, substantiva accidentalem; ubi dantem significat, nomen substantiæ est, ubi donum qualitatis. Ex quibus verbis manifestè patet charitatem uno modo divinam dici substantiam, seu propriè ipsum Spiritum sanctum, qui & à Patre Filioque procedit & sanctæ dilectionis motum diffundit in cordibus nostris; ob quam causam & donum & charitas propriè nuncupatur, sicut latè ostenditur primo sentent. distinct. 17. Hoc modo de charitate loquitur Joannes primâ suâ epist. sicut testatur Augustinus libro 15. de trinit. cap. 18. cùm ait: *Dilectio quæ ex Deo est & Deus est, propriè Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Quocirca rectissimè Spiritus sanctus, cùm sit Deus, vocatur etiam donum Dei, quod donum propriè quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum. Nam quod quidam existimant Joannem ab Augustino sic accipi, quasi de ea duntaxat charitate loquatur, quâ Deus nos diligit, non autem quâ nos sui dilectores facit, vanum esse videtur; tum quia Spiritus Sanctus eâdem ratione dicitur charitas quâ donum, quod dici non potest nisi eâ ratione quâ in nobis esse dicitur: tum etiam quia id ex aliis Augustini locis tam clarè refellitur, ut videatur nullam admittere tergiversationem. Ait enim de verbis Domini sermone 13. *Charitas usque adeò donum Dei est, ut & Deus vocetur.* Item in epistola ad Julianum 143. *Ipsa charitas in omnibus Dei donis ita excellit ut Deus dicta sit, quâ unâ impletur in nobis si quid divinæ legis aut monitionis implemus.* Et de gratia & lib. arbit. cap. 19. *Deus dilectio est. Et Pelagiani* (inquit) *etiam ipsum Deum ex semetipsis habere se dicunt*; & alibi sæpiùs, sicut

ficut citat Magifter lib. 1. fent. diftinct. 17. Altero modo dicitur charitas, ipfe animi motus quo Deum diligimus & proximum, qui accidens eft & qualitas, de quo ait Apoftolus: *Charitas Dei diffufa eft in cordibus noftris per Spiritum fanctum qui datus eft nobis.* Rom. 5. Et Chriftus in Evangelio: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Luc. 7. Hanc charitatem definit Auguftinus libro 3. de doctrina Chrift. cap. 10. dicens. *Charitatem voco animi motum, ad fruendum Deo propter feipfum, & proximo propter Deum;* Quid fit charitas. de qua re vide Auguftinum, lib. 83. quæftionum, quæft. 36. Et fuper Pfal. 9. *Pes animæ amor eft, qui fi pravus eft, dicitur cupiditas vel libido; fi rectus, dicitur charitas.* Similiter Pfalmo 3. *Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur; amor mundi, amor fæculi, cupiditas.* Item lib. 9. de Trini. cap. 8. *Amor mundi cupiditas, amor Dei charitas.* Et libro 11. de Genefi ad lit. cap. 15. *Hi duo amores, quorum alter fanctus eft, alter immundus,* &c. Item libro 14. de civitate Dei cap. 7. *Cujus propofitum eft amare Deum, & non fecundùm hominem, fed fecundùm Deum amare proximum ficut etiam feipfum; propter hunc amorem dicitur voluntatis bonæ, quæ ufitatius in Scripturis charitas appellatur, fed amor quoque fecundùm eafdem facras literas dicitur. Nam & ipfe Dominus Petrum interrogans, cùm dixiffet:* Diligis me plus his? Joan. 21. *Ille refpondit:* Domine tu fcis quia amo te. Hoc propterea commemorandum putavi (*inquit*) *quia nonnulli arbitrantur aliud effe dilectionem five charitatem, aliud amorem, fed Scripturas facras non aliud dicere amorem, aliud dilectionem vel charitatem infinuandum fuit.* Quemadmodum igitur concupifcentia vel libido, quando in Scripturis facris animi motum fignificat, nihil aliud eft quam amor mundi feu amor creaturæ, qui ad Deum non refertur, de quo 1 Joan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo funt:* fic etiam charitas hoc pofteriori modo, nihil aliud eft quàm amor vel dilectio Dei, quæ eadem etiam arbor bona & voluntas bona dicitur, ficut fuprà oftendimus ex libro 14. de civitate Dei cap. 7. ubi dicitur, quòd propter amorem Dei & proximi dicitur quis voluntatis bonæ, quæ ufitatiùs in Scripturis (inquit) charitas appellatur. Unde etiam idem Auguftinus libro 50. Homeliarum, homeliâ octavâ. *In dimidio rerum fuarum Zachæus, fi bonam voluntatem non haberet,* (inquit) *nihil dediffet. Bona enim voluntas ipfa eft charitas.* Et de gratia Chrifti capite vigefimo primo. *Cùm dicat Scriptura, inquit:* Ecce qualem charitatem dedit nobis pater; 1 Joan. 3. *quare contendit Pelagius quòd bonam voluntatem bonamque actionem habeamus ex nobis, quafi verò aliud fit bona voluntas quàm charitas, quam Scriptura clamat nobis effe ex Deo.* Idem habet de gratia & libero arbitrio cap. 17. Et contra duas epiftolas Pelagianorum lib. 2. cap. 9. vocat eam boni cupiditatem. An verò præter hunc animi motum qui charitas dicitur, alia quædam habitualis atque accidentalis qualitas in voluntate ponenda fit quæ etiam charitas nuncupetur, non magnopere contendendum exiftimo; quia facilè intelligi poteft, non tantùm animi motum, fed etiam conformem aliquem habitum diffundi poffe in cordibus noftris, per Spiritum fanctum qui datus eft nobis: fed an in Scripturis facris reperiri queat diftincta & aperta hujus habitus mentio fub nomine charitatis, alia quæftio eft, quam nihil opus effe duxi hoc loco difcutere, quia actu cognito, facile eft in habitus cognitionem venire. Nunc dicamus de origine charitatis quæ in animi motu confiftit. Nam charitatem

quæ Deus est, nemo forsitan ex semetipso, sed ex Deo duntaxat se habere putabit, quanquam tamen Spiritus sanctus non nisi propter hunc motum, quem in nobis præsens operatur, charitas nuncupetur.

CAPUT III.

Unde nobis sit is animi motus qui charitas nuncupatur.

PRoprium Pelagii dogma fuit, scientiam quidem legis nobis ex Deo esse, dilectionem verò seu bonam voluntatem ex nobis, sicuti manifestè patet ex Augustini de gratia & lib. arbit. cap. 19. ubi ait. *In Joanne lux ait:* Ecce qualem dilectionem dedit nobis pater. *Et in Pelagianis tenebræ dicunt: dilectio nobis ex nobis est; quam si veram, id est, christianam dilectionem haberent, scirent & unde haberent, sicuti sciebat Apostolus, qui dicebat: Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo data sunt nobis.* Joannes dicit, *Deus dilectio est; & Pelagiani etiam ipsum Deum ex semetipsis habere se dicunt, & cùm scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, charitatem ex seipsis volunt.* Similiter de gratia Christi cap. 19. *Alio loco,* inquit, *cùm diu asseruisset Pelagius, non adjutorio Dei, sed ex nobisipsis in nobis effici voluntatem bonam, opposuit sibi illud Apostoli:* Deus enim est qui operatur in nobis velle. Item cap. 21. *Cùm dicat Scriptura:* Charitas ex Deo est, *vel quod est amplius,* Deus charitas est; *cùm apertissimè dicat Joannes: Ecce qualem charitatem dedit nobis Pater, quare contendit quòd bonam voluntatem bonamque actionem habeamus ex nobis? quasi verò aliud sit bona voluntas quàm charitas.* Unde in commentario Epistolarum Pauli, qui falsò inter scripta Hieronymi numeratur, cùm sit Pelagii aut saltem alicujus Pelagiani, super caput 13. prioris Epist. ad Corinth. *Charitas ex nobis est,* inquit, *& omnem possidet fructum.* Cæterùm hunc errorem clarissimè refellit Augustinus, non tantùm in locis jam adductis, sed etiam in aliis innumeris, libro 21. de civitate Dei cap. 16. *Tunc itaque vitia victa deputanda sunt* (inquit) *cùm Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei & hominum Jesum Christum.* Similiter contra Julianum libro 5. cap. 5. *hoc totum rectè fit quando fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse, qualis amor nobis esse non potest nisi ex ipso.* Similiter Epist. 107. *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati gravitate perdidimus.* Id quod etiam clarè definitum est in Concilio Arausicano capite ultimo, ubi dicitur, quòd *per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus posteà aut diligere Deum ut oportuit, aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia prævenerit.* Idem definit Cœlestinus Pontifex in epistola ad Episcopos Galliæ cap. 9. & 10. Unde Prosper libro primo de vocatione gentium cap. 2. *Voluntas humana* (inquit) *sine sui authoris participatione in terrenis occiduisque versatur.* Et Maxentius in libello fidei, *liberum arbitrium ad nihil valere credimus, nisi ad discernenda tantùm & desideranda carnalia sive secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines forsitan possunt videri gloriosa.* Similiter Petrus Diaconus, in libello de incarnatione & gratia Christi ad Fulgentium cap. 6. *Homo sine gratia potest quidem cogi-*

1 Cor. 2.

cogitare aut desiderare humana, non autem potest cogitare, velle seu desiderare divina: sicut enim per febrim aut aliam corporis ægritudinem interdum efficitur, ut saluberrimos quosdam cibos extremè abominemur, sic etiam ab iis quæ salutis nostræ sunt, per peccatum originis, usque adeò aversi sumus, ut teste Apostolo, ne ad cogitandum quidem aliquid ex nobis quasi ex nobis sufficientes sumus; nam inquantùm cum Christo surreximus, quæ sursum sunt quærimus, inquantùm verò per peccatum corrupti sumus, non nisi quæ super terram. 2 Cor. 3.

CAPUT IV.

Quòd non tantùm dilectio Dei tanquam beatificatoris, sed etiam tanquam creatoris nobis ex Deo sit.

EX quibus etiam manifestum evadit, quàm vana sit eorum distinctio, qui ut Scripturis sacris & jam dictis aliisque pluribus Veterum testimoniis illudant, sine ulla traditione contendunt duplicem esse Dei dilectionem; alteram quâ Deum tanquam futuræ beatitudinis largitorem diligimus, quæ per Spiritum sanctum diffundatur in cordibus nostris, & charitas nuncupetur; alteram verò, quâ Deum tanquam creatorem amamus, quæ ortum ducat ex libero hominis arbitrio: quia si voluntas humana sine authoris sui participatione quæ super terram sunt sapiat, & in terrenis occiduisque versetur, nec valeat nisi ad cogitanda & desideranda carnalia, sæcularia & humana, sicut prædictis testimoniis ostensum est: igitur sine authoris sui participatione & munere, non potest suum creatorem diligere, sed id à Deo debet accipere. Quin & ipse Augustinus verum Dei amorem, quo ad Deum pervenitur quique non nisi à Deo Patre per Jesum Christum accipitur, pluribus locis amorem creatoris nuncupans, manifestissimè ostendit creatoris amorem, quem nonnulli errantes ex nobis esse putant, non re aut origine, sed solo duntaxat nomine distingui ab amore beatificatoris. Unde libro 4. contra Julianum cap. 3. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo patre per Jesum Christum cum Spiritu sancto; per hunc amorem creatoris*, inquit, *benè quisque utitur etiam creaturis; sine hoc amore creatoris nullus benè utitur creaturis.* Et libro 9. de Trinitate capite 7. & 8. *verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive creatoris: ergo aut cupiditate aut charitate, non quòd non sit amanda creatura, sed si ad creatorem refertur ille amor, jam non cupiditas, sed charitas erit.* Item libro 50. Homiliarum, homil. 34. *amor mundi adulterat animam, amor fabricatoris mundi sanctificat animam.* Nec mirum videri debet, juxta Augustinum, amorem creatoris non minùs diffundi per Spiritum sanctum in cordibus nostris, atque in Scripturis sacris charitatem nuncupari, quàm amorem beatificatoris; quia quemadmodum Deus non aliâ re creator, aliâ verò beatificator est, sed unâ & eâdem, nempe suâ substantiâ: sic nec est alia creatoris, alia verò beatificatoris dilectio, sed una & eadem, licèt fere hæc nominum diversitas diversa Dei beneficia insinuet, quibus ad Dei amorem provocemur.

CAPUT V.

Quòd experientia nihil eis patrocinetur, qui aliquam Dei dilectionem soli tribuunt libero hominis arbitrio.

QUin & hi qui creatoris amorem solis liberi arbitrii viribus ascribunt, quem acquisitam vocant charitatem, imprimis fatentur quòd hæc charitas nec ex Scripturis sacris, nec ex Conciliorum authoritate, nec etiam ex traditione Veterum ullum habeat testimonium, sed ex Philosophia duntaxat & ipsâ rerum experientiâ, cui in ejusmodi rebus necessum est innitatur Philosophia. Deinde etiam adjiciunt, quòd quemadmodum actus fidei ac spei acquisitæ & actus infusæ adeò sibi vicini sunt & similes, ut ne à credentibus quidem aut sperantibus possint inter se discerni, sic etiam actus charitatis acquisitæ & charitatis infusæ. Ex quibus ipsorum placitis sic adversus eos colligitur: Habitum charitatis secundùm se non cognoscimus, sed actum duntaxat, ex quo per experientiam cognito de ipso habitu conjicitur: at etiam juxta eos, inter actum charitatis acquisitæ & actum charitatis infusæ experientiâ discernere non possumus: igitur charitas acquisita non solùm sine Scriptura sacra, generalibus Conciliis, & traditione Veterum asseritur, sed etiam sine experientiæ testimonio; quia experientiâ comperire non possumus, an in nobis existat ullus fidei, spei, aut charitatis motus, quem non operetur Spiritus sanctus: sed dum nos credere, sperare, aut Deum diligere sentimus, etiam juxta eorum placita semper dubitare possumus, utrùm id ex Spiritu sancto proveniat, (sicuti Scriptura sacra testatur, dicens: *Charitas diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; & sicut sine ulla hæsitatione agnoscunt, qui non Spiritum hujus mundi acceperunt, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciant quæ à Deo donata sunt) an verò ex solo libero arbitrio, sicut juxta mundi hujus sapientiam, sub nomine philosophiæ, nostræ elationi persuadet humana præsumptio, præsertim si nostris conjecturis plus satis incumbamus, quæ fere in hoc propendent ut crucis Christi doctrinam subvertant, & Scripturas sacras negligenter attendamus, ex quibus solis discitur quid à Deo petere & per Christum obtinere possimus: igitur sub prætextu philosophiæ naturalis, circa ea quæ Dei sunt, nullus est agnoscendus fidei, spei, aut dilectionis motus qui de libero consurgat arbitrio, sed quicquid in quocunque homine ejusmodi reperitur, id juxta Scripturas sacras absque ulla ambiguitate fatendum est; per Jesum Christum descendere à patre luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, sicut de Latronis, Cornelii centurionis & Zachæi fide definit Concilium Arausicanum 2. cap. ultimo.

Rom. 5. 1 Cor. 2. Jacob. 1.

CAPUT VI.

Quòd omnis amor creaturæ rationalis sit charitas, aut vitiosa cupiditas.

IMò si quis diligenter supradicta Augustini testimonia consideret, forsitan comperiet juxta ipsius sententiam, omnem amorem creaturæ rationalis, aut vitiosam esse cupiditatem quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur dum ait: *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*; aut laudabilem charitatem, quâ Deus amatur, quam nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei & hominum Jesum Christum, sicut supra dixit Augustinus: *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est charitas*, ut ait in enchiridio cap. 117. & libro 1. retract. cap. 15. *Voluntas in tantùm libera est* (inquit) *quia in tantùm liberata est, & in tantùm appellatur voluntas, alioqui tutiùs cupiditas, quàm voluntas propriè nuncupanda est, quæ non est alienæ naturæ additamentum, sed nostræ vitium, à quo non sanamur nisi gratiâ salvatoris.* Nam dum ait voluntatem, dum liberata non est, totam esse cupiditatem, quid aliud significat quàm voluntatem, dum charitas non est, totam esse cupiditatem? neque enim aliud est voluntas liberata quàm charitas, quâ solâ à mala concupiscentia liberatur voluntas; ac proinde quid aliud dicit quàm voluntatis amorem, si charitas non est, semper esse vitiosam cupiditatem? Id quod adhuc expressiùs testari videtur lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. dicens: *Mirum si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit; aut enim justitiam diligimus, & bona est; & si magis diligimus, magis bona. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas, aut bona aut mala est, & utique malam non habemus à Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* In quo Augustini testimonio, per voluntatem bonam & voluntatem malam, non rectè à quibusdam accipitur ipsa naturalis potentia, quâ & benè & malè volumus, tum quia paulò antè eodem capite dicit Augustinus, voluntatem bonam in iis bonis esse, quorum esse usus non potest malus, quod de ipsa potentia intelligi non potest; quia ipsa in iis bonis est, quibus benè & malè vivitur, (sicut habet idem Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9.) sed solùm de actu, tum quia statim post jam dictum testimonium, ostendens quid per bonam & malam voluntatem intellexerit: quòd à Deo nos avertimus, inquit, nostrum est & hæc est voluntas mala, quòd verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona. Igitur cùm ait Augustinus, voluntatem in medio consistere non posse, ut nec bona nec mala sit, nihil aliud significare voluit, quàm omne voluntatis desiderium aut ad bonam dilectionem quæ charitas est pertinere, aut ad malam quæ est cupiditas. Id quod etiam apertissimè docet Leo sermone 5. de jejunio septimi mensis, his verbis: *Duo namque amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates; rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi*, &c. Similiter Christus in Evangelio, ubi ait: *Qui non est mecum, contra*

1 Joan. 2.

Matt. 12.

tra me est, quia ficut contra Christum nemo esse potest nisi per cupiditatem malam, sic cum illo nemo esse potest nisi per charitatem & voluntatem bonam. Sed jam videamus in quibus reperiri possit charitas.

CAPUT VII.

Quòd is animi motus, qui charitas dicitur, remissionem peccatorum præcedere possit.

Cùm quæritur: utrùm charitas etiam in iis reperiatur qui nondum consecuti sunt remissionem peccatorum propter longum alterius partis præjudicium; & quia plerique per charitatem, non nisi habitum quemdam intelligunt, quo homini insensibiliter infuso fiat peccatorum omnium remissio, & qui sine remissione peccatorum infundi non possit, res quædam absurdissima quæri putatur; quia apud ejusmodi homines tanquam certum habetur quod primùm in quæstionem venire debuit, nempe an in Scripturis sacris, nomine charitatis talis quisquam habitus sit intelligendus, an potius boni animi motus. Sed qui suprapositam divi Augustini definitionem diligenter attendunt, quâ ait: *Charitatem voco animi motum ad fruendum Deo propter seipsum & proximo propter Deum*; cum aliis testimoniis quibus manifestè testatur, charitatem nihil aliud esse quàm bonam voluntatem, quâ ad Deum convertimur, de qua ait Apostolus: quòd Deus operetur in nobis velle; facilè intelligunt, nomine charitatis non tam habitum quàm motum quemdam debere intelligi à quo boni esse dicimur, ac proinde non immeritò dubitari, utrùm charitas in iis tantùm reperiatur qui jam consecuti sunt remissionem peccatorum, an etiam in cathecumenis & aliis pœnitentibus, qui ante remissionem peccatorum præveniuntur à Deo multis bonis motibus; nam quòd charitas etiam ante remissionem peccatorum in multis inveniatur, sic videtur ostendi.

De doct. christ. lib. 3. cap. 10.

Philip. 2.

1. In Scripturis sacris eadem sunt charitas, dilectio & amor, quando in bono ponuntur, sicut ostendit Augustinus de Civit. Dei, lib. 14. cap. 7. nam tria hæc in Scripturis novi testamenti à Latinis interpretibus indifferenter usurpantur: sed *qui non diligit me*, inquit Christus, *sermones meos non servat*: igitur cathecumeni & pœnitentes, qui ante remissionem peccatorum sermones Domini diligenter observant, diligunt Dominum & habent eum animi motum qui rectè charitas nuncupatur.

Joan. 14.

2. Christus eodem loco apud Joannem, hunc ponit ordinem: *Si quis diligit me sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: sed in hoc ordine, primo loco pônitur diligere Dominum: secundo mandata Dei servare, quia plenitudo legis dilectio est: tertio, Pater meus diliget eum, seu diligetur à Patre meo, in quo significatur peccatorum remissio, sicut etiam patet ex parte sequenti, quæ habet: Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nam Deus ad nos inhabitandum censetur venire, quando per remissionem peccatorum propitius efficitur, sicut docet Augustinus in epist. 57. ad Dardanum: igitur dilectio Dei & mandatorum ejus observatio præcedunt remissionem peccatorum.

3. Eun-

3. Eundem ordinem oſtendit Chriſtus in Maria Magdalena, cùm ait: *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm;* ſicut etiam interpretatur Auguſtinus lib. 50. Homiliarum, homil. 23. Similiter Hugo de ſancto Victore lib. 2. de ſacramentis Chriſtianæ fidei, parte 14. cap. 6. Nam quod ait Calvinus cap. 9. ſuæ inſtitutionis, parag. 57. *Dimittuntur ei peccata multa, id eſt, dimiſſa eſſe monſtrantur:* parùm textui conſonat, præſertim quia verbis Chriſti tunc Magdalenæ dimiſſa fuiſſe peccata etiam intellexerunt qui accumbebant, dicentes: Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit? Unde Ambroſius in Apologia David. cap. 9. *Charitas,* inquit, *remittit etiam ipſa peccata, ſicut ſcriptum eſt de muliere quæ ſuper Dominum fudit unguentum, remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Luc. 7.

4. Similem ordinem præſcribit Auguſtinus in Enchiridio cap. 76. docens quemque, ex dilectione ſecundo præcepto ſibi ipſi præcepta, eleemoſynam facere dum ſe præparat ad peccatorum veniam.

5. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema,* inquit Apoſtolus: ſed impium eſſet execrari cachecumenum aut pœnitentem ad gratiam remiſſionis peccatorum anhelantem, etiamſi illam nondum ſit conſecutus: igitur tales cathecumeni & pœnitentes amant Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem ſperant conſequi remiſſionem peccatorum. 1 Cor. 16.

6. Qui non diligit manet in morte, inquit Joannes: ſed cathecumeni & pœnitentes, qui Chriſti fide imbuti præteritos ſuos confitentur errores, ſurrexerunt à mortuis & vivunt, etiamſi nondum habeant peccatorum remiſſionem, quia à mortuo, inquit Sapiens, tanquam qui non eſt perit confeſſio: igitur tales diligunt Deum. Quòd autem tales dicendi ſint vivere docet Auguſtinus tractatu 8. ſuper Joan. & ſuper Pſal. 67. tractans illud: ſimiliter eos qui exaſperant, de verbis Domini ſerm. 81. de verbis Apoſt. ſer. 44. & ſuper Pſal. 101. tract. 2. Et Gregorius homilia 26. 1 Joan. 3. Eccli. 17.

7. Cathecumeni & pœnitentes ante remiſſionem peccatorum vivunt, (ut dictum eſt) igitur non habent fidem mortuam ſed vivam, fides autem non dicitur vivere niſi per charitatem: igitur habent charitatem.

8. *Si habuero omnem fidem, ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,* inquit Apoſtolus, *& ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt:* ſed impium eſſet dicere, quòd Cathecumenis nihil prodeſſet ſua fides per quam ſalvi fiunt, nec pœnitentibus ſuæ eleemoſynæ quibus juxta Danielis conſilium ſua peccata redimunt, nec martyribus qui non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, ſua martyria, per quæ peccatis eorum abolitis ad regnum Dei tranſeunt; tantùm enim eis valent ad abolenda peccata (inquit Auguſt. lib. 13. de civi. Dei cap. 7.) quantùm ſi abluerentur fonte baptiſmatis: igitur tales habent charitatem, quâ magna Dei præcepta facientes ad vitam pertingunt æternam. 1 Cor. 13.

9. Jam dictæ Scripturæ ſimilis eſt illa quæ dicit: *In Chriſto Jeſu, neque circumciſio valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur;* quia ſi ad pietatem quæ per Chriſtum eſt, nihil valet niſi fides quæ per dilectionem operatur: igitur fides quæ valet ad peccatorum remiſſionem, de qua ſæpiùs ait Chriſtus: Fides tua te ſalvum fecit; per dilectionem etiam operatur, ſicut etiam Galat. 5.

docet Augustinus toto libro de fide & operibus, & præcipuè cap. 10. ubi redarguit eos, qui à baptizandis Dei dilectionem duntaxat exigendam censebant, à baptizatis verò etiam dilectionem proximi, quâ continentur mores conversationis humanæ, qui alibi manifeste contendit, utrumque charitatis præceptum ab eo qui baptizandus est antequam baptizaretur esse exigendum, & quòd alterum non possit sine altero consistere.

10. Scientia sine charitate inflat, sed Cathecumenos legitimè institutos, ad baptismi gratiam humiliter anhelantes, scientia sua ad profectum & remissionem peccatorum ædificat: igitur in eis est charitas, quæ facit ut scientia non inflet, sed ædificet.

11. Concilium Arausicanum 2. cap. ultimo sic habet. *Deus enim nullis præcedentibus meritis, & fidem & amorem sui priùs inspirat, ut baptismi sacramentum fideliter requiramus:* igitur Cathecumenus qui baptismum fideliter requirit, ut consequatur remissionem peccatorum, habet Dei amorem sibi inspiratum à Deo.

12. Concilium Milevitanum cap. 4. dicit illi anathema, qui negat dilectionis gratiam esse necessariam ad non peccandum: sed non peccare etiam competit cathecumenis & pœnitentibus ante peccatorum remissionem: igitur ante remissionem peccatorum cathecumenis & pœnitentibus competit dilectionis gratia quæ ad non peccandum est necessaria.

13. Dicitur in synodo Tridentina, quòd omnes peccatores se ad justitiam præparantes Deum, tanquam fontem justitiæ, diligere incipiant: igitur ante remissionem peccatorum agnoscit in pœnitentibus Dei dilectionem.

14. D. Augustinus libro 14. de civit. Dei cap. 7. differens de quatuor animi affectibus tandem subdit: *Cujus propositum est amare Deum, & non secundùm hominem sed secundùm Deum amare proximum etiam sicut seipsum, propter hunc amorem dicitur voluntatis bonæ, quæ usitatiùs in Scripturis sacris charitas appellatur.* Et rursum libro 50. Homiliarum, homi. 8. *In dimidio rerum suarum Zachæus si bonam voluntatem non haberet nihil dedisset, bona enim voluntas ipsa est charitas.* Item de gratia Christi cap. 21. *cùm dicat Scriptura:* Ecce qualem charitatem dedit nobis pater, &c. *Quare contendit Pelagius, quòd bonam voluntatem bonamque actionem habeamus ex nobis, quasi verò aliud sit bona voluntas quàm charitas, quam Scriptura declarat nobis esse ex Deo.* Hactenus Augustinus, ex cujus verbis constat, charitatem nihil aliud esse quàm bonam voluntatem: sed bona voluntas invenitur ante remissionem peccatorum, quia promittitur pax hominibus bonæ voluntatis: igitur charitas invenitur ante remissionem peccatorum.

15. Augustinus epist. 143. *Charitas*, inquit, *in omnibus Dei donis ita excellit ut Deus dicta sit, quâ unâ adimpletur in nobis si quid divinæ legis & admonitionis implemus:* Idem docet de Cathechisandis rudibus cap. 20. & 22. sed cathecumeni & pœnitentes de lege & admonitione Domini multùm implent, quando ad peccatorum remissionem aspirantes convertunt se ad Dominum, pœnitentiam agunt, confitentur, baptizantur, &c. igitur habent charitatem, quæ est legis plenitudo.

16. Item de gratia Christi cap. 26. *Ubi non est dilectio nullum bonum opus impu-*

tatu-

tatur nec rectè bonum opus vocatur, quia omne quod non est ex fide peccatum est, & fides per dilectionem operatur; sed in cathecumenis ante remissionem peccatorum invenitur aliquod bonum opus quod non est peccatum: igitur ante remissionem peccatorum est in eis dilectio.

17. Idem Augustinus contra 2. epist. Pelag. lib. 2. cap. 9. & 10. docet, primam boni cupiditatem, quâ ex malo in bonum per initium fidei commutamur, & propositum bonum studiumque virtutis esse charitatem. *Quid est enim boni cupiditas* (inquit cap. 9.) *nisi charitas? de qua Joannes sine ambiguitate loquitur, dicens:* Charitas ex Deo est; *nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo: sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est; avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum*, &c. sed hæc prima boni cupiditas in ratione utentibus necessariò præcedit remissionem peccatorum: igitur & charitas; frustrà enim veniam sperat qui non diligit (inquit Augustinus super Joan. tractatu 83.) Et Beda super epistolam Petri tractans illud: gratia vobis & pax multiplicetur; *benè primò gratiam, posteà nominat pacem*, (inquit) *quia sine gratia Christi ad pacem reconciliationis pervenire non possumus.*

18. Idem Augustinus de gratia & libero arbitrio cap. 18. *Sine suo fructu*, inquit, *prorsus admoneretur liberum arbitrium quærere Dei donum*, de quo Joannes dicit: Dilectio ex Deo est; *nisi prius acciperet aliquid dilectionis:* sed liberum arbitrium in Cathecumenis & pœnitentibus non sine suo fructu admonetur hoc Dei donum quærere; sunt enim de numero eorum de quibus ait Apostolus: *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit:* igitur Cathecumeni & pœnitentes aliquid dilectionis acceperunt quando hoc donum quærere incipiunt. Rom. 1.

19. D. Bernardus epist. 77. quæ est ad Hugonem, loquens de eo qui per superbiam recusat baptizari: *tametsi* (inquit) *ante exitum resipuerit, & voluerit & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequierit, cùm non desit fides recta, spes pia, charitas sincera, propicius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem; tantùm si aquam non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas:* igitur Bernardus existimavit ante peccatorum remissionem, non tantùm fidem & spem, sed etiam haberi posse charitatem. Id quod etiam manifestè testatur Thomas Waldensis, in opere secundo de sacramentis contra Wicleff cap. 97. dicens: *bonus Cathecumenus divinâ charitate flagrans, justus probatâ justitiâ, priusquam Christi Ecclesiæ conjungatur, est de vi status adhuc ineptus ad capessendum regnum Dei:* nam non est ineptus ad capessendum regnum Dei, nisi quia nondum habet remissionem peccatorum, qui tamen dicitur flagrans charitate.

Cæterùm contra prædicta ab iis qui oppositam sententiam tuentur unicum objicitur argumentum; 1 Joan. 4. dicitur: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Quas scripturas tractans Augustinus, libro 15. de Trinit. cap. 18. dicit, quòd solum istud donum est, quod dividit inter filios regni æterni & filios perditionis æternæ; id quod etiam repetit, de unitate ecclesiæ cap. 19. Igitur, inquiunt, charitas Objectio.

non invenitur nisi in filiis Dei qui jam remissionem peccatorum consecuti sunt.

Responsio. Cui respondemus, quòd D. Joannes & divus Augustinus locis jam adductis non de quibusvis hominibus loquantur, quasi videlicet semper filii essent quicunque Deum aut proximum diligunt, sed tantùm de credentibus, foris coram hominibus sanctè & honestè conversantibus, & suis temporibus ecclesiæ sacramenta percipientibus. Nam inter hos quicunque charitate faciunt, quod honestè & religiosè coram hominibus faciunt, hi sunt filii Dei; quicunque verò cupiditate ducuntur, licèt coram hominibus filii Dei videantur, attamen quia in nuptiis sine veste nuptiali recumbunt, & amore mundi coram hominibus faciunt quod deberent amore Dei facere, non sunt filii Dei. Quem sensum nobis manifestè suggerit Augustinus, tract. 5. super dictam epistolam Joannis, his verbis: *Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli; signent se omnes signo crucis Christi, respondeant omnes* Amen, *cantent omnes* Alleluja, *baptizentur omnes, intrent omnes ecclesias, faciant parietes basilicarum; non discernuntur filii Dei à filiis diaboli nisi in charitate.* In illis igitur qui jam credentes sacramenta ecclesiæ percipiunt & foris similiter vivunt, intelligi debet, quòd sola charitas filios Dei à filiis diaboli sejungit, non autem generaliter in omnibus: quia in iis quorum alii fideles sunt, alii impii, non sola charitas discernit filios Dei à filiis diaboli, sed etiam fides & baptismus. Similiter in iis quorum alii casti sunt, alii adulteri, filios Dei à filiis diaboli discernit continentia. Quapropter de his dici non potest, quòd solum charitatis donum discernat inter filios regni æterni & perditionis æternæ, sed de iis duntaxat qui eâdem fide præditi & iisdem sacramentis imbuti, omnia foris similiter faciunt, sed alii charitate verâ, alii verò cupiditate malâ, ut dictum est.

CAPUT VIII.

Quod sit charitatis initium.

VErùm ne qua fortè adhuc dubitationis anxietas in hac quæstione suspensa remaneat, etiam illud videamus quod sit charitatis initium & quando in nobis primùm oriatur. Diximus superiùs, charitatem nihil aliud esse quàm bonam voluntatem; ex quo manifestè sequitur, initium charitatis nihil aliud esse quàm initium bonæ voluntatis, quod tunc primùm concipimus, quando Deo operante & meritum omne præveniente, mala voluntas nostra in bonam commutatur, sic ut bene velle incipiamus qui priùs malum volebamus, (quemadmodum docet Augustinus de prædest. Sanctorum cap. 2. de bono perseverantiæ cap. ultimo) sive quando nobis priùs reluctantibus aditus divinæ vocationis Dei gratiâ procuratur, ac in nobis jam non reluctantibus spiritus virtutis accenditur, sicuti habet lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 6. *Oramus enim*, inquit ibidem cap. 9. *non solùm pro nolentibus, sed etiam pro repugnantibus & oppugnantibus, ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes: hoc igitur primùm velle, seu boni propositum, charitatis initium est.* Quod ab eodem Augustino lib. 2. contra 2. epistolas

las Pelagianorum cap. 8. & sequentibus vocatur prima boni cupiditas, quam in nobis sine nobis operatur, quando nobis nihil tale merentibus aut cogitantibus voluntas à Domino præparatur. Ait enim sic capite 8. de Pelagianis. *Isti volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam proficiendi gratiâ consequatur.* Et cap. 9. *Quid est boni cupiditas nisi charitas, de qua Joannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens:* Charitas ex Deo est; *nec initium ejus ex nobis & perfectio ejus ex Deo est: sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est; avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam misericordia ejus præveniet me, & ipse est cui veraciter fideliterque cantatur:* Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: *& quid hic apertiùs intelligitur quàm ipsa de qua loquimur boni cupiditas? Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere inceperit: ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quâ fit in nobis ut amemus quod præcipit nobis, in qua si nos non prævenit Deus, non solùm non perficitur, sed nec inchoatur in nobis.* Hoc charitatis initium eodem capite vocat Augustinus bonum propositum studiumque virtutis, quod tunc incipit in nobis, quando incipimus ex malo in bonum per initium fidei commutari, sicuti ibidem dicitur capite decimo.

CAPUT IX.

Quòd ipsa charitas non simul tota detur, sed in proficientibus particulatim accrescat.

NAm *charitatis donum*, inquit Prosper libro 2. de vocatione gentium cap. II. *non semper ejusmodi est, ut quicquid ad ejus plenitudinem pertinet simul à percipientibus sumatur. Est enim amor qui potest alio amore superari, & sæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marcescit, nisi ad eum fervorem Spiritu sancto inflammante profecerit, qui frigore nullo extingui, nullo potest tepore languere, sed multò crebrior multòque numerosior pars illa hominum est*, inquit, *cui particulatim accrescit.* Unde Augustinus de gratia & libero arb. cap. 15. *Gratia Dei semper est bona*, inquit, *& per hanc fit ut homo sit bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ; per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ jam esse cœpit, augeatur & tam magna fiat, ut possit implere quæ voluerit, cùm valdè perfectèque voluerit: ad hoc enim valet quod scriptum est:* Si volueris conservabis mandata; *ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata, sic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur*, & cap. 8. *Certum est nos mandata servare si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantùm velimus, quantùm sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est:* Deus est qui operatur in nobis velle & operari. *Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit:* Faciam ut in justificationibus meis ambuletis. *Cùm dicit faciam ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum & dabo cor carneum, unde faciatis.* Et cap. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam; poterit autem cùm magnam habuerit*

&

& robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est, magnâ charitate fecerunt. Hanc Petrus non habuit quando timore Dominum ter negavit; & tamen quamvis parva, tamen non deerat quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam; *putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Sed imperfectam ejus charitatem notabat Christus, dum diceret: non potes me sequi modò. Patet igitur charitatis initium tunc homini conferri, quando ab infidelitate aut mala voluntate conversus incipit velle bonum, id est, velle facere Dei mandatum, qui priùs volebat malum, id est, non Dei sed suum facere placitum, quod nihil aliud quàm concupiscere est; atque charitatem tunc rectè nuncupari, quando Deo cooperante tantum accipit incrementum, ut & mandata Dei faciat, & cupiditates, quæ prius eum in sceleribus detinebant, vincat, sive hæc per baptismum aut reconciliationem remissa fuerint, sive non. Quia si quis diligit me, inquit, sermones meos servabit, & qui non diligit me, sermones meos non servat. Sed nunc sumpto alio sermonis exordio, de justitia disseramus.

MICHAELIS BAII, DE JUSTITIA. LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quid sit justitia.

RECtissimè dixit quidam: Justitia in sese virtutes continet omnes; *Arist. 5. eth. cap. 1.* siquidem ut ait D. Chrysostomus: *Nihil aliud est justitia, quàm omnium mandatorum plena custodia, quæ sine virtutum omnium præsidio constare non potest.* *Hom. 12. in Matth.* Hæc eadem in Scripturis sacris alio nomine etiam charitas seu dilectio nuncupatur, quia qui diligit proximum legem implevit, & plenitudo legis est dilectio. *Rom. 13.* Unde August. de natura & gratia, *Charitas inchoata*, inquit, *inchoata justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est;* *Cap. ult.* *à qua beatum seu justum illum dicit Psalmista*, *Psal. 1.* qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

CAPUT II.

Quòd justitia alio modo in Christo, alio in nobis reperiatur.

CÆterùm juxta hunc primum fœlicitatis gradum perfectissimamque justitiæ regulam, secundùm quam is tantùm justus dicitur qui de Dei lege nihil *Cypria. lib. 1. epistola 3.* unquam prætermisit, nemo post lapsum justus inveniri potuit excepto unico filio Dei, qui quoniam peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, *De pecc. mer. lib. 2. cap. 10.* ideò solus inter mortales ex eo justus dici meruit, quia venit princeps mundi hujus & in eo non invenit quicquam. *Joan. 14.* Nobis verò quod in alio psalmo legimus: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum;* *Psal. 31.* quamdiu in hac vita sumus magna ju-

ſtitiæ pars eſt: quia quamdiu in hac vita ſumus, juſtitia noſtra magis conſtat remiſſione peccatorum quàm perfectione virtutum: in multis enim offendimus omnes, inquit Jacobus Apoſtolus. Quapropter Auguſtinus: *Noſtra juſtitia*, inquit, *quamvis vera ſit propter veri boni finem ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita, ut potiùs peccatorum remiſſione conſtet quàm perfectione virtutum. Teſtis eſt*, inquit, *oratio totius civitatis Dei quæ peregrinatur in terris; per omnia quippe membra ſua clamat ad Deum:* Dimitte nobis debita noſtra. Et infrà: *Hic itaque*, inquit, *in unoquoque fideli juſtitia eſt, ut obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis etiam repugnantibus imperet, vel ſubigendo vel reſiſtendo, atque ut ab ipſo Deo petatur & meritorum gratia & venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio perſolvatur. In illa verò pace finali, quoniam ſanata natura vitia non habebit, non opus erit ratio vitiis, quæ nulla erunt, imperet: ſed imperabit Deus homini, animus corpori, tantaque obediendi erit ſuavitas & facilitas, quanta vivendi regnandique felicitas.* Et contra Julian. *Juſtificatio*, inquit, *in hac vita nobis ſecundùm iſta tria confertur: priùs lavacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata: deinde congreſſione cum vitiis: tertiò dum noſtra exauditur oratio, quâ dicimus:* Dimitte nobis debita noſtra. *Placuit enim*, inquit Concilium Milevitanum, *ut quicunque dixerit gratiam Dei, in qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema ſit.*

Cap. 1. Lib. 19. de civi. Dei cap. 27. Lib. 2. c. 8. Cap. 3.

CAPUT III.

Quòd juſtitia hujus vitæ duabus conſtet partibus.

Ex quibus manifeſtum evadit, juſtitiam hujus vitæ duabus conſtare partibus, remiſſione videlicet peccatorum, (de qua Apoſtolus in Actis: *Notum ſit vobis, viri fratres, quòd per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari; in hoc omnis qui credit juſtificatur.* Et rurſum: *Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato;*) & vitæ novitate, quæ poſterior juſtitiæ pars in Scripturis ſacris juſtitia legis nuncupatur, de qua ſcriptum eſt: *Qui facit juſtitiam juſtus eſt:* &, *qui facit juſtitiam ex Deo natus eſt;* &: *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato, damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulamus.* Et: *Si præputium legis juſtitias cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur, & judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te qui per literam & circumciſionem prævaricator es legis?* &, *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur:* &, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam;* & alia multa quæ longum eſſet recenſere. Sed utramque juſtitiæ partem complectitur quod alibi legimus: *Si per legem juſtitia, igitur Chriſtus gratis mortuus eſt;* quia gratiâ Dei per Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm remiſſione peccatorum juſtificamur, ſicut malè docuit Pelagius, ſed priùs inſpiratione fidei & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu & effectu, ut juſtificatio legis impleatur in nobis. Qua-

Aug. l. 1. Retract. cap. 19. & contr. Fauſtum, l. 19. cap. 7. Act. 13. Rom. 6. 1 Joan. 3. Rom. 8. Rom. 2. Rom. 2. Hebr. 11. Galat. 2. Auguſt. epiſt. 106.

Quapropter & ipse Dominus testamenti novi gratiam, id est, veram justitiam nobis annuntians, non tantùm suis pollicetur, quòd propitius erit iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabitur: sed etiam quòd dabit leges suas in mentem eorum, & in cordibus eorum superscribet eas: *Et spiritum meum*, inquit, *ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini; Nam justus ex fide vivit.* *Hier. 31.* *Ezech. 36.* *Rom. 1.* *Abac. 2.*

CAPUT IV.

Quòd per justitiam quæ in fide vel ex fide esse dicitur, non tantùm remissio peccatorum, sed etiam operatio virtutum & justitia legis intelligenda sit.

RECtissimè igitur dixit B. Jacobus, quòd ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm: quia, uti diximus, hujus vitæ justitia non tantùm constat remissione peccatorum, sed etiam operibus virtutum quæ sine fide esse non possunt; quia *sine fide impossibile est Deo placere:* & *quicquid non est ex fide, peccatum est.* Quapropter dum in Scripturis sacris justitiam in fide vel justitiam ex fide legimus, non tantùm remissionem peccatorum, quæ ex fide est, intelligere debemus, sed etiam opera virtutum, quæ proprio nomine justitia legis dicitur: quia sicut non per legem sed per fidem justificamur à peccatis, ut ad Deum pacem habeamus: sic etiam non ex lege, sed ex fide, veram legis justitiam & orando impetramus & vivendo præstamus, ut verè justi simus. *Justus* enim *ex fide vivit*, & *Sancti per fidem operati sunt justitiam. Quapropter Israël*, inquit Apostolus, *sectando legem justitiæ*, hoc est, conando & præsumendo ex lege legis justitiam præstare, *in legem justitiæ non pervenit*, id est, veram justitiam quam præcepit lex non præstitit; quia non ex fide conabatur præstare legem justitiæ: ex fide, inquam, & agentis intentionem dirigente, & Christi auxilium impetrante, per quem non dubitant fideles sibi spiritum gratiæ subministrari, ut obediant legi justitiæ. Ignorantes enim Dei justitiam, quam videlicet adjuvando subministrat, & suam volentes constituere, quam non auxilio gratiæ sed suâ virtute præsumebant se facere, justitiæ Dei, quæ vera est, non fuerunt subjecti, sed in falsa justitia, quæ ex lege est, insipienter elati. Sic Apostolus, cùm ignorans & incredulus in justitia quæ in lege est conversatus esset sine querela, posteà fidelis factus, quæ prius lucra & melioris vitæ merita reputabat, hæc arbitratus est propter Christum detrimenta, ut inveniretur in illo non habens suam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi, id est, quam Christus ex fide invocantibus ut justè vivant subministrat: sicut gentibus, quæ priùs non sectabantur justitiam, jam credentibus subministravit. Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati & de peccato, damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulamus, id est, qui spem præstandæ legis, non in nobis qui caro sumus, sed in adjutorio *Cap. 2.* *Hebr. 11.* *Rom. 14.* *Rom. 1.* *Hebr. 11.* *Rom. 9.* *Philip. 3.* *Rom. 9.* *Rom. 8.*

Hebr. 11. gratiæ Spiritus sancti collocamus. Hanc fidei justitiam habuit Noë, quando responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ quæ per fidem est hæres est institutus. Habebant & Abraham & Isaac & Jacob & cæteri, de quibus tandem subdit Apostolus, quòd per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam: similiter & hi qui ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt &c. quia hi omnes testimonio fidei probati, in iis nu-
Abac. 2. merati sunt de quibus ait Propheta, quòd justus ex fide vivit.

CAPUT V.

Quòd remissio peccatorum non sit proprii nominis justitia, sed reputatur, quia justitiæ propriè dictæ ex parte æquivalet apud Deum.

IMò si propriè loqui velimus, remissio peccatorum justitia non erit, quia justitia propriè legis obedientia est, sive intus in voluntate, sive foris in opere, nec aliter à virtute secernitur, quàm quòd virtus in singulis intelligatur, justitia verò in universis. Sed in Scripturis sacris peccatorum remissio ideò etiam nomine justitiæ intelligitur, quia licèt propriè non sit, tamen apud Deum pro justitia reputatur, dum removendo prohibens, non minùs ad vitam ducit æternam quæ justitiæ præmium est, quàm vera legis obedientia quæ est propriè justitia. Unde Psalmista: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta*
Psal. 31. *sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Omnia enim facta de-*
Lib. 1. Retract. cap. 19. *putantur*, inquit Augustinus, *quando quicquid non fit ignoscitur:* non quòd ipsa remissio peccatorum tantum ad consequendam vitam conferat, quantum legis observatio, quæ propriè justitia est & vitæ æternæ meritum: sed quia hoc habet cum illa commune, quòd quemadmodum legis obedientia excludit peccatum, quod est vitæ æternæ impedimentum, sic etiam peccatorum remissione
Cap. 48. efficitur, ut peccata pro non admissis habeantur. Sicut enim in Genesi, Ephraim & Manasses, quos Joseph in Ægypto genuerat, ipsi Jacob reputati dicuntur, non quòd essent per omnia pares iis filiis quos Jacob ex se genuerat, sed quia in dividenda hæreditate parem cum eis habituri erant portionem: sic etiam peccatorum remissio dicitur justitia reputari, non quòd omni ex parte æquivaleat legis obedientiæ quæ propriè justitia est, sed quia hoc habet cum illa commune ut regni cælestis impedimenta secludat. Sed quemadmodum aliud est, esse veraciter legitimo thoro genitum, aliud verò beneficio principis consecutum, ut illegitimus more legitimi patris hæreditatem adeat: sic etiam si propriè & exactè loqui velimus, aliud est ob legis impletionem propriè justum dici & cœlesti præmio dignum, aliud verò ob remissionem peccatorum justum reputari & à gloria cœlesti non secludi.

CAPUT VI.

Unde æstimari debeat incrementum perfectioque justitiæ.

QUando itaque de incremento aut perfectione justitiæ differitur, non tantùm considerandа est peccatorum remissio, ut is videlicet statim perfectè justus esse dicatur qui nulli peccato tenetur obnoxius: sed multò magis ipsa totius hominis renovatio, quâ lex Dei continuò pleniùs ac pleniùs observatur, donec illud perfectè in nobis impleatur quod lex dicit: *Non concupisces.* Et, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Tunc enim demum perfectè justi erimus, quando accepta omnium remissione peccatorum, corpus animo & totus homo sic Deo obsequetur, ut neque in carne contra rationem, neque in ratione contra legem Dei ulla rebellio comperiatur. Nam sicut ait Augustinus, anima semper in sanctitate proficit, quamdiu magis magisque minuit eas, etiam quibus non consentit, cupiditates. Unde libro de perfectione justitiæ, plenam perfectamque justitiam non infantibus aut adultis rationis expertibus tribuit, qui tamen regenerati baptismo nulli omnino peccato tenentur astricti, sed Sanctis in futura vita, qui potiuntur sanitate perfectâ & totam legis implent justitiam. *Contra Julia. lib. 6. cap. 5.*

CAPUT VII.

Quòd licèt catechumenus aliquid justitiæ habeat ante baptismum, non tamen rectè justus dicatur nisi post baptismum.

LIcèt igitur cathecumenus aut pœnitens ante remissionem peccatorum aliquid justitiæ habeat; (habet enim fidem: *Si autem fidem habemus*, inquit Augustinus, *aliquid justitiæ habemus*; & in Psalm. 32. *Fides tua justitia tua est*; & de Prædest. Sanctorum, ex fide ideò dicit justificari hominem, quia ipsa prima datur ex qua impetrantur cætera quæ propriè opera nuncupantur: habet & bonam voluntatem, id est, vitæ melioris propositum, quod in Scripturis sacris usitatiùs charitas nuncupatur, quam suprà ostendimus esse justitiam: peccata sua Domino confitetur, id quod etiam justitiæ est initium, sicut testatur Augustinus super epistolam Joannis, dicens: *Cœpisti non defendere peccata tua, inchoasti justitiam, perficietur autem in te quando nihil aliud facere delectabit, quando nulla concupiscentia titillabit*; præterea custodit legis justitiam, quæ ad Dei justitiam usque adeò pertinet ut de ea scriptum sit: *Qui facit justitiam justus est.* Et, *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et, *si præputium legis justitias custodiat, judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam & circuncisionem prævaricator es legis.* Et: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*) quia tamen non habet remissionem peccatorum, sine qua non consistit hujus vitæ justitia, etiamsi

De verb. Apost. serm 16. cap. 7. *Tract. 4.* *1 Joan 3.* *Rom. 2.* *Matth. 19.*

etiamsi proposito & vitæ conversatione multos Dei filios superet, nondum potest justus vocari: at verò baptizatus, qui justificatus à peccatis factus est habitaculum Spiritus sancti, quantumlibet absit à perfectione justitiæ, habeatque adhuc plurimum quo in ea proficiat, tam operatione virtutum, quibus de die in diem renovetur, quàm remissione levium peccatorum, sine quibus ista
1 Petr. 4. vita non ducitur & propter quæ justus vix salvabitur, sed in misericordia &
Psal. 102. Psal. 142. miserationibus coronabitur; (neque enim justificabitur in conspectu Dei omnis vivens, sed quamdiu sumus in hac vita, magis sumus in justificatione constituti, quàm in perfecta aut stabili aliqua possessione justitiæ) tamen propter tantillum justitiæ quod tunc consecutus est, quo nonnihil spiritualiter sapit, & mandata Dei sic custodit ut nullum crimen admittat, simul & propter remissionem graviorum peccatorum quæ antè commisit, juxta usum loquendi
Luc. 1. Scripturæ sacræ, etiam ante Deum justus dicitur: sicut de Zacharia & Elizabet legimus, quòd erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Neque enim existimandum est, quòd sic omnem impleverint justitiam, ut ne de verbo quidem otioso reddituri sint rationem in die judicii, nec opus habuerint dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; (siquidem Zacharias è
Levit. 16. numero sacerdotum fuit, qui juxta constitutionem legis habebant necessitatem quotidie priùs pro suis delictis offerre, sicut ad Hebr. 7. legimus) sed quòd ita incesserint in omnibus mandatis & justificationibus Domini, ut nullum crimen admitterent, ob quod à regno cælorum mererentur excludi. Non enim
Epist. 2. qualecunque etiam tentationis humanæ, sed grave peccatum est, inquit Augustinus, quod in querelam venit.

CAPUT VIII.

Cur in Scripturis sacris rectè justi nuncupentur, qui sine peccato non fuerunt.

CÆterùm si nec ipse Zacharias, nec alius quivis Sanctorum, qui Scripturæ sacræ testimonio in hac vita fuisse justi prædicantur, absque omni peccato fuerit; sed etiam iis annumerandus fuerit qui cum Joanne Apostolo
1 Joan. 1. non minùs veraciter quàm humiliter confessi sunt: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; de quibus
Psal. 142. etiam Psalmista: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; mirum est quomodo iidem simul justi & pecca-
De verb. Apost. serm. 16. tores esse potuerint; cùm idem sit, justus sum, (ut inquit Augustinus) quòd peccator non sum. Ad quod respondendum, quòd nullus Sanctorum in hac vita ad tantam justitiæ plenitudinem pertigerit, ut secundùm perfectam justi-
Aug. de pecc. merit. lib. 2. cap. 10. tiæ regulam justus dici meruerit, quia nemo ab omni peccato immunis fuit; attamen secundùm modum conversationis humanæ, multi sunt dicti justi, quia post acceptam remissionem peccatorum, & à gravioribus criminibus diligenter abstinuerunt, & pro levioribus, sine quibus non vivebant, divinam clementiam instanter imploraverunt; nam quicunque tales fuerint in extremo

Dei

Dei judicio, ubi pro bonorum operum meritis etiam ipsa misericordia tribuetur, quâ fiet beatus cui non imputavit Dominus peccatum, non fraudabuntur præmio justitiæ: nec absurdè justi nuncupantur qui tunc à justo judice hîc justi fuisse judicabuntur. Si enim via quæ mathematicè recta non est, ob id tamen convenienter recta imò rectissima dicitur, quia nullam habet curvitatem quæ proficiscentem remoretur; similiter etiam ipsa regula fabrilis, quia tantùm habet rectitudinis, quantùm fabrili operi rectè describendo sufficit; cur non etiam verè justus appelletur, qui tantùm habet justitiæ, quantùm requiritur ut præmio justitiæ non fraudetur, etiamsi non careat omni peccato? Non quòd vox justitia similis sit charitati, calori, frigori & similibus, quæ in sua ratione nullam perfectionem includunt: sed quòd primariò dicatur de justitia patriæ, quæ secum nullum peccatum compatitur, secundariò verò de justitia viæ, quâ ad præmium justitiæ pervenitur, etiam si peccatum non desit. Nam simile quid invenitur in voce sano, perfecto, pleno, beato, mundo & similibus, de quibus non est hujus loci disserere. Unde Augustinus tractans illud Apostoli: *Quos prædestinavit hos & vocavit, & quos vocavit hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit; Proposueramus*, inquit, *considerare de his quatuor rebus, quid jam consecuti fuerimus, quid adhuc adipiscendum expectemus: prædestinati enim jam sumus antequam essemus, vocati sumus quando Christiani facti sumus; jam ergo & hoc habemus. Justificati quid? quid est justificati? audemus dicere, hoc tertium habere nos? Et erit quisquam nostrùm qui audeat dicere, justus sum? puto enim hoc esse, justus sum, quod est, peccator non sum. Si audes hoc dicere, occurrit tibi Joannes:* Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. *Quid ergo, nihil habemus de justitia? an habemus: sed totum non habemus? hoc ergo quæramus. Si enim aliquid habemus & aliquid non habemus; crescat quod habemus, & implebitur quod non habemus. Ecce enim baptizati sunt homines, omnia illis peccata dimissa sunt, justificati sunt à peccatis, negare non possumus. Restat tamen lucta cum carne, restat lucta cum diabolo: qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur; aliquando vincit, aliquando perimitur; quomodo de stadio exeat, attendatur.* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: *Item, si dixerimus, quia justitiæ nihil habemus, adversùm Dei dona mentimur; si enim nihil justitiæ habemus, nec fidem habemus; si fidem non habemus, Christiani non sumus; si autem fidem habemus, jam aliquid habemus justitiæ:* Justus enim ex fide vivit; *Grati simus ex eo quod habemus, ut non perdamus quod habemus. Ergo & hoc tertium*, inquit, *jam agitur in nobis; justificati sumus, sed ipsa justitia cùm proficimus, crescit donec consummetur, non ut finiatur, sed ut perficiatur.* Discant igitur hæretici, aliud esse, nondum totam habere justitiam (quam in hac vita se non habere etiam agnoverunt Apostoli) aliud, nullam in se habere justitiam, quod sine ingratitudine agnoscere non possunt Christiani; & justitiam suam non in alienæ justitiæ ludibrio constituant, solâ suâ fide delusi, sed in remissione peccatorum & ea renovatione quæ fidelibus contingit ex gratuito Christi munere, quâ non quidem plene & in omnibus, sed tamen veraciter & in gravioribus, in hac vitæ miseria divinæ legi obediunt. Neque cuiquam in hac mortali vita tribuitur, ut magnum illud justitiæ præceptum per-

Aug. de correpț. cap. 13.

Serm. 16. de verbis Apost. Rom. 8.

perfectè possit implere: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis*; quia cùm ad id summo conatu aspirent omnes Sancti, sine dubio ipsum perfectè implerent, si ejus rei facultatem à Deo acciperent, nec ampliùs orare deberent: Dimitte nobis debita nostra; quia ne carne quidem contra legem mentis concupiscerent. Sed cùm quæritur, *Quæstio.* cur Deus (qui eis in hac vita tribuit ut à sceleribus perseveranter abstineant, & leviorum peccatorum multitudinem, quæ quotidianâ infirmitate committunt, continuis precibus, lachrymis, eleemosynis, aliisque charitatis operibus operiant,) non etiam conantibus & ad id sese quantùm possunt extendentibus tribuat ut hoc justitiæ præceptum perfectissimè impleant: quan- *In fine libri de spiritu & litt.* doquidem *si nunc velit Deus*, inquit Augustinus, *etiam hoc corruptibile induere incorruptionem, atque hic inter homines morituros, eum jubere vivere minimè moriturum, ut totâ penitùs vetustate consumptâ, nulla lex in membris ejus repugnet legi mentis, Deumque ubique præsentem ita cognoscat, sicut Sancti postea cognituri sunt; quis demens audeat affirmare non posse? sed quare non faciat quærunt*, inquit Augu- *Responsio.* stinus, *homines, nec se attendunt esse homines.* Hoc igitur in abdito est cur Deus in hac vita multis tribuat, ut cum facilitate & hilaritate à furtis, à rapinis, ab adulteriis abstineant, non autem ut abstinere possint ab omnibus illicitis desideriis, quod etiam daturus est in cælo, cùm utrumque Deo sit æquè possibile. Sed quòd in hac vita mortali non tribuat, judicium & correptio *Hier. 10.* est: de qua Hieremias: *Corripe me Domine, veruntamen in judicio, non in furo-* *De pecc. mer. lib. 2. cap. 17.* *re:* sicut docet Augustinus cùm ait: *Scio ad correptionem meam pertinere, quòd minùs abs te adjuvor, ut perfectè dirigantur gressus mei: veruntamen hoc ipsum noli mecum sic agere, tanquam in furore, quo iniquos damnare statuisti; sed tanquam in judicio, quo doces tuos non superbire.*

CAPUT IX.

Quòd aliud sit justitia legis, aliud justitia ex lege.

NEmo tamen suspicetur, cùm justitia legis nominatur atque justitiæ veræ pars esse asseritur, quæ sæpius etiam in Scripturis sacris nomine justitiæ simpliciter appellatur, eam justitiam intelligi quæ passim apud Apostolum ju- *Philip. 3.* stitia in lege vel ex lege dicitur, ut cùm ait: *Secundùm justitiam quæ in lege est,* *Ibidem.* *conversatus sine querela.* Et rursus: *ut inveniar in illo non habens meam justitiam* *Galat. 5.* *quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi.* Et alibi: *Evacuati estis à Christo qui in lege justificamini, à gratia excidistis.* Quia justitia quæ in lege vel ex lege est, id est, ex viribus liberi arbitrii legem agnoscentis sine adjutorio spiritus & gratiæ, non Dei, sed hominis, nec vera & coram Deo, sed apparens duntaxat & coram hominibus est justitia, ex timore pœnæ aut amore mundi proveniens, quæ licèt apud homines multùm honoris & gloriæ mereatur, tamen apud Deum, qui oculum cordis intuetur, nihil aliud est quàm vera abomina- *De gratia & lib arbit. c. 12.* tio. Unde Augustinus: *Quotquot, inquit, adjuncto solo adjutorio legis, sine adjutorio gratiæ, confidentes in virtute sua, suo spiritu aguntur, non sunt filii Dei.* *Rom. 10.* *Tales sunt de quibus dicit Apostolus*, quòd ignorantes Dei justitiam, & suam volen-

volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. *De Judæis hoc dixit, qui de se præsumebant & gratiam repellebant, eòque nec in Christum credebant. Suam verò justitiam dicit eos volentes constituere, quæ est ex lege; non quia lex est ab ipsis constituta, sed in lege, quæ ex Deo est, suam justitiam constituerunt, quando eandem legem suis viribus se implere posse credebant, ignorantes Dei justitiam, non quâ justitiâ Deus justus est, sed quæ justitia est homini à Deo.* Et rursus tractans illud Apostoli: Non habens meam justitiam quæ ex lege est. *Quid est,* inquit, *non habens meam justitiam quæ ex lege est, cùm sua non esset lex ipsa, sed Dei, nisi quia suam dixit justitiam, quamvis ex lege esset, quia suâ voluntate legem se posse putabant implere, sine adjutorio gratiæ quæ est per fidem Christi?* Justitia verò legis vera justitia est, quia vera legis custodia est, nec hominis est, sed Dei: quia illam ex semetipso non præstat homo, sed ex divino adjutorio; a qua etiam coram Deo justi dicimur, quando nulli crimini sumus obnoxii: sicuti de Zacharia & Elizabeth legimus, quòd erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Unde Apostolus: *Si præputium,* inquit, *justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur, & judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam & circumcisionem prævaricator ex legis?* De qua etiam Augustinus: *Legem,* inquit, *veteris testamenti nos ajunt dicere, non ob id datam fuisse ut justificaret obedientes. Prorsus non intelligunt quid de lege dicamus, quia id quod dicit Apostolus, quem non intelligunt, dicimus. Quis enim dicat non justificari eos qui sunt obedientes, quando si non justificarentur non possent esse obedientes? Sed dicimus lege fieri, ut Deus quid fieri velit audiatur: gratiâ verò fieri, ut legi obediatur.* Et iterum: *Putant,* inquit, *Pelagiani se arbitrii sui viribus adimplere legem jubentem, & istâ implicati superbiâ ad gratiam non convertuntur juvantem. Sic eos litera occidit, aut apertè etiam sibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando se facere quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate, ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter justi, in aperta iniquitate evidenter elisi, in fallaci justitia insipienter elati, ac per hoc miro quodam modo, sed tamen vero, justitiam legis non implet justitia quæ in lege est vel ex lege, sed quæ in spiritu gratiæ;* hactenus Augustinus. Quamvis igitur ad veram justitiam non pertineat justitia quæ in lege vel ex lege est, id est, justitia hominis, quam suis viribus præstat adjutus solâ legis cognitione, (quam Apostolus suam justitiam nuncupat, quia pertinet ad mundi sapientiam quæ stultitia est apud Deum) tamen justitia legis, id est, vera legis obedientia legem consummans, quam operatur in nobis spiritus gratiæ quæque in Scripturis sacris non hominis sed Dei sive ex Deo justitia nuncupatur, usque adeò ad veram justitiam pertinet, ut nemo rationis compos justus evadere possit nisi hujus justitiæ particeps fuerit, sine crimine ambulans in omnibus mandatis, aut facto si tempus exigat, aut saltem proposito.

Ibidem. Philip. 3. *Quid justitia legis.* *Luc. 1.* *Rom. 2.* *Lib. 3. contra duas epist. Pela. cap. 2.* *Vide eundem lib. de grat. Christi, c. 13.* *Philip. 3.* *1 Cor. 3.*

CAPUT X.

Quòd hæretici tria prætendant, ut veram justitiam in sola remissione peccatorum constituant.

CUm igitur vitæ hujus justitia duabus partibus constet, remissione peccatorum, & operatione virtutum, (quæ posterior justitiæ pars in Scriptura sacra usitatiùs justitia legis nuncupatur) manifestè intelligitur illos vehementer errare, qui justitiam fidei in sola remissione peccatorum constituunt; sive cum Pelagio existiment, nos per Christi mortem ac fidem, non legis observantiam, sed peccatorum duntaxat remissionem accipere, quæ justitia fidei dici mereatur; sive cum nostri temporis hæreticis arbitrentur, justitiam Sanctorum, quam Scriptura sacra commendat, nulla ex parte in sanctis eorum operibus consistere, etiamsi ex Christi sanguine proveniant, sed tantùm in misericordia Dei peccata dimittentis & justitiam filii sui nobis per fidem imputantis, sic, inquiunt, ut Christus pronuntiet nos habere omnes virtutes quas ipse in terris habuit, atque ita coram se justos esse definiat justitiâ alienâ veluti propriâ. Quem suum errorem ex tribus fere capitibus conantur astruere; aut enim prætendunt, (nescio an inscitiâ magis an fraudulentâ malitiâ) quæcunque à justis secundùm Dei legem fiunt, apud Apostolum vocari opera legis, & pertinere ad justitiam quæ ex lege vel in lege est, quam Apostolus suam nuncupat, & justitiam fidei in sola remissione peccatorum consistere; cùm tamen manifestissimum sit, opera legis & justitiam quæ ex lege vel in lege est, non nisi in iis operibus debere intelligi, quæ ex solo legis adjutorio fiunt sine fide, sine auxilio gratiæ, sicut suprà satis ostendimus, ipsamque fidei justitiam non minùs in iis operibus reperiri, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus, (sicut ad Hebr. 11. latissimè ostenditur) quàm in remissione peccatorum; aut assumunt, omnia justorum opera coram Deo vere esse peccata, à quibus non justi sed injusti potiùs dici mereantur; aut denique ab operibus bonis justum dici non posse, nisi qui ab omni delicto fuerit omnino immunis: id quod olim de justis suis etiam asseruit Pelagius, ut ex Concilio Milevitano manifestum est. Quæ tria capita quoniam multiplicatis & ad nauseam usque repetitis sæpius scripturis, cum aliis quibusdam calumniis in sua Institutione, quam falso nomine Christianam vocat, verbosissimè inculcat Joannes Calvinus, lubet præcipuis ejus argumentis, quæ nodum quæstionis facere videntur, singulatim & paucis respondere.

Philip. 3. *Ephes. 2.* *Cap. 7.*

Sic igitur colligit.

Primum Argumentum.

Rom. 4. Apostolus non dubitat justitiam in peccatorum remissione collocare, dicens: *Beatus homo*, inquit, à Davide dicitur, *cui Deus accepto fert vel imputat*
Psal. 31. *justitiam sine operibus*, sicut scriptum est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*; nam beatus est justus: igitur nulla est in operibus justitia.

Res.

Responsio.

Idem David etiam non dubitat justitiam in legis obedientia collocare, ubi ait: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas ejus.* Et, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Similiter Joannes, ubi ait: *Qui facit justitiam justus est:* Et Apostolus Paulus: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et Apostolus Jacobus: *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Nam qui beatus, idem & justus. Quamobrem sicut ex testimoniis quæ citat Calvinus rectè colligitur, justitiam eorum qui recenter ad Deum conversi, nunc primùm indulgentiam peccatorum acceperunt, in remissione peccatorum consistere, licèt non solâ; sic etiam ex nostris testimoniis clarissimè ostendimus, justitiam eorum qui acceptâ peccatorum veniâ legem præstiterunt, (sicut Enoch, Noë, Abraham, Moyses, & cæteri quos ad Hebræos enumerat Apostolus, & de quibus ait, quòd per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam; & Apostolus Jacobus: Vides quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm,) non tantùm in remissione peccatorum, sed etiam in operibus virtutum debere intelligi. Quod autem Apostolus ex Psalmis, nullâ operum factâ mentione, etiam beatos pronuntiat quorum remissæ sunt iniquitates & quibus non imputavit Deus peccatum; hoc puto significat, quòd non tantùm justi dicendi sint, qui acceptâ remissione peccatorum, diu in magnis multisque virtutum operibus laudabiliter versati sunt, à quibus justi dicantur, (sicut de Abraham, Zacharia, Elizabeth & aliis multis legimus,) sed etiam qui recenter ad Deum conversi, per baptismum consecuti sunt remissionem peccatorum, etiamsi illis nondum suffragentur magna multaque opera virtutum, quibus fides eorum consummetur, & à quibus justi dici mereantur. Similiter quod eodem loco dicit Apostolus, David beatum hominem dicere cui Deus accepto fert justitiam sine operibus, non eò spectat ut fideles opera bona negligant, aut ad justitiam nihil facere existiment, sed ut intelligant, quòd non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, scilicet ex nobis antequam crederemus, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit Deus, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, tribuens nobis & peccatorum omnium remissionem & deinceps bene conversandi virtutem, ut non tantùm à remissione peccatorum, sed etiam ab operibus virtutum justi dici mereamur, sicut de Elizabeth & Zacharia legimus, quòd erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus præceptis & justificationibus Domini, sine querela.

Psal. 1. Psal. 118. 1 Joan. 3. Rom. 2. Cap. 1. Hebr. 11. Jacob. 2. Luc. 1.

Secundum argumentum.

Apostolus dicit se omnia pro stercoribus reputasse, ut Christum lucrifaceret, & inveniretur in illo non habens suam justitiam, quæ est lege est, sed quæ ex fide Jesu Christi. Item Judæi volentes propriam justitiam statuere, ju-

Philip. 3. Rom. 10.

ſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti: igitur juſtitia operum & juſtitia fidei ſunt inter ſe contrariæ.

Reſponſio.

Hîc latenter prætendit Calvinus, quòd initio hujus diſputationis primo loco poſuimus, nempe omnem operum juſtitiam eſſe juſtitiam ex lege, quam
Philip. 3. ſuam dicit Apoſtolus, omnemque fidei juſtitiam, quæ etiam Dei juſtitia eſt, in ſola peccatorum remiſſione conſiſtere: quorum utrumque falſiſſimum eſſe comperitur; ſiquidem vera legis obedientia, quæ operum juſtitia eſt, (de
Rom. 8. qua ait Apoſtolus: *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato, damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum*) non eſt juſtitia ex lege, ſed ex fide & adjutorio gratiæ Chriſti. Et rurſus: Juſtitia fidei illorum qui ab Apoſtolo ad He-
Cap. 11. bræos tanto numero commendantur, & de qua dicitur quòd Noë accepto reſponſo de his quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit mundum, & juſtitiæ quæ per fidem eſt hæres
Ibidem. eſt inſtitutus. Item, Sancti per fidem vicerunt regna & operati ſunt juſtitiam, non à remiſſione peccatorum, ſed ab operibus virtutum commendatur. Ju-
Abac. 2. ſtus enim ex fide vivit. Fatemur ergo juſtitiam quæ ex lege eſt, ab Apoſtolo
Rom. 1. inanem reputari, & juſtitiæ fidei ſeu juſtitiæ Dei eſſe contrariam, adeò ut qui juſtitiam ſtatuere volunt quæ ex lege eſt, quam ſuam vocat Apoſtolus, juſtitiæ Dei non ſint ſubjecti. Sed negamus, omnem operum juſtitiam ex lege eſſe,
Ephеſ. 2. quia neceſſum eſt, ex fide eſſe eorum operum juſtitiam, quæ præparavit Deus
Hebr. 11. ut in illis ambulemus, de qua juſtitia ait Apoſtolus, quòd Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam; quæ noſtra dici non debet, ſed Dei &
1 Cor. 1. ejus qui factus eſt nobis ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio; ut quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, non in ſemetipſo, ſed in Domino glorietur; quia non ex nobis eſt, ſed ex Deo, à quo accepimus, non tantùm remiſſionem peccatorum, ſed etiam opera virtutum, à quibus etiam
Hebr. 11. juſti dici mereamur, ſicut Abraham ex operibus juſtificatus eſt, non ex fide tantùm.

Tertium argumentum.

Fides omnem gloriationem excludit, ſi autem maneat operum juſtitia, manet gloriandi materia: igitur fides excludit omnem operum juſtitiam.

Reſponſio.

1 Cor. 3. Præcipit Apoſtolus, ut nemo glorietur in hominibus, & ut qui accepit
1 Cor. 4. non glorietur quaſi non acceperit: ſed nuſquam fidelibus omnem gloriam adi-
1 Cor. 1. Galat. 6. mit, ſiquidem eâdem epiſt. dicit: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et ali-
Rom. 3. bi: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: omnes enim egent gloriâ*

gloriâ Dei. Quanquam igitur fides excludat omnem gloriationem, quâ quis in semetipso glorietur, aut in alio, (qualem sine dubio habuisset Abraham si ex suis operibus justificatus fuisset, & justitiam suam non ex gratuito Dei munere habuisset, sed illam sibi suâ virtute peperisset, sicut de se gloriatus est Cicero, cùm ait: *Ego meis majoribus virtute meâ præluxi;*) attamen non excludit eam gloriationem, quâ justus in Domino gloriatur, fideliter credens & humiliter confitens illum omnis suæ justitiæ largitorem, tam in remissione peccatorum, quàm in operibus virtutum. Nam ad justos pertinet, (inquit Augustinus) qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc enim Apostol. apertissimè ostendit, qui cùm dixisset, ut non glorietur omnis caro coram illo, ne putarent Sancti se sine gloria remansisse, mox addidit: ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur. Hinc Apostolus: exclusa est gloriatio tua, quâ scilicet teipsum glorificabas, præsumens te tuâ virtute legem præstare, non per legem factorum, quam jactabas: sed per fidem, quâ didicisti te non propriâ virtute, sed per adjutorium gratiæ Christi posse legis justitiam præstare.

In Sall. *De corr. & gratia cap. 12.* *1 Cor. 1.*

Quartum argumentum.

Apostolus ait, quòd ex lege nemo justificatur, manifestum est, quia justus ex fide vivit; non constaret argumentum, nisi conveniat, in calculum fidei non venire opera.

Galat. 3. Rom. 1. Abac. 2.

Responsio.

Hæc ratiocinatio etiam ex primo erroris capite ducit originem; prætendit enim omnem operum justitiam & omne opus rectum ex lege esse, ac proinde nullum opus esse ex fide, ex quo justificari queat qui ex fide vivere dicitur. Sed hunc errorem manifestissimè refellit Apostolus in epist. ad Hebræos, ubi ostendit Sanctos testamenti veteris, non ex lege, sed ex fide omnia illa esse operatos, ex quibus consecuti sunt testimonium justitiæ. Ex fide, inquam, quâ non tantùm crediderunt se debere Deo obedire, sed etiam à Deo misericorditer accipere, ut & veraciter obedirent quicunque ei obedirent. Quapropter etiamsi in calculum fidei veniant ea opera, quæ non ex sola legis cognitione, sed ex fide & adjutorio gratiæ Christi proveniunt, rectissimè constat argumentum Apostoli: justus ex fide vivit, & spem justè vivendi non in seipso, sed in Dei ponit auxilio: ergo non justificatur ex lege, hoc est, ex iis operibus quæ se suis viribus facere præsumit, adjutus solâ legis cognitione: quia neque ejusmodi opera ex fide sunt, neque ex adjutorio gratiæ Christi. Cæterùm quomodo audet Calvinus dicere in calculum fidei non venire opera, cùm fides justificans ex operibus consummetur, & sine operibus inanis sit & mortua: in Christo enim Jesu, neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, inquit Apostolus, sed fides quæ per dilectionem operatur: adeò ut si habeam omnem fidem, charitatem autem non habeam per quam fides ope-

Cap. 11. *Galat.*

1 Cor. 13. retur, nihil mihi prosit. Quando igitur ex fide justificari dicimur, tunc in calculum fidei veniunt opera, non quæ homo suis viribus ante fidem operatur, adjutus solâ legis cognitione, sed quæ Deus in illo per fidem operatur, Philip. 2. datâ illi bonâ voluntate. Deus enim est qui operatur in nobis velle & facere Ezech. 36. pro bona voluntate, sicut in Ezechiele promittit dicens: Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.

Quintum argumentum.

Scriptura sacra cùm de fidei justitia loquitur, eò nos ducit, ut ab intuitu bonorum operum nostrorum aversi, in Dei misericordiam ac Christi perfectionem respiciamus.

Responsio.

Scriptura sacra loquens de justificatione, abducit nos ab intuitu eorum operum quæ nostrâ virtute facimus, adjuti solâ legis cognitione, quia hæc non sunt opera justitiæ etiamsi foris bona videantur, pertinentque ad justitiam Philip. 3. quæ ex lege est, quam Apostolus reputavit ut stercora: sed non abducit nos Ephes. 2. ab intuitu eorum operum quæ Deus operatur in nobis & quæ præparavit ut ambulemus in eis, quia ejusmodi opera pertinent ad Christi perfectionem, & Ephes. 1. plenitudinem ejus qui omnia in omnibus adimpletur, ut ait Apostolus. Hinc Ezechias ejusmodi opera recogitans, & intuens non homini, sed Deo, in 4 Reg. 20. oratione sua dicebat: Memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in conspectu tuo fecerim; e- 2 Tim. 4. xauditaque est ejus oratio. Similiter & Apostolus, ubi ait: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam videlicet certando & currendo præstiti. Sed hæreticus studens modis omnibus bonis operibus adversari, veram legis obedientiam, quam Deus in nobis operatur, exæquare conatur operibus quæ ex lege & viribus humanis fiunt, sine adjutorio gratiæ; quod quàm vanum sit suprà satis ostendimus.

Sextum argumentum.

Peccator nihil reputat sibi nisi miseriam, & totam salutis suæ causam in Deum rejicit: igitur non in bonis operibus, sed in sola peccatorum remissione repositam sibi justitiam cogitat.

Responsio.

De verb. Apostoli serm 10. *Nostrum nihil est nisi peccatum*, inquit Augustinus, & totam salutis nostræ causam in Deum rejicimus, quia veræ justitiæ fundamentum aliud nemo ponere

nere potest præter id quod positum est, quod est Christus Jesus: attamen gratiam Dei quâ justificamur, non in sola remissione peccatorum constituimus, (sicut olim constituit Pelagius, adversùs quem in Concilio Milevitano decretum est, ut quicunque dixerit gratiam Dei quâ justificamur ad solam remissionem peccatorum valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema sit:) sed etiam in operatione virtutum; quia sicut Deus utrumque filiis novi testamenti promisit, obedientiam videlicet mandatorum, & peccatorum remissionem: sic utrumque in eis operatur, ut in utroque justitiam eorum constituat, cujus merito ad salutem eos perducat. 1 Cor. 3. Cap. 3.

Septimum argumentum.

Apostolus ad Rom. ostendit justitiam fidei legis conditionibus esse solutam, ubi ait: Justitiam quæ ex lege est qui fecerit homo vivet in ea; quæ autem ex fide est justitia, &c. si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris quòd Deus suscitavit eum à mortuis, salvus eris: igitur justitia fidei non constat operibus. Rom. 10.

Responsio.

Non veni solvere legem, inquit Christus, *sed adimplere:* & *legem non destruimus per fidem*, inquit Apostolus, *sed legem statuimus; plenitudo enim legis est dilectio; & quod per legem audiebatur & non præstabatur, hoc per fidem & dilectionem adimpletur:* quia *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*, hoc factum est facile per incarnationem Christi & adjutorium Spiritus sancti. Quapropter justitia fidei non est sic legis conditionibus soluta, ut legis non debeat præstare justitiam, sed solùm soluta est à maledicto legis, à quo nos Christus liberavit, factus pro nobis maledictum, & ab ea justitia distincta, quam homo superbiens se suis viribus præstare præsumit, adjutus solâ legis cognitione sine ullo auxilio gratiæ, cujus præmium est ut in hac vita non occidatur, ubi ab hominibus judicatur, qui solùm vident ea quæ foris patent. Sed justitia fidei quam in nobis operatur Deus, & quæ non tantùm manifesta, sed etiam occulta dedecoris abdicat, fide corda purificans, veram & æternam retributionem expectat, quæ licèt etiam in veteri testamento præcepta fuerit, tamen ab iis duntaxat præstari potuit, qui suscepto fidei verbo, quod prædicabant Apostoli, eam suis cordibus inscripserunt, & inscribendo facilem sibi reddiderunt. Nec aliud docet Apostolus eo loco quem citat Calvinus, licèt rectum ejus sensum in re obscura pervertere conetur. Matth. 5. Rom. 3. Rom. 13. Rom. 8. Galat 3.

Octavum argumentum.

Justitia est gratuita: igitur non convenit operibus.

Responsio.

Quemadmodum gratuita est peccatorum remissio, in qua Calvinus totam justitiam constituit, sic & gratuita sunt opera, in quibus justitia consistit. *Dei*
Ephes. 2. *enim sumus factura*, inquit Apostolus, *creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Unde & ipsa vita æterna, quæ justo Dei judicio bonis operibus redditur, etiam gratia dicitur: quia gratuita Dei munera sunt opera quibus ipsa redditur: sicuti latissimè docet Aug. epist. 105. De gratia & libero arb. cap. 8. De correp. & gra. cap. 13. Imò & ipsa peccatorum remissio quæ ob pœnitentiam datur, ut alias causas omittamus,
Epist. 106. ideò etiam gratia est, quia Dei donum est pœnitentia cui datur, sicuti ait Augustinus.

Nonum Argumentum.

Manifestatur in Evangelio justitia certè non lacera nec dimidia, sed plena & absoluta: lex ergo in ea locum non habet, quia non perfectè impletur in hac vita.

Responsio.

In Evangelio plena & absoluta justitia revelatur, tam in remissione pecca-
Jacob. 3. torum, quàm in operatione virtutum: sed talis justitia in hac vitæ miseria non præstatur, quia in multis offendunt omnes, & semper habent cur dicant: Dimitte nobis debita nostra; nec tamen fraudandi sunt appellatione justorum, quia licèt non habeant absolutam & plenam hujus nominis proprietatem, tamen justo Dei judicio, in quo non obliviscetur misereri Deus, expectant veræ justitiæ mercedem, si modò usque ad finem vitæ hujus ab iis operibus absti-
Galat. 5. neant de quibus scriptum est, quòd qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Nam si in hac vitæ miseria propter spem salvi facti dicuntur fideles adhuc tam multis calamitatibus obnoxii, quantò magis justi dicendi sunt, etiamsi nondum sint in justitia perfecti? Sicut ergo appellationi justitiæ non obstat quorumdam leviorum peccatorum, quæ à regno Dei non excludunt, nondum facta remissio, licèt in remissione peccatorum sita sit justitia: sic nec eidem appellationi adversatur quorumdam mandatorum Dei levior transgressio, etiamsi in legis obedientia sita esse dicatur; quia neutrum impedit quominùs tandem perveniatur ad veram justitiæ mercedem: sicut suprà latiùs ostendimus.

Decimum argumentum.

Rom. 3. Quid sibi amabò volunt istæ locutiones, sine lege manifestatam esse justitiam, justificari gratis hominem, & sine operibus legis.

Res-

Responsio.

Hæ locutiones id volunt quod sæpius diximus, nempe quòd vera Dei justitia, quæ tempore veteris testamenti tanquam pluvia latens in vellere erat occulta, nunc autem tempore novi testamenti, vellere siccato & Judaico populo reprobato, tanquam pluvia in arca patens in filiis promissionis omnibus apparet manifesta. Justitia, inquam, sine lege, id est, non quam suis viribus præstent adjuti solâ legis cognitione, sicut præsumebant superbi Judæi, sed quam illis sine prævіis meritis ex gratuita promissione impartitur Deus. Unde etiam gratis justificari dicuntur & sine operibus legis, quia fidem syncerам, peccatorum remissionem, & veram legis obedientiam, in qua Dei justitia consistit, non acceperunt ex aliquo præcedentium suorum operum merito, sed ex gratuito Dei dono, reddentis bona pro malis, & impios ac rebelles ad fidem veram & vitam sanctam misericorditer convertentis. Sed quia hanc doctrinam non recipit Calvinus, ideò non intelligit quid sibi velit Apostolus.

Undecimum argumentum.

Per legem cognitio peccati, & *lex iram operatur*, non justitiam: igitur in operibus non est justitia. Rom. 3. Rom. 4.

Responsio.

Scimus lege tantùm fieri, ut quid Deus fieri velit audiatur: sed quando gratiâ fit ut legi obediatur, tunc negari non debet quin factores legis ex operibus bonis justificentur, quæ non operatur lex, sed gratia; quia qui facit justitiam, justus est. 1 Joan. 3. Nec cum Calvino in illud incurrere debemus, quod Catholicis olim improperabant Pelagiani, nempe legem non ob hoc datam fuisse, ut justificaret obedientes, sed ut gravior fieret causa peccati; de quibus Augustinus: Contra 2. Prorsus non intelligunt, inquit, quid de lege dicamus; quis enim dicat non epist. Pelag. justificari eos qui sunt legi obedientes? sed dicimus lege fieri, ut Deus quid lib. 3. c. 2. fieri velit audiatur, gratiâ verò fieri, ut obediatur: *Non enim auditores legis*, ait Apostolus, *justi sunt apud Deum*, *sed factores legis justificabuntur*. Rom. 2.

Duodecimum argumentum.

Ei qui operatur non imputatur merces secundùm gratiam, *sed secundùm debitum*: Rom. 4. justitia autem gratuita est: igitur nulla est fidei justitia, nisi ubi nulla sunt opera quibus merces debeatur.

Responsio.

Ei qui ex semetipso quæ justa sunt operatur, (sicut præsumebant Judæi solâ

legis cognitione adjuti) neque justitia quam operatur, neque justitiæ merces gratia est, sed simpliciter debitum: sed ei in quo Deus per fidem quæ justa sunt operatur, non solùm ipsa operum justitia, sed etiam justitiæ merces est

Epist. 105. gratia. Nam *vita æterna*, inquit Augustinus, *quæ meritis præcedentibus redditur*, (quia eadem merita quibus redditur, à nobis parata non sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam) *etiam ipsa gratia nuncupatur: nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Propterea nihil prohibet ibi gratuitam reperiri fidei justitiam, ubi sunt bona opera quibus merces debeatur: quia bona opera usque adeò sunt gratuita, ut & merces quæ eis justo Dei judicio tribuitur, rectè etiam gratia nuncupetur.

Argumentum decimum tertium.

Apostolus justitiam & reconciliationem promiscuè nominat, ut 2 Cor. 5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, non reputans illis delicta ipsorum. Ad Rom. 4. *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum.* Actor. 13. Per hunc remissio peccatorum annuntiatur ab omnibus, à quibus non potuistis justificari in lege Moysi: igitur justitia solùm constat remissione peccatorum.

Responsio.

Simili ratione colligas, justitiam nihil aliud esse quàm legis obedientiam; quia Scriptura sacra hæc duo sæpius permiscet, ut ad Hebræos cap. 11. *Sancti*

1 Joan. 3. *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam: Qui facit justitiam, justus est.* Et,

Actor. 10. *in omni gente qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Et, *Si præ-*

Rom. 2. *putium justitias legis custodiat.* Et, *Deus misit filium suum in similitudinem carnis*

Rom. 8. *peccati, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem, sed secun-*

Rom. 2. *dùm spiritum ambulamus.* Et, *Factores legis justificabuntur:* & alibi sæpius. Quapropter sicut ex his Scripturis justitiam non in sola legis obedientia ponimus; sic nec Calvinus ex illis prioribus intelligere debet, eam in sola peccatorum venia consistere, sed simul in utroque: sicut etiam manifestè continet ea sen-

De civit. tentia, quam perfrictâ fronte hoc eodem loco pro suo errore ex Augustino

Dei lib. 19. profert; sic enim habet: Justitia tanta est in hac vita, ut magis constet remis-

cap. 27. sione peccatorum quàm perfectione virtutum. Ubi manifestè significat quòd hujus vitæ justitia simul duobus his constet, videlicet remissione peccatorum & perfectione virtutum.

Argumentum decimum quartum.

2 Cor. 5. *Eum qui non noverat peccatum, Deus pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur justitia Dei in Christo:* igitur non in nobis, sed in Christo est justitia nostra.

Responsio.

Sicut paulatim efficimur justitia Dei in Christo, sic in ipso edocti sumus, opor-

oportere nos deponere veterem hominem secundùm pristinam conversationem, & induere novum qui est creatus in justitia & sanctitate veritatis, ut ait Apost. & tamen hanc doctrinam in nobis habemus, licèt non nisi ejus munere, qui factus est nobis sapientia, & justitia, & justificatio, & redemptio: igitur licèt paulatim efficiamur justitia Dei in Christo, tamen nihil prohibet quominùs renovati spiritu mentis nostræ hanc justitiam in nobis habeamus, quanquam non nisi illius munere, de cujus plenitudine omnes accepimus. Hoc enim à nobis exigit Apostolus, ut antè omnia expoliemus nos veterem hominem cum actibus suis, & induamus novum qui secundùm Deum creatus est; id quod etiam monet Hier. cùm ait: *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas.* Cæterùm cùm hæc Apostoli sententia quam Calvinus protulit, non loquatur de justitia hujus vitæ quæ imperfecta est, sed de justitia regni cœlorum, ubi Christus exhibebit Ecclesiam suam gloriosam, non habentem maculam aut rugam, sed omni ex parte, ut justitia dici mereatur, justam & perfectam; mirum est quomodo eam protulerit, ut ostenderet fideles non dici justos nisi extrinsecâ Christi justitiâ, cùm nec ipse eò insaniæ perductus sit, ut existimet cives regni cœlestis, cùm erunt justitia Dei in Christo, id est, omnino perfectè justi & æquales angelis Dei, extrinsecè duntaxat fore justos, sed suâ internâ renovatione à perfecta omnium spinarum eradicatione. Sicut igitur cives regni cœlestis erunt justitia Dei in Christo cùm erunt omnino perfectè & intrinsecè justi: sic & fideles in hac vita sensim efficiuntur justitia Dei in Christo, quando internâ justitiâ & quotidianâ renovatione, illius munere perficiuntur, etiamsi ad summam perfectionem in hac vita non perducantur.

Ephes. 4. *1 Cor. 1.* *Colos. 3.* *Ephes. 4.* *Hier. 4.* *Ephes. 5.*

Argumentum decimum quintum.

Cùm ait Apostolus: *Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam justi constituuntur multi:* quid aliud est in Christi obedientia collocare nostram justitiam, nisi asserere eo solo nos esse justos, quia Christi obedientia nobis accepta fertur ac si nostra esset? *Rom. 5.*

Responsio.

In ea Apostoli similitudine quam Calvinus pro se protulit, usque adeò significatur, nos eo modo in Christo justificari, sicut in Adam peccatores sumus effecti: ut D. Augustinus, adversùs eos qui peccatum originis in imitatione constituebant, sic colligat: Sicut ille in quo omnes vivificabantur, præterquam quòd se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis: sic & ille in quo omnes moriuntur, præterquam quòd eis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur imitationis exemplum est, occultâ etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes: sed Calvinus fatetur ingenuè, nos in Adam verè & intrinsecè factos esse peccatores: igitur ex hac Apostoli similitudine non solùm non evincit quod prætendit,

De pecc. mer. lib. 1. cap. 9.

dit, videlicet nos à Christi justitia extrinsecè duntaxat justos dici, sed etiam nobis imprudens suggerit quid adversùs eum proferre debeamus, ut hinc apertum ejus errorem manifestissimè revincamus. Sic enim rectissimè colligimus: sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam justi constituuntur multi: sed per unius inobedientiam multi constituuntur intrinsecè peccatores, infecti occultâ tabe concupiscentiæ: igitur per unius obedientiam multi constituuntur intrinsecè justi, renovati occultâ inspiratione gratiæ. Ad extrinsecam justificationem comprobandam, cuipiam fortasse vicinior videretur ea similitudo quam adjecit de Jacob occultato sub habitu fratris sui Esau, volens significare nos manentes iniquos sic indui justitiâ Christi, sicut Jacob manens qualis erat indutus est vestibus Esau; nisi ex sacris Scripturis didicissemus, nos Christum induere non tantùm remissione peccatorum, quasi videlicet peccata in nobis permanentia remittantur, sed etiam operatione virtutum, quâ vitiis exuti veram & intrinsecam justitiam induimus, juxta illud: Induimini Dominum nostrum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Et rursus: Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut & gentes ambulant. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis, &c. Induite ergo vos, sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, &c. Et ideò nec hâc similitudine efficit quod prætendit.

Rom. 13. Ephes. 4. Colos. 3.

Argumentum decimum sextum.

Deo nihil acceptum est, nisi omni ex parte integrum & absolutum nullâque sorde coinquinatum: sed in homine nihil tale reperitur: igitur in homine nullum invenitur opus justitiæ à quo justus dici queat, sed tantùm in Christo.

Responsio.

Hîc aggreditur Calvinus quod suprà secundo loco ab hæreticis diximus prætendi, ut persuaderent Sanctos non aliquo sibi opere intrinseco justos fuisse, sed solâ peccatorum remissione & extrinsecâ Christi virtute: nempe omnia Sanctorum opera peccata esse, à quibus nemo justus dicitur, sed magis injustus. Verùm huic suæ subsumptioni mirâ oblivione, seu potiùs cæcitate præmisit, quòd Deo nihil acceptum sit nisi ex omni parte integrum & absolutum nullaque sorde inquinatum; quia in Scripturis sacris plurima Deo placere & accepta esse legimus, secundùm quod prædixit Malachias: *Placebit Domino sacrificium Judæ & Hierusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.* Ait enim Sapiens: *Sapientia custodiet me in potentia sua, & erunt accepta opera mea.* Et rursum: *Sacrificium justi acceptum est.* Et Paulus Apostolus: *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, in odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Et rursum: *Obsecro igitur primùm fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,* &c. *hoc enim bonum est & acceptum coram*

Malach. 3. Sapien. 9. Eccli. 35. Philip. 4. 1 Tim. 2.

coram salvatore nostro Deo. Et iterum: *Si qua vidua filios habet aut nepotes, discant primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo:* & alia multa; quæ si definitivæ illi sententiæ jungamus, quâ dicit Calvinus nihil Deo esse acceptum, nisi omni ex parte integrum & absolutum nullâque sorde inquinatum, quis non statim intelligat evidentissimè sequi, hæc quæ Scriptura sacra Deo fuisse accepta commendat, omni ex parte integra fuisse & absoluta nullâque sorde inquinata? Fatemur ergo nihil Deo esse acceptum, nisi quod nullâ sorde peccati est inquinatum, quia peccata Deo accepta esse non possunt: sed negamus omnia Sanctorum merita esse aliquâ peccati sorde inquinata, quia ex Scripturis sacris, quæ multa Deo accepta fuisse testantur, contra Calvinum manifestissimè colligimus, ipsa nullâ peccati sorde fuisse inquinata: nam si aliquâ sorde inquinata fuissent, etiam Calvino teste, Deo accepta non fuissent, nec ad patientiam pertinerent, de qua scriptum est, quòd opus perfectum habet. *1 Tim. 5.* *Jacobi 1.*

Sed objicitur: Sancti nunquam carent concupiscentiâ malâ: igitur quæcunque spiritu Dei operantur, necessarium est concupiscentiâ malâ inquinentur.

Responsio.

Fieri potest, inquit Augustinus, *ut insit concupiscentia mala, & nullâ sit tentatione commota, sicut inest timiditas homini timido & quando non timet.* Quapropter ea quæ in Sanctis absque omni commotione inhabitantis concupiscentiæ à Spiritu sancto fiunt, necessum est ut nullâ sorde inquinentur, nisi dicere velimus Spiritum sanctum esse inquinamenti authorem. Non enim vos estis qui loquimini, inquit Christus, sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis: &, Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; & alia sexcenta, quæ passim in Scripturis sacris reperiuntur. Quando verò nolentibus Sanctis, bonis eorum operibus ingerit se aliquid malæ cupiditatis quod mundum dici non potest, adhuc tamen mundum est quod operantur, seu quod Spiritus sanctus per eos operatur; quia malum illum cupiditatis affectum, neque spiritus Christi, neque ipsi in semetipsis operantur, sed quod habitat in eis peccatum. Quapropter Apostolus non tantùm dixit, conjugium honorabile in omnibus, sed addidit, torus immaculatus, ut significaret etiam illud opus quod constat non posse carere concupiscentiæ malo, posse tamen carere peccato: nimirum si concupiscentiæ nulla ex parte consentiatur: quia nihil est damnationis in iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant. Ubi verò Sanctis aliqua ex parte consentientibus, bonis eorum operibus aliquid malæ cupiditatis accedit, sic ut sciat sinistra quid faciat dextra, tunc sine dubio quæ alioqui bene fiunt, ratione circunstantiæ aliqua ex parte contaminantur. Sed absit ut talia sint omnia Sanctorum opera, qui Deum ex toto corde quæsivisse leguntur, & multa Deo accepta fecisse, licèt vitam hanc mortalem absque peccatis non transegerint, quæ Deus illis quotidie pacto dominicæ orationis indulgeret. *Lib. 6. contra Julia. cap. 8.* *Matth. 10.* *Rom. 8.* *Hebr. 13.* *Rom. 8.*

Argumentum decimum ſeptimum.

Aug. lib. 3. contr. duas epiſt. Pelag. cap. 5. 1 Tim. 2. Omnium piorum ſub hoc onere corruptibilis carnis & in hac vitæ infirmitate gementium una ſpes eſt, quòd mediatorem unum habemus Jeſum Chriſtum, & ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris: ſi unica hæc illis ſpes eſt, ubi operum fiducia.

Reſponſio.

Etſi Sancti in hac vita plurima bona opera faciant, tamen propter delicta ſine quibus non vivunt, in die judicii nulla eſſet illis ſalutis fiducia, niſi ob miſericordiam, quam in hac vita faciunt, ſperarent judicium cum miſericordia: ſicut apertiſſimè docet Auguſtinus: *Lib. 2. de pec. mer. cap. 3. Jacob. 2.* Quis, inquit, cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ de hac vita migraret, manente illâ ſententiâ, quòd quicunque totam legem ſervaverit, offendit autem in uno, factus eſt omnium reus, niſi poſt paululum ſequeretur: Sic loquimini, & ſic facite, tanquam per legem libertatis incipientes judicari? Judicium enim ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam: ſuperexultat autem miſericordia judicio. Quanquam igitur *1 Joan. 3.* magna ſit in operibus fiducia, de qua ait Joannes: Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus cuſtodimus; de qua etiam Tobias; fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam: tamen quia occultis Dei legibus conſtitutum eſt, ut nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſanguis mediatoris expiaverit, rectè docet Auguſtinus, quòd propter peccata ſine quibus hæc vita non ducitur, omnium Sanctorum in hac carnis infirmitate gementium una ſpes eſt, quòd Chriſtus ſit noſtrorum propitiator peccatorum: ſed hanc propitiationem fruſtra ſperarent Sancti, ſi in hac vita nulla bona opera facerent, propter quæ hanc miſericordiam ſperarent; *Jacobi 2.* quia judicium ſine miſericordia erit illi, qui non facit miſericordiam. Sed quod pro leviorum peccatorum remiſſione, quæ etiam in judicio neceſſaria erit, dicit Auguſtinus, hoc ad bonorum operum injuriam torquere conatur hæreticus.

Argumentum decimum octavum.

Serm. 61. ſuper Cantica. Meritum meum, inquit Bernardus, miſeratio Domini eſt: igitur nullum eſt meritum, niſi remiſſio peccatorum.

Reſponſio.

Divus Bernardus eo ſermone nos monet, ut non cantemus opera juſtitiæ quæ fecimus nos, ſcilicet ex nobis, ſed juſtitias Dei ſolius, cujus miſericordia & Sanctos prævenit ut velint, (nam attrahit eos miſerans) & ſubſequitur ne fruſtra velint: ſed Calvinus verbis ejus inſidians, miſerationem Domini non in

in operibus justitiæ cum fidelibus intelligi voluit, sed cum Pelagio in sola peccatorum remissione; quod quàm alienum sit à doctrina Apostolica jam sæpius ostendimus.

Argumentum decimum nonum.

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: quando igitur opera suâ dignitate censentur, non sunt nisi iniquitates & sordes. *Job. 9.*

Responsio.

Quia in hac vita mortali sine peccato non vivitur, ideò quisque Sanctorum ex perfecta & exacta justitiæ regula sese metiens, quæ requirit ut justus ab omni peccato sit immunis, etiamsi multorum bonorum operum sibi conscius sit, justum se tamen pronuntiare non audet: quia simul intelligit, quantùm sibi ad perfectam justitiam desit: sed quod dictum est propter delicta sine quibus non transigitur hæc vita, id Calvinus conatur extendere ad universa Sanctorum opera; quod quàm sit vanum facilè quivis intelligit. Et licèt omnes nos quasi oves erraverimus, unusquisque juxta viam suam, sicut ex Esaia commemorat; *Isai. 53.* tamen qui juxta Petri testimonium conversi sunt nunc ad pastorem & episcopum animarum suarum, per eum qui venit quærere & salvum facere quod perierat, deducuntur super semitas justitiæ. *1 Pet. 2.* *Luc. 19.* *Psal. 22.*

Argumentum vigesimum.

Nulla humiliandi nostri ratio est, nisi ut toti inopes & vacui Dei misericordiæ locum demus.

Responsio.

Duplex est humiliandi nostri ratio: altera quâ nos veraciter agnoscimus, & humiliter confitemur non esse quod non sumus, sicut Publicanus agnovit & humiliter confessus est se justitiam non habere quâ carebat, profitendo se peccatorem: altera verò quâ agnoscimus, unde accepimus quod nos habere sentimus, dicentes cum Apostolo: Nos enim non spiritum hujus mundi accepimus, ut videlicet superbè nobis tribuamus quod accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Hoc posteriori modo, auditis divinis muneribus sibi datis, humiliavit se virgo Maria, cùm ait: *Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo; quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Licèt enim melior sit,* inquit Augustinus, *qui novit à quo speret quod nondum habet, quàm qui sibi tribuit quod habet: attamen utrique horum præferendus est qui & habet & novit à quo habet.* Et rursus: *Arguens,* inquit, *superbiam Apostolus, non ait:* Non habes; *sed ait: Quid enim habes quod non accepisti? Non argueris quod dicebas te habere quod habebas: sed quia ex te tibi volebas esse quod habebas: imò & habere te agnosce, & ex te.* *Luc. 18.* *1 Cor. 2.* *Luc. 1.* *De spirit. & litt. cap. 13.* *In Ps. 85.* *1 Cor. 4.*

te nihil habere, ut nec superbus sis, nec ingratus. Quanquam igitur rectè commendetur Publicani humilitas, qui se quod non erat veraciter & humiliter non esse confessus est: attamen vituperanda esset Sanctorum ingratitudo, si affectantes videri esse humiles, id se esse negarent quod Deo miserante acceperunt: sed necessum est ut & se habere confiteantur quod habent, & ex se non habere, ne cum Cassiano & discipulo ejus Calvino, veritatem humilitatis in mendacio constituant.

Argumentum vigesimum primum.

Luc. 18. Publicanus legitimæ humilitatis imaginem nobis repræsentavit, ex adverso Pharisæus, quamvis apertâ confessione agnoscit Dei donum esse quam habebat justitiam, quia tamen se justum esse confidit, discedit à facie Dei ingratus & odiosus: igitur justitia non in operibus, sed in sola remissione peccatorum consistit.

Responsio.

Humilitatem Publicani, quâ se agnovit non esse quod non erat, hoc est, Dei oculis non esse dignum, non immeritò probamus, præsertim quia nulla suppetebant ei bonorum operum suffragia, in quibus Deum glorificare posset. Sed nec improbanda est beatæ Mariæ humilitas, quæ ab Elizabeth prædicata, non in alienis laudibus se extulit, sed Deum in suis muneribus glorificavit. Quia sicut Publicanus humiliter agnovit se non esse quod non erat: sic & ista humiliter se accepisse confessa est quod acceperat. Nec improbatur Pharisæus, quia de his quæ habebat Deo gratias agebat, (si tamen habebat quæ se De pecc. habere jactabat,) sed quia velut saturatus, inquit Augustinus nihil sibi addi ad mer. lib. 2. justitiam jam petebat, & quia Publicano esurienti & sitienti justitiam, quasi cap. 5. De spir. & ipse jam plenam haberet, per superbiam insultabat; denique quia Deum tanlit. cap 13. tùm usque ad se divitem esse volebat, nec idem etiam Publicano postulabat. Aug. lib. Nam si ex eo displicuisset, quòd de justitia quam verè habuisset gratias Deo 50. hom. 2. egisset, tunc multò odiosior fuisset Ezechias, quando fiduciam habens accipiendi à Domino petitionem quam postulabat, quia mandata ejus custodierat 4 Reg. 20. & quæ sunt placita coram eo fecerat, oravit dicens: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Et tamen non discessit à facie Domini ingratus & odiosus, sed audivit Deus orationem ejus, & sanavit eum, addiditque diebus ejus quindecim annos, sicut Scriptura sacra testatur. Similiter 2 Cor. 1. & Apostolus Paulus, cùm ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in Dei gratia conversati sumus in hoc mundo, abundantiùs autem ad vos;* non recedebat à veræ humilitatis imagine, nec cum Pharisæo in se quòd justus esset Psal. 2. confidebat, quia cum timore Deo serviebat, & exultabat ei cum tremore, ca1. Cor. 9. stigans corpus suum & in servitutem redigens, ne fortè cùm aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur: imò recedit potiùs Calvinus ipse cum suis discipulis,

lis, qui usque adeò in se confidunt quòd justi sint, ut non tantùm de præsenti justitia, sed etiam de futura gloria se certos & securos esse pronuntient. Ex quo sanè non immeritò conjicimus, quòd postquam nemine jubente ex loco infimo nunc superiùs ascenderunt, & ex damnatorum miseria sese in electorum fastigia transtulerunt, cæteros sibi dissimiles despiciant, & tanquam perditos aut de futuro salute dubios contemnant, ut superbum Pharisæum, non quidem vivendi probitate, cui passim adversantur, sed luxuriandi licentiâ & præsumptione superbiæ incomparabiliter superent. *Luc.* 14.

Argumentum vigesimum secundum.

Curandum est ut Domino illibata constet sua gloria: conscientiis verò nostris coram ipsius judicio placida quies & serena tranquillitas: igitur in operibus bonis nulla statuenda est justitiæ fiducia.

Responsio.

Non potest Domino sua gloria constare illibata, si tantùm glorificetur in remissione peccatorum: quia tunc ab ea gloria excluditur, de qua ait Christus in Evangelio: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est; de qua & Apostolus: *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, ut, quemadmodum scriptum est*, qui gloriatur in Domino glorietur; & quâ glorificavit eum Psalmista, dicens: *Quoniam tu es patientia mea, Domine, spes mea à juventute mea.* Quapropter si Calvinus non simulatè, sed verè studet Domino gloriam suam integram servare & illibatam, necessum est ut patiatur eum glorificari, non tantùm in remissione peccatorum, sed etiam in bonis operibus Sanctorum, in quibus eos creavit, & quæ præparavit ut in illis ambulent: quia valde impia sunt & divinæ gloriæ contraria quæ hîc contendit Calvinus, nempe Deum in operibus bonis quæ facit non debere glorificari, & ipsa esse opera injustitiæ. Porrò licèt ad placidam quietem & serenam conscientiæ tranquillitatem necessaria sit præcedentium remissio peccatorum, (juxta illud Apostoli: *Justificati ex fide pacem habemus ad Deum*; &, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*,) tamen quantùm illam in fidelibus sanctis adjuvet vitæ bene actæ recordatio satis ostendit Joannes, cùm ait: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, & quæ placita sunt coram eo facimus.* Similiter Apostolus Paulus: *Gloria nostra*, inquit, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & synceritate Dei, & non sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.* Sed Calvinus volens discipulos suos de fœlicitate æterna securos facere, & eis non fiduciam bonam, sicut habent Sancti in loco certaminis, sed plenam securitatem tribuere, qualem videlicet finito certamine suis daturus est Christus in loco pacis, securitatis suæ fundamentum in arena collocat, docens ad hanc

Matt. 5. *1 Cor.* 1. *Hier.* 9. *Psal.* 70. *Ephes.* 2. *Rom.* 5. *Luc.* 2. *1 Joan.* 3. *2 Cor.* 1.

sufficere, si Christi verba audiantur & credantur, etiamsi opere non impleantur.

Argumentum vigesimum tertium.

Adversus Deum gloriatur quicunque in se gloriatur: igitur in operibus nulla est justitia

Responsio.

Rom. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei*, non suâ: sed sicut non in se gloriatur qui se profitetur habere fidem, quia illi gloriam tribuit qui fidem dedit, sic nec in se gloriatur qui se fatetur habere opera justitiæ, quia illi totam gloriam tribuit, à quo se illa accepisse humiliter agnoscit: sicuti agnoscebat qui dixit:
1 Cor. 15. *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum, seu in me.* Et, *Non audeo*
Rom. 15. *aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus.* Id quod eum docuerat qui di-
Matt. 10. xit: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis.*

Argumentum vigesimum quartum.

Rom. 4. *Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, abolita est promissio:* igitur in operibus nulla est fiducia justitiæ.

Responsio.

Hîc rursus præsupponit Calvinus quod suprà satis explosimus, omnem legis obedientiam ab Apostolo vocari justitiam ex lege, cùm tamen manifestissimum sit, Sanctos qui per fidem operati sunt justitiam, non ex lege, sed ex fi-
Cap. 11. de vixisse, & justitiæ quæ per fidem est hæredes fuisse institutos, sicuti ad Hebræos legimus. Ac proinde licèt exinanita sit fides & abolita promissio si ex lege sit hæreditas, tamen salva & integra permanet si ex operibus fidei esse
Cap. 2. dicatur, quæ ipsi fidei cooperantur & ex quibus fides ipsa consummatur, sicuti ait Jacobus Apostolus.

Argumentum vigesimum quintum.

Scriptura docet, non esse firmas promissiones nisi certâ conscientiæ fiduciâ accipiantur: sed conscientia vacillat & fluctuat si operibus incumbamus: igitur si opera in considerationem veniant, perit promissio: ex quo ulteriùs infert, quòd sola fides locum habeat, quæ nos soli promissioni intentos faciat, & cogitationem avertat ab omni hominis dignitate.

Responsio.

Rom. 11. In se & coram Deo semper certa est nec ulla ex parte rescinditur divina promissio; quia sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio, id est, sine mutatione immobiliter fixa, inquit Augustinus, *Nam manet prorsus & quotidie impletur,* inquit

inquit Prosper, *quod Abrahæ Dominus sine conditione promisit, sine lege donavit.* *De prædest.*
Quia etsi quidam quibus hæc prædicata sunt non crediderunt, incredulitas eorum fi- *San. c. 16.*
dem Dei non evacuavit. Et licèt Hymenæus & Philetus à veritate exciderint, *Lib. 1. de voc. gent.*
tamen firmum Dei fundamentum stat, inquit Apostolus: Habens signaculum *cap. 3.*
hoc, novit Dominus qui sunt sui. Nam quos præscivit, hos & prædestinavit con- *2 Tim. 2.*
formes fieri imaginis filii sui: quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vo- *Rom. 8.*
cavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Unde
meritò sequitur vox, non ad quemque fidelem, sicuti pueriliter imaginatur
Calvinus, sed ad regnum electorum, inquit Augustinus: Si Deus pro nobis, *Inst. Cal. c. 5. sig. 9.*
quis contra nos. Quàm fortis autem perseverantiæ usque in finem munus acce- *De cor. & gra. cap. 7.*
perint, sequantur, & dicant: Quis nos separabit à charitate Christi? tribu-
latio, an angustia, an persecutio? Certus sum enim, quòd neque mors, ne-
que vita, neque angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos se-
parare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Cæterùm ad quos fundamentum hoc, id est, firmissima promissio & di-
vinæ bonitatis immutabilis electio pertineat, quamdiu in hac vita sumus Deus
nobis esse voluit occultum; adeò ut propter hujus utilitatem secreti, etiam per-
severaturis Sanctis sic in Scriptura sacra locutus sit, quasi eos perseveraturos ha-
buisset incertum. „ Quia hoc non aliter audire debent, inquit Augustinus, *De cor. &*
„ quibus expedit non altum sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fi- *gratia cap. 13.*
„ delium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum *Rom. 11.*
„ se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est
„ elatio, ut etiam per satanæ angelum, ne extolleretur, tantus colaphizare- *Joan. 8.*
„ tur Apostolus. Hinc & Apostolis dicebatur: *Si manseritis in me*; dicente
„ illo qui illos utique sciebat esse mansuros; & per prophetam, *Si volueritis* *Esa. 1.*
„ *& audieritis me*; cùm sciret ipse in quibus operaretur & velle; & similia mul-
„ ta dicuntur propter hujus utilitatem secreti, ne fortè quis extollatur: sed
„ omnes etiam qui bene currunt timeant, dum occultum est quò perveniant.
„ Propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est, quosdam de filiis perdi-
„ tionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ per di-
„ lectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac justè vivere,
„ & postea cadere; neque de hac vita priusquam hoc eis contingat auferri.
„ Quorum si nemini contigisset, tam diu haberent homines istum saluberri-
„ mum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam,
„ quâ piè vivitur, pervenirent, deinceps jam securi nunquam se ab illo esse
„ casuros. Quæ præsumptio in isto tentationis loco non expedit, ubi tanta
„ est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas. Denique etiam hoc
„ erit: sed tunc quod jam est in angelis, etiam in hominibus erit, quando ulla
„ superbia non erit. Et rursus: Hominibus videtur, omnes qui boni appa- *De bono*
„ rent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debuisse: Deus autem *perseve. cap. 8.*
„ melius esse judicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero
„ Sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securi-
„ tas, non possint esse securi. Et infrà: Ideò quippe, sicut jam suprà diximus, *Cap. 13.*
„ inquit, non perseveraturi perseveraturis prudentissimâ Dei voluntate mis-
„ centur, ut esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes,

Rom. 12. „& cum metu & tremore nostram ipsorum salutem operari. Ac rursus: Se-
Philip. 2. „curus es, inquit, de Deo quòd non mutatur, de homine autem impruden-
De catechi. rudi. c. 25. „ter securus es. Et alibi: Quod Joannes in Apocalypsi addidit: Signavit super
De civit. „eum: significasse mihi videtur, inquit, quod occultum esse voluit, qui per-
Dei lib. 20. cap. 7. „tineant ad partem diaboli, & qui non pertineant. Hoc quippe in sæculo
Apoc. 20. „isto prorsus latet, quia & qui videtur stare utrùm sit casurus, & qui vide-
„tur jacere utrùm sit resurrecturus incertum est; hactenus Augustinus.
Quanquam igitur in hac vitæ miseria improbari debeat, & quantùm fieri potest etiam per fidei vigorem, Deo nos confortante, timor ille secludi qui ex humana infirmitate & divinarum promissionum aut potentiæ diffidentia nascitur;
Matt. 14. qualis in Petro fuit, cùm descendens de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum: videns verò ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac; & continuò Jesus extendens manum suam, apprehendit manum, & ait: Modicæ fidei, quare dubitasti? Similiter in patre pueri lunatici, cùm ait Christo: *Si quid potes,*
Marc. 9. *adjuva nos, misertus nostri:* nam Jesus ait illi: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti:* tamen secundùm Scripturas sacras non modò licitum est, sed & præceptum, ut alterius generis timore variis de causis timeamus, & de nostra
Ex tribus causis timenda damnatio. salute securi non simus. Prima est, ne fortè delictum aliquod nobis dimissum non sit, quod tamen remissum esse putamus; ait enim Sapiens: De propitiato peccato noli esse sine metu. Secunda est, ne fortè coram Deo tales non simus
Eccli. 5. quales nos esse præsumimus: Pravum enim est cor hominis & inscrutabile;
Hier. 17. quo fit ut licèt justi sint & sapientes, opera tamen eorum in manu Dei sint, ut
Eccli. 9. inquit Sapiens: *Et nescit homo utrùm amore an odio dignus sit.* Unde Apostolus:
1 Cor. 4. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Sed neque meipsum judico; nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare,* (nec alios videlicet, nec vos ipsos,) *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quia quandiu hîc vivimus, inquit Augustinus,
Lib. 50. homil. 35. de nobis ipsis judicare non possumus: non dico quid cras erimus, sed quid hodie simus.
Job. 9. Unde Job: *Verebor*, inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Terria causa timoris est, quòd qualescunque nunc simus,
Psal. 2. nescimus tamen quales posteà futuri sumus; de qua Psalmista: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: ne quando irascatur Dominus, & pereatis*
1 Cor. 10. *de via justa.* Similiter & Apostolus Paulus: *Qui se existimat stare, videat ne*
Hebr. 4. *cadat.* Et rursum: *Timeamus ergo ne fortè relictâ pollicitatione introëundi in requiem*
Cap. 3. *ejus, existimetur aliquis in nobis deesse.* Et Joannes in Apocalypsi: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam;* & alia multa, quorum nonnulla etiam suprà commemoravimus. Nec existimandum est, per hanc saluberrimam timoris speciem, quâ in hoc vitæ stadio, ubi adhuc currentium incerta perventio est, etiam à bene currentibus non immeritò trepidatur, (juxta super-
Inst. Calvi. cap. 5. §gno 15. bum & imperitum Calvini commentum) nihil securitati decedere. Primùm quidem, quia timor iste ex incertitudine provenit, qui non consistit cum securitate. Deinde, quia ad hoc etiam bene currentibus & per bona opera certam suam vocationem facere satagentibus, à Deo immittitur ne currendo securi-

securitate fruantur, & ex securitate superbia generetur, sicut suprà ex Augustino clarissimè monstravimus; quia infirmis animis periculosissimus hostis est securitas. Et denique, ut ait Prosper sentent. 181. non ejusdem est temporis labor pugnæ & beatitudo victoriæ, sed alia debet esse certantium, alia eorum qui victores evaserunt conditio. Unde August. epist. 119. alia sunt solatia miserorum, alia gaudia beatorum; nam illorum est pro consequenda victoria & adipiscenda corona esse solicitos, istorum verò de parta victoria & adepta corona esse securos; illorum in loco certaminis cum omni armorum genere stare paratos ad pugnam, istorum in regione pacis cum palmis & coronis requiescere pacatos; illorum est de futuro cursus & certaminis eventu anxios trepidare, istorum de consummato cursu & perceptis coronis solidè & intrepidè gaudere; denique illorum est inter hostium cuneos parturire & intra se gemiscere, & pro divino auxilio humiliter deprecari ne cadant, quia nemo est tantâ firmitate suffultus, inquit Leo, ut de stabilitate debeat esse securus: horum verò pro impartita sibi redemptione cum lætitia & jubilo gratias agere, & non nisi sanctum timorem in sæculum sæculi permanentem habere, qui nihil aliud est quàm eximia quædam divinæ majestatis reverentia, cum secura & constanti omnium earum rerum abominatione quæ illi summæ reverentiæ quoquo modo repugnant: quoniam, ut ait Prosper de vocat. lib. 2. cap. 28. in præsentis agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, & ab insidianti superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et August. de civit. lib. 11. cap. 12. Quis enim hominum se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliquâ revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit. Sed Calvinus studens plurimos sibi discipulos adsciscere, omnem eis timorem adimit, nimirum ut sine ullo metu luxuriam possint habere securam, & perditissimis moribus remotâ omni formidine diffluere. Quapropter alibi præstereà adversùs tertiam hanc trepidationis causam objicit.

Serm. 5. in Quadra.

Inst. Cal. c. 5. §§. 29. 30. 31.

Argumentum vigesimum sextum.

Apostolus generaliter de omnibus fidelibus ait: Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: igitur non est temeraria præsumptio, sed divini muneris agnitio & professio veritatis, quòd fideles indubitatam voluntatis ac consilii divini notitiam de sua futura salute sibi arrogent, & circa eam omnem trepidationem excludant. *1 Cor. 1.*

Responsio.

Quædam Dei dona ejusmodi sunt, ut non tantùm in piis & veris Dei filiis reperiantur, sed etiam in impiis idolorum cultoribus, ut æternæ virtutis atque divinitatis cognitio quæ fuit in gentilibus Philosophis idolorum cultoribus, & prophetia in Balaam. Verùm inter fideles & impios his Dei muneribus præditos hoc discrimen invenitur, quòd impii spiritu hujus mundi, id est, spiritu superbiæ inflati, quicquid in se boni conspiciunt aut se habere præsumunt,

 hoc

hoc non Deo, sed suis studiis atque conatibus ascribunt; fideles verò spiritu Dei revelante ex Scripturis sacris didicerunt, quòd omnis sapientia à Domino
Eccl. 1. Deo est; & quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum de sur-
Jacob. 1. sum est, descendens à patre luminum; & quòd Deus in Christo benedixit nos
Ephes. 1. in omni benedictione spirituali in cœlestibus; quia non sumus sufficientes co-
2 Cor. 3. gitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Hanc igitur differentiam inter fideles
1 Cor. 2. & impios generaliter nobis indicat Apostolus cùm ait: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt*
Apud Ambros. epist. 84. *nobis:* sicut ostendit Prosper, cùm ait: *Plenè & veraciter confitenda est gratia Dei, de cujus munere hoc primum est ut auxilium ipsius sentiatur, propter quod dixit Apostolus:* Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. *Unde si quis est qui aliqua se habere existimet bona quorum non Deus largitor sit, sed ipse sibi author existat, manifestum est hunc non Dei spiritum habere, sed mundi, & de illa sæcularis sapientiæ*
1 Cor. 1. *tumere doctrina, de qua dicit Dominus:* Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Adversùs hanc igitur superbiam docet Apostolus eos qui verè fideles sunt, si quid boni habent, id non suis conatibus arrogare, sed spiritu Dei revelante cognoscere id semper esse Dei munus.*

Cæterùm quæ dona quisque fidelis particulariter acceperit, & quantùm in unoquoque profecerit, id non revelatione divinâ, sed sensu, experientiâ, aut verisimili conjecturâ percipit. Verbi gratiâ, quòd fides & charitas Dei dona sunt, hoc quisque fidelis certissimè credit, quia id testatur Scriptura dicens, fidem Dei donum esse, & charitatem diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: sed quòd fidem & charitatem habeat, hoc credendo & amando sentit & videt; & an tantùm credat & amet, ut præ justitia fortunas, honorem, & vitam præsentem contemnere queat, hoc tentatus experitur, & experientiâ non tantùm aliis, sed etiam credenti, speranti, & amanti demonstratur: sicuti in B. Petro manifestum evasit, qui
Joan. 13. ignorans quantùm Christum diligeret, animam suam se pro illo positurum esse præsumpsit, sed posteà tentatus, experiendo cognovit se Christum minùs amasse quàm putavit. Conjecturâ verò se quisque habere cognoscit, quæ in se neque sentire, neque experiri, sed ex antecedentibus tantùm & subsequentibus indiciis colligere potest. Verbi gratiâ, quòd gratuito Dei munere peccatorum nostrorum remissionem acceperimus, id neque sentire, neque experiri valemus: sed quia certissimâ fide credimus fideles, qui ad Deum verè conversi baptizantur & absolvuntur, remissionem peccatorum accipere, ideò ex variis indiciis conjicimus & confidimus, accepisse nos remissionem peccatorum. Tamen quia indicia quæ nobis inesse sentimus, non omnino certam veræ conversionis fidem faciunt, (pravum est enim cor hominis & inscrutabile,)
Hier. 17. ideò ait Sapiens: De propitiato peccato noli esse sine metu. Sed demus jam
Eccli. 5. dicto Apostoli testimonio doceri, quemque verè fidelem Spiritu sancto revelante, non tantùm nosse quòd dona sint Dei si qua in se habet, sed & nosse quæ dona à Deo acceperit & quantùm in unoquoque profecerit, nunquid ob id nosse eum oportebit, an habiturus sit perseverantiam usque in finem vitæ hujus, quam nondum accepit? Neque enim dici potest accepisse perseveran-

tiam

tiam usque in finem vitæ hujus, nisi qui usque in finem perseveravit, ut juxta Christi promissum salvus sit. Quomodocunque igitur intelligatur jam dictum Apostoli testimonium, nihil tamen ad eam securitatem pertinet, quam de futura sua salute, contra Scripturam sacram & veterum Sanctorum scripta, insolentissimè sibi arrogant hæretici. *Matt. 10. & 24.*

Argumentum vigesimum septimum.

Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filii Dei: igitur verè fideles debent id certò credere. *Rom. 8.*

Responsio.

Spiritus sanctus per sancta desideria & alia pietatis argumenta spiritui nostro testatur, quòd simus filii Dei usque in finem vitæ hujus in vero Dei cultu perseveraturi; (justum est enim sentire, quòd qui cœpit in nobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Jesu;) sed quia testimonium hoc non consistit in revelatione prophetica, sed in verisimilibus duntaxat justitiæ præsentis & futuræ nostræ salutis indiciis, ideò ex ejusmodi testimoniis, non absolutâ certitudine, sed spe tantùm salvi facti sumus, timentes ne fortè relictâ pollicitatione introëundi in requiem ejus, existimetur aliquis in nobis deesse: sicut ad Hebræos legimus. *Philip. 1. Rom. 4. Cap. 4.*

Argumentum vigesimum octavum.

Apostolus ait: *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate:* igitur potest quisque fideliter sibi arrogare certam divini consilii notitiam. *2 Cor. 13.*

Responsio.

Quanquam aliud sit nosse utrùm quis sit in fide, aliud an usque in finem perseveraturus sit in fide & futurus salvus: tamen tentare & probare utrùm quis sit in fide, non est certâ id revelatione discere, sed ex variis indiciis, quæ quisque probando in se experitur, ejus rei conjecturam facere. Deinde, ut dixi, testimonium istud de præsenti justitia loquitur, non de perseverantia aut salute futura.

Argumentum vigesimum nonum.

Apost. Rom. 8. ostendens, quæ bona in commune universis fidelibus ex fide proveniant, ait: *Certus sum quòd neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro:* ergo verè fideles sunt de salute securi.

Responsio.

Hoc Apostoli testimonium, quod de certitudine perseverantiæ loquitur, pro-

propiùs ad rem accedere videtur, quàm reliqua quæ non loquuntur nisi de præsenti gratia. In hoc tamen fallitur Calvinus, dum universis fidelibus in commune tribuit, quod Apostolus peculiariter de prædestinatis dicit: de qui-
Joan. 10. bus ait Christus: *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* Neque enim eo loco ostendit Apostolus, quæ bona jam factis fidelibus ex fide proveniant, sicut imperitè dicit Calvinus, (nam & ipsa fides inter ea bona numeratur quæ ibi
Rom. 8. provenire significantur, cùm dicitur: Quos prædestinavit, hos & vocavit; vocare enim est fideles facere;) sed quæ bona prædestinatis omnibus, qui secundùm propositum vocati sunt, ex omnipotenti misericordia prædestinantis certissimè proveniant; quorum primum est fides, secundum justitia, tertium gloria. Nam quos prædestinavit, inquit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Et quia sine
Matt. 10. & 24. perseverantia usque in finem vitæ hujus non potest haberi gloria; (qui enim perseveraverit usque in finem, inquit Christus, hic salvus erit,) ideò Apostolus non omnes fideles, sed omnes prædestinatos etiam certò perseveraturos
Rom. 8. pronuntiat, dicens: Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Non enim, ut vult Calvinus, fidelium omnium hæc vox est, sed electorum duntaxat qui secundùm propositum vocati sunt: quemadmodum nondum natum
De corr. & gratia c. 7. redarguens Calvinum clarissimè ostendit Augustinus, cùm ait. *Meritò sequitur vox ad regnum electorum, si Deus pro nobis, quis contra nos?* &c. Quàm fortis autem perseverantiæ usque in finem munus acceperint, sequantur & dicant: Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio? &c. sicut suprà etiam retulimus. Ad eos autem qui in ipsum crediderant
Joan. 8. Judæos ait Christus apud Joannem: Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: nimirum ut his qui jam facti erant fideles, verene discipuli essent ac prædestinati, maneret incertum.

Trigesimum Argumentum.

Etiamsi essent aliqua opera absolutè pura, unum tamen peccatum satis est
Ezech. 18. ad delendam omnem memoriam prioris justitiæ, ut ait Propheta, cui & Ja-
Jacobi 2. cobus consentit, dicens: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus:* sed nemo vivit sine peccato: igitur apud Deum nulla operum justitia reputatur.

Responsio.

Peccatorum quædam ejusmodi sunt ut de illis dicat Apostolus, quòd qui
Galat. 5. talia agunt regnum Dei non possidebunt: per quæ justus à justitia sua rectissimè averti dicitur, quia meretur privari mercede justitiæ, quod certissimum est aversionis indicium; de quibus peccatis apud Ezechielem loquitur Domi-
Ezech. 18. nus dicens: *Si averterit se justus à justitia sua & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur.* Quam sententiam aliis verbis exprimit Apo-
Jacob. 2. stolus Jacobus, dicens: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Nam qui tale aliquod facinus admittit, perdit mercedem

cedem priori totius legis obedientiæ debitam: ſed alia ſunt peccata juſtorum quæ fidelibus ſecundùm veniam concedit Apoſtolus; de quibus ait Sapiens: 1 Cor. 7.
Septies cadit juſtus. Et Joannes Apoſtolus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; quæ ſi ſola ſunt, uſque Prov. 24. 1 Joan. 1.
adeò non inducunt oblivionem prioris juſtitiæ, ut in die judicii pro bonorum operum meritis juſto Dei judicio etiam remiſſionem conſequantur. Cùm enim dicitur, inquit Auguſtinus: Judicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam; manifeſtatur in his, quibus inveniuntur bona opera miſericordiæ, judicium cum miſericordia fieri, ac per hoc etiam ipſam miſericordiam meritis bonorum operum reddi. Id quod etiam teſtatur Apoſtolus, cùm ait: De corr. & gratia, cap. 13. Jacobi 2.
Det illi Deus invenire miſericordiam à Deo in illa die. Qui enim ſervato fundamento ſuperædificant ligna, fœnum, ſtipulam, non ſtatim à regno cœlorum ſecluduntur, ſed ſalvi erunt merito fundamenti, ſic tamen quaſi per ignem. 2 Tim. 1. 1 Cor. 3.

Argumentum trigeſimum primum.

Ad juſtitiam neceſſaria eſt perpetua legis obſervantia: igitur non poteſt unum atque alterum opus proferri.

Reſponſio.

Ut opera bona tota ſint fidelium juſtitia, requireretur perpetua legis obſervantia: ſed non ut ſint pars juſtitiæ. Nam quantùm attinet ad reliquam partem juſtitiæ, omnia facta reputantur, quando quicquid non fit ignóſcitur. Sicut igitur remiſſio peccatorum rectè juſtitia nuncupatur, licèt non ſit tota Sanctorum juſtitia, qui etiam juſtitiam legis in multis cuſtodiunt: ſic & opera juſtorum poſſunt vocari juſtitia, etiamſi non ſint tota ipſorum juſtitia. Nec adeò ſtolidi ſumus, ut ad juſtitiam Sanctorum pertinere negemus eam peccatorum remiſſionem quæ adhuc quotidie datur dicentibus: Dimitte nobis debita noſtra; cùm expreſsè dicat Auguſtinus hîc in unoquoque fideli juſtitiam eſſe, ut obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis etiam repugnantibus imperet, vel ſubigendo, vel reſiſtendo: atque ut ab ipſo petatur & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio perſolvatur: ſed dicimus, quòd quemadmodum ad Sanctorum juſtitiam pertinent omnia opera bona quæ in hac vita faciunt, à principio converſionis uſque ad exitum mortis: ita quoque ad eandem juſtitiam pertineat omnis peccatorum remiſſio quam in hac vita conſequuntur, ſeu per baptiſmum, ſeu pœnitentiam, ſeu eleemoſynas, ſeu orationes, ſeu aliud quodcunque opus charitatis. Quod autem toties repetit, legem ſemper mortem denuntiare, de iis quidem verum eſt quæ ſub lege eſſe dicuntur: Scimus enim quod quæcunque lex loquitur, tam de peccati dominio quàm de legis maledicto, de iis qui in lege ſunt loquitur: ſed falſum de iis qui ſunt ſub gratia, quos Chriſtus redemit de maledicto legis, & peccati dominio liberavit. Libro 19. de civit. Dei c. 27. Rom. 3.

Argumentum trigesimum secundum.

Genes. 15. Dominus pronuntiat, se fidem reputasse Abrahæ ad justitiam, non quo tempore adhuc idôlis serviebat, sed cum multis jam annis vitæ sanctitate excelluisset: igitur in fide non in operibus reposita est justitia.

Responsio.

Ex qua historia didicerit Calvinus, quòd Abraham aliquando idôlis servierit, nescio, nisi fortè in eam quæstionem inciderit, quæ sub D. Augustini nomine de fato circumfertur, quæ habet, quòd Abraham cum patre suo idôla coluisse intelligatur: sed hanc quæstionem esse apocrypham, non solùm ex eo intelligimus, quòd à se Romæ scriptam esse testetur, quò post baptismum suum non rediit Augustinus: verùm etiam ex lib 16. de civit. Dei, ubi ex lib. Judith ostendit Augustinus, Thare, Nachor, Abraham, & Loth ex Chaldæa migrasse in Mesopotamiam, quòd nollent sequi deos patrum suorum, adorarentque quem cognoverunt cœli Deum. Unde manifestum est, inquit Augustinus, domum Thare persecutionem passam fuisse à Chaldæis pro vera pietate, quâ unus & verus ab eis colebatur Deus. Sed utut ea res se habet, si in operibus bonis quibus Abraham ante Domini testimonium excelluit nulla ponenda sit justitia, quia Scriptura sacra post diuturnam demum obedientiam dixit: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam: igitur neque in fide, quam ante hoc testimonium habuit, statuenda est aliqua justitia. Si autem Abraham neque ex operibus, neque ex fide ante hoc testimonium ullam justitiam habuit: igitur ante hoc testimonium justus non fuit. Quomodo igitur ait Calvinus quòd Dominus pronuntiet se fidem reputasse Abrahæ ad justitiam, cùm multis jam annis vitæ sanctitate excelluisset; cùm nemo vitæ sanctitate possit excellere nisi qui facit justitiam, nec justitiam facere quisquam possit nisi qui justus est? qui enim facit justitiam, justus est, inquit Joannes. Quanquam igitur propter justitiæ incrementum, quo Abraham credendo profecit, dictum sit: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam: tamen quia priùs etiam, teste Calvino, vitæ sanctitate excelluit, ideò etiam priùs ex fide & operibus justificatus fuit. Ex fide quidem, quia sine fide impossibile est placere Deo: & quicquid non est ex fide peccatum est: & coinquinatis & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia. Ex operibus verò, quia ut ait Apostolus, fide obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit nesciens quò iret. Item, quia fide demoratus est in terra promissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando. Nam si Apostolus Jacobus rectè intulit Abraham non modò ex ea fide justificatum, quâ credidit Deo multiplicationem seminis ejus ad modum stellarum promittenti, verùm etiam ex operibus, quia fide obtulit filium suum Isaac; cur non etiam rectè intulerimus justificatum, non ex ea tantùm fide, quâ credidit benedicendas in se universas terræ cognationes, sed & ex operibus, quia, ut inquit Apostolus, fide obedivit exire in locum quem accepturus erat in hæreditatem? tum quia teste Calvino, etiam ante illud testimonium

Marginal notes: Li. quæst. vet. & novi testa. quæst. 115. — Cap. 13. — Judith. 5. — Gen. 15. — 1 Joan. 3. — Hebr. 11. — Rom. 14. — Tit. 1. — Hebr. 11. — Cap. 2.

monium vitæ sanctitate excelluit, quod, ut dictum est, sine justitia non potuit, quia qui facit justitiam, justus est? Sed Calvinus anticipatæ semel opinioni ita addictus est, ut licèt Apost. Paulus toto cap. 11. ad Hebr. nihil aliud clamet, quàm Sanctos prioris testamenti justitiæ testimonium ex eo consecutos, quòd variis modis Deo ex fide obtemperarint. Et beatus Jacobus: Abraham, inquit, pater noster nonne ex operibus justificatus est? Et rursum: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo? Ac iterum: Raab meretrix nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios? &c. tamen surdis auribus, & clausis oculis, non cessat undique inconcinna testimonia congerere, quibus otiosis hominibus & ab omni bono opere alienis persuadeat, nullam esse in operibus bonis repositam justitiam. *1 Joan. 3.* *Cap. 2.*

Argumentum trigesimum tertium.

Dominus testatur se nullam agnoscere operum justitiam, nisi in perfecta legis observatione.

Responsio.

Dubitari non potest, quin justum esse & justificari sic aliquando in Scriptura sacra ponantur, ut secundùm exactam justitiæ regulam, quæ perfectam totius legis observationem requirit, accipi debeant, ut cùm dicitur: ***Nunquid homo Dei comparatione*** (seu potiùs ante Deum) ***justificabitur?*** Et: ***Verè scio quòd ita sit, quòd non justificetur homo comparatus Deo*** (vel ut Augustinus legit, ante Deum.) Rursum: ***Nunquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?*** Juxta quem modum etiam ait Psalmista: ***Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*** Et D. Augustinus: ***Puto enim hoc esse, justus sum, quod peccator non sum.*** Attamen quòd secundùm modum conversationis humanæ, cui justo Dei judicio reposita est corona justitiæ, secundùm Scripturam sanctam justi ac sancti dicendi non sint, qui non sic totam Dei legem observant, ut non sit eis necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra; jam olim contra Pelagianos in Concilio Carthaginensi & Milevitano damnatum est. Sanctus enim & justus erat Jacobus, inquit Concilium, cùm dicebat: In multis offendimus omnes. Similiter de Zacharia & Elizabeth scriptum est: Erant ambo justi ante Deum, ambulantes in omnibus mandatis & justificationibus Domini, sine querela; qui tamen peccatis non carebant. Sed non satis erat Calvino etiamdum fumantium & adhuc spirantium hæreticorum venena sorbere, quotidieque inter suos evomere, (Berengarii dico, Joannis Hus, Wiclephi, Lutheri, Oecolampadii, & similium) nisi etiam extinctos jam olim ac sepultos antiquissimorum hæreticorum cineres excitaret, ut non scriba doctus in regno cœlorum, sed hæreticorum omnium coryphæus, de thesauro iniquitatis proferret nova & vetera. Cæterùm si Deus nullam operum justitiam agnoscit, nisi in perfecta legis observatione, cur defendit Calvinus justitiam remissionis peccatorum in imperfecta peccatorum remissione? Fatetur enim suos collegas peccatorum remissione justos esse, de quorum tamen nullo auderet dicere, quòd *Job. 4.* *Job. 9.* *De pecc. mer. lib. 2. cap. 10.* *Job. 15.* *Psal. 142.* *De verb. Apostoli serm. 16.* *Cap. 7.* *Jacobi 3.* *Luc. 1.* *Matt. 13.*

peccatum non habeat, nec cum Sanctis dicere debeat: Dimitte nobis debita nostra. Aut igitur justitiam remissionis peccatorum neget, ubi nondum est plena omnium peccatorum remissio: aut ibi fateatur posse operum esse justitiam, ubi nondum plena & perfecta est totius legis custodia. Nulla enim ratio postulat, ut justitia operum plenam ac perfectam totius legis observationem requirat; si justitia remissionis peccatorum non exigit plenam & perfectam omnium peccatorum remissionem.

Argumentum trigesimum quartum.

Tecta & remissa esse peccata antè nobis opus est, quàm ad ullum opus nostrum Dominus respiciat: igitur gratuita est peccatorum remissio.

Responsio.

Remissionem peccatorum gratuitam esse fatemur, sed veram conclusionem vanâ & falsâ assumptione ostendi non probamus. Vidit enim Deus opera Ni-
Jonæ 3. nivitarum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est super malitia
Act. 10. quam locutus erat ut faceret. Similiter orationes & eleemosynæ Cornelii Centurionis ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, ut ad eum veniret Petrus, per cujus prædicationem efficeretur salvus. Et si Nabuchodonosor Rex
Dan. 4. juxta consilium Danielis peccata sua eleemosynis redemisset, non arbitror eas
Luc. 18. Deum fuisse despecturum: sicuti nec despexit orationem Publicani, cujus merito descendit justificatus à templo. Quapropter dici non debet, quòd peccata antè remissa esse oporteat quàm Deus ad ulla nostra opera respiciat: quia oculi ejus respiciunt fidem & pœnitentiam eorum qui ad gratiam remissionis peccatorum aspirant. Sed ideò secundùm gratiam & misericordiam venia Dei pœnitentibus datur, & non secundùm merita eorum; quandoquidem & pœnitentiam Dei donum dixit Apostolus, ubi ait de quibusdam: *Ne fortè det*
2 Tim. 2. *illis Deus pœnitentiam:* sicut definit Augustinus ultimam earum propositionum
Epist. 106. quas semper tenuisse dicit Ecclesiam Catholicam.

Argumentum trigesimum quintum.

Job. 9. Ait Job: *Si justè egi, nec sic erigam caput:* igitur ejus justitia primo momento erat à facie Dei collapsura.

Responsio.

In iis quæ Job justè egerat, justum Dei judicium ferre poterat, quia non est injustus Deus ut quemquam damnet ob justitiam: sed caput non erigebat,
Jacob. 3. quia propter multa delicta quibus non carebat (in multis enim offendimus omnes) judicis misericordiam implorabat, dicens cum Psalmista: *Non intres*
Psal. 142. *in judicium cum servo tuo, Domine, quia in conspectu tuo non justificabitur omnis vivens.* Sic, inquam, non justificabitur omnis vivens, ut sit immunis ab omni peccato & misericordiâ Dei non egeat in judicio.

Argu-

Argumentum trigesimum sextum.

Quod Sancti se recordatione innocentiæ suæ consolentur, hoc faciunt vel causam suam cum impiorum causa comparantes, vel bonis operibus tanquam divinæ erga se benevolentiæ signo fidem suam fulcientes. Quandoquidem si eorum per se opera æstimentur, non minùs iram Dei suâ imperfectione arguunt, quàm inchoatâ puritate benevolentiam testantur: igitur in operibus bonis nulla est ponenda fiducia.

Responsio.

Quoniam Catholici olim adversùs Pelagianos defendebant, Sanctos omnes, tam veteris quàm novi testamenti quibus Deus perhibet justitiæ testimonium, nunquam in hac vita mortali eò virtutis pertigisse, ut nullum peccatum admitterent; ideò calumniati sunt quòd Catholici assererent Prophetas & Apostolos in bonis suis operibus non regulâ virtutum, sed comparatione duntaxat sceleratorum justos fuisse, quomodo inter Romanos, Fabium, Fabricium, Regulum, Scipionem ac similes, præ Catilina & Nerone commendamus. Non quòd illi in suis operibus quæ laudantur fuerint veraciter justi sed quia his qui in sceleribus vitam suam consumpserunt longè minùs fuerunt injusti. Cui calumniæ his verbis respondet Augustinus: Omnes Prophetas & Apostolos, vel sanctos & Evangelicos & antiquos, quibus Deus testimonium perhibet, non comparatione sceleratorum, sed regulâ virtutum justos fuisse non dubium est: sed (quod adversum est Pelagianis) interrogati omnes de seipsis cùm in hoc corpore degerent, unâ voce constantissimâ responderunt: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Verùm si Calvino credimus, multis modis necessarium est hanc nobis à Pelagianis objectam suscipere calumniam. Primùm quidem quia ait Deum nullam operum justitiam agnoscere nisi in perfecta totius legis observatione, quæ quoniam in nullis Sanctis, quamdiu hîc degunt, inveniri potest, sequitur eos in Scripturis sacris à bona sua conversatione non ob aliud justos dici, quàm quia aliis multis minùs sunt injusti. Secundò, quia dicit Sanctorum opera, si per se æstimentur, non minùs iram Dei suâ impuritate promereri, quàm benevolentiam inchoatâ puritate. Nam ex hoc manifestissimè sequitur, opera Sanctorum non rei veritate justa esse propter veri boni finem in quem referuntur, ut ait Augustinus, nec regulâ virtutum, sed solùm comparatione facinorum, quæ iram Dei graviorem promerentur; ac proinde ipsos Sanctos non veritate, sed comparatione duntaxat in hac vita justos fuisse.

Lib. 4 contr. duas epist. Pelag. c. 7.

1 Joan. 1.

De civit. Dei, lib. 19. cap. 27.

Argumentum trigesimum septimum.

Augustinus, *Opus tuum*, inquit, *in me vide, non meum; nam si meum videris, damnas; si tuum videas, coronas:* igitur in operibus plùs est timoris & consternationis, quàm securitatis. *In Psal. 137.*

Responsio.

In nostris operibus, quæ videlicet ex nobis habemus, non immeritò trepidamus: quia nostrum nihil est, inquit Augustinus, nisi peccatum quod habemus, cui non debetur gloria, sed pœna & ignominia: sed in operibus Dei, in quibus creati sumus & quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus, (quæ nostra quoque dicuntur, quia nobis à Deo sunt data) multùm sanè fiduciæ ponimus; quia pro his non tantùm coronam justitiæ expectamus, sed etiam eorum peccatorum veniam, sine quibus hanc vitam non ducimus; securitatem verò & quietem, quam tantopere urget Calvinus, non hîc militantibus in castris promittit Deus, sed victoribus & regnantibus in cœlis retribuit, sicut suprà latiùs diximus; & ideò non docemus hîc militantes in fallaci & perniciosa securitate requiescere: sed in Domino & in potentia virtutis ejus confidentes, adversùs fallaces hæreticorum insidias, pro consequenda victoria, sapienter, viriliter & solicitè spe regni cœlestis dimicare; quod pro consolatione præsentis miseriæ sufficit.

De verb. Apo. sermone 10. Ephes. 2.

Argumentum trigesimum octavum.

Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna:* igitur meritis hominum debetur mors, vita autem non nisi in sola Dei misericordia posita est.

Responsio.

Qui perpendit Calvinum ad suorum dogmatum confirmationem subinde adferre D. Augustini testimonia, ex quibus videtur nonnulla ejus scripta legisse, non immeritò ambigat, quid hoc loco velit suspicari: ignoretne Calvinus quid ad hanc objectionem pluribus locis clarissimè & elegantissimè responderit Augustinus: an potiùs quòd id sciens prudensque dissimulet, ut imperitos, qui Augustinum non legunt, etiam contra propriam conscientiam dolosâ mente & malitiosâ objectione decipiat. Siquidem D. Augustinus compluribus locis tantâ evidentiâ huic objectioni respondet, ut clarius nihil dici posse

Epist. 105. videatur. Verba ejus sic habent: *Ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Et in-

Rom. 6. frà. *Cùm enim dixisset Apostolus:* Stipendium peccati mors; *quis non congruentissimè & consequenter addere judicaret: Stipendium autem justitiæ vita æterna? Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna: sed B. Apostolus adversus elationem vigilantissimè militans:* Stipendium, *inquit,* peccati mors. *Deinde ne justitia de humano se extolleret merito, (sicut meritum malum non dubitatur esse peccatum,) non*

De gra. & lib. arb. cap. 8. *à contrario retulit, dicens:* Stipendium justitiæ vita æterna; *sed,* gratia Dei, *inquit,* vita æterna. Et rursum: *Si vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit*

dicit Scriptura: Quoniam reddet Deus unicuique secundùm opera sua; *quomodo gratia est vita æterna, cùm gratia non pro bonis operibus reddatur, sed gratis detur?* &c. *Ista quæstio*, inquit, *nullo modo videtur posse dissolvi, nisi intelligamus & ipsa bona opera, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.* Similiter lib. de correp. & gratia: *Quare & ipsa*, inquit, *vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur? sine ulla dubitatione confitendum est ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini.* Unde Concilium Arausicanum secundum: *Debetur*, inquit, *merces bonis operibus si fiant: sed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant.* Videt jam, ni fallor, Calvinus (modò non sit in sua hæresi cæcatus) justo Dei judicio non minùs bonis operibus deberi vitam, quàm malis mortem: sed quia mala opera ex nobis habemus, bona verò non nisi ex Dei gratia, ideò Apostolum mortem simpliciter stipendium peccati nominasse, vitam verò (quam veraciter quidem, sed propter humanam elationem eo loco minùs utiliter poterat mercedem dicere justitiæ) gratiam maluisse nuncupare, ut nos admoneret unde opera bona haberemus quibus vita redditur æterna.

Rom. 2. *Apoc. 22.* *Cap. 13.* *Cap. 8.*

Argumentum trigesimum nonum.

Augustinus: Cùm viderit homo quicquid boni habet se non habere à se, sed à Deo suo, videt id totum quod in eo laudatur non de suis meritis, sed de misericordia Dei esse: igitur licèt Veteres fidei synceritati pessimè consuluerint, inducentes fastuosum meriti nomen, attamen nullam meriti dignitatem homini tribuerunt.

Responsio.

Sicut qui patrem nominat non potest non ingerere filii cogitationem, sic Christus in Evangelio bonorum operum fructum toties nomine mercedis commendans, non potuit non inducere nomen meriti: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ*, inquit, *mercedem Prophetæ accipiet.* Et rursum: *Quisquis potum dederit vobis, non perdet mercedem suam.* Item: *Gaudete in illa die, & exultate, quoniam ecce merces vestra magna est in cœlo.* Et Apostolus Paulus: *Unusquisque propriam mercedem accipiet.* Et Joannes: *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis.* Quapropter nomen meriti, quod à Christo constat inductum, neque fastuosum, neque synceritati fidei noxium reputari debet: sed potiùs temerarius & fastuosus habendus Calvinus, qui factum dicere audet quod induxit Christus: nempe quòd quemadmodum opera bona, quæ homo peccando perdidit, merita erant quibus debebatur merces æternæ vitæ: sic & opera bona quæ Christus electis suis reparavit, creans eos in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulent, vitæ æternæ sunt merita, licèt, ut Augustinus docet, hæc opera bona, non de viribus aut merito hominis sibi derelicti proveniant, sed de misericordia reparantis & adjuvantis Dei, qui electis suis tribuit non modò remissionem peccatorum, verùm etiam operationem meritorum.

Matt. 10. *Marc. 9.* *Luc. 6.* *1 Cor. 3.* *2. Joan.* *Ephes. 2.*

Argu-

Argumentum quadragesimum.

De praedest. Jan. c. 15. Augustinus: *Humana hic*, inquit, *merita conticescant quae perierunt per Adam, & regnet quae regnat Dei gratia per Jesum Christum.*

Responsio.

Humana merita, quae in Adam peccante perierunt, abundè conticescunt, quando humana natura post lapsum ex primae creationis opibus, quas reliquas habet, nullum sibi boni meritum arrogat: sed gratia Dei, quae regnat per Jesum Christum Dominum nostrum, non satis regnat nisi illi tribuatur non tantùm remissio peccatorum, (sicut olim fecit Pelagius) sed etiam operatio meritorum, quod cum Pelagio hodie negat Calvinus, regnum quidem gratiae verbis inanibus jactans, sed è multorum cordibus, dolosis & exitiosis disputationibus, expugnans.

Argumentum quadragesimum primum.

Luc. 17. Ait Lucas: *Cùm feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Sed servus inutilis nihil meretur à Domino: igitur apud Deum nullum possumus obtendere meritum.

Responsio.

Homo & Angelus naturaliter quidem servi sunt Dei, sed non eo modo quo servos dicimus, qui sine ulla mercedis obligatione tota vita dominis carnalibus serviunt, verùm quo modo liberi & suae potestati relicti promptâ voluntate pro condicta mercede liberaliter serviunt. Deus enim reliquit hominem in manu consilii sui; cui etiam consummato opere dicit: *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade.* Et ideò servitutis modus, quo angelus & homo servi Dei conditi sunt, non excludit rationem meriti, sed potiùs includit. Quod verò addit Christus, ut nos etiam inutiles agnoscamus, ad id respicere jubet quod peccando facti sumus: Omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sed si quis ab his se emundaverit, inquit Apostolus, erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Ideòque etsi recolentes nativitatis nostrae primordia, semper (quantumcunque etiam in obedientia mandatorum Dei profecerimus) inutiles servos & ad opus bonum inidoneos agnoscere nos debeamus, (sicut Apostolus recolens quid fuerat antequam esset in Christo, minimum se Apostolorum imò Apostolico nomine fatebatur indignum, quòd esset Ecclesiam Dei persecutus;) attamen Dei munera contemplantes, non solùm nos utiles, sed & meritis foecundos dicere possumus, unà cum Apostolo, cùm ait: *Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Unusquisque enim accipiet secundùm suum laborem. Et alibi pro bono certamine dicit sibi repositam coronam justitiae, quam reddet mihi Dominus, inquit, in illa die, justus judex.

[Margin notes: Eccli. 15. (beside "te pro condicta…"); Matt. 20. (beside "nisti mecum…"); Rom. 3. (beside "ad id respicere…"); 2 Tim. 2. (beside "Sed si quis…"); 1 Cor. 15. (beside "tequam esset…"); Ibidem. (beside "possumus, unà cum Apostolo…"); 2 Tim. 4. (beside "alibi pro bono…")]

Argu-

Argumentum quadragesimum secundum.

Esaiæ 5. dicitur: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum venite, emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac.*

Responsio.

Omnes qui ad aquas salutis advenimus, priusquam à Domino vocaremur, omnino inopes eramus, & pro nihilo salvi facti sumus. Non enim ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit; adeò ut & vita æterna quæ bonorum operum meritis redditur, quia gratia est justitia cui redditur, etiam ipsa gratia nuncupetur. *Est enim justitiæ stipendium*, inquit Augustinus, *sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia; tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui debetur.* Sed quod Propheta de eorum inopia loquitur, qui à Christo alieni nondum de plenitudine ejus acceperunt, hoc Calvinus ad divitias eorum detorquere conatur, qui Christi inopiâ in operibus bonis divites facti sunt. *Tit. 3.* *Epist. 105.* *2 Cor. 8.*

Argumentum quadragesimum tertium.

Christus sic est nobis fundamentum justitiæ, ut & initium nobis salutis sit & complementum: igitur nullum est meritum.

Responsio.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus: sed in hac benedictione etiam boni operis meritum comprehendimus, sine quo haberi non potest justitiæ complementum; atque ideò Christus totius justitiæ fundamentum est, non solùm tribuendo fidem & peccatorum remissionem, sicut prætendit Calvinus: sed etiam largiendo bonam operationem, quæ vitæ æternæ meritum est, sicut suprà satis ostendimus. *Ephes. 1.*

Argumentum quadragesimum quartum.

Deus gratis vult coli: igitur eum cultorem probat, qui præcisâ omni spe mercedis, colere tamen eum non desinit.

Responsio.

Præcipit Apostolus, ut si consurreximus cum Christo, quæ sursum sunt quæramus, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram. Similiter Christus in Evangelio: *Ne soliciti sitis*, inquit, *animæ vestræ quid manducetis, aut quid bibatis: neque corpori vestro quid induamini*, &c. *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicien-* *Colos. 3.* *Matt. 6.*

Matth. 5. *cientur vobis.* *Beati* enim *qui esuriunt & sitiunt justitiam: non est* autem *regnum*
Rom. 14. *Dei esca aut potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Et Moy-
Num. 12. ses egregius Dei cultor & fidelissimus in omni domo ejus, majores divitias æ-
Hebr. 3. stimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi, aspiciebat in futuram re-
Hebr. 11. munerationem: sicuti & reliqui Sancti veteris testamenti, quos eodem capite recenset Apostolus, qui promissiones à longè aspiciebant salutabantque, confitentes quòd peregrini essent & hospites super terram, & patriam meliorem, hoc est, cœlestem appeterent, sicut ibidem ait Apostolus. Ex quibus intelligimus Deum sic velle gratis coli, ut non propter terrenam retributionem colatur, quam gentes quærunt: sed quòd nolit coli propter regnum cœlorum consequendum, cujus adventum quotidie à fidelibus peti jussit, & propter adipiscendam perfectam justitiam, in qua regnum cœlorum potissimùm consistit, anilis fabula est ex Aristotelis insipientia nata, qui sapientem suum in hac vitæ miseria propter virtutum opera beatum esse prædicat, eaque non ob aliud quippiam, sed propter se tantùm etiam in hac vita velut summum bonum expetenda; atqui summum hominis bonum non est nisi regnum Dei, id est justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto, pro quibus quotidie supplicat Ecclesia, dicens: Adveniat regnum tuum; quod solùm propter se expetit, & cætera propter ipsum, etiam vitæ hujus justitiam quæ imperfecta est, ut videlicet ad perfectam veniat: nam propter hanc adipiscendam rectè nobis vi-
De civit. Dei, lib. 10. c. 4. vendum est, inquit Augustinus. Quapropter vanum est & illud quod addit Calvinus, curam vitæ benè instituendæ non nasci propositâ spe mercedis, sed commemoratione beneficiorum Christi, qui nos suo sanguine redemit ad serviendum Deo viventi. Nam etsi beneficiorum Dei commemoratio calcar nobis sit ad serviendum Deo, tamen longè major additur stimulus si simul finis explicetur, & quò tandem tum Deo tum mundo serviendo perveniatur. Id quod locis innumeris sacræ Scripturæ faciunt, dum nos ad rectè vi-
Rom. 8. vendum exhortantur. Prudentia carnis mors est, inquit Apostolus, prudentia spiritus vita & pax. Et rursus: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si*
Rom. 6. *autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Similiter dum ait: *Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Utrumque autem simul junxit B. Petrus,
1 Petr. 1. dicens: *Et si patrem invocatis eum qui sine acceptione personarum judicat secundùm uniuscujusque opus in timore, incolatus vestri tempore conversamini, scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi;* nam priori parte latenter vitam promissam & mortem contaminatam ingerit, posteriori verò ingentia beneficia ad memoriam reducit. Fatetur tamen tandem Calvinus, Scripturam sacram hoc exhortationis genus sæpenumerò usurpare, sed exordium negat inde sumendum. At contrà Joan-
Matth. 3. nes Baptista exhortationem suam ita legitur exorsus: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et Christus, qui etiam teste Matthæo cœpit
Matt. 4. prædicare & dicere: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.*
Matt. 10. Similiter Apostoli & discipuli Domini, qui & ipsi eo jubente prædicationes suas ab hac promissione sunt exorsi. Quapropter patienter ferat Calvinus, si

veri

veri fideles, quibuſcum nulla eſt ipſi ſocietas, hanc ejus doctrinam non audiant: ſed eorum potiùs exempla ſequuti, quorum ſe filios & hæredes dici gloriantur, à promiſſione regni cœleſtis exhortationum ſuarum ſumant exordia.

Argumentum quadrageſimum quintum.

Ob legem ſervatam nihil promittit Deus, niſi perfectis legis ſuæ cultoribus, qualis nemo reperitur: igitur ex legis promiſſione non poteſt ſtatui ratio meriti.

Reſponſio.

Scripturæ ſacræ, quæ legis obſervationi vitam & regnum cœleſte promittunt, variis loquuntur modis. Aliquando enim totam legem generaliter commemorant, & nullam vocabuli mercedis ingerunt mentionem: ut, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata:* &, *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Aliquando verò particularia opera commemorant, quibus ſic regnum cœleſte promittunt, ut illud etiam nomine mercedis appellent: ut, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur,* &c. Quibus denique ſubditur: *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint adverſus vos omne malum, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Et rurſum: *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Et, *qui receperit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Ex prioribus igitur illis Scripturis ſacris, (ad quas ſolas reſpexiſſe videtur Calvinus, ubi ait, quòd ob legem ſervatam nihil promittit Deus, niſi perfectis ſuæ legis cultoribus,) forſitan minùs clarè ſtatui poſſet in quolibet opere bono vera boni meriti ratio, tum quia generaliter de legis obſervatione loquuntur, tum etiam quia nudam vitæ & ſalutis promiſſionem continent, ſine ulla mercedis mentione. Sed quemadmodum ex eo quod ſcriptum eſt: *Neque fornicatores, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt;* certiſſimè colligitur ſingula ejuſmodi crimina eſſe damnationis æternæ merita: ſic ex poſterioribus locis Scripturæ ſacræ ſatis manifeſtè oſtenditur, ea opera quibus regnum cœleſte ſub mercedis nomine promittitur eſſe vitæ æternæ merita. Nec obſtat quod ait Propheta: *Si juſtus averterit ſe à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus quas fecit non recordabuntur.* Similiter Apoſt. Jacobus: *Quicunque totam legem ſervaverit, offendet autem in uno, factus eſt omnium reus:* quia ſicut peccando mortem indubitanter meremur, & tamen ob pœnitentiæ fructum in illam non præcipitamur, ſic fieri etiam poteſt, ut per priores juſtitias mereatur quis vitam æternam, & tamen ob peccatum ſubſequens, non ſolùm perdat juſtitiæ coronam, ſed etiam percipiat mercedem injuſtitiæ, ſicuti jam dictis Scripturis ſignificatur. Eſt tamen differentia inter peccatum quod pœnitentiâ deletur, & opus bonum quod per peccatum ſequens ſuâ mercede fruſtratur; quia peccatum ſemel deletum ſupplicio non afficitur, etiamſi rurſus peccetur, (ni-

Matt. 19. Matt. 24. Matt. 5. Matt. 10. 1 Cor. 6. Ezech. 18. Jacob. 2.

Matt. 18. si fortè ob ingratitudinem, de qua doctores circa Evangelium ambiguè disputant;) opus verò justitiæ, quod per peccatum sequens à mercede exciderat, sublato peccato plenam accipit mercedem: ideoque opus bonum non dicitur per peccatum deleri, sed solùm à sua mercede impediri.

Argumentum quadragesimum sextum.

Ex fide non adjuvamur ad justitiæ summam, sed totam consequimur justitiam: igitur nulla justitiæ pars in operibus statuenda est.

Responsio.

Totam justitiam ex fide esse confitemur, quia ex illa est & remissio peccatorum & universa opera virtutum, quæ ad justitiam pertinere arbitramur. Ex quo etiam inferimus, nullam justitiæ partem in iis operibus esse sitam quæ ex lege esse dicuntur, etiamsi coram hominibus speciosa esse videantur: quia lex seu opera quæ ex lege esse dicuntur non sunt ex fide, sine qua tamen impossi-
Hebr. 11. bile est placere Deo: sed quia justus ex fide vivit, & fides ex operibus consum-
Rom. 1. matur, ideò in operibus fidei, quæ eadem opera Dei sunt, eam justitiæ par-
Jacobi 2. tem constituimus quam operati esse leguntur Sancti, qui ex fide testimonium
Hebr. 11. justitiæ acceperunt & justitiæ quæ per fidem est hæredes sunt instituti. Nec sic dicentes ex fide ad legem transimus, (sicut calumniatur Calvinus) quia universa justitiæ opera fidei non legi tribuimus: sed quod rei veritas habet,
Rom. 3. legem non destruimus per fidem, sed statuimus, docentes justificationem le-
Rom. 8. gis non per legem, sed per fidem impleri in nobis qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum. Verùm hanc propheticam & Apostolicam doctrinam non recipit Calvinus, quia licèt aliud simulet, tamen usque adeò bonis Sanctorum operibus reperitur infestus, ut non aliud de eis sentiendum putet, quàm Christus de Pharisæorum hypocrisi pronuntiat, dicens:
Luc. 16. *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra, quia*
Inst. sua cap. 10. fi- *quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* Nam hanc Scripturam pro-
gne 16. fert adversùs opera Sanctorum, asserens quòd licèt humano judicio aliquid esse videantur, tamen in conspectu Dei nihil aliud sint quàm inquinationes & sordes, quibus non gloria, sed ignominia debeatur, nec in eis locum habeat
Rom. 2. quod ait Apostolus: *Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum:* sed planè similia sint hypocrisi Pharisæorum, aut certè simulatis gentilium virtutibus, quibus non suâ naturâ, sed immensâ Dei misericordiâ & largitate præmium indebitum statuitur, eò quòd ex se injusta sunt, sed fide per peccatorum remissionem justificentur. Eo nimirum modo quo quis imaginetur justificari adulterium, cum remissio peccatorum accipitur, aut (ut levius aliquid dicam) eleemosynam factam ex vana gloria, quando vana gloria Deo miserente dimittitur. Sed jam tempus est ut de Justificatione pauca subjiciamus.

MICHAELIS BAII, DE JUSTIFICATIONE.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Quid circa justificationem potissimùm sit inquirendum.

CUM de justificatione disseritur, si dialecticorum more illud tantùm inquiratur, quid sit justificatio, & quibus partibus constare debeat plena & integra ejus definitio, habitâ cognitione justitiæ, de qua jam diximus, res brevis ac facilis inquiritur. Quia nihil aliud est justificatio, quàm continua quædam & indesinens ad justitiam progressio. Justitia verò est mandatorum omnium vera custodia, aut in operatione virtutum, sicut in Christo fuit, aut remissione peccatorum, sicuti in omnibus nobis quamdiu in hac vita sumus magna ex parte reperitur. Nam, ut ait Augustinus: Christus hinc etiam legem adimplevit, quòd per carnis suæ sacrificium sacerdos effectus, impetrat nobis indulgentiam peccatorum. Igitur nihil aliud est justificatio, quàm continua quædam progressio tàm in operatione virtutum, quàm in remissione peccatorum. Cæterùm ut simul ex Scripturis sacris explicetur, quæ sit incipiendi, quæ progrediendi ratio, & quibus affectibus tangi soleant, qui vel ad inchoandum justitiam, vel ad proficiendum à Deo promoventur, res est operosior, & ad sapientiam Christianam multò opportunior.

Cont. Faustum, l. 19. cap. 7.

CAPUT II.

Quòd licèt Deus impium subitò possit totum renovare, tamen id ferè quodam faciat ordine.

QUamvis igitur nemo dubitet, quin Deus omnis naturæ author & gratiæ, hominem corruptum & vitiis innumeris obnoxium, simul uno momento totum renovare & ad perfectam justitiam possit perducere, tribuendo simul & peccatorum omnium remissionem, & consummationem omnium virtutum,

in hac tamen vitæ nostræ miseria, in qua etiam sanctissimos quosque divina gratia sic adjuvat dimicantes, ut non desit propter quod exaudiat quotidie veniam postulantes, secundùm altitudinem divini consilii sui circa eos qui rationis usu fruuntur, (de quibus hîc tantùm disserimus) hanc renovationis seu justificationis rationem ferè servat & ordinem, ut ante omnia ex iniquitatis imminentisque damnationis contemplatione, cordibus eorum in timore spiritum servitutis immittat, qui eos modo quodam compellat medicum quærere, cujus præsidio à peccatis æternaque damnatione liberentur. Sic enim ad Christum & justitiam lex eis pædagogus efficitur, dum peccati damnationisque considerationem ingerens, Deo in cordibus eorum operante, gehennæ timorem incutit, per quem ulteriùs misericorditer à Deo & ad Deum conversi, desiderare & quærere eum incipiunt, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris & sanat omnes infirmitates nostras, juxta illud Esaiæ: *A timore tuo, Domine, concepimus & peperimus spiritum salutis;* Quem timorem volens Joannes Babtista sceleratis hominibus incutere; *Genimina viperarum*, inquit, *quis ostendit vobis fugere à ventura ira? jam enim securis ad radicem arboris posita.* Et Apostolus ad Hebræos: *Voluntariè enim*, inquit, *peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur; quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* &c. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Galat. 3. · Psal. 102. · Isa. 26. · Matt. 3. · Heb. 10.

CAPUT III.

Quòd timor servilis sic præcedat justitiam, ut tamen non sit pars justitiæ.

NOn tamen existimare oportet, timorem futuri judicii qui impiis ante suam conversionem plerunque incutitur, quamdiu servilis est & malæ voluntati jungitur, initium aliquod esse justitiæ, (siquidem credunt & dæmones & contremiscunt, qui tamen nihil habent justitiæ,) sed est quoddam Spiritus sancti donum, quo confixa peccatorum corda, spiritui gratiæ & veritatis minùs audent obluctari; & si Deus ulteriùs misereatur, etiam initium conversionis acquirunt, quæ additis sacramentis ad remissionem eis valeat peccatorum. Nam sicut lex omnisque justitiæ cognitio, quâ auditores legis efficimur, si sola sit, sine spiritu gratiæ, non justificat, sed iram operatur & inflat; ita & hic gehennæ timor, nisi spiritus gratiæ & dilectionis accesserit, non efficitur principium aut causa justitiæ, sed desperationis & pœnæ.

Jacob. 2. · Rom. 4. · 1 Cor. 8.

C A-

CAPUT IV.

Quòd aliter timor, aliter fides justitiæ principium intelligi debeat.

QUapropter aliter timor, aliter fides justitiæ principium debet intelligi. Nam timor dicitur principium justitiæ, sicut lex, sicut doctrina, sicut mundi tristitia, aut aliaquævis affectio, quæ animum quidem ad renovationem foris pulsat, sed intùs ipsum non renovat, nisi Deus misericorditer subveniens, ostium cordis aperiat, & ei quod foris seminatur aut plantatur, intùs vitam & incrementum tribuat, hoc est, nisi faciat justitiam diligi, & iniquitatem odio haberi. A fide verò justitia sumit initium, tanquam à prima quadam sui parte, quæ ideò statim initio tribuitur, ut per eam & remissio peccatorum & opera virtutum impetrentur, sicut docet Augustinus. Id quod de ea fide debet intelligi, cui conjunctum est bonæ voluntatis initium, & quâ credimus unum Dominum nostrum Jesum Christum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato; id est, quâ credimus in unum mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum: quia licèt omni fidei quam Dei verbis adhibemus commune sit, esse opus Dei & opus justitiæ, quo Deus verax esse agnoscitur & ejus mandatis obeditur, tamen ex æterna Dei prædestinatione, fidei, quâ Deus creditur proposuisse filium suum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, peculiare est lapsis reparationem, peccatorum remissionem, cæteraque quæ ad perfectam justitiam pertinent merito crucis Christi impetrare; adeò ut dicat Augustinus: *Sine fide incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari & Dei gratiâ justificari, fides Christiana non dubitat, sive in eis justis quos sancta Scriptura commemorat, sive quos non commemorat. Nam si Cornelius Centurio*, inquit, *ex eleemosynis & orationibus (quas sine aliqua fide non faciebat) posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Petrus.*

De præd. san. c. 7. & pleni. de spir. & lit. cap. 28.

Rom. 3.

De pecc. ori. c. 24.

De præd. cap. 7. Idem epist. 59. q. 5.

CAPUT V.

Quo sensu dicat B. Jacobus hominem ex operibus justificari.

QUod verò ait B. Jacobus hominem etiam ex operibus justificari, & quòd Abraham ex operibus justificatus est, offerens filium suum super altare, eo etiam sensu intelligi potest quo alibi legimus, quòd *qui facit justitiam justus est*; &, *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*; nempe ut intelligatur nos non in hoc tantùm justificari, quòd redemptionis gratiam agnoscentes, fidei nostræ merito, & præcedentium delictorum veniam & virtutum incrementa consequimur, sed etiam in hoc quòd auxilio gratiæ Christi adjuti, legi Dei saltem ex parte & in gravioribus obedimus, & obe-

Cap. 2.

1 Joan. 3.

Rom. 2.

obediendo veram justitiam coram Deo præstamus, à qua justi nuncupemur,
Luc. 1. sicut de Zacharia & Elizabeth legimus, quòd erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela. Etsi enim, ut ait Beda,
1 Pet. 4. sicut charitas operit multitudinem peccatorum, sic cuncta opera bona quæ facimus, culpas quas fecimus diluere certum est, tamen ex iis operibus bonis quæ à fidelibus non ob id fiunt, ut vel remissionem peccatorum vel incrementa virtutum consequantur, sed solùm ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à fornicatione, à furto abstinere; ex his, inquam, operibus in Scripturis sacris justificari dicimur, quia sunt legis obedientia & vera legis justitia, non quia his obtinemus aut remissionem peccatorum aut incrementa virtutum. Quia hæc posterior justificandi ratio peculiariter tribuitur fidei quâ credimus in sanguine Christi, sub qua etiam intelligi debent ea opera comprehendi quæ in Scripturis sacris similem habent restaurationis nostræ promissionem, quæque ob id potissimùm à fidelibus observantur, ut vel delictorum indulgentiam, vel incrementa virtutum consequantur, cujusmodi sunt pœnitentia, oratio, misericordia, eleemosyna, mutua debitorum remissio, quæ pacto dominicæ orationis exigitur, & alia id genus: quia sicuti de fide legimus, quòd credenti in eum qui justifi-
Rom. 4. cat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundùm propositum gratiæ
Actor. 3. Dei; sic etiam de pœnitentia: *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata*
Rom. 10. *vestra*; & de oratione: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*; &
Matt. 5. de misericordia: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; de
Dan. 4. eleemosyna: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pau-*
Luc. 6. *perum*; & de mutua remissione peccatorum: *Dimittite, & dimittetur vobis*;
Matt. 6. &: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.* Sicut igitur ex fide redemptionis non ob id tantùm justificari dicimur, quia fides opus est justitiæ, sicut cætera quibus Dei mandatis obedimus, sed ob id potissimum, quia per eam & remissionem peccatorum & aliarum incrementa virtutum obtinemus: sic etiam de pœnitentia, oratione, & cæteris operibus quæ paulò antè enumeravimus sentiendum est. Porrò in eo quod sta-
Jacob. 2. tim subdit B. Jacobus: Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius (scilicet Abrahæ,) & quòd fides ex operibus consummata est; hoc significatum arbitror, quòd neque opera sine fide justificent, (nam de his scriptum est: Si
Rom. 4. Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum,) neque fides sine operibus, (quia hæc etiam in dæmonibus invenitur, in quibus
Jacobi 2. nihil est justitiæ;) sed quòd utrumque alterius ope indigeat, ut coram Deo
Rom. 1. veram justitiam constituat, efficiaturque fides per dilectionem operans, de qua scriptum est, quòd justus ex fide vivit. Nam qui habent fidem per solum timorem operantem, sicut dæmones credunt & contremiscunt, coram Deo justi non sunt, sed solùm coram hominibus, qui ignorant quo animo quave intentione fiant quæ foris officio recta sunt & in speciem sancta videntur.

CAPUT VI.

Quòd timor crescente justitiâ minuatur, fides verò augeatur.

QUapropter inter fidem & timorem etiam id discriminis invenitur, quòd timor qui in justis relinquitur, crescente justitiâ minuitur & ejus consummatione finitur, secundùm illud Joannis: *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem*; perfecta enim charitas, perfecta justitia est, quæ cùm delictorum multitudinem operiat, & Dei legem perfectè impleat, non habet unde in die judicii pœnam metuat, sed quare desideret ut transeat iniquitas & veniat regnum Dei. Fides verò quamdiu in hac vita sumus, crescente justitiâ non tantùm non minuitur, verùm etiam augetur, donec specie succedente in melius aliquid & perfectius commutetur. Hinc discipuli justitiam Dei esurientes, incrementum fidei postulabant, dicentes: *Adauge nobis fidem*. Et alius quidam: *Credo, Domine, adjuva*, inquit, *incredulitatem meam*.

1 Joan. 4. Luc. 17. Marc. 9.

CAPUT VII.

Quòd timor pœnæ non semper antecedat justitiam.

SUnt tamen nonnulli in quibus hic renovationis ordo non servatur, ut priùs detur eis spiritus servitutis in timore, deinde temporis progressu dilectio justitiæ: sed aut simul cum ipso timore voluntas obediendi tribuitur, ut divo Paulo, qui simul in timore prosternitur, & obedienti voluntate clamat: *Domine quid me vis facere?* Aut sine omni timore, qui saltem manifestus appareat, ad vocem tranquillæ monitionis conversio cordis inspiratur, ut Matthæo, qui vocatus statim à telonio recessit; & Zachæo, qui nullo terrore attritus, nullâ voce increpatus, ad promissiones redemptoris sui spe alacri & avido desiderio cucurrit. Dixi, qui saltem manifestus appareat: nam D. Augustinus dicit nunquam accidere ut quisquam velit fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Cui consonat Sapiens, cùm ait: *Timor Domini expellit peccatum*; nam qui sine timore est, non poterit justificari.

Act. 9. Matt. 9. Luc. 19. De catechi. rudi. c. 5. Eccli. 1.

Sed & inter eos qui renovationis gratiam consequuntur, illud etiam discrimen reperitur, quòd nonnulli penè quicquid ad ejus plenitudinem pertinet, uno ferè momento aut brevissimo tempore consequuntur: sicut Hieremias, de quo scriptum legimus: *Priusquam te formarem in utero, novi te*; & Joannes Baptista, qui intra Elizabeth matris viscera Spiritu sancto repletus exultat; cum tamen plerisque aliis diu in sua infirmitate permanentibus, lento quodam incremento vix tandem aliquantulùm spiritalis sapientiæ particulatim accrescat. Sed quare isti sic, alii aliter, atque alii aliter diversis & innumerabilibus modis vocentur & reformentur; *absit*, inquit Augustinus, *ut dicamus judicium luti esse debere, sed figuli. Qui etiam*, ut alibi ait, *Sanctis suis ideò nonnunquam ali-* cujus

Hier. 1. Luc. 1. De corr. & grat. c. 5. Lib. 2. de pecc. mer. cap. 19.

cujus operis justi non tribuit vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem quâ illuminantur tenebræ eorum, & suavitatem quâ det fructum suum terra eorum.

CAPUT VIII.

Quòd omnes ratione utentes duplici ex parte justificentur.

QUia tamen justitia in nobis duabus constat partibus, videlicet operatione virtutum, quæ in Scripturis sacris justitia legis dicitur, & remissione peccatorum, quæ magis secundùm reputationem quàm secundùm sermonis proprietatem justitia dicitur; hinc commune est omnibus ratione utentibus duplici ex parte justificari, remissione videlicet peccatorum, quam quotidie jejuniis, eleemosynis, & pacto dominicæ orationis consequuntur, & incremento virtutum, quo sic in mentis renovatione proficiunt, ut quotidie pleniùs ac perfectiùs legi Dei obediant. Quapropter hi qui in Scripturis sacris justificationem duplicem faciunt; primam videlicet, quæ nihil aliud sit quàm remissio peccatorum, quæ fit baptismo aut pœnitentiæ sacramento; & secundam, quæ post acceptam peccatorum remissionem constat continuo quodam profectu virtutum, rectiùs forsitan & Scripturæ sacræ conformiùs loquerentur, si unius ejusdemque justitiæ, quâ potimur in hac vitæ miseria, partes duas esse dicerent, operationem videlicet profectumque virtutum, à principio conversionis usque ad consummationem sanctæ conversationis, & remissionem peccatorum, qua à peccatis justificari dicimur, sive cùm baptizamur, sive cùm à sacerdotibus absolvimur, sive cùm aliâ quâvis ratione peccatorum remissionem consequimur. Nam gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum quisque liberatur & justificatur, non solùm remissione peccatorum, inquit Augustinus, sed priùs ipsius inspiratione fidei & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu & effectu; donec sanet omnes languores nostros, & redimat de corruptione vitam nostram, & coronet nos in miseratione & misericordia.

Epist. 105. *Psal. 102.*

M I-

MICHAELIS BAII, DE SACRIFICIO AD REVERENDIS.

Atque Illustriss. Dominum D. Robertum à Bergis, Leodiensem Episcopum.

LIBER UNUS.

CAPUT I.

Quod sit proprium munus sacerdotii.



Um nuper gratiæ tuæ assisterem, Reverende Præsul, admodùm lætus audivi, quòd inter curas innumeras, tam ecclesiasticas quàm sæculares, quibus ob diœcesis patriæque Leodiensis amplitudinem sine ulla intermissione distraheris, de sacerdotio nihilominus intra breve tempus suscipiendo seriò cogitares; nec illos velles imitari, qui licèt munus sacerdotale gerant, ita se tamen comparant, ut neglecto sacrificio & oratione, quæ sacerdotii propria sunt, nihil præter externa cogitent: sed eos potiùs qui affectu charitatis ita subditorum necessitatibus inserviunt, ut tamen quoties per occupationes licet, ad interna atque potiora munera sua transferantur. Quapropter mecum cogitans, quomodo de tam sancto proposito tuo non solùm Deo gratias agerem, obsecrans in abscondito ut qui cœpit in te opus bonum perficiat, sed etiam tuæ dignitati congratularer, nihil convenientius occurrit, quàm ut de sacrificio aliquid Celsitudini tuæ scriberem, quò ex Scriptura sacra veterumque traditione, aut intelligentiam tuam nonnihil adjuvarem ad pleniùs cognoscenda contemplandaque tanti mysterii sacramenta, aut si fortè aliquando ea legendo audiendoque consecutus es, saltem ad memoriam tibi revoca-

vocarem. Hoc enim proprium sacerdotii munus est, offerre dona & sacrificia pro peccatis, uti ad Hebr. 5. legimus. Unde Apostoli congregatâ discipulorum multitudine: *Non est æquum*, inquiunt, *nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres ex vobis viros boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus; nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Nam sub oratione sacrificium comprehenditur, sicuti ex illis discimus qui Actorum 2. perseverantes erant in communicatione & fractione panis, & orationibus. Et ex Levitico, ubi quod de sacerdote dicitur: Orabit pro se, & pro domo sua; hoc Apostolus ad Hebr. oblationem interpretatur, dicens, quòd debet etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Et Esaias de templo, in quo solo offerre licebat: Domus mea, inquit, domus orationis vocabitur. Unde Augustinus tractans illud Apostoli: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*; nomine orationis votum & oblationem altaris intelligit. Quemadmodum enim Christus in ara crucis tradidit semetipsum pro peccatis totius mundi, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis: sic etiam sacerdos ad altare passionem ejus recolens & de illa Deo gratias agens, panem & vinum consecrat in salutis hostiam, quam offert pro peccatis totius mundi. „Cùm enim sanctarum plebium præsules, inquit Celestinus, mandatâ sibi legatione funguntur, apud divinam clemen„tiam humani generis agunt causam, & totâ secum Ecclesiâ congemiscente „postulant & precantur ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impieta„tis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis „appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici „spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia confe„rantur, ut denique cathecumenis ad regenerationis sacramenta perductis, „cœlestis misericordiæ aula reseretur. *Est enim sacerdos communis quidam totius orbis pater*, inquit Chrysostomus, *cui incumbit ut omnium curam agat, omnibusque provideat, sicut & Deus, cujus ministerio servit & vice fungitur.*

[Margin: Actor. 6. — Levit. 16. — Hebr. 7. — Esa. 56. — Epist. 59. — Ephes. 5. — Epist. ad Episc. Gal. cap. 11. — Super epistolam 1. ad Tim. homil. 16.]

Nec mihi nunc propositum est ostendere Missam esse sacrificium, sicut solent qui vel contra hæreticos, vel apud vacillantes in fide disserunt; quia loquor fideli & catholico Præsuli, qui ab infantia sua didicit & credidit, nec templum, nec altare, nec sacerdotium nostrum constare posse sine sacrificio quod pro peccatis offertur. Siquidem omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ ad Deum sunt, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.

[Margin: Heb. 5.]

Sed quantùm Deus adjuverit conabor ostendere primùm, quid sit sacrificium, (quod aliis nominibus à victis hostibus victima & hostia nominatur;) deinde quæ ejus differentiæ; tum in quo genere numerari debeat nostrum Eucharistiæ sacrificium; post hæc pro quibus causis ac personis offerri debeat; denique quem nobis pariat fructum; ut his cognitis utcunque possit intelligi, quæ sacrificantis debeat esse spes & intentio.

CAPUT II.

Quid sit sacrificium.

SAcrificium definit Augustinus, omne opus quod agitur ut sanctâ societate inhæreatur Deo, relatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia, inquit, quâ homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium; si verò ad Deum refertur, tunc acceptissima Deo hostia est; de qua ad Hebræos: *Beneficentiæ & communicationis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Nec ipsa tantùm actio misericordiæ sacrificium seu hostia nuncupatur, sed etiam illud quod misericorditer tribuitur. Unde Apostolus: *Habeo autem omnia*, inquit, *& abundo, repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suavitatis, hostiam placentem & acceptam Deo.* Nam hîc hostiam vocat, quæ ipsi in vitæ subsidium missa fuerunt. Sic & in sacrificio crucis, non ipsa tantùm obedientia quâ filius Patri factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, sacrificium nuncupatur, sed & ipse Christus qui mortem obediendo subiit, & ipsum ejus corpus quod post mortem in cruce remansit, & ejus anima quæ relicto corpore ad inferos descendit, rectè sacrificium & hostia nuncupantur.

Lib. 10 de civit. Dei cap. 6. *Cap. ult.* *Philip. 4.*

CAPUT III.

Quòd duplices sint actiones quæ sacrificia vocantur.

CÆterùm actiones quæ in Deum relatæ sacrificia nuncupantur, & à quibus res ipsæ quas actionibus nostris Deo offerimus sacrificii nomen accipiunt, in duplici sunt differentia. Nam aliæ sunt secundùm se Deo acceptæ, etiamsi ad nihil aliud significando referantur, cujusmodi sunt universa opera virtutum, quæ ubique & in omnibus sunt Deo accepta; quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi; ut obedientia Christi usque ad mortem; divina laus, de qua scriptum est: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et: *Immola Deo sacrificium laudis.* Cordis contritio, de qua ait Psalmista: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Castigatio corporis, de qua ait Apostolus: *Obsecro itaque vos fratres*, inquit, *per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Corpus enim nostrum*, inquit Augustinus, *cùm per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum faciamus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, sacrificium est.* Quòd si corpus, quo inferiore tanquam famulo vel tanquam instrumento utitur anima, cùm ejus bonus & rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est; quantò magis anima ipsa cùm se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tanquam in-

Act. 10. *Psal. 49.* *Psal. 50.* *Rom. 12.* *De civit. Dei, lib. 10. cap. 6.* *Rom. 6.*

commutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens, quòd ex ejus pul-
Rom. 12. chritudine acceperit, fit sacrificium? Nam & hoc significavit Apostolus statim consequenter adjungens: Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta. Itaque ipse totus homo Dei nomini consecratus & Deo devotus, cùm mundo moritur ut Deo vivat, & secundùm corpus & secundùm animam acceptissimum Deo sacrificium est.

Aliæ verò sunt actiones typicæ, quæ ob id potissimùm Deo acceptæ sunt & sacrificii rationem induunt, quia ad aliud quippiam significando referuntur, quod secundùm se sacrificium est, quodque non solùm fide credere, sed etiam perpetuâ mentis recordatione contemplari oportet. Hoc modo sacrificia fuerunt quæcunque olim in ministerio tabernaculi ac templi leguntur divinitùs esse præcepta. Non enim secundùm se unquam Deo accepta fuit hirci, vituli, aut bovis immolatio, sed hoc solùm nomine, quia his actionibus & rebus figurabantur ea sacrificia quæ à filiis novi testamenti requirit Deus, & præcipuè futurum crucis sacrificium, cujus apud fideles omnes tam jugis esse debet memoria, ut vel ob hanc etiam tempore novi testamenti institutum sit à Christo quotidianum Ecclesiæ sacrificium, quod in hujus tanti beneficii memoriam
1 Cor. 11. & gratiarum actionem semper offeratur. *Hoc facite*, inquit Christus, *in meam commemorationem*.

CAPUT IV.

Quòd sacrificia typica à non typicis multipliciter distinguantur.

PORrò inter hæc duo actionum seu sacrificiorum genera multiplex discrimen invenitur. Nam illa quæ secundùm se Deo accepta ad nihil aliud significando referuntur, tanquam naturalia & ex rationalis animi conditione nata, ab initio creaturæ usque in finem semper immutata Deoque accepta permanent. Semper enim erit, & Deo acceptum erit quod ait Psalmista: *Im-*
Psal. 49. *mola Deo sacrificium laudis*. Hæc verò quæ pro ratione temporis ad hoc divinitùs instituta sunt & præcepta, ut sint sacrificiorum potiorum sacramenta, tanquam posita & extrinsecùs ascita, pro ratione temporis immutantur: sicut de veteris populi sacrificiis manifestissimum est, quæ Christi adventu mutata sunt in unicum nostrum Eucharistiæ sacrificium, virtute majus, utilitate melius, actu facilius, & dignitate incomparabiliter sublimius. Et quæ priùs suo modo grata, imò divinitùs instituta jussaque fuerunt, statim post tempus correctionis facta sunt molesta, odiosa & abominabilia: sicut Judæis prænuntia-
Cap. 1. vit Esaias, dicens: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum.* Et rursum: *Ne offeratis ultrà sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi; neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram; facta*
Hier. 6. *sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Et Hieremias: *Holocaustomata vestra non*
Amos. 5. *sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* Et Amos: *Odi & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum.* Et clarissimè Malachias

chias: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Manifestissimè enim designavit quo tempore futurum erat, ut Dominus prisca illa Judæorum munera ampliùs non susciperet, nempe tempore revelati novi testamenti, quo in omnibus gentibus offertur nomini Domini mundissima corporis & sanguinis Christi hostia. Id quod ad Hebræos scribens manifestissimè etiam significavit Apostolus, dicens: *Ideò ingrediens mundum, dicit:* Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam. Superiùs dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocaustomata, & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundùm legem offeruntur; tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam; aufert primum, ut sequens statuat. Nam præsente & revelatâ veritate cessare debuit umbra, illam obscurè & adhuc revelandam significans. Quod verò ait Psalmista: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis;* ad tempora veteris illius populi referendum est, non ut ea quæ divinitùs instituta præceptaque fuerunt, ante tempus constitutum negligi aut contemni debuisse suspicemur: sed ut intelligamus, quòd Deus voluptatis suæ gratiâ his nunquam oblectatus fuerit, sicut à stultis putabatur, quòdque de his offerendis nunquam præcepisset, nisi ea sacrificia quæ secundùm se citra omnem significationem semper accepta fuerunt, his visibilibus sacrificiis significari voluisset. Nam in eo quod scriptum est, inquit Augustinus: Misericordiam volo, & non sacrificium; nihil aliud quàm sacrificium sacrificio prælatum oportet intelligi: & ideò, inquit, mutanda erant opportuno certoque tempore illius populi sacrificia, ne ipsi Deo desiderabilia vel certè in nobis acceptabilia, ac non potiùs quæ istis significata sunt, crederentur.

Malach. 1. *Heb. 10.* *Psal. 39.* *Psal. 50.* *Lib. 10 de civit. Dei cap. 5.* *Osee 6.*

Rursus prioris generis sacrificia semper à quovis offerri potuerunt, nec aliud in offerente requirunt quàm fidem rectam, spem piam, charitatem syncerам. Ad omnes enim cujuscunque temporis homines pertinet quod ait Psalmista: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Et: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* & cætera similia quæ in Scripturis sanctis de hujusmodi sacrificiis scripta leguntur. Quo fit, ut ab illis sacrificiis, fideles omnes sacerdotes in Scripturis sacris appellentur, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum Dominum nostrum, sicuti in epist. B. Petri legimus. Unde in Apocalypsi, Christus nos in hoc dilexisse dicitur, quòd lavit nos à peccatis nostris, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo. Ob quam causam etiam quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, & cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus; quia occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Eo ipso enim quo nos impietati atque humanis occupationibus intentione vanissimâ servientes ad se convertit, ut jam quæ Dei sunt cogitantes, non ampliùs mundo, sed Deo sacrificium laudis & gratiarum actionis immolemus, sacerdotes nos fecit Deo nostro,

Psal. 49. *Psal. 50.* *1 Petr. 2.* *Apoc. 1.* *Apoc. 5.*

nostro, spirituales hostias offerentes. Ea verò sacrificia, quæ ad priora significando referuntur, ab his duntaxat offerri possunt, qui ex hominibus assumpti, pro hominibus constituti sunt in iis quæ ad Deum sunt, ut offerant dona & sacrificia pro peccatis, sicut ex testamento veteri manifestissimum est: Nec enim *quisquam sumit sibi honorem*, inquit Apostolus: *sed qui vocatur à Deo, quemadmodum Aaron*. Unde in Numeris tam severè animadversum est in Dathan & Abiron, qui cùm sacerdotes non essent, sacerdotium sibi vendicaverunt, id ipsum prætendentes quod & hodierni hæretici, nempe quòd omnis multitudo sanctorum sit, ac proinde omnes habendos sacerdotes & æquales. Similiter 2. Paralip. cùm rex Ozias templum ingressus, adolere vellet incensum super altare thymiamatis, statim ingressus post eum Azarias sacerdos Domini, & cum eo octoginta viri fortissimi restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, &c. statimque orta est lepra in fronte ejus, quòd cùm sacerdos non esset, sacerdotis sibi vendicaret officium. Ex quibus manifestum evadit, quod typicorum sacrificiorum oblatio non omnium fidelium officii sit. Unde nec ab horum sacrificiorum ministerio vocandi sunt omnes sacerdotes, sed hi duntaxat qui juxta ritum à Deo præscriptum sunt ad hoc ministerium consecrati. Denique priora illa sacrificia quæ significativa non sunt, tum demum & offerentibus & iis pro quibus offeruntur prosunt, cùm offeruntur ex corde puro & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Nam si offerantur intentione perversâ, prorsus inania fiunt & inutilia tam offerentibus quàm iis pro quibus offeruntur. Unde illud: *Quare jejunavimus, & non aspexisti; humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Imò tunc nec sacrificia dicenda sunt, quia non eò referuntur ut Deo verâ charitate adhæreatur, quod tamen initio hujus libri ex Augustino ad rationem sacrificii pertinere ostendimus. Ea verò quæ typica sunt, etiamsi offerantur intentione perversâ, nec eis prosint, imò plurimùm obsint per quos offeruntur, quia de his per prophetam dicit Dominus: *Maledicam benedictionibus vestris*; tamen propter sacramenti à Deo instituti veritatem immobilemque instituentis voluntatem, (quâ fit ut absque ministrantis devotione non tantùm integra sit sacramenti ratio, sed etiam devotis fidelibus prosit,) veram sacrificii rationem retinent; quia hanc non à devotione ministrantis, sed ab instituentis voluntate & sanctitate rei significatæ sortiuntur, sicut & effectum suum; quemadmodum ex Levitico discimus, ubi constitutis sacrificiis quæ pro peccato sacerdotis, principis aut populi per ignorantiam commisso offerri debeant, semper in fine concluditur: Rogabitque pro eo sacerdos, & propitius erit ei Dominus. Sacerdos, inquit, non addit, devotus aut indevotus. Nec mirum, nam sacramenta non à ministri pietate, sed instituentis ordinatione & suscipientis fide virtutem suam sortiuntur, sicut in baptismo & sacramentis aliis manifestissimum est. Qua de re vide Augustinum, lib. 2. contra epist. Parm. cap. 8.

Hebr. 5. *Ibidem.* *Num. 26.* *Cap. 26.* *1 Tim. 1.* *Esa. 58.* *Malac. 2.* *Cap. 4.*

CAPUT V.

In quo sacrificiorum genere constituendum sit sacrificium corporis & sanguinis Domini.

AD hoc posterius sacrificiorum genus, præsertim si actionem externamque sacramenti speciem spectes, sine ulla ambiguitate pertinet quotidianum Ecclesiæ sacrificium, quod Christus instante passione pro omnibus sacrificiis veteris testamenti in Ecclesia usque ad finem seculi offerendum instituit; ut quemadmodum illa multis & variis modis verum crucis sacrificium, Christi scilicet mortem tunc adhuc futuram & velatam, adumbraverunt: sic & istud illam jam peractam & toti mundo revelatam, simplici ac definito quodam modo semper annuntiet, donec Dominus veniat: Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. „Unde Augustinus: In illis, ait, carnalibus *Fulgent. De fide ad Petrum cap. 19.*
„victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine pec-
„cato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem pec-
„catorum nostrorum: in isto autem sacrificio gratiarum actio atque com-
„memoratio est carnis Christi quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro
„nobis idem Deus effudit. In illis ergo sacrificiis, inquit, quid nobis esset
„donandum figuratè significabatur, in hoc autem sacrificio quid nobis jam
„donatum sit evidenter ostenditur; in illis sacrificiis prænuntiabatur filius Dei
„pro impiis occidendus, in hoc autem pro impiis nuntiatur occisus. Et rur- *Cont. Faustum l. 10. cap. 18.*
„sus: Hebræi in victimis peccatorum, multis & variis modis (sicut re tantâ
„dignum erat) prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus ob-
„tulit. Unde jam Christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant
„sacrosanctâ oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi. Divus Thomas, ut in sacrificiis & oblationibus specialem virtutem constituat, *2. 2. quæst. 85. art. 3.* ea duntaxat arbitratur propriè dicenda sacrificia, quæ non ab aliud merentur laudem, quàm quòd in Dei reverentiam fiant. Sed juxta hunc modum neque corporis castigatio, neque contritio cordis, neque alia multa quæ passim in Scripturis sacris sacrificia aut hostiæ nominantur, propriè dicentur sacrificia; quia non tantùm ex fine, sed etiam ex officio sunt honesta & laude digna: imò nec ipsa Christi passio (quæ tamen propter eminentiam hoc sibi nomen propriè vendicat) propriè sacrificium dicetur, quia in ipsa tantopere laudandum humilitatis officium est, ut palam testetur Apostolus quòd propter hoc Deus *Philipp. 2.* exaltavit eum, & dedit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quòd Dominus Jesus est in gloria Dei Patris. Quin & ea quæ in veteri lege ob id peculiariter sacrificia nuncupantur, quòd ad Christi passionem, quæ propriissimè sacrificium est, significando referantur, etsi quibusdam videri queant ex eo duntaxat mereri laudem, quòd ad Dei honorem fiant, attamen ex hoc etiam laudabilia sunt, quòd tanti tamque necessarii sacramenti fidem significando doceant & foveant. Rectiùs igitur & sacræ Scripturæ conformiùs, sacrificium cum D. Augustino sine speciali virtutis ratio-

ne intelligimus in omni opere bono, quod ad eum finem refertur quo veraciter beati esse possumus, sive ex fine duntaxat, sive etiam ex officio laudem aliquam mereatur; atque unumquodque opus bonum apud Deum tantò magis esse sacrificium, quantò magis illi fuerit acceptum.

CAPUT VI.

Cur sacræ Eucharistiæ confectio, præ cæteris sacramentis peculiariter sacrificium appelletur.

QUòd si roges, cur sacræ Eucharistiæ confectio præ cæteris sacramentis, (quæ etiam typica sunt & ad hoc divinitùs instituta, ut juxta sacrificii definitionem sanctam aliquam actionem significent, eo fine peractam ut Deo sanctâ societate adhæreatur,) à piis fidelibus peculiariter nomine sacrificii celebretur, quadruplex videtur ejus reddi posse ratio. Prima est, quòd sola ad hoc peculiariter est instituta, ut sit illius primi atque eminentissimi sacrificii quotidiana cum gratiarum actione commemoratio: Hoc enim facite, inquit Christus, in meam commemorationem. Nam si juxta Scripturam sacram tempore legis veteris peculiariter sacrificia dici meruerunt, quæ unicum istud sacrificium adhuc futurum & incognitum adumbrabant; quantò magis sacrificium dici meretur, quod ipsum jam peractum manifestè commemorat & continet. In illis enim carnalibus victimis, inquit Augustinus, quid nobis esset donandum figuratè significatur; in hoc autem sacrificio quid nobis jam donatum sit evidenter ostenditur. Secunda ratio est, quòd sola Eucharistia sacratissimam illam hostiam contineat, quæ semel in cruce oblata, totius mundi salutem operatur & propriissimè sacrificium nuncupatur. Tertia est, quòd hoc sacrificium inter omnia sacramenta in effectu suo crucis sacrificio simillimum sit. Sicut enim sacrificium crucis, vivis & defunctis, fidelibus & infidelibus, præsentibus & absentibus prodest; (Christus enim, ut inquit Paulus, unâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos) sic & istud; quod nulli prætereà competit sacramento. Unde & in Scripturis sacris, propter affectus similitudinem quam habet cum oratione, frequenter orationis nomine significatur: ut Act. 6. *Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Et ad Tim. *Obsecro primùm omnium fieri orationes*, &c. Et quòd in Levitico legimus: *Orabit pro se sacerdos*, Apostolus ad Hebræos interpretatur, *offeret.* Quibus simile est illud: *Domus mea domus orationis vocabitur:* nam alibi poterat orari, sed non offerri. Quartò potest hujus sacramenti confectio sacrificium peculiariter nuncupari, quia significat etiam illud sacrificium quo universa Sanctorum societas per sacerdotem magnum Deo offertur. *Hoc est enim sacrificium Christianorum*, inquit Augustinus, *quo multi unum corpus in Christo sumus; quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat ecclesia, ubi ei demonstratur, quòd in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur.* Igitur ipsa Eucharistiæ confectio non ideò à fidelibus peculiariter nomine sacrificii prædicatur, quòd inter sacramenta, sola sacrificium sit; sed quia inter omnia sacrificia sic eminet, ut nomen aliis commune veluti proprium sibi vendicare mereatur. Nam & ipsum

Marginalia: Luc. 22. — Fulgent. de fide ad Petr. c. 19. — Hebr. 10. — 1 Tim. 2. — Levit. 16. — Hebr. 7. — Esa. 56. — De civit. Dei lib. 10. cap. 6.

synaxis vocabulum, quod alioqui cæteris sacramentis commune erat, (hoc enim agunt universa, ut ejus quod verè unum est societatem unitatemque individuam largiantur) ab effectu ipso quo unitatem perficit, sibi proprium fecit: sicut hanc docet Dionysius Areopagita in Ecclesiastica Hierarchia. *Cap. 3. parte 1.*

CAPUT VII.

Quòd Ecclesiæ sacrificium duobus modis significet.

DUobus autem modis sacrificium istud significat, externâ videlicet sacramenti specie, & circa sacramentum actionis exterioris similitudine. Externâ sacramenti specie in primis significat, quod Christus apud Joannem tantâ instantiâ nobis commendavit: Ego sum panis vitæ: &, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus; &: Panis verus est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo; &: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; &: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Nempe quòd Christi morte, quæ in ejus carne fuit, credentibus & credendo manducantibus vita reparetur, quam rectis ante lapsum panis ille tribuebat, de quo ait Psalmista: Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Deinde etiam significat illud quod in Apostolo legimus: *Multi unum corpus sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Unde Cyprianus epist. ad Magnum: *Unanimitatem Christianam firmâ sibi atque inseparabili charitate connexam, etiam ipsa dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum. Et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis multis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunatæ multitudinis copulatum.* Quem secutus Augustinus: *Hujus rei sacramentum*, inquit, *id est, unitas corporis & sanguinis Christi de mensa dominica sumitur.* Et clariùs super Joannem: *Dominus*, inquit, *noster Jesus Christus (sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei) corpus & sanguinem suum in iis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit.*

Joan. 6. *Psal. 101.* *1 Cor. 10.* *Libri 1. epist. 6.* *Serm. 26.* *super Joannem. Tract. 26.*

Similitudine verò exterioris actionis circa sacramentum (de qua ait Apostolus: *Panis quem frangimus*; & rursus: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit.* Item apud Lucam: *Accipite, & dividite inter vos*) Christi passionem immolationemque significat, juxta illud Apostoli: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Unde Augustinus: *Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguis de latere effusio designatur?* Id quod intuens Ecclesia tempore fractionis & communionis, veluti Christum in cruce peccata tollentem alloquens exclamat: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis.* Non tamen negaverim Christi mortem, id est, corporis ab anima, quæ in sanguine non absurdè intelligitur, separationem etiam in eo designari, quòd

1 Cor. 10. *1 Cor. 11.* *Luc. 22.* *1 Cor. 11.* *In lib. Sententiarum Prosperi.*

panis seorsim in corpus, & vinum seorsim in sanguinem Christi consecratur. Nam id satis apertè significat quod post panis & vini consecrationem statim in canone sequitur: *Unde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua sancta, ejusdem Christi filii tui Domini nostri, tam beatæ passionis,* &c. *offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram,* &c.

CAPUT VIII.

Quòd non quorumvis officii sit offerre sacrificium corporis & sanguinis Domini.

SIcut igitur olim in testamento veteri, non quorumvis officii erat offerre typica illius temporis sacrificia, sed filiorum Aaron, qui consecrati erant ad hujuscemodi ministerium, quibus & populus juxta legem decimas persolvebat, ut se eorum favore patrocinioque apud Deum egere significaret: sic etiam tempore novi testamenti, non quorumvis officii est panem & vinum consecrare in salutis hostiam, illamque Deo Patri offerre, sed eorum duntaxat qui ad hoc ministerium delecti sunt & ritu divinitùs præscripto consecrati, qui etiam in hodiernum usque diem à populo decimas accipiunt; de quibus Tito
Cap. 1. scribit Apostolus: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, &*
1 Tim. 4. *constituas per civitates presbyteros.* Et Timotheo: *Noli negligere gratiam quæ est*
2 Tim. 1. *in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Et rur-
1 Tim. 5. sus: *Manus nemini citò imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quia sicut illa sacrificia typica fuerunt, & ad præfigurandum Christi mortem salubriter instituta, sic etiam istud sacrificium typicum est, & in commemorationem mortis Christi divinitùs ad hominum salutem institutum; est tamen verum sacrificium, *quia corporis & sanguinis Christi vera oblatio in remissionem peccatorum: sicuti & illa licèt typica & mortis Christi prænuntiativa, tamen vera fuerunt*
Levit. 4. 5. 6. *sacrificia, quibus Dominus iis qui peccaverant fiebat propitius, sicuti in Levitico sæpius repetitur.*

Object. Heb. 13. Respon. Sed objicitur: Deus unâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos: igitur tempore novi testamenti præter oblationem crucis nulla est oblatio sanctificans & emundans à peccatis. Responsio. Deus unâ oblatione non tantùm consummavit sanctificatos, tempore novi testamenti, sed etiam tempore veteris, imò & quotquot ab initio mundi unquam sunt sanctificati. Quapropter si hoc Apostoli testimonio tollitur quotidianum Ecclesiæ sacrificium, eâdem etiam ratione tollenda erant quæcunque ab initio mundi pro peccatis oblata eguntur esse sacrificia; quod quia absurdissimum est, ideò intelligere debemus, Apostolum jam dicto testimonio non loqui de typicis sacrificiis, quæ ad aliud quippiam significando referuntur à quo vim sanctificandi mutuantur, sed de eo quod secundùm se sine ulla significatione aut relatione Deo Patri tam est acceptum, ut propriâ virtute ac merito sanctificet quotquot Deo Patri reconciliantur, & reconciliando sanctificantur; quale sine dubio unicum est, videlicet ipsum crucis Christi sacrificium, quo ab initio mundi sanctificati sunt quotquot vel sacrificiis priorum temporum, vel quotidiano Ecclesiæ sacrificio unquam

quam fuerunt sanctificati. Differit enim Apostolus contra Judæos, qui veram crucis oblationem abnegantes & sine ulla Christi gratia veram sibi justitiam vendicantes, legis quidem obedientiam non adjutorio Christi, sed suæ legis cognitioni, remissionem verò peccatorum non sacrificio crucis, sed suis brutorum animantium tribuebant sacrificiis. Quasi videlicet hircorum aut vitulorum immolatio secundùm se, sine ulla relatione ad Christi mortem, Deo tam accepta fuisset, ut ejus intuitu peccata solvisset; serviebant enim carnaliter & signa pro rebus amplectebantur, ut patet lib 3. de doctrina Christiana, cap. 5. & 6. Quos redarguens Apostolus, omnem omnium omnino hominum, qui vel antè fuerunt vel pòst futuri sunt, sanctificationem ad unicam crucis oblationem refert, quæ videlicet secundùm se sine ulla significatione aut relatione Deo Patri tam accepta fuerit, ut intuitu illius ac merito sanctificet quotquot aliquando sanctificantur, sive per sacrificia typica, sive per alia quæcunque sacramenta. Non enim hoc agit Apostolus, ut per typica sacrificia sanctificatio fieri negetur, (nam alioqui nec baptismo nec ulli sacramento tribui posset ulla sanctificatio;) sed ut omnis sanctificatio, quæ exhortatione, sacramentis, sacrificiis, aut aliâ quavis ratione efficitur, virtute & merito passionis Christi fieri intelligatur, non autem virtute immolationis alicujus pecudis, sine merito passionis Christi, quemadmodum errantes imaginabantur Judæi, qui, uti jam diximus, signa pro rebus amplectebantur.

CAPUT IX.

Quòd etsi Ecclesiæ sacrificium typicum sit & significativum, plurimùm tamen differat à sacrificiis testamenti veteris.

CÆterùm etsi quotidianum Ecclesiæ sacrificium typicum sit & significativum, proprios habens sacerdotes ad hujusmodi ministerium consecratos, sicuti & testamenti veteris sacrificia, tamen plurimùm ab eis discrepat, non in eo tantùm quòd modo quodam unico ac simplici evidenter ostendit, & cum gratiarum actione tanquam exhibitum jam & revelatum commemorat, quod illa multipliciter & obscurè adhuc tunc futurum & velatum adumbrabant: sed in eo maximè quòd illa actione & nonnullâ qualitatis similitudine veram crucis hostiam, quæ pro totius mundi peccatis offerenda erat, tantùm præfigurabant; ipsum verò Ecclesiæ sacrificium actione quidem & nonnullis proprietatibus ad significandum institutis ab illo discrepat; (aliud est enim panis & vini consecratio, aliud voluntaria Christi in cruce passio,) sed ipsam hostiam quæ in cruce oblata est veraciter continet, nempe corpus & sanguinem Christi, ut quisquis hujus sacrificii quotidiani particeps efficitur, non tantùm suscipiat figuram aut imaginem, sed rem etiam quæ figuratur, & corpus quod pro omnibus sacrificiis veteris testamenti offertur & veraciter participantibus ministratur, sicut docet Augustinus de civitate Dei. *Lib. 17. cap. 20.*

CAPUT X.

Quâ ratione sacrificium corporis & sanguinis Domini non tantùm oblatio, sed etiam proprii nominis sacrificium dici queat.

QUidam hîc anxiè laborant, ut ostendant hujus confectionem sacramenti, non tantùm esse oblationem, sed etiam proprii nominis sacrificium; de cujus ratione esse contendunt, ut res quæ offertur etiam mutatione aliquâ sanctificetur. Quam difficultatem etsi à veteribus observatam discussamque non invenerim, attamen sic expediri posse existimo, ut quemadmodum in sacrificio populi veteris vitulus & vivens sacrificium dicebatur, quia id erat quod occisione erat sanctificandum, & occisus, quia erat hostia jam immolatione sanctificata, quam qui edebant efficiebantur altaris participes; sic etiam in Eucharistiæ sacramento panis & vinum sacrificium dici possunt, tanquam illa à quibus ipsa mutatio sumit initium; quemadmodum initio canonis Missæ de ipsis dicitur: Supplices rogamus ac petimus uti accepta habeas ac benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia. Et ipsum Christi corpus & sanguis sub specie panis & vini contenta dicuntur sacrificium, tanquam res in quas fit sancta mutatio, de quibus in fine canonis: Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. Quapropter utroque modo rectè dicimus, videlicet sacrificium panis & vini, hoc est, ex pane vinoque confectum, & sacrificium corporis & sanguinis Domini, hoc est, ipsa vera hostia, sacra quâdam transmutatione confecta, cujus participes sunt omnes qui in Ecclesia Christi ad altare Domini pertinent.

CAPUT XI.

Cur ecclesiæ ministri in libris novi testamenti non dicantur sacerdotes aut pontifices, sed presbyteri & episcopi.

NEc quemquam movere debet, quòd ministri Ecclesiæ à Christo constituti nusquam in Scriptura novi testamenti leguntur appellari sacerdotes aut pontifices, sed episcopi & presbyteri, quasi videlicet hâc nominum immutatione significare voluisset eos non sacrificiis offerendis destinatos, sed prædicationi verbi aliisque similibus ministeriis. Quia omnes libri novi testamenti scripti sunt eo tempore, quo adhuc aut in usu aut in recenti memoria erant pontifices & sacerdotes veteris testamenti, à quibus Apostoli & Evangelistæ (qui novi testamenti libros sacros conscripserunt) volentes distinguere pontifices & sacerdotes nostri temporis, (ne videlicet non secundùm ordinem Melchisedech, sed secundùm ordinem Aaron intelligerentur constituti,) non eos sacerdotes aut pontifices, sed presbyteros aut episcopos nuncuparunt. Cæterùm

deletâ

deletâ Hierusalem, & in cordibus fidelium utcunque obliteratâ prioris sacerdotii memoriâ, omnes Ecclesiæ doctores qui post Apostolos & Evangelistas extiterunt, ministros novi testamenti constantissimè pontifices sacerdotesque vocaverunt, uti ex eorum monumentis evidentissimum est; ut his etiam appellationibus ostenderent, eos successisse in locum pontificum & sacerdotum prioris temporis, ad offerenda dona & sacrificia pro peccatis, & ad implendum in gentibus quod in Malachia prædictum legimus: *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

CAPUT XII.

Pro quibus personis & causis offerendum sit quotidianum Ecclesiæ sacrificium.

JAm restat paucis intueri, pro quibus causis & personis offerri debeat nostrum altaris sacrificium. Ubi illud in primis observandum, quòd licèt de ratione sacrificii non sit quòd pro peccatis offeratur aut alio quovis humanæ reparationis effectu, (poterat enim homo ante lapsum Deo tanquam supremo Domino in laudem & gratiarum actionem offerre sacrificium;) attamen quia nostrum commune sacrificium ad hoc potissimum institutum est, ut jugis commemoratio sit illius sacrificii quod in cruce oblatum genus humanum reparat, & ut nos eorum munerum participes efficiat, quæ Deus diligentibus se præparavit; ideò pro iisdem causis & personis offerri debet, pro quibus Christus in cruce oblatus est, nempe pro omnibus electis, aut quos electos arbitramur, tam vivis quàm defunctis, & pro omni eorum reparatione, donec ad eum statum pervenerint, quem omnes homines consecuti fuissent si ab innocentia lapsi non fuissent. [a] Successit enim in locum omnium sacrificiorum testamenti veteris, quæ pro diversissimis causis ac personis offerebantur; adeò ut Machabæus pro peccatis mortuorum in spe resurrectionis offerri mandaverit: sicut & [b] Augustini mater moriens, ad altare memoriam sui fieri petivit; & vir tribunitius Hesperius, sicuti est apud [c] Augustinum, vexationem dæmonum à villa sua sacrificio depelli curavit. Nec arbitrandum est, (ut quidam errantes existimant) sacrificium istud pro iis tantùm offerri debere, qui nunc ad Ecclesiam Christi pertinent, sed generaliter pro iis omnibus, de quibus sperare possumus quòd in Christi gregem aliquando adunabuntur. Nam & ipse Onias sacerdos summus in Machabæis pro salute Heliodori gentilis & impii hostiam obtulit salutarem; & ipse Apostolus Timotheo præcipit, primùm omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. In quem locum scribens Chrysostomus: *Sed fortè quis dixerit,* inquit, *pro omnibus quod ait, tantùm fideles intelligi voluisse: at id verum non esse,* inquit, *quæ sequuntur ostendunt; siquidem ait, pro regibus, neque enim reges tunc Deum colebant.* Et Augustinus: *Additur,* inquit, *pro omnibus hominibus, ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro his à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia.* Quam sententiam adhuc clariùs

a August. contra adver. legis & proph lib. 1. c. 19. Con. Dona. l. 3. in fine. Et de civit. Dei, lib. 17. cap. 20.
2 Mac. 12.
b Lib. 9. confes. cap. 11. 12. 13.
c De civ. Dei. l. 22. cap. 8.
2 Mac. 3.
1 Tim. 2.
Homi. 6.
Epist. 59.

Lib.1.c.12. clariùs exequitur D. Ambrosius, seu potiùs D. Prosper de Vocatione gentium, dicens: *Præcipit Apostolus, imò per Apostolum Dominus qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro iis qui in sublimitate sunt; quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit in qua hujusmodi orationes non celebrantur à populis Christianis.* Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo non solùm pro Sanctis & in Christo jam regnantibus, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Judæis, quorum cæcitati lumen Evangelii non refulget, pro hæreticis & schismaticis, qui ab unitate fidei & charitatis alieni sunt. Et ne quis fortè suspicetur hoc Apostoli testimonium ad quotidianum Ecclesiæ sacrificium non pertinere, attendat in primis quomodo id quod in Levitico de
Levit. 16. sacerdote legitur: Orabit pro se; interpretetur Apost. in epist. ad Hebræos:
Hebr. 5. Offeret pro se ipso, pro peccatis; quo sensu etiam scriptum est: Domus mea
Esa. 56. domus orationis vocabitur; Similiter & illud: Patres nostri in monte hoc
Joan. 4. adoraverunt, vos autem dicitis quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet; quia ubique licebat adorare, sed offerre non nisi in templo Hierosolymitano. Videat & August. epist. 59. superiùs dicta, quomodo orationes pro oblationibus & sacrificiis accipiat, secutus, ut apparet, id quod in Actis ha-
Actor. 2. bemus de perseverantibus in oratione & fractione panis. Cui planè consentit
Ho. 6. in 1 Tim. 2. Chrysostomus in commentario, dicens: Quid autem sibi vult quod ait, primùm omnium; in obsequio scilicet quotidiano, inquit, perpetuoque divinæ religionis ritu. Atque id noverunt, inquit, fideles, quomodo diebus singulis manè & vesperi orationes fundantur ad Dominum, quomodo pro omni mundo, & regibus & omnibus qui in sublimitate sunt positi, obsecrationes ab Ecclesia fiant.

CAPUT XIII.

Quem effectum pariat quotidianum Ecclesiæ sacrificium.

PORrò sicut orationes, quæ secundùm Domini præceptum quotidie in Ecclesia Dei fiunt, inanes & perfunctoriæ non sunt, sed secundùm ordinem divinæ dispositionis pro his exaudiuntur, quos quotidie de potestate tenebrarum eximi aut aliud quodcunque misericordiæ munus à Deo consequi videmus; sic etiam de ipso quotidiano sacrificio sentiendum est, quod à sacerdotibus oblatum, pro iis causis & personis sit efficax quarum Deus misereri de-
De voca. gent. lib. 1. cap. 13. crevit, *quodque, si aliquos,* (ut inquit Prosper, *sicuti videmus accidere,*) *salvantis gratia præterierit, & pro eis* sacrificium *oratioque Ecclesiæ recepta non fuerint, ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum est, & agnoscendum hujus secreti profunditatem nobis in hac vita patère non posse.* Ex parte enim cognoscimus, & ex parte
1 Cor. 13. prophetamus. Quapropter dum scimus sacrificium istud non tantùm pro quibusvis causis offerri posse, præsertim quæ ad sublevamen humanæ pertinent miseriæ, ut pro pœnitentia & peccatorum remissione, pro victoria & pace con-

consequenda, pro sanitate & aëris temperie, sed etiam pro quibusvis hominibus quibus salutem sperare possumus, tam justis quàm injustis, tam defunctis quàm vivis, nullo modo ambigere debemus quin in omnibus causis & personis quotidie sortiatur effectum, quibus Deus secundùm ordinem æternæ suæ dispositionis per ipsum sacrificium decrevit subvenire. Sed ubi nulla meritorum existit diversitas, quare potiùs in hoc homine quàm in alio, aut cur potiùs in hac causa quàm in alia effectum consequatur, non debet judicium esse luti, sed figuli, qui secundùm altitudinem divinæ & incomprehensibilis sapientiæ suæ, quorum vult miseretur, & quos vult indurat. Solet etiam quæri, utrùm istud sacrificium valeat ad remissionem criminum quæ à jam baptizatis committuntur. Cui respondendum videtur, quòd valeat quidem & cooperetur ad omnium peccatorum remissionem, non tamen sic ut jam baptizatus sine absolutione sacerdotis graviorum scelerum consequatur remissionem, sed solùm ut apud Deum dignus habeatur, cui per sacerdotem peccata dimittantur. Nam sicut Ecclesia per orationes Sanctorum tanquam per columbæ gemitum peccata eorum dimittit, qui per sacerdotes sive bonos sive malos absolvuntur: sic & Ecclesiæ sacrificium (quod cum orationibus usque adeò similem operatur effectum, ut frequenter etiam oratio nuncupetur) cooperatur infirmitati pœnitentium, ut apud Deum per Ecclesiæ sacerdotes, ut dictum est, absolvi mereantur. Nam sicut fides in aqua mundat, sic pœnitentia, eleemosyna, oratio & sacrificium in reconciliationis sacramento sanctificat.

In MSS. C. K. primùm edita.

MICHAELIS BAII,
COLLATIO
CUM
JUDOCO RAVESTYN,
ET
CUNERO PETRI,
Lovanienſis Academiæ Doctoribus Theologis:
DE
SACRIFICIO MISSÆ.

Hæ litteræ ſcriptæ ſunt die Sabbathi poſt feſtum S. Catharinæ, qui erat vigeſima ſeptima Novembris anni 1568. cùm die præcedenti diſputata fuerat Quæſtio de Sacrificio Miſſæ, ad quam reſpondebat Mathias Hovius Mechlinienſis, Burſarius Collegii Pontificii; deinde Sancti Petri apud Mechliniam Paſtor & Archidiaconus; poſtea Archiepiſcopus Mechlinienſis.

CAPUT I.
Michael Cunero.

DOMINE PASTOR.



Uia heri offenſus ſum in eo quòd poſt diſputationes mihi objeciſti, quòd non recederem ab ea ſententia (quam puto apertè hæreticam) quæ habet quòd ſacrificium Altaris tantùm ex eo dicatur ſacrificium, quia fit ob bonum finem, ut Deo *a* inhæreatur ſanctâ ſocietate, &c. viſum eſt ea de re pauca ad conferendum ſcribere. Imprimis enim dicendo me ab illa ſententia non recedere, ſignificabas & me eam aliquando tenuiſſe, & adhuc tenere: quæ in cauſa hæreſis graviſſima *b* ſunt & mihi moleſtiſſima: utpote (ſicut mihi vide-

a MS. K. adhæreatur.

b MS. C. ſit.

videtur) apertè falsa. Ad cujus intelligentiam imprimis videatur D. Thomas in 3. parte, quæst. 83. art. 1. Ubi Thomas duas tantùm reddit rationes, quare Christus in Altari immoletur: nempe significationem & effectum passionis Christi; quas duas etiam posui (*in Tractatu de Sacrificio.*) *a* Si tacendo alias causas, approbavi sententiam Hæreticorum: igitur & ipse Thomas. Sed fortè querela est, quòd aliquando dixi ipsam benedictionem esse sacrificium: nec differre à consecratione, nisi fortè ratione. Existimo enim quod eo ipso quo panem & vinum eâ intentione benedicimus, ut non tantùm in corpus & sanguinem Christi transmutentur, sed etiam ut vivis & defunctis (pro quibus offertur) Deus reddatur propitius; quòd eo ipso Deo sacrificetur. Et vide Thomam 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. anne hoc ipsum doceat, dicens quòd quando aliquid Deo immediatè offertur, oblatio est; sive circa illud aliquid fiat, sive non; ut sunt panis, vinum, denarii, & alia, quæ offeruntur super altare. Sed quando circa oblata aliquid agitur; tunc oblatio sacrificatur. Et ponit exemplum de animalibus, quæ olim oblata occidebantur; & de pane, qui frangitur, comeditur & benedicitur. Ego principale intellexi in benedictione, sicut etiam in Libro suo intellexit Dominus Tiletanus (*Judocus Ravesteyn*) dicens tunc sacrificari cùm benedicitur, &c. His præsuppositis oro ut digneris indicare in quo putes me dissentire à D. Thoma, à Concilio Tridentino, aut etiam à Domino Tiletano. Nam Magister noster Hessels videbatur rationem sacrificii in aliquo alio intelligere; quod nunquam intellexi: nec puto quòd ei consentit Dominus Tiletanus, nisi fortè (quod tamen in libro suo non posuit) intelligat elevationem super altare, aut aliquid hujusmodi esse ipsam sacrificationem: neque enim, quantùm memini, nominabat aut benedictionem, aut fractionem, aut comestionem, sicut D. Thomas; neque etiam elevationem, sicut heri videbatur *b* indicare Dominus Tiletanus. Deinde quisquis vel jam dictorum modorum, vel aliorum quos *c* non dixi, sit verus, peto ut digneris mihi indicare an propter aliquem horum modorum damnetur in Hæreticis quòd dicant Sacrificium Missæ tantùm esse sacrificium, quia refertur ad eum finem ut sanctâ societate inhæreatur Deo; an verò potiùs quia hoc *d* dicendo (quicquid tandem sit ipsa sacrificatio) ipsi negant sacrificium quod in Missa agitur, posse prodesse vivis & defunctis pro quibus offertur: etsi damnentur propter hanc postremam partem, sicut eos damnari puto. Si enim confiterentur quòd in Missa ex pane & vino fiant Corpus & sanguis Christi, non remanentibus nisi speciebus &c. & quòd hoc sit verè sacrificium, quod prosit vivis & defunctis pro quibus offertur, sicut hactenus credidit Ecclesia; puto quòd contenti essent Fideles. Si, inquam, propter illam postremam partem damnentur; vides quantâ calumniâ sive ob librum (*de sacrificio,*) sive ob disputationes mihi impingatur quòd illi sententiæ hæreticæ vel aliquando consenserim, vel adhuc hodie consentiam: cùm ego illum effectum nunquam tacuerim. An vis etiam Dominum Hessels huic hæresi implicare, quia modum alium cogitabat, quem nec habet Thomas, nec Dominus Tiletanus sequitur: cui etiam de hac re scripsissem, nisi timuissem ne fortè *e* oriretur aliqua contentio. Cupio enim à quovis audire veritatem: & spero quòd absque omni contentione dignaberis mihi scripto respondere, quod ego promitto

a MS. K. *tacendo alias causas. Approbavi sententiam Hæreticorum? Igitur etiam ipse Thomas.*

b MS. K. *significare.*

c MS. C. *quos dixi.*

d MS. K. *docendo.*

e MS. C. *oriretur contentio.*

mitto

mitto tibi remittere ubi ipsum diligenter inspexero: & peto vicissim ut digneris etiam mihi remittere scriptum meum, quia nullam omnino servavi copiam, partim propter occupationes & celeritatem, partim ne servitor esset ullo modo conscius, si per illum jussissem scribi.

Celerrimè

MICHAEL DE BAII.

CAPUT II.

Cunerus Petri Michaeli de Baii.

ABsit à me quòd unquam in corde Domini hæresim aliquam suspicatus sim: sed quando de sacrificio Missæ agitur, hoc mihi videtur offendere quòd propria oblationis ratio verbis Scripturæ atque Ecclesiæ non explicetur. Quamvis enim quæ de repræsentatione, consecratione, fractione & effectu ex D. Thoma proferuntur, præsuppositâ naturâ oblationis ad proprietatem sacrificii, quæ species ejus est, sufficiant; non tamen de quo hîc agitur ipsius generis, quod præsupponunt, id est oblationis, notionem attingunt aut explicant, quod cùm locis à Domino citatis D. Thomas præsupponit alibi,
a MS. K. 89. nempe art. 1. & 2. quæstionis illius *a* 85. & 1. 2. quæst. 102. art. 3. in corpore eruditissimè declarat. Cùm enim Apostolus sacerdotem eum esse definiat, qui ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ ad Deum sunt, ut offerat dona & sacrificia, omnisque apud eum Pontifex ad offerendum munera constituatur; manifestum est ad rationem oblationis, adeoque sacrificii,
b MS. K. & munus. pertinere ut cui fit oblatio, *b* ei munus, quod creditur ei gratum, præsentetur. Sicut B. Lucas oblationem Domini in templo secundùm Legem factam explicans: *Tulerunt eum*, inquit, *in Jerusalem ut sisterent eum Domino: sicut scriptum est in lege Domini:* quo modo similis B. Virginis oblatio ab Ecclesia, id est præsentatio, nuncupatur. Unde Dominus ipse naturam hostiæ & oblationis in cœna significans, *Hoc est*, ait, *Corpus meum, quod pro vobis datur*; Lucæ 22. Ideò toties in Canone repetitur, *Hæc dona, hæc munera*, &, *offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis, super quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris:* Et, *munera pueri tui justi Abel*, &c. Sicut etiam de tribus Magis Evangelium referre novimus, quòd obtulerunt Domino munera. Et Dominus in Evangelio: *cùm offers munus tuum ad altare.* Cùm enim lex naturæ munus à nobis postulet, quo tantam Majestatem, ut *α* & *ω*, id est principium & finem, recognoscamus, ingenuè nos hîc confitemur non aliud hîc nos habere eâ Majestate dignum, quàm illud ipsum quod ei semel in Cruce datum
c MS. K. omittit sit. est; quod cùm *c* sit pretium nostræ redemptionis nobis à Deo datum ejus Majestati sistimus, ut quod ad sufficientiam semel pro omnibus datum est, velit ad efficientiam pro omnium necessitatibus acceptare: quod dictis jam verbis in Canone (*supra quæ propitio* &c.) facit Ecclesia. Proinde quæcunque actio in Missa dicatur oblatio, sive benedictio, aut consecratio, sive fractio, sumptio,

aut

aut elevatio; ratio tamen oblationis non retinetur, nisi jam dicta præsentandi atque sistendi intentio conjungatur: sicut è contrario quando illa junguntur, parum videtur referre ubi & quando fiat, cùm in tota eorum quæ fiunt actione hæc sit Ecclesiæ intentio, ut Patri Filium pro omnium salute sistat, quamquam probabiliùs in ipsa consecratione istud fieri existimem, *a* omniaque quæ de oblatione præcedunt & sequuntur ad eam dirigi & referri. Quòd igitur Patri hæc victima in *b* recognitionem suæ Majestatis, *c* unde omnia per Filium accipimus, tanquam pretium quo comparatur nostra salus sistitur & repræsentatur, ad propriam ipsius oblationis, id est, generis notionem pertinet: quòd verò aliquo mutationis ritu, utpote benedictionis, consecrationis, fractionis, elevationis, sumptionis & similium offeratur, spectat ad proprietatem sacrificii, quatenus ipsi generi aliquid adducit, quo ab aliis oblationibus, quæ non sunt sacrificia, secernitur; ut nimirum cruenta illa vivifica hostia cum magna sui mutatione propter nos in cruce facta, coram Deo, cui sistitur, commemoretur & repræsentetur. Quòd autem prosit vivis & defunctis, ad effectum pertinet; qui tamen rationem sacrificii perficit, utpote ad quod etiam pertinet ut sit propitiatorium & satisfactorium. Rectè itaque Dominus & verissimè judicat alienum esse ab hæresi, si quis dixerit in Missa ex pane & vino fieri corpus & sanguinem Christi remanentibus tantùm panis & vini speciebus, & hoc esse verè sacrificium, quod prodest vivis & defunctis, pro quibus offertur. Sed qui quod dicitur, *offertur*, non explicant, sicut ex Paulo & Scripturis videtur explicandum, communi sensui non satisfaciunt; atque istud est in quo Dominum à cæteris, saltem verbis & reticentiâ differre existimavi.

a MS. K. nam qua.
b MS. K. recognitione.
c MSS. C. K. bene.

CUNERUS PETRI.

CAPUT III.

Michael de Baii Cunero Petri.

Hæ litteræ scriptæ sunt die Jovis post festum S. Andreæ, qui erat secundus Decembris.

EXIMIE DOMINE, MAGISTER NOSTER,

NUnquam hactenus intellexi me in hoc reprehendi, quòd relictâ generali ratione oblationis & sacrificii, in Sacrificio Altaris specialem duntaxat ejus proprietatem exprimerem; sed potiùs contrà, quòd relictâ speciali ratione, quâ à reliquis secernitur, generalem duntaxat assignarem. Sic enim habet sententia, quæ mihi impingitur: *Sacrificium Missæ non aliâ ratione est sacrificium quàm generali illâ quâ omne opus, quod fit ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.* Nec in Scholis disputavimus quæ sit generalis ratio sacrificii; sed illâ præsuppositâ, inquisitum est quomodo sacrificium *d* [Missæ verè dicatur & sit sacrificium.] Cùm itaque in libello meo (*de sacrificio*) non tantùm assignassem

d In MSS. C. K. hæc desiderantur, quæ supplevi, lacunam implens.

sem duas rationes, cur præ cæteris specialiter dicatur sacrificium seu immolatio, quas habet D. Thomas 3. part. quæst. 83. art. 1. sed etiam tertiam quæ ponitur in Concilio Tridentino sess. 22. can. 2. nempe quòd Christus in hoc sacrificio contineatur: & quartam ex D. Augustino; valde mirabar cur accusarer quòd negarem specialem hujus sacrificii rationem. Sed nunc intelligo totam querelæ difficultatem circa hoc versari, quòd inter disputandum asserens ipsam benedictionem seu consecrationem esse ipsam sacrificationem, non satis explicuerim quomodo hæc sacrificatio simul sit alicujus substantiæ oblatio. Non enim videris oblationem agnoscere, nisi ubi substantia aliqua offertur, licèt non tantùm de substantiis quæ tempore Veteris testamenti rudi populo offerendæ præscribebantur, sed de omni opere bono scriptum sit: *quis prior dedit illi, & retribuetur ei.* Et D. Thomas oblationem definivit, omne opus bonum quod fit immediatè in reverentiam Dei. Sed nihil opus est nos hîc eò confugere; quia in hoc sacrificio etiam substantia aliqua offertur. Ad quod intelligendum, considerandum est quòd quemadmodum homini duobus modis possum offerre cinamomum: uno modo, donando integrum, ut videlicet eo utatur sicut vult: alio modo (si videlicet ei gratius esse intellexero) non ei dando utendum, sed in gratiam ipsius comburendo, ut suavitatis odorem sentiat: sic etiam vitulum duobus modis possum in Dei cultum offerre: uno modo simpliciter, *a* ut videlicet in Dei cultum vendatur arbitrio Sacerdotum pro vestibus sacris aut ædificio templi &c.; alio modo, qui tempore Veteris Testamenti ob certam significationem Deo gratior fuit, ipsum occidendo & manducando coram Domino. In utroque modo verò vituli oblatio est, sed in priori tantùm oblatio, quia per offerentem nulla est in vitulo mutatio; in posteriori verò sic est oblatio, ut etiam sit sacrificium, quia videlicet ipsa oblatio simul est mutatio rei oblatæ. Hoc igitur modo, dum panis & vinum in Corpus & sanguinem Domini consecratur, frangitur & sumitur, sicut dicit D. Thomas 1, 2. quæst. 85. art. 3. ad 3. hæ actiones simul sunt oblatio tam panis & vini, quàm Corporis & Sanguinis Christi &c. Nam licèt ipsa consecratio principalem locum teneat; tamen quòd etiam manducatio, ac proinde fractio, ad oblationem pertineat, sicut D. Thomas docet, significare videtur Apostolus 1 Cor. 10. ubi ait: *Qui edunt hostias, nonne participes sunt altaris?* nec videtur peractum Missæ Sacrificium, nisi priusquam Sacerdos communicavit. Unde etiam fieri puto, ut si sacerdos factâ consecratione moriatur, sacrificium debeat per alium sacerdotem perfici: ne videlicet relinquatur imperfectum, & quodammodo fiat sacrilegium; quâ ratione etiam ad Laïcos pertinet quod mandavit Christus: *Hoc facite:* quemadmodum 3. parte asserit D. Thomas, dicens universis Fidelibus præcipi de *b* Sacramento Eucharistiæ, ut hoc sumendo faciant: sicut de universo Israel scriptum est circa Agnum Paschalem: *Universus Israel faciet hoc.*

a MS. C. ut videlicet arbitrio Sacerdotum vendatur pro.

b MS. C. de sacra Eucharistia.

Cùm Imperator post tempora Martini Rossemii Lovanium rediret ex Geldria jam subactâ; quidam Civis Lovaniensis Joannes Schuerbroek, vulgò dictus Abraham, sumpto curru & duobus bobus venit in occursum Cæsaris cum multis pottis terreis; & constituto curru secus viam per quam Imperator transiturus erat, ad ostendendam lætitiam stans supra currum omnes pottos suos confregit, semper concutiens duos contra se invicem. Si

Si pottos suos Cæsari in culina *a* utendos dedisset, illa donatio habuisset *b* simplicis oblationis similitudinem: sed quia existimans Cæsari gratius fore si in signum lætitiæ in gratiam ejus illos confringeret, sic eos in honorem ejus consumpsit: ea donatio quæ in illa fractione consistebat, habuit speciem sacrificii. Sic ego semper & de sacrificiis Veteris Testamenti, & Testamenti novi intellexi: nempe quòd in illis ipsa oblatio, quæ consistebat in occisione & comestione coram Domino; & in nostro, ipsa oblatio quæ consistit in benedictione, fractione & comestione in honorem Dei, ut sit mundo propitius, sint ipsa sacrificatio, ratione cujus non tantùm panis & vinum, sed etiam Corpus & sanguis Christi dicuntur offerri & sacrificari. In qua sententia gaudeo quòd jam sic tandem mutuò intelligamus, ut non ampliùs existimemus nos ab invicem *c* dissentire: nam lecto libro D. Tiletani non ampliùs mihi persuasi quòd à me dissentiret; etiamsi videretur mihi non esse mecum contentus.

a *MS. C. in culina dedisset.*
b *MS. K. simplicium.*
c *MS. K. differre & dissentire.*

MICHAEL DE BAII.

CAPUT IV.

Michael de Baii Domino Tiletano.

EXIMIE MAGISTER NOSTER,

MUltùm recogitavi super eo quod nuper post *d* disputationem de sacrificio Missæ Prudentia Tua confirmabat, quòd Dominus Pastor dixerat me in ea disputatione non recessisse ab ea sententia, quæ habet quòd sacrificium Missæ solùm sit sacrificium generali ratione, quia fit eo fine ut inhæreatur Deo: quam sententiam semper existimavi hæreticam, & adhuc existimo: eò quòd inter disputandum rogatus quomodo istud sacrificium distinguatur à reliquis, ex Concilio Tridentino tres causas legerim, videlicet significationem passionis Christi, præsentiam ejusdem, & effectum. Nam D. Thomas in 3. parte disputans cur Christus in hoc sacramento immoletur, duas tantùm ex his causas assignat, nempe significationem passionis, & effectum: Concilium verò addit tertiam, videlicet præsentiam Christi. Si igitur ego has tres causas assignando consensi sententiæ hæreticæ & damnatæ, quam suprà expressi; *e* rogo explicetur quare non eidem *f* consensit D. Thomas & Concilium Tridentinum. Sed fortè querela est quòd non quidem tunc dixi, sed quòd aliquando antè disputando expressi ipsam benedictionem seu consecrationem esse ipsam sacrificationem seu oblationem. Oro ut prudentia tua videat D. Thomam 2, 2. quæst. *g* 85. art. 3. ad 3. ubi ostendit quòd quando ad Altare offeruntur panes, denarii &c. ut ad honorem Dei consumantur, tunc est oblatio tantùm: quando verò ad honorem Dei occiditur vitulus, & coram Domino comeditur, tunc ejusmodi oblatio est sacrificium. Nam quod in alterius gratiam & honorem consumitur, rectè illi offerri dicitur: item quòd eodem modo quando panis & vinum in honorem Dei juxta modum ab eo præscriptum, benedicuntur, franguntur & sumuntur, tunc est sacrificium. Nam licèt benedictio in ista

d *MS. K. disputationes.*
e *MS. C. peto ut explicetur.*
f *MS. K. consentit.*
g *MS. K. quæst. 83.*

in ista oblatione seu sacrificatione *a* principalem locum teneat (unde etiam dixi ipsam esse oblationem seu sacrificationem) tamen ad eandem, juxta D. Thomam & *b* puto juxta veritatem pertinet fractio & sumptio. His præsuppositis oro ut Prudentia Tua dignetur indicare in quo ego vel à D. Thoma vel à Concilio Tridentino, vel etiam ab ea sententia dissentiam, in qua tunc dicebat cæteros Magistros Facultatis me solo excepto consentire. Præterea peto etiam ut Eruditio Tua dignetur indicare an ego hæreticæ illi sententiæ *c* consentirem, etiamsi actionem illam externam, in qua sacrificatio consistit, non rectè exprimerem; modò tamen fatear, de quo nunquam dubitavi, quòd in tota illa actione sacerdotis sit verum & propriè dictum sacrificium, quod prodest vivis & defunctis, pro quibus offertur, sicut credit Ecclesia.

a MS. C. principaliter.

b MS. C. verisimiliter.

c MS. C. consentiam.

Et præterea quia Eruditio Tua etiam dicebat se dum viveret, cum Magistro Nostro Hessels de hac re contulisse: oro ut dignetur indicare in qua actione exteriori consensistis hanc oblationem seu sacrificium consistere. Nam si est externum sacrificium, debet externam aliquam habere actionem, in qua *d* sacrificatio consistat. Lecto nuper libello tuo, fateor omnino putavi Prudentiam Tuam mecum sentire ipsam benedictionem seu consecrationem esse ipsam sacrificationem, licèt priùs in disputationibus videretur mihi dissensisse: sed ex reprehensione omnia mihi iterum in dubium sunt revocata. Itaque oro ut Reverentia Tua dignetur indicare in quo ego à cæteris Magistris Facultatis dissentiam.

d MS K. sacrificium consistit.

MICHAEL DE BAII.

CAPUT V.

Judocus Ravestÿn Tiletanus Michaeli de Baii.

EXIMIE MAGISTER NOSTER,

QUod nuper gravi pedum dolore afflictus tacere non valui, id nunc Dei beneficio, mitigato malo, præstare conabor. Quæstionem itaque proponis de Sacrificio Missæ, videlicet quânam ratione intelligenda sit & explicanda ratio Sacrificii Missæ. Ac primùm palam damnas, & *e* rectissimè quidem, eorum sententiam qui sentirent Sacrificium Missæ generali tantùm ratione sacrificium esse, quâ fit ut sanctâ societate Deo inhæreatur. Sed id in quæstionem proponis, utrumne vera & propria sacrificii Missæ ratio in his causis rectè posita dicatur, quòd in eo sacrificio sit significatio seu commemoratio passionis Christi, præsentia Christi, & effectus passionis Christi: quas causas tres in Concilio Tridentino te animadvertisse scribis: Et utrumne qui ex his causis propriam quamdam & peculiarem sacrificii rationem in Eucharistiæ sacrificio constituit, palam recedat ab ea sententia quæ habet quod sacrificium Missæ generali tantùm eâ ratione sacrificium sit, quâ fit ut sanctâ societate Deo inhæreatur.

e MS. K. id quidem.

Ad hanc quæstionem hoc mihi initio respondendum esse videtur, sacrificii Eucha-

Eucharistiæ rationem non rectè explicari nec rectè contra Hæreticorum blasphemias defendi, nisi disertè & expressè asseratur & probetur in Missa esse veram & propriè dictam oblationem corporis & sanguinis Christi, quæ incruento quidem ritu à sacerdote Missam faciente seu sacrificante tam verè & propriè offeratur cælesti Patri seu toti Trinitati, quàm verè & propriè Christus semetipsum cruentâ formâ & specie obtulit in cruce, quemadmodum disertissimè profitetur synodus Tridentina, universique Patres orthodoxi. Itaque quæcunque adferatur ratio & explicatio sacrificii eucharistici, sive generalis illa, secundùm quam sacrificium dicitur quicquid fit ut sanctâ societate conjungatur homo Deo; sive aliqua alia, ex quibusvis causis singularibus & peculiaribus; nisi offerri Christus cælesti Patri secundùm veritatem adstruatur & probetur, catholica de sacrificio Missæ explicatio & sententia non tenetur.

Expendendum itaque jam est, an in tribus his causis, significatione seu commemoratione passionis Christi, præsentiâ Christi & effectu passionis ejus, (ex quibus causis tertiam quæ non ad rationem seu definitionem sacrificii pertinet, sed magis ad operationem & virtutem sacrificii, in hac inquisitione separandam a & rejiciendam existimo) vera & propria oblatio Christi sufficienter insinuetur & contineatur. At contendit quidem Vestra Dominatio rationem sacrificii Missæ per has causas à Patribus Concilii Tridentini significatam & traditam esse; at ego diversum prorsus sentio. Nusquam enim advertere potui Patres in istis causis ipsam rationem oblationis constituisse, quamvis contra sectarios eas causas fortiter & constanter adstruant & doceant. Deinde Lutherus cum suis Discipulis palam constituit in suo Missæ sacrificio duas illas causas, significationem seu commemorationem passionis Christi, & veram ac realem præsentiam Christi: & ex illis causis quandam fortassis singularem etiam sacrificii rationem constituere conatur. Sed à catholicæ doctrinæ veritate procul aberrat, quia veram oblationem Christi fieri in Missa pernegat. Ex quibus videor mihi rectè intelligere duas illas causas, significationem seu commemorationem passionis Christi, & præsentiam Christi non sufficere ad rectè constituendam & defendendam contra Sectarios, sacrificii Missæ veram & propriam rationem; (nam tertiam illam causam de fructu passionis Christi jam dixi extra præsentem de sacrificii definitione quæstionem rejiciendam esse.) Mihi itaque videtur, ut ingenuè dicam quod sentio, quòd non solùm hi non rectè sentiant, nec rationem Sacrificii Eucharistici non rectè explicent, qui sentiunt & docent illud esse generali tantùm illâ ratione sacrificium, secundùm quod sacrificium ab Augustino definitur quicquid fit ut sanctâ societate homo Deo inhæreat & ei conjungatur: verùm nec hi qui singularem aliquam & propriam sacrificii rationem ex causis significationis sive memoriæ passionis Christi, & præsentiæ Corporis Christi exstruere conantur. Certè talem rationem sacrificii Lutherus exstruxisse clarissimè in suis scriptis comperitur.

a *MS. C.* omittit *& rejiciendam.*

Quanquam igitur scriptor catholicus existimans ex his causis veram & propriam oblationis Christi rationem rectè defendi, falli mihi videatur & ad veram & solidam explicationem sacrificii Eucharistici nondum profecisse:

haud quaquam tamen cum Hæreticis sentire dicendus est, quando veram sacrificii & oblationis rationem profitetur; quam palam pernegant Hæretici: sed *a* tantùm non satis confutare & subvertere Hæreticorum de sacrificio commentum.

a *MS.K. sed tamen.*

Sed interrogat Vestra Dominatio, si in dictis causis non insinuetur sufficienter nec explicetur propria sacrificii Eucharistici ratio; quænam ergo sit illa externa Christi actio, quæ veram sacrificii rationem habeat. Satis diligenter, pro mea quidem virili, hanc quæstionem explicuisse mihi videor in Apologia adversus M. Flaccum Illyricum, in capite illo quo disseritur quid in verbis Christi: *Hoc facite in mei memoriam*; pronomine, *Hoc*, demonstratur, in dissolutione cavillationis 12. fol. *b* 33. & locum illum non gravabor adscribere.

b *Al.* 37.

Quemadmodum Melchisedech panem & vinum obtulit in typo, ut inquit Hieronymus, sacrificii Christi quod in ejus Corporis & sanguinis oblatione perageret ac celebraret. Obtulit autem ille panem tantùm purum & vinum. Ita Christus veritatem præfiguratam exhibiturus, ipse quoque verus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech panem & vinum, non jam puras creaturas, sed consecratas in Corpus suum & sanguinem, obtulit Patri Cælesti & ejus vultui præsentavit. Consecratio igitur panis & vini in Corpus & sanguinem Christi facta à sacerdote, (cujus est officium sacrificium Deo offerre pro populi salute, idque ad veritatem exhibendam, quam per oblationem panis & vini in typo præfigurata erat, hoc est ad offerendum Deo non jam puras creaturas panis & vini, sed panem verum & cœlestem, & panem verè Corpus & Sanguinem Christi) verissima fuit oblatio ac sacrificium: quia in ea Christus fungens sacerdotio præfigurato in Melchisedech, consecravit panem & vinum in suum Corpus & sanguinem tanquam hostias veras, olim per hostias panis & vini à Melchisedech oblatas præfiguratas & designatas. Per hoc itaque quòd Christus ad exhibendam veritatem præfiguratam consecravit panem & vinum, quæ fuerant hostia sacerdotis Melchisedech in typo, in hostias divinas Corporis sui & sanguinis, *c* manifestè constat quòd Christus in Cœna Corpus suum & sanguinem, tanquam veras hostias sub symbolis panis & vini, tanquam verus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech obtulit & sacrificavit: sicut disertissimè dixit Augustinus, Christum de Corpore suo & sanguine instituisse sacrificium secundùm ordinem Melchisedech: & D. Hieronymus, *Melchisedech in typo panem & vinum obtulit, & mysterium Christianorum in d Salvatoris Corpore & Sanguine dedicavit.* Consecratio itaque creaturarum panis & vini in Corpus & Sanguinem in hoc divino mysterio consideranda est, non solùm ut est potentissima conversio creaturarum in Corpus & Sanguinem Christi, sed ut est transmutatio creaturarum, quas olim in typo obtulit Melchisedech, in hostias spirituales Corporis & Sanguinis Christi, quarum oblatione præfigurata veritas tandem exhiberetur. Unde Scholastici quidam, sed tamen aptissimè scripsit Cajetanus, consecrationem esse consecrationem immolatitiam, sive oblationem. Hæc ibi.

c *MS.K. manifestissimè.*

d *MS.K. salutari.*

Et sanè mihi quidem non videtur aliunde posse commodiùs peti ratio vel intelligendi vel explicandi rationem Sacrificii Eucharistici, quàm ex collatione ejus cum suo typo, quod certum est fuisse sacrificium Melchisedech. Sicut enim

enim peculiare quoddam ſacerdotium & ſacrificium inſtitutum fuit in Melchiſedech ſacerdote; ita peculiare quoddam & ſingulare ſacrificium eſt Euchariſticum Sacrificium. Sicut quoque Sacrificium typicum Melchiſedech fuit poſitum in oblatione verâ & propriâ creaturarum panis & vini, ſummo Deo facta; ita Euchariſticum ſacrificium nihil aliud eſt, quàm vera & propria oblatio non jam creaturarum panis & vini, ſed ſub ſpeciebus panis & vini, veri Corporis & veri Sanguinis Chriſti. Porro hanc conſecrationem panis & vini in hoſtias Corporis & ſanguinis Chriſti, ſi quis mavult benedictionem, quàm conſecrationem appellare, propterea quòd Paulus calicem BENEDICTIONIS appellat, non calicem conſecrationis, non eſt magnopere ei repugnandum; quandoquidem eadem externa actio oblativa Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ſemper deſignatur & inſinuatur. Ac de ejuſmodi benedictione intelligenda eſt D. Thomæ ſententia, quam in 2, 2. quæſt. 85. tradit: Sacrificium propriè dici, quando circa res oblatas aliquid fit; ſicut quòd animalia occidebantur, quòd panis frangitur, comeditur & benedicitur. Non itaque affirmat Thomas quamlibet benedictionem efficere veram rationem ſacrificii; ſed hoc tantùm dicit quòd quando circa rem aliquam quæ Deo offertur, fit vel occiſio vel benedictio, fractio & comeſtio; tum demum oblatio illa rationem ſortiatur propriè dicti ſacrificii. Quod ſanè ſi de Euchariſtico Sacrificio & benedictione intelligas; de benedictione ſeu conſecratione illa immolativa & oblativa accipiendum eſt. Quando enim panis & vini, quæ in altari Deo offeruntur, fit benedictio ſeu conſecratio in hoſtias Corpus & ſanguinem Chriſti, tum demum oblatio ſortitur veram Sacrificii Euchariſtici rationem. Et diligenter conſiderandum mihi videtur, quòd Lutherus præter ſignificationem ſive memoriam paſſionis Chriſti, & præſentiam Corporis Chriſti, etiam benedictionem agnoſcat, fortiter tamen negat in Miſſæ ſacrificio Chriſtum offerri. Utrùm igitur quælibet benedictio, adjunctis duabus illis cauſis jam ſæpe dictis, ſufficit ad ritè conſtituendam veram oblationem Corporis Chriſti in Miſſa *a* tu videris. Exiſtimo per hæc meam ſententiam de Sacrificio Euchariſtico ſatis dilucidè expoſitam: Quid quoque de ea ſententia cenſendum mihi videatur, quæ ex cauſis illis duabus, ſignificatione paſſionis Chriſti, & præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti, conſtituit rationem ſacrificii.

a MSS. C. K. non habent, tu videris; quæ ſupplevi ut ſenſus eſſet.

JUDOCUS TILETANUS.

CAPUT VI.

Michael de Baii, Judoco Tiletano.

EXIMIE MAGISTER NOSTER;

LEctis Litteris tuis non satis intellexi quomodo satisfactum sit quæstionibus quas proposui. Cùm enim in Scholis *a* quæreretur quomodo Sacrificium Missæ à reliquis sacrificiis distingueretur, non intellexi peti ut disertè & expressè explicaretur quâ ratione esset sacrificium propriè dictum, sicut olim fuit immolatio agni aut vituli: sed intellexi hoc præsupponi, & illo præsupposito quæri quomodo à reliquis alioquin etiam propriè dictis sacrificiis distingueretur, in quibus non Christus sed aliud quidpiam *b* offerebatur. Cui quæstioni immediatè responsum fuit, differentiam esse quòd in cæteris sacrificiis creatura duntaxat verè offerretur & immolaretur, hic verò ipse Dei filius pro nobis incarnatus & passus. Si verò ulteriùs quæratur quare Christus potiùs in Missa offerri & immolari dicatur, quàm in sacrificiis Veteris Testamenti, quibus mors & oblatio ejus præfigurabatur: tunc videtur mihi respondendum id quod D. Thomas in 3. parte respondet, tractans ex professo quare Christus dicatur in Sacramento Eucharistiæ immolari seu sacrificari, nempe propter *c* memoriam passionis Christi peractæ, propter effectum passionis quem iis communicat pro quibus offertur, &, sicut addit Concilium Tridentinum, propter præsentiam Christi per consecrationem panis & vini: sicut tunc dixi.

a *MS. K. proponeretur.*

b *MS. K. duntaxat offerebatur.*

c *MS. K. commemorationem.*

Qui igitur respondens ad prædictam quæstionem in Scholis propositam, non explicat aut probat Sacrificium Missæ esse propriè sacrificium, puto quòd accusari non potest quòd catholicam explicationem non teneat, quia hoc non quærebatur: & multò minùs accusari potest quòd non teneat catholicam sententiam, quia explicatio ad scientiam pertinet, scientia verò ad fidem, quæ integra esse potest etiamsi scientia non adsit, *d* quâ ad veram & solidam sacrificii explicationem profectum sit; sicut etiam Reverentia Tua a posteà fatetur.

d MS. C. *quæ... perfectam sit. necessaria.*

Si verò præmissâ causâ ob quam Sacrificium Missæ à reliquis etiam propriè dictis sacrificiis discernitur, disertè & expressè quæratur quare sit verè & propriè sacrificium, generaliter tamen, sicut olim verè & propriè sacrificia fuerant immolatio agni & vituli; tunc recurrendum est ad id quod ait D. Thomas in 2, 2. disputans de sacrificiis propriè dictis in genere, quòd duobus modis Deo aliquid offerri dicitur. Priore modo, per simplicem donationem sine rei mutatione, ut cùm ad Altare offeruntur denarii, panes & similia; posteriore verò, cùm res quidem non donatur, sed consumitur aut notabiliter *f* ad honorem Dei immutatur. Nam quòd in alterius honorem secundùm modum illi acceptum consumimus, hoc illi non immeritò offerre & donare censemur: quia talis consumptio gratior illi est, in cujus honorem fit, quàm esset illi simplex donatio, si sine consumptione per simplicem dominii translationem fieret: &

e MS. C. omittit *postea.*

f MS. K. *in*

& quæ hoc secundo modo Deo offeruntur, non tantùm dicuntur Deo offerri, sed etiam sacrificari & immolari: sicut olim sacrificabantur agnus & vitulus, quando in honorem Dei ad significandam passionem Christi pro mundi vita, occidebantur & comedebantur.

Hoc igitur modo in Missa propriè non solùm oblatio, sed etiam sacrificium peragitur; quia panis, inquit Thomas, frangitur, comeditur & benedicitur. Sicut enim ipsa thuris incensio, quæ ad honorem Dei fit, non tantùm oblatio, sed etiam quædam sacrificatio est; sic etiam ipsa benedictio, quâ panis in Corpus Christi convertitur; item fractio & manducatio, quâ Christus in Sacramento frangitur & manducatur, & oblatio simul & sacrificatio est. Has omnes Sacrificii Missæ rationes, tam ob quas generaliter & propriè sacrificium est, sicut olim erat immolatio agni, quàm ob quas à reliquis distinguitur, diligenter expressit Evangelium. Nam loquens de Christo, *accipiens panem*, inquit, *benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, dicens accipite & manducate ex hoc omnes.* In benedictione enim, fractione & manducatione secundùm D. Thomam continetur generalis ratio quare Missæ celebratio sit propriè sacrificium: sicut olim propriè sacrificia fuerunt immolatio agni & vituli: & sicut nunc sacrificium esse videtur ipsa thuris incensio, quæ immediatè fit ad honorem Dei. Sed quando subditur: *hoc est Corpus meum: hic est sanguis meus:* deinde subjungitur: *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* & denique additur saltem in Missa: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis:* tres ponuntur rationes quibus Missæ Sacrificium à Veteris Testamenti Sacrificiis discernitur; & in Novo Testamento singulari quâdam proprietate sacrificii nomine prædicatur: quarum prima est, quòd Christus per panis & vini benedictionem præsens efficitur: secunda, quia effectus passionis iis, pro quibus offertur, communicatur: & tertia, quia in memoriam passionis Christi offertur. Nam quia in hoc sacrificio Christus continetur, inquit Concilium, & incruentè immolatur; sacrificium istud verè propitiatorium est. Quantùm verò ad Lutherum attinet, si fateretur quòd in hoc sacramento panis & vinum verè transmutentur in Corpus & sanguinem Christi, remanentibus tantùm speciebus panis & vini; & quòd ipsa Missæ celebratio esset verè sacrificium quod prodesset vivis & defunctis, sicut hactenus credidit Ecclesia; puto quòd Fideles cum eo contenti essent, nec eum ob subtilem hujus sacrificii rationem seu explicationem fatigarent, aut de aliqua sententia non catholica accusarent: quia Fideles in hoc maximè offenduntur, & existimant eum negare Missam esse eo modo sacrificium quo à Fidelibus esse agnoscitur, quia negat eam prodesse vivis & defunctis, pro quibus celebratur: id est, negat eam esse sacrificium propitiatorium: sicut etiam indicat Concilium Tridentinum, dicens illi anathema qui dicit Sacrificium Missæ esse nudam commemorationem Sacrificii Crucis, non autem propitiatorium, &c. Can. 3. Unde etiam miror quomodo Eruditio tua *a* contendat hanc proprietatem, nempe quòd sit sacrificium propitiatorium, ad rationem seu definitionem Sacrificii Missæ non pertinere, cùm & Lutherus ob hanc proprietatem maximè existimetur negare Sacrificium Missæ, & Fideles petentes istud sacrificium pro se aut aliis offerri, hanc proprietatem imprimis expetant: & Evangelium,

a MS. C. condemnat. MS. K. continuat.

gelium, Concilium Tridentinum, & clarissimè D. Thomas Christum in hoc sacramento ideò immolari doceant, quia per ejus confectionem fructus passionis Christi communicatur, &c. sicut suprà diximus.

Sicut Baptismi sacramentum in externa aliqua actione consistit; sic etiam Missæ Sacrificium, quod externum sacrificium est, debet in aliqua externa actione consistere, in qua actione satis videmur convenire, quia Dominus dicit quòd ea sit consecratio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi; cui D. Thomas adjungit fractionem & comestionem. Nam quemadmodum olim non hi tantùm immolabant phase, qui agnum occidebant, & ad manducandum Pascha præparabant, sed etiam qui tantùm manducabant, juxta illud: *Omnis cœtus filiarum Israel faciet hoc*; nec hi tantùm censebantur sacrificare idolis, qui in honorem ipsorum animalia immolabant, & esui præparabant; sed etiam illi qui in idolis recumbentes, ad honorem ipsorum idolotheta manducabant: sic nec hi soli censendi sunt Missæ Sacrificium perficere qui consecrant; sed etiam suo modo hoc faciunt, qui manducant consecratam hostiam; juxta illud: *nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris?*

Sed in explicatione rationis cur externa ista actio sit proprii nominis sacrificatio, non videmur satis convenire: quia Reverentia Tua videtur existimare quòd sit proprii nominis consecratio, quia fit ad exhibendam veritatem præfiguratam in sacrificio Melchisedech quod veri nominis oblatio fuit. Quæ declaratio non admodum mihi arridet: nam oblatio Melchisedech umbra fuit; ipsum verò Missæ Sacrificium veritas est. Veritas autem semper veritas est, & suam propriam rationem haberet, etiamsi nulla ejus figura præcessisset; & ideò videtur assignanda esse ratio, propter quam consecratio panis & vini in Corpus Christi cum fractione & manducatione, veri nominis sacrificium esset, etiamsi hanc oblatio Melchisedech, aut quævis alia, non præcessisset. Nam licèt dicat Psalmista: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; non tamen propterea oportet sacrificium Christi definire per oblationem Melchisedech; sicut nec rationem sacrificii Crucis ex eo explicatur quòd exhibuerit id quod in immolatione agni figurabatur, licèt dictum sit: *Ecce agnus Dei.* Quia per has Scripturas significatur quòd oblatio Christi in cœna sit veritas præfigurata per oblationem Melchisedech; & oblatio ejusdem in cruce sit præfigurata per agnum; juxta illud: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Hæc dicta sunt sine præjudicio eorum quibus Deus fortè dederit ut hæc meliùs aut etiam veriùs explicent, ad hunc tamen finem ut ostendam me non rectè accusari, quasi catholicam sententiam non teneam, ex eo quòd ego hanc rem aliter explicandam judicavi, quàm vobis fortè videtur. Nam alioquin ego etiam possem & de Magistro Nostro Hessels & de Reverentia Tua querulari, quòd catholicam sententiam de hoc Sacrificio Missæ non teneatis, quia sacrificii rationem aliter explicatis, quàm mihi videtur; quod procul absit à me. Sicut ego ingenuè indicavi quæ mihi displicent in scripto vestro; sic etiam cuperem notari puncta, quæ fortè in scripto meo displicebunt, ut ex his possim intelligere quo usque in hac quæstione pervenimus, ut idem sapiamus, sperantes si quid aliter sapimus, hoc quoque nobis revelabit Deus.

MICHAEL DE BAII.

CAPUT IV.

Judocus Tiletanus Michaeli de Baii.

EXIMIE MAGISTER NOSTER,

SCriptum secundum Dominationis Tuæ videtur mihi disputationem utilem & hac tempestate necessariam de Sacrificio Eucharistico abducere à vero scopo, & deducere ad subtilem quandam distinctionem oblationis & sacrificii, de qua neque veteres Scriptores de Sacrificio Eucharistiæ Christi differentes, neque Concilium Tridentinum, mentionem aliquam fecisse comperiuntur. Sed tam Veterum, quàm intentio Concilii in eo versatur ut probent in celebratione Eucharistiæ Christum verè offerri per sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech in Missa, incruentè quidem, sicut semel in Cruce cruentè semetipsum Patri cœlesti obtulit. Et hac in re nobis cum adversariis Ecclesiæ certamen est; non autem de subtili illa, & tamen non repudianda distinctione oblationis & sacrificii. Quare ad eos limites censeo revocandam esse disputationem, quæ de Missæ Sacrificio cum adversariis suscipitur. Et quidem primo loco puto ordinatissimè constituendum esse & ritè probandum, quòd in Missa Christus verè & propriè per sacerdotem fungentem vice Christi, tanquam sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech offertur, ut & Concilium Tridentinum explicat, præsentatur *a* Cœlesti Patri incruento ritu, sicut ille semel cruento ritu semetipsum obtulit. Quo constituto & approbato (in quo Catholici omnes convenimus) illicò differentia Sacrificii Missæ ab aliis quibuslibet sacrificiis, etiam à veteri illo sacrificio panis & vini quod obtulit Celchisedech, innotescit & se conspiciendam offert, quia in nullo aliorum sacrificiorum Christus reipsà & secundùm veritatem offertur, sed tantùm res creatæ, utpote panis & vinum in celebri illo sacrificio Melchisedech. Jam verò si quæratur quâ ratione intelligendum sit quòd dicitur Christus in Missæ Sacrificio offerri seu immolari: iterum mihi respondendum videtur, sicut & in priore meo scripto respondi, non satisfieri quæstioni si dicatur in hoc Christus offerri Cœlesti Patri, seu illi præsentari, sicut semel seipsum obtulit & præsentavit vultui Patris: quòd in celebratione Eucharistiæ Christus sit verè præsens, quòd celebratio illa fiat propter commemorationem passionis Christi peractæ: quòd denique fiat propter effectum passionis Christi, remissionem scilicet peccatorum. Nam hæc palam confitetur Lutherus reperiri in celebratione Cœnæ Dominicæ, & tamen constanter negat ibi offerri Christum Patri Cœlesti, sed affirmat potiùs illum ibi dari nobis à Patre Cœlesti. Quòd verò confiteatur effectum quoque passionis Christi in ea celebratione spectari constat manifestissimè, quia dicit celebrationem Dominicæ Cœnæ referri ad remissionem peccatorum. In hoc ergo puncto video inter nos esse præcipuam controversiam. Ad quam tollendam ego in priore scripto proposui sacrificium Melchisedech, quod erat oblatio creaturarum panis & vini, in typo tamen Corporis & Sanguinis olim offerendi. Ad eundem modum

a MS. C. Christino.

modum intelligendum esse Sacrificium Eucharisticum, quòd in eo sacerdos novus secundùm ordinem Melchisedech non jam creaturas panis & vini, sed verè, realiter & propriè & incruentè Corpus & Sanguinem Christi offerret & Cœlesti Patri præsentaret. Unde vehementer admiror quòd Dominatio Tua interpretatur me existimasse quòd in Missa sit proprii nominis oblatio & sacrificium, quia fit in ea consecratio ad exhibendam veritatem præfiguratam in Sacrificio Melchisedech, quod veri nominis oblatio fuit. Nam oblationem Melchisedech umbram fuisse, ipsum verò Missæ Sacrificium veritatem esse; veritatem autem semper veritatem esse, & suam propriam rationem habere scio, etiamsi ejus nulla figura præcessisset. Certò enim scio me non scripsisse quòd Sacrificium Missæ ideò propriam rationem sacrificii habeat, quòd ejus veritas sit præfigurata in veteri illo sacrificio Melchisedech. Sed hoc scripsi, & testimoniis Patrum Hieronymi & Augustini confirmavi rationem propriam Sacrificii Missæ optimè & rectissimè posse intelligi ex collatione cum sacerdotio & sacrificio veteri. Sicut enim veteris illius sacrificii propria ratio in eo consistit quòd panis & vinum offerebantur Deo excelso, juxta *a* catholicam interpretationem, idque in præfiguratione sacrificii novi, quod fieret in corpore & sanguine Christi: ita intelligendum esse Sacrificii Christianorum rationem propriam in eo consistere, quòd Corpus & Sanguis Christi præfigurata in umbris panis & vini, sub speciebus panis & vini verè Cœlesti Patri offerretur & præsentaretur à sacerdote novo secundùm ordinem Melchisedech. Et adhuc mihi videtur, sicut tunc scribebam, per hanc collationem typi cum veritate optimè & plenissimè intelligi posse propriam rationem sacrificii Missæ, de qua jam inter nos Catholicos & Hæreticos quæstio agitatur. Et omnino sentio non sufficienter eum explicare propriam rationem oblationis & Sacrificii Missæ, qui dicit Missæ oblationem seu sacrificium in eo positum esse, quòd in celebratione Missæ præsens efficitur Christus cum commemoratione passionis peractæ, & propter fructum passionis, scilicet remissionem peccatorum. Sed sentio necessariò addendum, præsentis Christi in ea celebratione fieri à sacerdote oblationem & præsentationem Cœlesti Patri. Et sentio eum qui hoc non disertè addit ad tria illa alia, à Lutheri & aliorum Sacramentariorum sententiâ non satis disertè & expresse recedere. Sed objicit Dominatio tua D. Thomam in 3. parte tractantem ex professo quare Christus dicatur in Sacramento Eucharistiæ immolari seu offerri (nam illis duobus verbis ibi utitur, non autem verbo sacrificari) definire quòd propter commemorationem Passionis Christi peractæ, & propter effectum Passionis Christi, quem iis communicat pro quibus offertur: quibus duobus addit Concilium Tridentinum præsentiam Christi per consecrationem panis & vini; Christus in sacramento Eucharistiæ immolatur. Respondeo D. Thomam clarissimè & disertissimè dicere quòd celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio, sicut solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum sunt imagines: sicut, inquit, cùm intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus, ille Cicero est, ille Salustius est; & secundùm hunc modum, inquit, poterat dici Christus immolari etiam in figuris Veteris Testamenti. Constat igitur eum haudquaquam sensisse quòd propter commemorationem peractæ passionis

a MS. K. Catholicorum.

nis habeat celebratio hujus Sacramenti veram & propriam rationem oblationis & sacrificii, seu etiam immolationis: sicut nec celebratio veterum figurarum habuit propriam immolationem Christi, quamvis in futuræ hostiæ præfigurationem exerceretur. Quod autem ad effectum passionis Christi attinet, admiratur Tua Prudentia quòd illum à ratione sacrificii separandum putaverim, cùm ille palam pertinere videatur ad rationem sacrificii propitiatorii, ut docet Concilium Tridentinum. Tum rursus quia Paulus scribit, non eos tantùm sacrificare idolis, qui in honorem ipsorum animalia immolabant & esui præparabant; sed etiam qui in idolis recumbentes, ad honorem ipsorum idolothyta manducabant: sicut etiam olim non hi tantùm immolabant phase, qui agnum occidebant, & ad manducandum Pascha præparabant, sed etiam ii qui tantùm manducabant, juxta illud: *Omnis cœtus filiorum Israel faciet hoc*. Non igitur eos solos censendos Sacrificium Missæ perficere qui consecrant, sed etiam eos qui manducant consecratam hostiam: juxta illud: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris?* Respondeo ex duabus scripturis propositis, alterâ ex Veteri Testamento: *Omnis cœtus filiorum Israel faciet hoc*; alterâ Pauli: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris?* evidentissimè constare quòd manducantes de cibis oblatis, immolatis seu sacrificatis, non aliâ ratione immolare seu sacrificare aut offerre dicantur, quàm quia per Altaris aut mensarum ministros offerant & offerentibus consentiant. Non enim dicit Paulus quòd qui manducat de cibis qui immolati sunt dæmoniis, ipsi immolent eos dæmoniis; sed quòd de iis manducantes participes sint Altaris. Manducatio igitur participantium de immolatis cibis non est proprio sermone immolatio, sed est participatio de cibis immolatis, & proinde consensus in factam dæmoniis oblationem. Et quia ea manducatio fiebat in reverentiam & honorem idolorum quibus immolatio facta fuit, habet generalem & veram rationem sacrificii; sed tamen usus rei immolatæ haud quaquam est ipsa immolatio. Scriptura verò Vetus jubens ut ad vesperam omnis cœtus Filiorum Israel faceret illud, palam agit de sacrificio, immolatione, & oblatione, quæ nomine totius cœtus Israelitici populi fiebat; quam proinde & omnis cœtus rectè facere dicitur, quoniam ipsius nomine à sacerdote fiebat. Existimo igitur rectissimè dictum esse in investigatione propriæ rationis sacrificii seu oblationis aut immolationis separandum esse usum rei oblatæ ab ipsa oblatione, quanquam & usus rei oblatæ, quia fit & ipse in honorem Dei, generali ratione sacrificium quoddam, utpote in Dei reverentiam factum, rectè appellatur. Jam quod ad rationem sacrificii propitiatorii pertinet, & scribit Dominatio Tua se mirari quòd scripserim effectum & operationem sacrificii non pertinere ad rationem sacrificii propitiatorii: Equidem multò magis admiror unde me id sensisse vel scripsisse colligis: nam nisi me fallat memoria, in toto scripto non feci mentionem sacrificii propitiatorii, sed tantùm in genere sacrificii. Et iterum scribo mihi non videri quòd ad propriam rationem & naturam sacrificii pertineat operatio & virtus sacrificii: sed operatio & virtus magis naturam & rationem sacrificii consequitur. Porrò sacrificium propitiatorium hac sanè ratione quâ propitiatorium est, includit virtutem & efficaciam propitiandi & placandi Deum verum. Quando quæritur quæ sit vera & propria ratio sacrificii Eucharistici,

ristici, non rectè responderet quispiam rationem ejus propriam esse in operanda salute: sed disertè dicendum est propriam rationem Sacrificii Eucharistici in eo consistere quòd Christus in eo verè & propriè incruento ritu offertur seu præsentatur (sic enim explicat Concilium Tridentinum verbum *offerri*) Patri Cœlesti, idque in finem salutis consequendæ. Unde quod Dominatio Tua scribit Lutherum si agnoscat in celebratione suæ Cœnæ Christum fieri præsentem, & fieri celebrationem in commemorationem Passionis Christi, non posse jure reprehendi à Catholicis, si simul confiteretur eam celebrationem prodesse vivis & defunctis, verum mihi non videtur nec catholicum: & in eo potissimum consistit nostra controversia. Requiri enim mihi videtur præter tria illa, ut Christus secundùm veritatem offeratur, sicut disertissimè scripsit Ambrosius: *per singulos dies offerimus & nos hostiam semel in Cruce oblatam, sed ad recordationem mortis ejus.* Igitur sine vera & reali oblatione Christi, neque præsentia Christi in sacramento, neque commemoratio mortis, neque etiam operatio gratiæ, veram rationem sacrificii seu oblationis Eucharistiæ mihi non videntur posse constituere; nec rectè per ea explicari aut defendi adversus Sacramentarios catholica doctrina posse. Hanc ego sentio esse claram Concilii doctrinam & Patrum de Sacrificio Eucharistiæ, qui ad subtilem illam distinctionem sacrificii & oblationis, ad quam tandem deducere mihi videtur Tua Dominatio præsentem inquisitionem, respexisse non reperiuntur. Quia tamen à D. Thoma ex Veteri scriptura rectè inducta & constituta est; jam de illa excutiamus quid sit in hac quæstione sentiendum. Sentio igitur rationem hanc distinctam quâ secernitur sacrificium ab oblatione juxta D. Thomæ doctrinam in 2, 2. non sufficere ad veram rationem Sacrificii Eucharistici, hoc est, sacrificii & in quo revera Christus offertur, constituendam. Celebratio enim Sacramenti Eucharistici per conversionem etiam creaturarum panis & vini, in Corpus & Sanguinem Christi, quæ divina est benedictio circa panem & vinum facta; idque cum commemoratione etiam passionis Christi peractæ, non tantùm oblationis sed etiam sacrificii rationem hanc habet, quia ipsa est actio quæ in Dei honorem fit, & quæ ei offertur in reverentiam ejus. Sed nisi intelligatur in ea fieri, rei quæ in ea actione continetur, nempe Corporis & Sanguinis Christi, vera oblatio & præsentatio coram Patre Cœlesti, per sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech; non habetur tale sacrificium, quale contra Sacramentarios constituitur in doctrina Christiana & à Concilio *a* definitur. Neque benedictio, quæ circa panem & vinum fit, sacrificii Eucharistici veram & plenam rationem inducit, nisi ea benedictio intelligatur, quæ sit consecratio creaturarum panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi immolatitia, hoc est, talis ut per eam offerantur Patri Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini: sicut D. Hieronymus & Augustinus dicunt quòd Christus verus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech obtulit in veritate suum Corpus & Sanguinem, sicut olim Melchisedech obtulit in typo creaturas panis & vini. Quid verò de esu rei consecratæ & oblatæ mihi sentiendum videatur, jam satis exposui. In hac doctrina & explicatione Sacrificii Eucharistici ego planè acquiesco, & Concilii sententiæ & *b* definitioni eam existimo planè consentaneam. Si quid tamen minùs ritè à me explicatum

a MSS. C. K. defenditur.

b MSS. C. K. defensioni.

plicatum aliis videatur, non præjudico aliorum meliùs sentientium sententiis: mihi prorsus sufficit quòd sciam, etiam si quid sit erratum, à scopo me non aberrare.

JUDOCUS TILETANUS.

CAPUT VIII.

Michael de Baii Judoco Tiletano.

EXIMIE MAGISTER NOSTER,

Mihi optimè placet ut omissa distinctione inter sacrificium & oblationem, tantùm inquiramus quare Christus in Missa dicatur offerri; quia ego illam distinctionem tantùm propter D. Thomam adhibueram, & simul ut ostenderem aliquid duobus modis posse offerri seu præsentari: uno modo per simplicem donationem, quâ sine rei mutatione in alium fit dominii translatio, sicut offeruntur denarii, panes ad altare: Altero verò modo, non transferendo dominium rei quæ offerri dicitur; sed in gratiam alterius aliquid circa eam agendo, quod illi non minùs gratum esse noscitur, quàm esset ipsa donatio: qui posterior offerendi modus est sacrificio proprius; nec tamen abducit à disputatione quæ de oblatione generaliter instituitur; quia necessario sub illa continetur: est enim omnis sacrificatio oblatio, sed non contra. Quibus præmissis dico quòd Christus in Missa offerri non possit, nisi ibi esset; est autem ibi per significationem passionis, per operationem salutis & per veritatem præsentiæ Corporis & sanguinis, imò & totius substantiæ.

Has igitur tres causas ex 3. parte D. Thomæ & ex Concilio Tridentino protuli, non ut redderem rationem cur offeratur, sed tantùm ut ostenderem quare Christus sit, non autem agnus aut vitulus, qui in Missa offertur. Sed postea disserens quare offertur, recurri ad 2. 2. D. Thomæ, quæst. 85. art. 3. ad 3. & dixi quòd non eo modo offeratur, quo denarii offeruntur ad altare quando per dominii translationem sine mutatione ad honorem Dei præsentantur & donantur: sed quòd offeratur eo modo, quo olim agnus Paschalis offerebatur, quando sine translatione dominii ad honorem Dei occidebatur & comedebatur. Et sic rationem oblationis in eo posui, quòd circa Christum aliquid ad honorem Dei agitur; quando panis & vinum in Corpus & Sanguinem ejus consecrantur, quando ipse in sacramento frangitur & manducatur, sicut loco supra dicto expressè dicit D. Thomas. Quæ cùm in scriptis meis videantur aperta, miror cur Reverentia Tua omisso eo quod ex 2. 2. D. Thomæ protuli, semper recurrat ad illa tria, quæ partim ex 3. parte ejusdem, partim ex Concilio Tridentino præmisi, dicendo per hæc tria non satisfieri quæstioni quâ quæritur, quæ sit ratio cur Christus in Missa dicatur offerri. Satisfaciunt enim ex parte quâ intelligitur quæri cur Christus sit, non autem agnus, qui in Missa offertur. Sed ex ea parte quâ quæritur cur offeratur, satisfit quæstioni per ea quæ ex 2. 2. proferuntur, ut dictum est; aut si fortè non satisfa-

ciunt, ficut videtur Reverentia Tua prætendere, miror quòd aliam rationem in prioribus fcriptis non protulerit, quâ illi fatisfaceret; fed tantùm dixerit non fufficere quod dixeramus, & neceffariò addendum effe, præfentis in celebratione Miffæ Chrifti fieri à Sacerdote oblationem & præfentationem Deo Patri. Nam verba prioris fcripti, quæ fic habent: *Confecratio itaque creaturarum panis & vini in Corpus & Sanguinem Chrifti in hoc divino myfterio confideranda eft non folùm ut eft potentiffima converfio creaturarum in Corpus & Sanguinem Chrifti; fed ut eft tranfmutatio creaturarum, quas olim in typo obtulit Melchifedech, in hoftias fpirituales Corporis & Sanguinis Chrifti; quarum oblatione præfigurata veritas tandem exhiberetur.* Hæc, inquam, verba fic accepi, tanquam fignificarent, confiderationem in ipfis expreffam, effe rationem cur Chriftus in Miffa offeratur. Sed cùm ego illam rationem improbaffem, dicens rationem oblationis Chrifti in Miffa debere fubfiftere, etiamfi non tantùm non adfit confideratio, fed etiamfi ipfe Melchifedech nunquam exhibuiffet: refpondet Prudentia Tua in hoc fcripto, fe priore fcripto non dixiffe quòd Sacrificium Miffæ ex illa caufa rationem facrificii habeat; fed tantùm oftendiffe rationem propriam facrificii optimè poffe intelligi ex collatione cum facerdotio & facrificio veteri. Verùm Reverentia Tua hoc oftendendo nullam rationem protulit cur Chriftus in Miffa offeratur; fed tantùm defignavit unde poffit intelligi ratio, quam tamen non expreffit. Sententiam Lutheri de oblatione Miffæ difcutiendam non putavi, quia quando inter Catholicos veritas quæritur, non exiftimavi curandum quid Hæretici foris fomnient; fed quid Scriptura Sacra & Catholici Doctores intùs doceant. Dixi tamen quòd *fi Lutherus fateretur quòd in hoc Sacramento panis & vinum verè tranfmutentur in Corpus & Sanguinem Chrifti, remanentibus tantùm fpeciebus panis & vini; & quòd ipfa Miffæ celebratio effet verè facrificium, quod prodeffet vivis & defunctis, ficut hactenus credidit Ecclefia; puto quòd cum eo effent Fideles contenti, nec eum ob fubtilem hujus Sacrificii rationem feu explicationem fatigarent.* Quæ verba mea fi integra, ficut meo fcripto expreffi, non autem truncata & immutata, ficut habentur in tuo, cum attentione legantur, puto quòd non folùm invenientur vera & catholica, fed etiam quòd me tacente evanefcet reprehenfio tua. Quod autem fubditur eum qui ad illa tria quæ toties repetuntur, videlicet ad operationem, fignificationem & præfentiam Chrifti, non addit in Miffa fieri oblationem & præfentationem (quas videlicet Reverentia Tua contendit in definitione oblationis debere exprimi) à Lutheri & Sacramentariorum fententia non fatis difertè & exprefsè recedere; fatis odiosè dicitur propter eos qui fidei veritatem fimpliciter retinentes aut nullam explicationem norunt, aut in ea quam legitimam exiftimant, voces has ponendas non *a* putant, ne videantur idem per feipfum velle definire, quia in fpeciem faltem notantur de fententia hæretica Lutheri & Sacramentariorum, cujus non funt fibi confcii: cùm hoc ipfum credant & aliis locis fateantur quod hîc contendit Reverentia Tua debere repeti. Et fi fortè errarent, adhuc tamen honeftius effet eis condolendo doctrinam veritatis impertiri, quàm falfum crimen in fpeciem improperare, quod nec Reverentia Tua ab iis fibi vellet improperari, qui illam nec fcripto priore nec etiam pofteriore rationem protuliffe exiftimant, quâ fatis explicetur cur in Miffa fiat oblatio.

a MS. C. exiftimant.

oblatio. De ratione prioris scripti diximus superiùs. In hoc verò posteriori dicit Reverentia Tua quòd quando quæritur quæ sit propria ratio Sacrificii Eucharistici dicendum est propriam ejus rationem consistere in eo quòd Christus verè & propriè incruento ritu offertur seu præsentatur. Cæterùm cùm principaliter inquiratur quare dicatur offerri seu præsentari, non attendit Vigilantia Tua idem per semetipsum definiri; quod Dialectica non probat.

Effectum passionis Christi, seu esse propitiatorium intellexi per Reverentiam Tuam excludi à ratione non tantùm sacrificii in genere, sed etiam à ratione Sacrificii Missæ: primò quidem quia sic habent verba tua in priori scripto: *Ex quibus mihi videor rectè intelligere duas illas causas, significationem seu memoriam Passionis Christi non sufficere ad ritè statuendam & a defendendam contra Sectarios Sacrificii Missæ veram & propriam rationem. Nam tertiam illam causam, de fructu Passionis Christi jam dixi extra præsentem de sacrificii definitione quæstionem, rejiciendam esse.* Nam dicendo duas priores rationes ad statuendam rationem Sacrificii Missæ non sufficere, & tertiam causam à definitione debere excludi, significasse videtur Prudentia Tua duas priores causas ad rationem Sacrificii Missæ pertinere, non autem tertiam. Si autem tantùm significare voluerit tertiam causam non pertinere ad rationem sacrificii in genere; cur illam à duabus prioribus distinxit, quæ etiam non sunt de ratione sacrificii in genere. Utut res tamen habeat, intellexi verba tua ut dixi, & ex causis quas dixi. a MS. C. definiendam.

Quòd dixi Christum in Missa offerri non tantùm propter benedictionem, sed etiam propter fractionem & comestionem; juxta expressam D. Thomæ sententiam dixi, quam etiam conatus sum Scripturis sacris confirmare. Ait enim Dominus in Exodo de Agni Paschalis immolatione: *Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud:* sicut patet ex verbis præcedentibus, quibus dicitur: *immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel:* cui præcepto non satisfaciebant filii Israel curando ut per Sacerdotes & ministros occideretur Agnus, &c. Sed universi tam Ministri, quàm alii virtute ejusdem præcepti tenebantur pro complemento immolationis, de ipso Agno manducare, sic ut totum consumeretur. Sicut etiam D. Thomas in 3. parte quæst. 80. art. 7. dicit quòd non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed etiam ex mandato Domini dicentis Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, omnes tenentur sacramentum Eucharistiæ sumere. Id quod puto non diceret in illis Christi verbis contineri, nisi intelligeret ipsam sacramenti sumptionem pertinere ad consummationem sacrificii, ad quam omnes saltem aliquando, modo sibi convenienti, obligantur. Deinde si sumptio sacramenti Eucharistiæ non sit de integritate sacrificii, sed tantùm benedictio; cur Missa per sacerdotem incepta, si eam perficere non possit, juxta antiquam traditionem, per alium sacerdotem perfici debet; si is qui eam incepit, post benedictionem ante fractionem & comestionem cessaverit; non autem, si priùs destiterit quàm benedixerit aut consecraverit? Sententiam D. Thomæ, quâ quæst. 85. 2, 2. dicit sacrificium propriè dici, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicut, inquit, quòd panis frangitur comeditur & benedicitur; non possum non probare. Nec mihi placet quòd ad ostendendam illam insufficientem, dicit Reverentia Tua benedictionem quæ

 circa

circa panem & vinum fit, sacrificii Eucharistici veram & plenam rationem non induere, nisi ea benedictio intelligatur quæ sit consecratio creaturarum panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi IMMOLATITIA. Quia quemadmodum is qui baptisat semper baptismum impertitur, modò ad imitationem Christi & Ecclesiæ baptizantis abluat dicendo: *Ego te baptizo*, &c. sive aliquid ampliùs intendat aut intelligat, sive non: sic etiam *a* quandocunque Sacerdos panem & vinum præscriptis verbis ad imitationem Christi & Ecclesiæ benedicit, frangit & distribuit; is non tantùm sacramentum Eucharistiæ conficit, sed etiam Christum Deo offert, sive intelligat aut credat quod agit, sive non intelligat; aut etiam quamvis aliam intelligentiam ex professo à sua intentione excludat, credens in hoc opere nihil aliud agi, quàm passionem Christi commemorari. Quia sicut ab isto opere per Sacerdotem super debita materia ad imitationem Christi & Ecclesiæ facto inseparabilis est confectio sacramenti; sic etiam inseparabilis est oblatio Christi. Nam alioquin contingeret saltem Hæreticos verum Sacramentum Eucharistiæ *b* conficere, & Sacrificium Deo non offerre; quod verum esse non puto. An verò Christus hanc consecrationem, fractionem & manducationem sic potuisset instituere faciendam immediatè ad honorem Dei, ut tamen non solùm *c* non significaret ejus passionem, nec effectum ejus passionis alicui communicaret; sed ut nec omnino veram sacrificii rationem haberet, ex eo quod circa Christum aliquid ad honorem Dei actum fuisset, alia quæstio est quam nolim temerè definire. Sed hæc de hac quæstione dicta sufficiant. Si quid amplius occurrat, poterit aut vivâ voce aut recurrendo ad ea quæ scripta sunt, expediri.

a *MS. K. quicunque.*
b *MS. K. conferre.*
c *MS. C. non solùm significaret.*

MICHAEL DE BAII.

CAPUT IX.

Judocus Tiletanus Michaeli de Baii.

EXIMIE MAGISTER NOSTER;

Animadverto scriptum hoc postremum sapere & indicare nescio quid acerbitatis, & continere, ut apertè dicam quod sentio, manifestas calumnias seu cavillationes. Ideoque constitui paucissimis ad capita in præscripto scripto reprehensa respondere. Primùm, *d* scribit Reverentia Tua causas illas tres præsentiæ Christi, significationis passionis Christi, & operationis, non esse à se propositas tam ex D. Thoma, quàm ex Concilio Tridentino in superioribus scriptis, nisi ut declararet Christum esse qui in Missa offertur, non autem agnum Paschalem. Quæso te, Eximie Magister Noster, quis de ea re quæstionem unquam movit inter Ecclesiæ Professores: An qui in Missa offertur, Christus sit; an Agnus Paschalis? Et si ea fuit mens vestra, profectò licuit eam verbis disertè explicare, & nullum *e* potuisses habere adversarium. Sed valeant hæ tergiversationes. Addis itaque quòd differens quare offeratur Christus, secutus doctrinam D. Thomæ dixisti, quòd non eo modo offeratur, quo

d *MS. K. sensit.*
e *MS. K. pauisse.*

quo denarii offeruntur ad altare; sed eo modo, quo olim Agnus Paschalis offerebatur; & sic rationem oblationis in eo te posuisse, quòd circa Christum aliquid ad honorem Dei agitur. Respondeo (ut dissimuletur multùm diversas esse quæstiones quare sive cur Christus offeratur, & in quo posita sit ratio oblationis) hoc ipsum esse in quo dissidemus, an ratio oblationis Christi posita sit in eo quòd in celebratione Eucharistiæ fiat benedictio, fractio, fiat denique comestio. Et ego hactenus scripsi & sensi, & adhuc absque hæsitatione ulla sentio & scribo, non esse in eo positam rationem oblationis Christi, neque hoc docere D. Thomam in 2, 2: sed veram rationem oblationis in eo positam esse, quòd secundùm Christi institutionem & mandatum, sacerdos juxta ordinem Melchisedech à Christo institutus, sui ministerii & sacerdotii officio fungens, consecrat & celebrat Sacram Eucharistiam, videlicet in ea celebratione & consecratione Deo Patri oblaturus non creaturas Panis & vini, sicut fecit typicus ille Melchisedeck, sed sub speciebus creaturarum panis & vini, divinâ benedictione conversarum in Corpus & Sanguinem Christi, Christum ipsum secundùm rei veritatem, sicut secundùm rei veritatem oblatus est in Cruce. Sicut enim ipsa jugulatio Agni Paschalis non habuit rationem oblationis & Sacrificii secundùm seipsam considerata, sed quatenus ex mandato Domini fiebat ex populo Israelitico oblationem facturo: ita benedictio & fractio & denique manducatio secundùm seipsas non faciunt rationem oblationis, nec faciunt Christum offerri. Sed quia sacerdos constitutus ad hoc à Christo, accedens ad sacrificandum & suo officio fungendum, conficit Eucharistiam benedicendo, frangendo & manducando: ideò ejus consecratio & celebratio habet rationem veram oblationis, in qua verè sed incruentè Christus offertur. Sicut nec Christi cruenta mors secundùm seipsam veram habet sacrificii & oblationis rationem, sed tantùm quatenus consideratur, sicut ait Apostolus, quòd ipse semetipsum & mortem suam obtulit per Spiritum Sanctum Patri. Sic si separes ab actione illa secundùm se considerata, quam facit sacerdos benedicendo, frangendo, &c. sacerdotis ministerium quod in offerendo hostias Deo positum est, non magis constabit vera oblatio Corporis & sanguinis Christi, quàm si ab ipsa Christi cruenta morte separes quòd Christus semetipsum per Spiritum Sanctum obtulit Deo. Adhuc igitur mihi videor rectissimè & verissimè scripsisse rationem veram & simplicem & apertam oblationis Christi non esse positam neque in præsentia Christi, neque in significatione passionis Christi, neque in operatione; neque denique in benedictione, neque in fractione (quæ omnia libenter agnoscit & confitetur etiam Lutherus, pertinaciter tamen negans Christum ob hæc & per hæc Cœlesti Patri offerri;) sed in eo quòd sacerdos Dei vicarius constitutus hæc omnia facit secundùm Christi institutionem, fungens ministerio sacerdotii & officii sui, quod est oblationem offerre. Cujus officii ministerium & intentionem si separes ab iis quæ aguntur in celebratione Eucharistiæ, benedictione scilicet & fractione, &c. non magis constabit vera oblatio, quâ Christus Patri offeratur, quàm constabit oblatio in morte cruenta Christi, si eam separes ab intentione & sacerdotio veri Melchisedech Christi, quem dicit Apostolus semetipsum obtulisse per Spiritum Sanctum Patri Cœlesti.

Dicis

Dicis intentionem conficiendi ſacramentum Euchariſtiæ poſſe conſiſtere ſine intentione oblationis. Igitur poteſt confectio ſacramenti conſiſtere ſine oblatione ſacrificii. Cavillationem quam Tua Dominatio hîc objicit de intentione ſacerdotis indignam puto quæ refellatur. Nam ſatis eam refutant alia Eccleſiæ Sacramenta, quæ ſine intentione Miniſtri conſtare non poſſunt.

Tantùm video D. Thomæ doctrinam in ſpeciem obſiſtere huic explicationi poſſe ſæpius jam recitatæ. Sed reſpondeo non rectè conſiderari D. Thomæ doctrinam, quaſi noſtræ explicationi contraria ſit. Tradit quidem D. Thomas duplicem oblationis rationem: ſed nuſquam comperietur dicere quòd ratio oblationis conſiſtat vel in benedictione vel fractione, &c. ſed hoc tantùm dicit quòd ſi circa rem oblatam nulla fiat mutatio, oblatio ſit non ſacrificium: ſin verò fiat mutatio aliqua, vel corporalis, qualis eſt occiſio & ſanguinis effuſio; vel ſpiritualis, qualis eſt benedictio, &c. tunc ſacrificium fit, & non tantùm oblatio. Requirit igitur Thomas ut res aliqua Deo offeratur: & ſi circa eam nihil fiat, ſentit tunc eſſe oblationem tantùm: ſin vero circa rem oblatam aliquid fiat, tunc ſentit eſſe oblationem, quæ habeat rationem propriam ſacrificii. Non igitur D. Thomas ex benedictione & fractione & ſimilibus immutationibus conſurgere ait rationem oblationis: ſed hoc tantùm docet, ſi circa rem quæ offertur fiat aliqua ſpecialis immutatio, ſacrificii rationem habere eam oblationem, ſicut in exemplo Agni Paſchalis res aperta eſt. Non enim jugulatio Agni per ſe habebat rationem oblationis, ſed jugulatio Agni jam deſtinati ad offerendum Deo, imo jam oblati Deo, accedens ad rem oblatam & deſtinatam ad offerendum, efficiebat oblationem illam habere propriam rationem ſacrificii ſecundùm ſententiam D. Thomæ. Et ſanè ſi in benedictione, fractione, &c. conſtituatur vera & propria ratio oblationis illius quâ Chriſtus offertur Patri; non exiſtimo ſufficienter confutari ſententiam Lutheri, quâ negat Chriſtum offerri in Euchariſtia, *a* cùm benedictionem, fractionem, &c. abſque ulla tergiverſatione agnoſcat. Et omnino mihi perſuadeo quòd Catholicis & ratio oblationis Chriſti, quæ in benedictione ſeu fractione, &c. conſtituitur, nunquam ſit futura ſatis. Exiſtimo me ſatis disertè explicare rationem, in qua intelligo veram rationem oblationis Chriſti poſitam eſſe, quam & in prioribus ſcriptis ſatis inſinuavi, ſi conſiderata eſſent. Nolo hîc acerbè ſcribatur iterum me hîc ſcribere ſatis odiosè. Cùm enim à me poſtulatum eſſet ut ſcriberem meam ſententiam, quâ in re videretur veſtra ſententia non plane confutare Lutheri ſententiam; ſcripſi ſimpliciter nullo odio perturbatus quod iterum ſcribo, rationem oblationis Chriſti non eſſe poſitam in iis quæ jam ſuprà dicta ſunt ex D. Thoma; ſed in iis poſitam eſſe propriam & peculiarem rationem ſacrificii, quando ea fierent circa rem aliquam alioquin oblatam.

a MS. C. cum benedictione, fractione, &c. cùm illa abſque ulla.

Denique quod ſcribit Dominatio Tua, me non dicturum fuiſſe ſententiam tuam affinem doctrinæ Lutheri, ſi eam integram, ut à te poſita eſt, & non truncatam & mutilatam tranſcripſiſſem; ego nullius neque detruncationis neque mutilationis mihi conſcius ſum: ſed ſententiam, quam adhuc tibi placere video, ingenuè fateor mihi diſplicere, & inſufficientem videri ad refellendam Lutheri doctrinam: ſicut & in ſuperioribus ſcriptis dixi, videlicet in benedictio-

nedictione, fractione, &c. positam esse veram oblationis, illius scilicet in qua Christus *a* offeratur, rationem. *a MS. K. offertur.*

Postremò, quod Tua Dominatio iterum tergiversatur de manducatione sacrificii oblati, omnino contendens manducationem sacrificii pertinere ad rationem sacrificii, adferens jam rationem, manducationem sacrificii pertinere absque dubitatione ad complementum sacrificii; admodum miror Dominationem Tuam in eo tergiversari quod perspicuam habet veritatem. Est enim in eo manifesta veritas, quòd qui manducat de cibis Idolis immolatis, non hoc ipso sacrificet, sed sacrificii peracti (secundùm expressam Apostoli doctrinam) se participem faciat. Quòd si igitur, ut perspicuum puto, comedens de sacrificatis seu oblatis cibis, non per hoc offerre dicendus est; quomodo igitur ad rationem sacrificii pertinere dici potest, tanquam in quo ratio sacrificii posita sit?

Nam quòd pertineat usus & esus sacrificii vel rei oblatæ ad sacrificium tanquam complementum ejus, nemo negat. Constat enim etiam Eucharistiam confici propter usum: non tamen ejus confectio & consecratio consistit in ipsius usu; nec contrà usus ejus pertinere rectè dici potest ad ejus confectionem seu consecrationem.

Eximie Domine, Magister Noster, existimo me & in hoc scripto & in prioribus satis clarè & disertè, atque etiam optimâ fide & sine ullis aut suggillationibus aut odiosis verbis postulatam ab exordio sententiam meam exposuisse; neque contra dialecticam rationem (ut Tua Eruditio notat) idem per idem probasse, dum per sacerdotium typicum Melchisedech, scripsi intelligendum esse sacerdotium Eucharisticum: sed veram & unicam, ut equidem opinor, rationem ostendisse, quâ intelligi debeat Christus in Missa offerri, quam & Concilium Tridentinum proposuit.

JUDOCUS TILETANUS.

CAPUT X.

Michael de Baii ad Lectorem.

AN scriptum meum novissimum nescio quid acerbitatis sapiat, & contineat manifestas calumnias seu cavillationes, sicut Dominus Tiletanus initio postremi scripti sui queritur: item an istud scriptum ejus postremum omnibus suggillationibus & odiosis verbis careat, sicut in fine ejusdem protestatur, Lectoris esto judicium. Cæterùm quia videtur in hoc scripto quædam aperuisse quæ prioribus scriptis minùs patebant; ideò visum est aliquot ejus capita discutere; non quidem *b* propter ipsum, apud quem video me nihil profuturum, sed propter eos qui fortè in utriusque partis collatione veritatem sibi proponerent inquirendam. *b MS. C. apud.*

Quod igitur ait, neminem in Facultate quæstionem movisse, an Christus sit *c* & non agnus, qui in Missa offertur; ac proinde me hujus rei non debuisse *c MS. C. an non.*

 ratio-

rationem reddere: Respondeo quòd quemadmodum nemo in Facultate quæstionem movit, an Christus sit qui in Missa offertur; sic etiam nemo quæsivit an offeratur. Sed quando occasione reprehensionis inter nos quæsitum est, cur Christus in Missa offeratur, duæ simul quæstiones in una ad discutiendum sunt propositæ; nempe quare Christus sit res oblata in Missa; & quâ ratione dicatur offerri. Quia igitur videbam id quod ad prioris quæstionis solutionem pertinebat, ab ipso semper accommodari posteriori; & quod posteriori serviebat, dissimulari; ideò distinctè singulas responsiones singulis quæstionibus aptavi, ut ignorari non posset quid ego singulis quæstionibus judicarem debere responderi. Quod deinde subditur diversas esse quæstiones, cur Christus offerarur, & in quo posita sit ratio oblationis, fateor me diversitatem hanc non assequi: quia si ratio oblationis profertur, tunc ostenditur cur Christus offeratur: & contra, si ostendatur cur Christus offeratur, tunc necessarium est ut ratio oblationis proferatur.

Dicitur eodem Capite, quòd sacerdos consecrans non offert creaturas panis & vini: cujus oppositum videtur Cyprianus epist. 3. lib 2. sæpius dicere, cùm ait quòd Christus obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, licèt etiam Corpus & Sanguinem Christi offerat: sicut etiam de Christo statim subdit dicens suum, scilicet Corpus & Sanguinem, in quæ videlicet panis & vinum convertuntur.

Quod autem subdit, jugulationem agni non habere rationem oblationis, secundùm seipsam consideratam, sed quatenus ex mandato Domini fiebat à populo oblationem facturo: verum est si intelligatur tantùm facta in alicujus convivii præparationem; sed si intelligatur facta in figuram morituri Christi, & ad Dei reverentiam, non potuit carere ratione oblationis; cùm sit actus factus immediatè ad reverentiam Dei, quæ juxta Thomam oblationis definitio est: quia sicut is qui immediatè offert ad honorem Dei denarium ad altare, non potest non facere oblationem, sive id ex mandato Dei faciat, sive ex proprio consilio, sive de oblatione cogitet, sive ignoret esse oblationem. Sic olim quisquis ad figurandam Christi passionem, ad Dei reverentiam conveniens aliquod animal occidit, veram fecit oblationem, etiamsi nihil de oblatione cogitaverit, sive à Domino acceperit ejus rei mandatum, sive id ex proprio judicio fecerit, quia fecit actum supernaturalem ad Dei reverentiam, quæ apud D. Thomam propria oblationis definitio est.

Sed adhuc durius est, quod ait cruentam Christi mortem secundùm seipsam non habere veram oblationis & sacrificii rationem; sed tantùm quatenus consideratur quòd ipse semetipsum & mortem suam obtulit per Spiritum Sanctum Patri: quasi videlicet mors ejus rationem sacrificii non habuerit ex opere, quo Christus ad gloriam Dei patiebatur, ut testimonium perhiberet veritati, sed tantùm ex nostra consideratione; aut si istam considerationem non in nobis credentibus, sed in Christo patiente necessariam fuisse existimat, ut mors ejus veram oblationis rationem haberet: igitur si tantùm cogitasset se sic mori pro mundi salute, sicut boni Fideles ad honorem Dei pro sua salute moriuntur, mors Christi non habuisset veram rationem oblationis; nec veram sacri-


ficii rationem habet in conſpectu Domini pretioſa mors Sanctorum ejus, niſi præſcriptam cogitationem habeant, nempe quòd ſemetipſos & ſuam mortem per Spiritum Sanctum Patri offerant: quia non in opere, quo ſe pro veritate in mortem tradunt, ſed in conſideratione rationem oblationis conſtituit. Et quemadmodum à Chriſti morte ſeparandam putat rationem oblationis, ſi ſeparetur prædicta conſideratio; ſic à benedictione, fractione & diſtributione Sacerdotis ſeparandam exiſtimat rationem oblationis, ſi ejus miniſterium ſepares, quod in offerendo hoſtias poſitum eſt. Quibus dictis miror eum ſtatim ſubjicere cavillationem fuiſſe quâ objeci, quòd ſi oblatio Chriſti in Miſſa conſiſtat in aliqua conſideratione diſtincta ab intentione conſecrandi; igitur ſacerdos ex profeſſo intendens ad imitationem Chriſti, Corpus & Sanguinem Chriſti conſecrare, & juxta aliquem errorem ex profeſſo non intendens offerre, is, inquam, ſacerdos tantùm ſacramentum conficeret, & non etiam offerret: niſi fortè hoc dixerit, ne cogeretur fateri aut verum eſſe quod objiciebam, aut falſum fuiſſe quod dixerat; quorum neutrum videtur auſus fuiſſe confiteri. An Lutherus ſenſerit Miſſas vivis & defunctis prodeſſe, nihil ad rem facit: non enim tenemur aliquid vitare, quia hoc Lutherus dixit aut negavit, ſed tantùm quòd Concilium aut Pontifex hoc in eo damnavit. Et ideò ad veritatem ſolvendam aut damnandam falſitatem proferenda eſſet legitima damnatio, non Lutheri aſſertio aut negatio, ex qua nulla fieri poteſt aut veritatis aut falſitatis illatio. Puto tamen eum ſaltem temporis progreſſu ſacrificii utilitatem aut effectum non agnoviſſe.

Poſteà videns verba D. Thomæ 2, 2. quæſt. 85. art. 3. ſibi vehementer obſiſtere, (Dominus Tiletanus) dicit ipſum quidem tradere duplicem oblationis rationem, ſed nuſquam docere quòd ratio oblationis conſiſtat in benedictione, &c. nec tamen oſtendit in quo conſiſtit, ſed tantùm conatur refellere quod dixi. Cæterùm quiſquis verba D. Thomæ non tuendæ poſitionis, ſed veritatis cognoſcendæ ſtudio intentus diligenter perſpexerit, facilè intelliget eum rationem oblationis & Sacrificii Miſſæ conſtituere in benedictione, fractione & ſumptione. Nam volens oſtendere ſacrificium *a* generaliter dictum, *a MS. K. generaliter.* ſeu oblationem, ſpecialem eſſe virtutem, definit ſacrificium eſſe quemdam *b* ſupernaturalem actum, laudem ex hoc habentem quòd in divinam reverentiam fiat: propter quod, inquit, ad determinatam virtutem pertinet, ſcilicet ad religionem: *b MSS. ſpiritualem.* quales actus ſine dubio ſunt benedictio, fractio, ſumptio. Verùm quia hæc ratio generalis erat, & non tantùm ſacrificio ſpecialiter dicto, quod rei mutationem habere debet, ſed etiam cuivis oblationi competebat, (hoc enim ſemper laudem habet ex eo quod in divinam fiat reverentiam) ideò in reſponſione ad 3. oſtendit non quemvis actum in divinam reverentiam factum eſſe propriè dictum ſacrificium, ſed eum duntaxat quo circa res oblatas aliquid fit; ſicut, inquit, quòd animalia occidebantur, quòd panis frangitur, comeditur & benedicitur. Hos enim actus in divinam reverentiam factos profert tanquam exempla ſacrificii ſpecialiter dicti; ex quo manifeſtè ſequitur rationem oblationis in his actibus ad Dei reverentiam factis eſſe poſitam. Sed ſcio quid Dominum Tiletanum remoretur tanto tempore, ne creda

dat jam dictos actus esse oblationes. Non enim præsupponit cum D. Thoma omnem actum supernaturalem, laudem ex hoc habentem quòd in divinam reverentiam fiat, esse oblationem, sed eum duntaxat, quo substantia aliqua datur & præsentatur, sicut olim rudi & carnali populo præscriptum fuit. Et quia per benedictionem, fractionem, & comestionem secundùm se nihil dari aut præsentari videtur, ideò nec hæc secundùm se existimat esse oblationem propriè dictam. Non enim existimat quòd quisquis propter Deum aliquid boni facit, hoc ipso aliquid ei det, juxta illud: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* sed semper respicit ad donationem alicujus substantiæ; cui jam sæpius respondi, præsentationem seu donationem alicujus substantiæ duobus modis fieri: uno modo per translationem Dominii sine aliqua rei mutatione, ut cùm ad Dei reverentiam donantur denarii ad altare: & hæc simplex donatio, oblatio tantùm est, non etiam sacrificium specialiter dictum. Altero modo fit donatio seu præsentatio substantiæ, non per simplicem dominii translationem, sed eminentiori quodam modo & acceptiori quàm est simplex donatio, nempe in reverentiam alicujus consumendo id quod donari dicitur; v. g. quando in reverentiam principis thus aut cinamomum incenditur, ut suavitatis odore perfruatur, tunc thus & cinamomum excellentiori & cum majori reverentiâ principi donatur, quàm si illi simpliciter ad utendum offerretur, nempe eo modo quo Joannes Schuerbroeck, dictus Abraham, Cæsari quondam post victoriam ex Gueldria revertenti multas ollas terreas obtulit, non eas illi in culina utendas præsentando, sed in signum lætitiæ juxta viam quâ transibat, ipso spectante, collidendo & confringendo: vilis enim oblatio fuisset si eas Cæsari utendas dedisset; sed quia in argumentum lætitiæ eas confringebat, ejus oblatio in oculis Cæsaris aliquid gratiæ habuit. Sic olim coram Domino acceptior fuit occisio agni aut vituli in figuram mortis Christi, quàm simplex donatio: & sicut acceptior fuit donatio, sic etiam excellentioris generis oblatio, quæ proprio nomine sacrificium dicitur. Sed hîc rursus offunduntur nebulæ ex Lutheri erroribus, quos dicit (Tiletanus) non sufficienter confutari, nisi D. Thomas aut errasse aut sacrificii rationem non convenienter assignasse defendatur. Respondeo, si dicta Lutheri in hac re cum sententia D. Thomæ coincidant, non debent à nobis errores, sed potiùs veritas haberi: non enim debet à nobis veritas per hæreticos usurpata reprobari; sicut à Donatistis reprobata est veritas sacramenti baptismi, teste Augustino lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & 8. sed tantùm debet eorum falsitas emendari. Quapropter si Lutherus aliquid rectum sensit, non decet propter solius nominis fulmen, existimare illud esse refellendum, cùm Hæretici non solùm falsa dicant, sed etiam falsis multa vera permisceant. Quapropter non curo quid Lutherus dicat, sed quod veritatem habere existimo, hoc quantâ possum perspicuitate defendo, non tantùm contra Lutherum, sed etiam contra Dominum Tiletanum: id quod eò facilius apparet, quòd non Scripturam sacram, non Veterum testimonia Sanctorum, non denique solidam aliquam rationem magnopere urgere videtur; sed tantùm propriam assertionem, quam potiùs excogitasse videtur, quàm ab aliquo gravi Authore sumpsisse.

Quo-

Quomodo autem satisfaciat duabus Scripturis, quibus conatus sum ostendere & olim ipsam Agni comestionem, & nunc ipsam Eucharistiæ sumptionem ad oblationis consummationem pertinuisse; ut videlicet, hoc fecisse dicantur non tantùm qui Agnum occidebant, sed etiam qui illum edebant; & nunc etiam hoc facere qui hostiam consecrant & sumunt ex Christi præcepto, quo juxta D. Thomam dixit: Hoc facite &c. Lectoris judicio relinquo, hoc solùm petens, ut utriusque dicta attentè legantur, & quod verum videbitur, acceptetur.



MICHAELIS BAII, DE INDULGENTIIS TRACTATUS.

CAPUT I.

Quòd temporis calamitas aliquando cogat etiam coram imperitis de dogmatis religionis disserere.

TRadit celeberrimus quidam scriptor, de legum justitia & æquitate diligenter inquirendum cùm primùm statuuntur, sed ubi semel constitutæ sunt & firmatæ, tunc periculosum esse de eis publicè disputare, ne ea quæ firma & sacrosancta apud omnes haberi debent, apud juvenes aut imperitos per disputationes in dubium revocentur & minùs reverenter habeantur.

Verùm si id rectè præcipitur de legibus, quæ & à peritioribus magisque expertis nonnunquam utiliter emendantur, & pro rerum ac temporum conditione aliquando debent immutari, quantò id rectiùs præciperetur de dogmatis nostræ religionis, quæ & immutabilia sunt & nisi ab omnibus firmâ fide teneantur ipsi Christiani esse non possunt.

Id quod ante annos viginti quinque prudenter animadverterunt delecti quidam Cardinales cum aliis Prælatis, quando pro reformanda Christi ecclesia sanctissimo domino nostro Paulo tertio inter cætera etiam suggesserunt, ut coram vulgo non permitteret fieri disputationes de quæstionibus ad fidem & religionem pertinentibus, sed hunc pessimum abusum è templis per Italiam tolleret, eò quòd dogmata religionis per ejusmodi disputationes apud imperitos plurimùm existimationis amittant. Cæterùm ea nunc est sæculi nostri calamitas, ut contra hoc salubre consilium penè per totam hanc regionem necessum sit etiam coram imperitis de plerisque religionis nostræ documentis sæpiùs disserere, eò quòd apud plerosque non sit ea fidei simplicitas, quam per Italiam esse novérant qui omnem disputationem è templis auferri suadebant; sed importunis hæreticorum studiis ac calumniis plerisque locis effectum est, ut multa fidei nostræ dogmata apud imperitos & minùs attentos tantùm suæ existimationis

mationis amiserint, ut nisi diligenter occurratur vehementer metuendum sit, ne tandem à plerisque pro deliriis habeantur.

CAPUT II.

Quòd si indulgentiæ ante sexcentos annos fuissent prorsus ignoratæ, non fuissent posteà recipiendæ.

QUantùm igitur Deus dare dignabitur dicemus pauca de indulgentiis, non tantùm propter hæreticos qui eas ex professo insectantur, sed etiam propter nonnullos catholicos qui eas sic conati sunt asserere, ut præter suam intentionem adversariorum studia non parùm juvisse videantur; Dixerunt enim quòd ante sexcentos annos eas prorsus ignoravit Ecclesia, quòdque posteà à recentioribus in Scripturis sacris animadversæ sint & in usum Ecclesiæ conversæ. Ex quibus eorum placitis non immeritò quis sic colligat; Apostoli & Evangelistæ, quibus Christus non tantùm sensum aperuit ut instrumenti veteris prophetias intelligerent, sed etiam secundùm revelationem notum fecit sacramentum voluntatis suæ, quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, ut innotesceret principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei; similiter veteres Ecclesiæ Doctores, per quos sacræ & Apostolicæ traditiones ad nos pervenerunt, ignoraverunt Indulgentias quæ nunc vulgo prædicantur: igitur non sunt repertæ in Scripturis sacris, nec ex Apostolica traditione acceptæ, sed à recentioribus ad quæstum excogitatæ & inventæ; quia non est credibile, post tot sæcula à recentioribus scriptoribus in Scripturis sacris esse repertum, quod neque intellexerunt qui eas Spiritu sancto revelante scripserunt, neque hi qui earum sensum ab Apostolis acceptum hactenus in Ecclesia Catholica suis scriptis conservarunt. Deinde cùm Apostolus doceat fideles in hoc debere gloriari, quòd ædificati sint super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, quòd ea credant & doceant quæ ex traditione Apostolorum & Prophetarum didicerunt, sicut adhuc hodie gloriamur quoties ab hæreticis impetimur, quomodo nunc vice versâ audebunt profiteri, se de Indulgentiis credere & docere quod tota ignoravit antiquitas?

Ephes. 1. *Ephes. 3.* *Ephes. 2.*

Dicit Leo primus, quòd fidei nec addi possit aliquid nec minui. Ex quo sanè intelligimus, quòd si Indulgentiæ ab initio nascentis ecclesiæ spatio mille annorum aut circiter ignoratæ fuissent, quòd nec posteà credi debuissent; quia ecclesiæ non est ea quæ hactenus ignorata sunt pro suo arbitratu fidelibus credenda proponere, sed tantùm illa quæ ex Apostolica traditione ab universis aut à plerisque ecclesiis, aut saltem ab eruditis scriptoribus semper ab initio nascentis ecclesiæ constat firmâ fide credita & retenta, nascente quæstione ex illorum testimonio cunctis fidelibus credenda præscribere. Sicut olim factum cernimus de epistola ad Hebræos, quam plerique Latinorum inter Scripturas canonicas non recipiebant, & de Apocalypsi Joannis quam Græcorum Ecclesiæ eâdem libertate non suscipiebant, *sed nos utraque suscipimus*, inquit Hieronymus, *nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum authoritatem*

Epist. 79. *Hier. ad Dardanum Tom. 3.*

ritatem sequentes. Idem contigit de baptismo ab hæreticis collato, quem Cyprianus & multi alii episcopi Africæ contra Romanæ aliarumque ecclesiarum consuetudinem non receperunt, donec his ecclesiis testantibus, plenario totius
Contr. Donat lib. 1. cap. 7. orbis Concilio, quod *saluberrimè sentiebatur*, inquit Augustinus, etiam remotis dubitationibus firmaretur.

CAPUT III.

Quòd aliter in baptismo, aliter in reconciliationis sacramento detur peccatorum remissio.

UT igitur de Indulgentiis convenienter disseramus, imprimis præsupponendum est aliud nostræ religionis documentum, nempe quòd aliter in baptismo, aliter in pœnitentiæ sacramento datur omnium peccatorum remissio. In baptismo enim sic Christo commorimur & ad vitam immortalem consequendam renovamur, ut propter dimissa peccata nulla omnino pœna restet in futuro sæculo persolvenda.

Ench. 66. Dico in futuro sæculo, quia ut ait Augustinus, magis propter futurum sæculum fit remissio peccatorum. In hac autem vita, inquit, usque adeò valet
Eccli. 40. quod scriptum est: Grave jugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, ut etiam parvulos videamus post lavacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari, ut intelligamus totum quod hîc salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinere; Christus enim non præsentium, sed futurorum bonorum pontifex
Hebr. 9. effectus est. Sed in pœnitentiæ sacramento sic datur peccatorum remissio, ut nisi per jejunia, eleemosynas, orationes, aut alia pœnitentiæ opera de peccatis remissis Deo satisfiat, restet terribilis quædam expectatio judicii: voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, inquit
Hebr. 10. Apostolus, jam non relinquitur pro peccatis hostia, quâ videlicet Christo rursus commoriamur & ad vitam immortalem statim consequendam sine pœnitentiæ gemitu renovemur, sicut in baptismo factum est, sed terribilis quædam expectatio judicii & ignis æmulatio. Datâ igitur peccatorum remissione per reconciliationis sacramentum, nisi per pœnitentiæ gemitum jejuniis, eleemosynis & orationibus Deo satisfiat, restant adhuc luenda pro peccatis supplicia, non tantùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, quod nunc brevitatis causâ supponimus.

C A-

CAPUT IV.

Quòd pro peccatis remissis, alii in futuro duntaxat, alii verò etiam in hoc sæculo negant ullas pœnas persolvi.

DE pœna hujus sæculi consentit Philippus Melanchton, citans illud Apostoli: *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur*, scilicet in hac vita per infirmitatem aut mortem corporalem: sed utramque pœnam negat Calvinus, non tantùm asserens quòd in futuro sæculo nulla sint pro dimissis peccatis luenda supplicia, sed etiam quòd quæcunque hîc patiuntur Sancti non sunt præcedentium delictorum supplicia, sed cautio & medicina futurorum. Vidit enim non absurdè colligi: Remissis peccatis Deus pœnam aliquam temporalem exigit in hac vita, ergo non absurdè dicitur, quòd remissis peccatis per reconciliationis sacramentum adhuc pœnam aliquam exigat in futura, pro qua evadenda oporteat in hac vita satisfacere. 1 Cor. 11.

CAPUT V.

Quòd indulgentia sit agendæ pœnitentiæ condonatio.

HÆc igitur futuri sæculi pœna si in hac vita dignis pœnitentiæ operibus redimatur, satisfactio est. Non enim externa tantùm & politica disciplina est satisfactio humanâ autoritate instituta, quâ lapsi ecclesiæ duntaxat satisfaciant & eam reddant de sua conversione certiorem, sicut hæretici fabulantur: sed divina & ad remissionem peccatorum quæ post baptismum committuntur à Christo instituta & necessaria, quod nunc brevitatis causâ tanquam certum & in Concilio Tridentino sufficienter definitum supponimus. Sess. 14.

Si verò pœnitentiæ opera, quibus hæc pœna redimitur ex causa legitima ab eo qui legitimam habet potestatem, ex toto vel ex parte condonentur indulgentia est. can. 14.

De qua nunc nobis tria dicenda sunt; quorum primum est, quòd ejusmodi indulgentia semper à temporibus Apostolorum in Ecclesia Christi nota fuerit & usurpata, licèt vigente adhuc pœnitentiæ disciplinâ longè parciùs usurpata fuerit quàm istis novissimis temporibus. Alterum est, quòd hæc indulgentia, quantùm ad abolitionem pœnæ post hanc vitam persolvendæ attinet, veraciter relevet pœnitentes, sicut relevaret satisfactio si in hac vita perficeretur. Et tertiò, quo sensu dicantur indulgentiæ concedi non tantùm ex Christi meritis, sed etiam ex meritis Sanctorum, cùm non sint aliorum redemptores.

CAPUT VI.

Quòd pœnitentiæ agendæ condonatio à temporibus Apostolorum semper in Ecclesia fuerit.

2 Cor. 2. INdulgentiam hanc agnovit Apostolus in posteriori epistola ad Corinthios, ubi ait: *Sufficit ei qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita ut è contrario magis donetis, & consolemini.* Jubet enim Apostolus ut fornicario pœnitenti aliquid de severitate injunctæ pœnitentiæ remittatur, ne fortè austeritate nimiâ in desperationem veniat, & abjectâ religione Christianâ ad paganismum relaberetur, quod nihil aliud est quàm condonatio seu indulgentia de quâ loquimur.

Deinde subdit Apostolus: *nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à Satana.*

In persona Christi, inquit, ut intelligatur eâ condonatio quam faciebat, non tantùm in terris effectum habere, ubi solent homines suam exercere potestatem & debita supplicia condonare, sed etiam in cœlis ubi Christus ligandi solvendique potestatem tribuit.

Chrysost. homil. 4. in 2. ad Corinth. Quem locum Apostoli tractans Chrysostomus, docet in condonationibus non tantùm attendendam delicti mensuram, sed etiam pœnitentium qualitatem, sicut hîc attendit Apostolus, partem injunctæ pœnitentiæ condonans ob infirmitatem pœnitentis, ne desperatione frangatur.

Concilium Nicenum, cap. 11. Eandem indulgentiam agnovit Concilium Nicenum, ubi Episcopo præscribit ut circa quosdam pœnitentes humanius aliquid cogitet, relaxando videlicet aliquid de tempore pœnitentiæ constituto. Sed omnium apertissimus est Cyprianus. gloriosus Christi martyr Cyprianus, lib. 3. epistolarum, epistola 14. 15. & sequentibus usque ad 19. Sic enim habet epistola 14. quam scribit presbyteris & diaconis sui episcopatus: Aliqui de presbyteris nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Dei judicium, neque nunc præpositum episcopum cogitantes, (quod nunquam omnino sub antecessoribus factum est,) cum contumelia & contemptu præpositi totum sibi vendicant. Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositionem episcopi & cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore ad communicationem admittuntur. Exponunt deinde invidiæ beatos martyres, & gloriosos servos Dei cum Dei sacerdote committunt, ut cùm illi ad me litteras direxerint & petierint, tunc desideria singulorum examinari & pacem dari, cùm ipsa antè mater nostra pacem de misericordia Domini prior sumpserit, hi sublato honore quem nobis beati martyres servant, ante reditum nostrum, 2 Cor. 2. ante ipsum penè Martyrum excessum communicant cum lapsis, & offerunt & eucharistiam tradunt. Et epistola 15. quæ est ad ipsos Martyres: Illud ad diligentiam vestram redigere & emendare debetis, inquit, ut nominatim designetis eos quibus pacem dari desideratis. Audio enim quosdam sic libello inseri: Communicet ille cum suis; quod nunquam omnino à martyribus factum est,

est, ut cœca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. Latè enim patet cùm dicitur: Ille cum suis, & possunt nobis viceni, & triceni, & ampliùs offerri, qui propinqui & affines, & liberi ac domestici esse asseverentur ejus qui accipit libellum. Et ideò peto ut eos quos ipsi videtis & nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis. Similiter epistola 18. Qui libellum à Martyribus acceperunt, inquit, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliquâ & periculo cœperint, exomologesi factâ & manu eis à vobis in pœnitentiam impositâ, cum pace à martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.

Ex quibus & pluribus aliis Cypriani verbis constat, quòd cùm tempore persecutionis in exilio ageret, quidam Martyres, dum adhuc carcere clauderentur, litteras ad ipsum fecerant, quibus pacem dari petebant quibusdam lapsis ante completum tempus consuetæ pœnitentiæ; (erat enim tunc moris, ut non priùs daretur reconciliatio, quàm absoluta esset consueta pœnitentia & satisfactio.) At verò presbyteri quidam studentes lapsis esse plausibiles, acceptis his litteris ad episcopum destinatis, ob merita Martyrum, qui dum viverent lapsis litteras dederant, totam ferè pœnitentiam lapsis condonabant, & sic reconciliatis ministrabant eucharistiæ & communionis sacramentum. Hos igitur increpat Cyprianus, primùm quòd neque loci sui memores, neque Episcopum sibi præpositum cogitantes id fecissent, quod nunquam omnino sub antecessoribus factum erat, nempe ut inconsulto Episcopo & sine ejus consensu, cuiquam lapsorum agendæ pœnitentiæ condonatio seu indulgentia à presbyteris concederetur. Id quod sui Episcopatus injuriam nuncupat, quia videlicet presbyteri sibi usurpabant quod erat Episcopo proprium, nempe dare lapsis indulgentias & tempus pœnitentiæ breviare. Deinde queritur quòd etiamsi legitimam potestatem id faciendi habuissent, sicut habebant episcopi, adhuc tamen in hoc reprehendendi essent, quòd sine ratione restituendæ salutis plausibiles esse cupiebant, & ea concedebant quæ lapsis in perniciem vertebantur. Priùs enim docendi erant & admonendi, quantum scelus admisissent communicando mensæ dæmoniorum, & quantam pœnitentiam agere deberent priusquam possent esse mensæ Domini participes, ut tum demum indulgentiam mererentur quando pœnitentiam egissent satisfactioni proximam: sicut epistolâ decimâ quintâ exprimit, docens confessores quomodo & pro quibus deberent litteris suis ab Episcopo indulgentiam lapsis petere, nempe ut ipsa mater Ecclesia priùs pacem acciperet quàm negatoribus pax concederetur. Deinde ut nominatim litteris suis designarent quibus pacem dari cuperent; & tertiò, ut litteras nonnisi illis darent quos ipsi vidissent & nossent, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicerent. Porrò in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, anno Domini 1215. non est Episcopis concessa nova aliqua potestas concedendi indulgentias, sed ea, quam priùs habebant, ad certam quamdam normam revocata est. Ait enim sic: *Quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum prælati facere non verentur, & claves ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; decernimus ut cùm dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive* *Concil. Lateran. cap. 62.*

ab uno solo, sive à pluribus episcopis dedicetur. Ac deinde in anniversario dedicationis tempore, 40. dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat; & infrà: *Juxta hunc quoque numerum, indulgentiarum literas præcipimus moderari; quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur, cùm Romanus pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consuevit observare.* Hoc enim diligenter cavendum est, ne vel summus pontifex, vel alius quivis episcopus, regulariter ex eadem causa largiores indulgentias conferat quàm alius, ne id non tanquam minister & dispensator, sed tanquam dominus facere videatur; quia sicut non refert quis baptizet, aut quis absolvat pœnitentem, modò legitimam habeat baptizandi aut absolvendi potestatem, sed solùm quantâ devotione conversus sit is qui baptizatur aut absolvitur; nam quisquis hoc facit minister est, non dominus: sic etiam non refert quis ex potestate sibi à Deo concessa peccatori condonationem faciat, aut (ut loquitur Concilium Constant.) absolutionem concedat, sed quantam condonationis & concedendæ veniæ causam habeat, sicut satis intelligitur & ex epist. Cypriani suprà citatis, & ex Bonifacio octavo de pœnitent. & remissionibus, ubi sic ait: *Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apost. de urbe, concessæ sunt magnæ remissiones & indulgentiæ peccatorum*, &c. & infrà: *Unusquisque attamen plus merebitur, & indulgentiam efficaciùs consequetur, qui basilicas ipsas ampliùs & devotiùs frequentabit.* Quia enim frequens & devota basilicarum visitatio causa erat indulgentias conferendi, ideò tantò plus merebatur accipere, quantò quisque frequentiùs & devotiùs eas visitabat. Igitur inter summum Pontificem & alios episcopos non hoc discrimen ponendum esse videtur, quòd summus Pontifex pro suo arbitratu ex quacunque causa quantascunque velit conferre possit indulgentias, sicut videntur quidam imaginari, cæteri verò episcopi non nisi ex causis legitimis & sufficientibus: sed in hoc quod summus Pontifex cunctis fidelibus ex causa legitima conferre possit indulgentias, cæteri verò episcopi, non nisi suis subditis; & in hoc quòd potestas summi pontificis restringi non possit aut limitari nisi quantùm jure divino limitatur, cæterorum verò potestas, sicut absolvendo à peccatis, sic etiam indulgentias concedendo restringi potest & limitari, sicut in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio limitata est.

Bonifatius 8. in extravagantibus communibus lib. 5. tit. de pœnitent. & remiss. c. 1.

CAPUT VII.

Quòd pœnitentiæ agendæ condonatio etiam in cælis effectum habeat.

SEd fortè suspicabitur quispiam, omnem condonationem seu indulgentiam, de qua hactenus diximus, nihil aliud esse quàm relaxationem ejus pœnitentiæ quæ peccatori in hac vita injungitur, non autem hoc præstare, sicut etiam prætendit Lutherus in suis assertionibus, ut pœna in futuro sæculo debita condonetur.

2 Cor. 2. Sanè si res ita haberet, frustra de Corinthio dixisset Apostolus: Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi; quia sicut Apostolus

ſtolus Chriſti poteſtate non egebat, ut converſo Corinthio nullam in terris pœnitentiam injungeret, ſed cauſam ejus divino judicio relinqueret; ſic etiam nullâ peculiari Chriſti poteſtate egebat ut pœnitentiam à ſe injunctam in terris non exigeret. Sed quia ea relaxatio quam faciebat in terris etiam in cœlis effectum habebat, & in remiſſionem peccatorum concedebatur, ſicut loquitur Concilium Conſtantienſe, ideò addidit ſe in perſona Chriſti donare quod donabat, ut dictum eſt. Super quo Ambroſius, ut ratum ei cui donavit oſtenderet, ait, in perſona Chriſti ſe donaſſe quod donavit; quam ſententiam adhud uberiùs proſequitur lib. 1. de pœnitentia cap. 6. & ultimo, oſtendens Apoſtolum ſe, quod donavit, ex poteſtate Chriſti donaſſe, quâ dicitur: Quæcunque ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlo. Stultè etiam facto ſuo & ſcripto probaſſet Cyprianus, quòd fideles infirmitate lapſi tanto ſtudio ad martyrum merita recurriſſent, ut acceptis eorum literis ab epiſcopo & clero ſui lapſus indulgentiam impetrarent; quia neque martyrum meritis opus fuiſſet ad talem indulgentiam conſequendam, neque à ſancto epiſcopo probari debuiſſet tam cœca lapſorum petitio, quærentium per relaxationem pœnitentiæ ſalutaris cum magno pœnarum fœnore acerbis futuri ſæculi ſuppliciis reſervari, ut hîc ſubterfugerent levem & momentaneam eccleſiæ diſciplinam. Deinde ſi indulgentiæ pios fideles non niſi à pœnis hujus vitæ liberarent, nimis verum eſſet quod contra Cypriani verba ſupra poſita & contra antiquiſſimam eccleſiæ conſuetudinem in ſuis aſſertionibus dixit Lutherus, indulgentias neque morituris neque infirmis neceſſarias eſſe aut utiles, quia hi non ſolent aliquâ pœnitentiâ ligari, ſed iis duntaxat qui per remiſſiones bonorum operum ſalutem ſuam non tam quærunt quàm fugiunt. Et contrà, nimis iniquum eſſet quod Martinus quintus in concluſione Concilii Conſtant. ſuſpectos de hæreſi Joannis Hus & Wicleff interrogari jubet, utrùm credant quòd Papa omnibus Chriſtianis verè contritis & confeſſis, ex cauſa pia & juſta, poſſit concedere indulgentias in remiſſionem peccatorum, maximè pia loca viſitantibus & ipſis manus ſuas porrigentibus adjutrices; quia remiſſio pœnitentiæ hîc injunctæ non poteſt peccatorum remiſſio nuncupari, niſi etiam in cœlis effectum habeat. Certâ igitur fide credendum eſt, ſicut hactenus veri fideles crediderunt, per legitimas indulgentias ex cauſa pia & juſta conceſſas, non tantùm in terris pœnitentiam relaxari, ſed etiam in cœlis peccata dimitti. *Matth. 18.*

CAPUT VIII.

Quo ſenſu dicantur indulgentiæ concedi in meritis Sanctorum, qui redemptores non ſunt.

QUòd verò indulgentiæ non tantùm in Chriſti, ſed etiam in Sanctorum meritis concedi dicuntur, non ſic accipiendum eſt quaſi Sanctorum quiſpiam pro peccatis noſtris apud Deum propitiatio eſſe queat, aut hoc juſto judicio promereri ut peccata nobis condonentur: Unus eſt enim mediator Dei & hominum homo Jeſus Chriſtus, cujus ſanguis non tantùm juſtâ, ſed etiam copioſâ redemptione emundat nos ab omni peccato. Ipſe eſt enim propitiatio *1 Tim. 2.* *1 Joan. 1.* *1 Joan. 2.*

pro peccatis nostris, inquit Joannes, non pro nostris autem tantùm, sed etiam
Epist. 13. pro totius mundi; & ut ait Leo primus: Quamvis multorum Sanctorum in conspectu Domini preciosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi: accepêre justi non dedêre coronas; & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ non dona justitiæ; singulares quippe in singulis mortes fuêre, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit. Sed dicuntur indulgentiæ concedi in meritis Petri & Pauli, eo modo quo dicit Christus
Matt. 9. in Evangelio: Fides tua te salvum fecit; vel potiùs eo modo quo videns fidem portantium paralyticum sanavit eum. Ad hoc enim ut peccatorum re-
Marc. 2. missionem consequamur, præter Christi passionem, quæ sola justum est pro peccatis nostris precium, secundùm propositum gratiæ Dei ex parte nostra requiritur fides, requiritur pœnitentia, requiruntur opera sancta; quæ quoniam in nobis plerunque non sufficiunt, ideò imploramus aliena, non ut sint justum precium pro peccatis nostris & passionis Christi locum teneant, sed ut charitatis & membrorum communione sint nostræ inopiæ supplementum, ut per illa digni efficiamur qui remissionem peccatorum, sanguinis Christi merito, consequamur. Sicut enim nos quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus, non dignum precium Deo pro peccatis nostris offerimus, (sicut quidam errantes autumant,) nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte nostri redemptores; sed aliquid facimus cujus intuitu, juxta propositum gratiæ Dei, satisfactionem Christi participamus: sic etiam per merita passionesque Sanctorum non propriè redimuntur nostra delicta, sed communione charitatis nobis impartiuntur, ut digni simus qui precio sanguinis Christi à peccatis libe-
Libro 3. cont. Donat. c. 17. remur, (ut dictum est.) Sic dicit Augustinus, quòd per orationes Sanctorum tanquam per columbæ gemitum eorum peccata solvuntur, qui non per columbam, sed per accipitrem baptizantur. Sed potestatem placandi iram divinam & proprio merito peccatores Deo reconciliandi sibi servavit Christus, sicut docet idem Augustinus tractatu quinto super Evangelium Joannis.

MICHAELIS BAII, DE ORATIONE PRO DEFUNCTIS TRACTATUS.

CAPUT I.

Quòd orationes pro defunctis quæ prædicationem evangelii præcesserunt, ex solo odio rejiciant hæretici.

Dum antiquitatem & celebritatem ejus fidei perpendimus, quâ hactenus à cunctis Christi fidelibus absque ulla hæsitatione semper creditum est, quòd sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur; non immeritò admiramur quid universis nostri temporis hæreticis in mentem venerit, ut hanc saluberrimam atque antiquissimam fidei cogitationem tanto studio è mentibus fidelium eruere moliantur. 2 *Mac.* 12.
Neque enim hæc fides à prædicatione evangelii Christi sumpsit exordium, sed ab initio, quo fideles in spe resurrectionis unum Deum cœli & terræ veraciter coluerunt, semper pro defunctis fidelibus est oratum & oblatum sacrificium. Id enim testantur tum Machabæorum libri, qui Christi nativitatem centum & quinquaginta annis aut eò circiter præcesserunt, sive canonici habeantur, sive tantùm historici; tum etiam exequiæ & funerum obsequia, quæ ferè ab initio mundi sanctis patriarchis semper impensa leguntur, non tantùm honoris & officii causâ ad confirmandam resurrectionis fidem, (sicut quibusdam forsitan videri posset;) sed etiam causâ orationis, sicut in hunc usque diem ex traditione majorum suorum testantur Judæi pro suis defunctis diligenter orantes, & ad id comprobandum adferentes exequias quas Joseph fecit patri suo Jacob in terra Chanaan. Mirum est igitur cur universi hæretici, hac in re Judæorum perfidiam superantes, hanc antiquissimam fidem, *Genes.* 50.

dem, quæ etiam rationi maximè consona est, tanto molimine persequantur: nisi fortè, imò non fortè, sed certissimè eos moveat, quòd ex orationibus, sacrificiis & eleemosynis, quæ quotidie pro defunctis fidelibus in ecclesia fiunt, maximus fructus & ad eos qui monasticen profitentur, & ad universum clerum redeat, quos ipsi extremo odio prosequuntur & è medio sublatos cuperent. Sic enim existimant, quòd exterminatis sacrificiis & orationibus quæ pro commendandis fidelibus defunctis quotidie fiunt, facile fuerit & monachos & clericos ad eam inopiam redigere, ut vel suum institutum prorsus deserant, aut in ea paucitate vivant, ut impiis eorum conatibus deinceps obsistere non possint. Ex hoc igitur impio fundamento ad hujus præsumptionis persuasionem devenerunt, ut contra antiquissimam veritatem, contra notissimam atque usitatissimam Ecclesiæ consuetudinem ausi sint asserere, non sanctum aut salubre, sed stultum & impium esse pro defunctis exorare ut à peccatis solvantur.

CAPUT II.

Quòd orationes pro defunctis ex Scripturis canonicis certum habeant testimonium.

ET ut hanc suam impietatem aliquâ specie rationis obnubilent, post tot sæculorum fidem & tam longam populorum consensionem, jam tandem Scripturam canonicam postulant, quæ testetur sanctum & salubre esse pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Si ecclesiæ catholicæ testimonium de libris Machabæorum cum universis fidelibus susciperent, in promptu haberent scripturam canonicam antiquissimo atque frequentissimo Ecclesiæ usu in sacrificio quotidiano decantatam, quæ hoc verbis apertissimis contestatur. Sed quia eodem studio libros istos rejiciunt, quo pro defunctis non orandum esse contendunt, ideò proferamus Scripturas alias canonicas ex iis libris quos ipsi nobiscum eâdem reverentiâ suscipiunt, ut vel inviti cogantur agnoscere, antiquissimam hanc atque celebratissimam omnium fidelium consuetudinem, pro defunctis commendandis sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum offerentium, etiam ex Scripturis canonicis manifestum habere testi-
2 Tim. 1. monium. Ait Apostolus 2. ad Timoth. primo, de Onesiphoro: *Det illi Dominus invenire misericordiam à Deo in illa die*, scilicet judicii extremi; de qua mi-
Cap. 2. sericordia ait etiam Jacobus: *Judicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* De qua
Psal. 99. misericordia etiam ait David: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & sanat omnes infirmi-*
2 Mac. 7. *tates tuas, qui coronat te in misericordia & miserationibus.* De qua etiam mater septem filiorum Martyrum apud Machabæos uni eorum dixit: *Ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.* Si enim fidelibus quibusdam adhuc in die judicii expectanda est misericordia quam Onesiphoro precabatur Apostolus, dicens: *Det illi Dominus invenire misericordiam à Deo in illa die*; & quam spera-
Luc. 23. bat latro ille qui dicebat: *Memento mei, cùm veneris in regnum tuum:* Manifestum

stum est Christi ecclesiam usque ad diem judicii hanc eandem misericordiam, non tantùm vivis, sed etiam defunctis posse precari, sicut Onesiphoro precabatur Apostolus, ut tandem consequantur quod Christus illis promisit, dicens: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur,* soluti videlicet à peccatis quæ in hac vita commiserunt.

Matt. 5.

CAPUT III.

Quid circa defunctos disputationem admittat.

SEd fortè calumniabuntur hæretici in his Scripturis sacris, quæ in die judicii quibusdam fidelibus misericordiam dandam prænunciant, nullam ignis nullam suppliciorum mentionem fieri. Fateor, sed ubi misericordia promittitur, ibi miseria esse significatur: ubi autem est miseria, ibi requies non est. Quapropter Ecclesia Christi meritò eis requiem precatur, quos credit usque ad judicii diem adhuc misericordiâ indigere. Dubitent igitur hæretici de igne purgatorii, dubitent de suppliciorum generibus quibus afficiuntur defuncti fideles, modo tamen fateantur quosdam eorum usque ad diem judicii in miseria futuros, seu (uti Græci in Concilio Florentino confessi sunt) in loco laboris & tenebrarum, à quibus possunt Sanctorum precibus liberari: tunc non obstrepent orationibus ab ecclesia fieri solitis, quibus juxta Dionysium Areopagitam precatur divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat & regione vivorum, in finibus Abrahæ, Isaac & Jacob, in loco unde aufugit dolor & tristitia & gemitus. Sed confitebuntur, quòd sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut Deus illis requiem contra laborem, & lucem contra tenebras indulgeat; quod ad fidem catholicam sufficere arbitramur, sicut arbitrati videntur patres Concilii Florentini, quando fuerunt supradictâ Græcorum confessione contenti. Idem etiam probat quod ait Christus in Evangelio: *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro. Neque enim veraciter diceretur,* inquit Augustinus, *quod istud peccatum non remittatur neque in hoc sæculo neque in futuro, nisi essent peccata, quæ etsi non in isto, tamen remitterentur in futuro.* Ut interim taceam quanto periculo quisque fidelium, qui se novit hìc sine peccato non vivere, ex hac vita migraret, si in futura per Sanctorum preces nullam omnino remissionem peccatorum expectaret, per quam ad vitam transiret æternam. *Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur,* inquit Augustinus, *non parvâ hâc consuetudine claret autoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Quæ commendatio hactenus tanto omnium fidelium consensu semper frequentata est in Ecclesia Christi, tot tam veterum quàm recentiorum scriptorum testimoniis approbata, ut qui de ea dubitaverit potiùs cæcus, surdus aut stipes habendus videatur, quàm hæreticus. Quapropter omissis aliis argumentis quæ nemo ignorare potest, nisi qui veritatem omnino cernere nolit, ad illud transeamus de quo forsitan non immeritò quis aliqua ex parte dubitaverit, nempe quatenus

Cap. 7. part. 3. de Ecclesia. Hierarc. paulò post principium.

Matt. 12.

De civit. l. 21. c. 24. Similiter D. Greg. 4. Dialog. cap. 39. & Bernard. ser. 66. in Cant. ratiocinatur.

De cura pro mortuis, c. 1.

nus post hanc vitam in spiritibus defunctorum intelligi debeat futura purgatio.

CAPUT IV.

In spiritibus defunctorum quatenus intelligenda sit purgatio.

Sicut docet Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupisc. & lib. 6. contra Julianum cap. 8. in peccato duo continentur, Actus & Reatus. Actus ut adulterium sive foris in opere, sive intùs in voluntate: Reatus verò ut obligatio quâ adulter nondum peccato remisso adhuc æternæ damnationi obnoxius invenitur, etiamsi adulterium opere deseruerit & voluntate. *Nam si quisquam* *De nupt. lib. 1. c. 26.* *(verbi gratiâ*, inquit Augustinus*) fecerit adulterium, etiamsi deinceps nunquam faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentiâ remittatur:* Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admisit jam non sit, quia cum tempore quo factum est præteriit. Nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura: *Eccli. 21.* *Fili peccasti, non adjicias iterum.* Non autem sufficit, sed addidit: *Et de pristinis deprecare ut tibi remittantur.* Manent ergo nisi remittantur. Sed quomodo manent si præterita sunt, nisi quia preterierint actu, manent reatu? Quamdiu in hac vita sumus, ubi multiplex est Dei misericordia, non tantùm in levioribus peccatis, sed etiam in sceleribus & ab actu & à reatu purgari possumus; Deus enim per semetipsum intùs voluntates fidelium ab actu peccati purificat, & per eos quibus dictum est: *Joan. 20.* *Quorum remiseritis peccata remittentur eis*; etiam eos à reatu liberat, sicut docet Augustinus de verbis Domini, sermone 8. dicens: *Augustinus.* *Mortuus est peccator, maximè ille quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus est Lazarus, de quali dictum est:* *Eccli. 17.* A mortuo, velut qui non sit, perit confessio. Quis eum resuscitavit? *Joann. 11.* *nisi qui remoto lapide clamavit, dicens:* Lazare veni foras. *Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum est foras prodire? qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret; vivere non posset, nisi resuscitatus esset: ergo in confessione, sui accusatio Dei laudatio est. Dicit aliquis, quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo. Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est:* *Matt. 18.* Quæ solveritis soluta erunt? *Joan. 11.* *nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos suos:* Solvite illum, & sinite abire; & super Joannem tractatu. 49. *Quàm difficilè surgit, quem moles malæ consuetudinis premit; sed tamen surgit, occultâ gratiâ intùs vivificatur, surgit post vocem magnam. Quid est factum? voce magnâ clamavit:* Lazare prodi foras. *Quomodo processit ligatis pedibus miraris, & non miraris, quia surrexit quatriduanus: in utroque potentia Domini erat, non vires mortui, processit & adhuc ligatus est, adhuc involutus; tamen jam foras processit. Quid significat? quando contemnis, mortuus jaces; quando confiteris, procedis; sed ut confitearis Deus facit magnâ voce clamando, id est, magnâ gratiâ vocando. Ideò cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit*

xit Dominus: solvite illum, & sinite abire: *quid est solvite & sinite abire? Quæ solveritis in terra soluta erunt & in cœlo.* Deus igitur quamdiu in hac vita sumus, per semetipsum ab operibus & per ministerium sacerdotum etiam à reatibus peccatorum nos liberat. Sed quia de sceleribus scriptum est, quòd qui talia agunt regnum Dei non consequentur, ideò post hanc vitam nulla horum expectanda est purgatio, neque ab actu neque ab æternæ damnationis reatu, sicut latissimè prosequitur Augustinus de Civit. Dei lib. 21. cap. 17. & sequentibus contra Origenem, sed solùm à pœna temporali, quæ ejusmodi peccatis per sacramentum pœnitentiæ dimissis nonnunquam adhuc debetur. *Galat. 5.* *1 Cor. 6.* *Rom. 1.*

CAPUT V.

Post hanc vitam qualis sit futura peccatorum levium purgatio.

CÆterùm de peccatis venialibus, quæ fidelibus secundùm veniam permittuntur, & ita impediunt perventionem ad regnum Dei; ut tamen Sanctorum meritis impetrent indulgentiam, alia videtur esse ratio, quia licèt actum habeant & reatum, sicut scelera, quæ qui agunt regnum Dei non consequentur: attamen non tantùm in hac vita purgantur, de qua purgatione ait Christus: *Ego sum vitis vera & pater meus agricola est, omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat;* (quomodo se purgatum sentiebat Ignatius cùm dicebat: Nunc incipio fieri discipulus, nunc didici nihil hujus mundi concupiscere;) sed etiam in futura, sicut indicat Christus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, & qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non dimittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Sed quatenus intelligenda sit horum peccatorum post præsentem vitam futura purgatio, an à reatu tantùm, an etiam ab actu & malis desideriis, quæ frequenter usque ad mortem plerisque adhærent, videtur posse dubitari. Nam in oratione ecclesiæ, quâ juxta Dionysium precatur divinus antistes, ut divina misericordia per summam clementiam non recordetur maculas quæ defuncto per infirmitatem adhæserunt, rectiùs reatus quam actus purgatio potest intelligi. Unde Augustinus in Enchiridio, postquam latè ostendit, ligna, fœnum, stipulam, id est, leviorum peccatorum desideria in hac vita igne tribulationis expurgari, tandem subdit de purgatione horum malorum desideriorum, qui sunt actus leviorum peccatorum: Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & utrùm ita sit quæri potest, & aut inveniri aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quantò magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiùsque salvari. Non quòd dubitaverit Augustinus, utrùm Ecclesiæ preces defunctis impetrent leviorum peccatorum veniam, eorumque reatus aboleant; nam eodem libro cap. 110. sic ait: *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in ecclesia fiunt: sed eis hæc prosunt, qui cùm viverent ut hæc sibi postea prodesse possent meruerunt,* &c. sed dubitasse videtur, utrùm fideles transeuntes ex hac vita, secum deferant aliqua leviorum peccato- *Joan. 15.* *Ignat. in epist. ad Roman.* *qua est 12.* *Matt. 5.* *Matt. 12.* *Cap. 69.*

rum desideria, quorum non tantùm reatus, sed etiam actus debeant in futuro sæculo igne tribulationis expurgari, sicut fit in hac vita. Causa autem dubitandi videtur esse, quia ægritudo, mors & similia sine quibus ex hac vita non transimus, etiam ad ignem tribulationis pertinent, quo solemus à malis desideriis expurgari; & ideò fortè dubitari posset, utrùm fidelis eo ipso quo moritur, perdat omnia desideria mala quibus in hac carnali vita pereuntia bona diligebat; an verò non obstante mortis tribulatione, in anima ejus quædam prava desideria remaneant, & ad vitam futuram pertranseant, donec ibi labore & ærumna extirpentur, sicut solet fieri in hac vita. De qua re etiam sic

Cap. 26. „ loquitur lib. 21. de civit. Post istius sanè corporis mortem, donec ad illum „ veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis & re- „ munerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum „ ejusmodi ignem, scilicet tribulationis, dicuntur perpeti, quem non sen- „ tiunt illi qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, ut „ eorum ligna, & fœnum, & stipula consumatur: alii verò sentiant, qui „ ejusmodi secum ædificia portaverunt, sive ibi tantùm, sive hîc & ibi, sive „ ideò hîc ut non ibi, secularia, quamvis à damnatione, venialia, concre- „ mantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia for- „ sitan verum est. Potest quippe ad istam tribulationem pertinere etiam ipsa „ mors carnis, quæ de peccati primi perpetratione concepta est, & secundùm „ cujusque ædificium tempore suo ab unoquoque suscepta. Possunt & persecu- „ tiones Ecclesiæ, quibus martyres coronati sunt & quas patiuntur quicunque „ Christiani; probant utraque ædificia velut ignis, & alia consumunt cum ip- „ sis ædificatoribus, si Christum in eis non inveniunt fundamentum: alia sine „ ipsis, si inveniunt, quia licèt cum damno salvi erunt, ipsi non consumen- „ tur, propter Christi videlicet meritum in fundamentum reperti, qui manet „ in æternum. . Erit etiam in fine sæculi tribulatio tempore Antichristi, qua- „ lis nunquam anteà fuit, quàm multa erunt tunc ædificia, sive aurea sive fœ- „ nea, super optimum fundamentum, quod est Christus Jesus, ut ignis ille „ probet utraque, & de aliis gaudium, de aliis inferat damnum, neutros ta- „ men perdat in quibus hæc inveniet, propter stabile fundamentum. „ Quanquam igitur certâ fide credendum sit, vivorum preces ad hoc prodesse defunctis, ut dimittatur eis pœna temporalis, peccatis eorum per reconciliationis sacramentum dimissis debita, & pœna debita peccatis venialibus: attamen dubitari posset, utrùm valeant ad abolendos actus leviorum peccatorum, non quin aboleri possint si fortè in morientibus permaneant, sed quia incertum est utrùm in electis post mortem remaneant, nec tribulatione mortis simul cum hac vita intereant, ut dictum est. Sed adversùs preces quæ ab Ecclesia pro defunctis fiunt, & à Dionysio Areopagita cap. ulti. Eccl. Hierar. & ab Augu-

Objectio. stino cap. 110. Enchiridii & de cura pro mortuis cap. 1. unicum objicitur ar-

Rom. 2. gumentum: *Deus reddet unicuique secundùm opera sua*; Et: *Omnes nos manifestari*

2 Cor. 5. *oportet ante tribunal Christi, ut unusquisque referat propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum:* sed postquam defuncti ex hac vita excesserunt, tunc ipsi omnes suas actiones in corpore peregerunt, ex quibus debent in futura vita fructum ac mercedem percipere: igitur postquam defuncti sunt, nihil eis prodesse

desse possunt quæcunque à vivis pro ipsis fiunt. Cui respondet uterque, quòd fideles in hac vita per corpus, eo tempore quo in corpore vixerunt, meritum omne comparaverunt, quo possunt post hanc vitam relevari; non enim omnibus prosunt, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, sed eis qui cùm viverent, ut hæc sibi posteà prodesse possent meruerunt. Qui enim usque in finem vitæ hujus corporalis in Christo fideles permanserunt, hoc suâ perseverantiâ meruerunt, ut propter membrorum communionem illis prodesse queant, si fortè indigeant, quæcunque sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum quæ pro baptizatis defunctis offeruntur. Et quemadmodum in hac vita, etiam dum sola justitia quæritur, aliter judicantur cives & qui civium privilegio gaudent, aliter verò qui sunt ab hoc privilegio alieni; sic etiam in futura vita, ubi omnis retributio justitia est; adeò ut tunc pro bonorum operum meritis justo judicio, inquit Augustinus, etiam ipsa misericordia tribuetur, aliter judicabuntur Sancti, qui misericordiam faciendo etiam misericordiam consequi meruerunt, aliter iniqui, qui quoniam misericordiam non fecerunt, ideò sine misericordia judicabuntur. Nam Sancti merito vitæ quam in hoc sæculo sanctè consummarunt, justo Dei judicio etiam ex aliorum precibus fructum consequentur; ut enim hoc quod impenditur possit eis prodesse post corpus, inquit Augustinus, in ea vita acquisitum est, quam gesserunt in corpore; iniqui verò qui vitam hanc præsentem in injustitia consummarunt, indigni judicabuntur, non tantùm qui alienis precibus & operibus bonis, sed etiam qui propriis bonis adjuventur. *Si enim averterit se justus à justitia sua*, inquit Propheta, *& fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*; &, *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*: &, *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet*, inquit Sapiens.

Responsio ex D. Dionysio cap. ult. part. 3. de Ecc. Hierar. & D. August. cap. 110. Enchiridii.

De corr. cap. 13.

Ezech. 18.


Jaco. 2.

Eccle. 9.

MICHAELIS BAII, DE SACRAMENTIS IN GENERE CONTRA CALVINUM. TRACTATUS.

CAPUT I.

Quòd ſpiritus erroris non æqualem in omnibus errorum magiſtris decipiendi energiam operetur.



Icut Spiritus Sanctus non omnes catholicæ fidei doctores eâdem ad cognoſcendum menſurâ illuminat, nec eâdem imbuit
1 Cor. 12. docendi hortandive facultate, ſed prout vult ſingulis ſecundùm
Matt. 25. propriam virtutem, id eſt, ſecundùm naturalem capacitatem dona gratiæ ſuæ dividit: ſic & ipſe ſpiritus erroris, qui hæreticorum corda, mentes & ingenia poſſidet, non in omnibus eandem decipiendi energiam operatur, ſed in aliis majorem, in aliis minorem, prout illos vaſa ad opus malitiæ & infidelitatis ſuæ apta repererit, & ſecundùm quod, pro ipſorum meritis aut eorum ad quos fallendos diriguntur, juſto Dei judicio illi permiſſum fuerit. Nam in eis quos diabolus ad fallendos alios variis erroribus & artibus imbuit, alii proprio merito, alii verò alieno hoc
Rom. 1. pati permittuntur, verbi gratiâ Philoſophi de quibus ait Apoſtolus, quòd cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, propriæ ſuperbiæ merito hanc inſipientiam cordis incurrerunt. Sed prophetæ Achab regis Iſrael, in quibus à Domino factus eſt ſpiritus mendacii, ut illum
3 Reg. 22. vanâ pollicitatione deceptum in Ramoth Galaad cadere facerent & verbum Heliæ

Heliæ prophetæ complerent, quo prædixerat quòd in loco in quo linxerant canes sanguinem Naboth Israëlitæ, quem Rex Ackab propter vineam occiderat, lamberent quoque sanguinem regis, non tam suo, quàm regis merito, qui per eos falli meruerat, à spiritu erroris sunt decepti. 3 Reg. 21.

CAPUT II.

Quòd seductorum insidiis resistentes, non in nostris studiis, sed in Dei adjutorio confidere debeamus.

POrrò inter vasa iniquitatis & doctores mendacii, qui hâc nostrâ infœlici tempestate ad fideles seducendos in mundum exierunt non parvo ecclesiæ detrimento, multùm à filiis erroris colitur & extollitur Joannes Calvinus, homo dicendo vafer, mentiendo impudens, differendo subdolus, & ad resistendum veritati adversùs Scripturas sacras & omnem tàm Conciliorum, quàm scriptorum veterum traditionem, adeò confidenti præsumptione tumidus, ut non tàm humano quàm diabolico spiritu agi videatur. Quapropter dum ejus aliorumque similium insidias pandere & impia dogmata refutare conamur, non tam pueriliter sapere debemus ut æstimemus, quòd sit nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, id est adversùs hominem etiam magnis naturæ dotibus & studiorum profectu sublimem, sed (sicut monet Apostolus) adversùs principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus, qui operantur in filiis diffidentiæ, quorum ductu mens & os ipsius gubernatur. Quamobrem nec in nostris studiis aut industria confidere possumus, etiamsi fortè nostrûm quispiam ingenio & eruditione sibi pollere videatur, sed in illius potentia qui suos non tantùm incitat ut pugnent, sed etiam armat & juvat ut vincant. Nam si Deus pro nobis, inquit Apostolus, quis contra nos? qui etiam nos consolatur dicens: Confidite, ego vici mundum. Et rursus: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.

Breviter depingitur Calvinus. *Ephes. 6.* *Rom. 9.* *Joan. 16.* *Luc. 21.*

Et alibi: Nolite præcogitare quid loquamini, sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquamini; vos enim non estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus. Hâc igitur spe animati, conabimur pauca quædam adversùs ea dicere quæ de Sacramentis novi testamenti contra fidem catholicam astutissimè disseruit; non plenum & integrum Sacramentorum numerum, quem catholica novit ecclesia, adversùs illum ex Scripturis sacris asserendo, quia id longum esset, & à multis jam dudum abundè præstitum est: sed tantùm in iis Sacramentis quæ retinere videtur, ostendendo quòd licèt simulet se ea tueri velle, attamen sic de eis differit, ut facile sit perspicere, quòd nihil aliud moliatur, quàm ut ea paulatim in contemptum adducat & tandem prorsus eliminet, sicut plerisque eorum locorum nunc factum videmus in quibus obtinuit principatum. *Matt. 10.*

CAPUT III.

Quòd ubi duo commendanda sunt, Calvinus alterum supra modum extollat, ut reliquo sublato totum evertat.

SIcut enim in aliis pluribus, sic etiam in Sacramentis hâc arte utitur, ut cùm duo commendanda sint, in altero duntaxat se disertum ostendit, ut reliquo sublato (quod ferè potius est) totum inane efficiat. Verbi gratiâ: In justificatione duo sunt necessaria; vitæ novitas quæ nobis inhæret & propriè justitia est, quia vera legis obedientia quæ ducit ad vitam; & remissio peccatorum extrinsecùs adveniens, quæ ob id justitia dicitur, quia hoc habet cum justitia propriè dicta commune, quòd excludat peccata quæ sunt impedimenta salutis. Hanc posteriorem justitiæ partem minùs propriè dictam, quam sine renovatione mentis habere non possumus, ad hoc duntaxat prædicat, ut reliquâ parte sublâtâ nos totius justitiæ inanes faciat, & vanâ imaginatione deceptos sub diaboli potestate relinquat. Similiter duo sunt quæ Deus in nobis aspicit, & quæ nos Deo acceptos faciunt; fides quâ in Deum credimus, & opera justitiæ quæ Deo adjuvante facimus; sicut enim scriptum est: *Oculi tui respiciunt fidem.* Et: *Sine fide impossibile est placere Deo*; sic etiam de Ninivitis legimus, quod Deus vidit opera; & in Actis: *In omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam,* inquit Petrus, *acceptus est illi.*

Hier. 5. Heb. 11. Jonæ 3. Actor. 10.

Ipse verò ad hoc duntaxat fidem, eamque vanam & ab hæreticis excogitatam prædicat, ut abolitis operibus bonis, sine quibus inanis est omnis fides, nos absque omni fructu & justitiæ inanes statuat. Item duo sunt salutis modi inter se conjuncti & inseparabiles, (inquit Divus Basilius) fides & baptisma. Ipse verò sic de fide disserit, ut nullam omnino salutis fiduciam in baptismo aliisque Sacramentis statuendum esse contendat, sed in sola fide. Rursus in quolibet Sacramento duo sunt consideranda; significatio quæ pertinet ad spiritalem instructionem, & sanctificandi vis quæ pertinet ad operationem salutis. Ipse verò sic in significatione versatur, quæ non minùs spectantibus Sacramenta, quàm suscipientibus obvia est, ut sanctificatione sublatâ, ob quam illa tantùm suscipimus, nos ab eorum usu prorsus alienos faciat.

CAPUT IV.

Quòd sacramenta, juxta Calvinum, non nisi ad docendum valeant.

PRincipiò enim disputationem de sacramentis aggrediens,* definit Sacramentum esse symbolum, quo Deus benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem. Sacramenta enim, inquit, id sunt nobis à Domino, quod ab hominibus rerum lætarum nuncii, ut quæ non à se quidem largiantur aliquid gratiæ, sed renuntient & ostendant quæ divinâ largitate nobis donata sunt. Et rursus: Non

Quid sacramentis tribuat Calvin.

Non aliæ sunt sacramentorum quàm verbi Dei partes. Ex quibus & aliis pluribus ejus verbis manifestum est eum sentire, quòd sacramenta per Christum instituta nihil aliud sint, quàm divinarum promissionum visibilia signa, quibus sine verborum strepitu suscipientium, aut intuentium oculis, veluti in muta scena exhibeantur novi testamenti promissa, quæ in Ecclesia Christi ex Evangelicis & Apostolicis litteris etiam expressis verbis quotidie prædicantur, quòdque non plus habent virtutis ad sanctificandum, quàm si à quovis homine etiam impio & Gentili ad id significandum inventa essent & instituta. Nam quod ait, se non inficiari Dominum suæ institutioni Spiritus Sancti virtute præsentem adesse, de quavis prædicatione veritatis æquè dici potest, sive fiat verbis aut signis à Deo institutis, sive Gentium linguis, etiam ab impiis idolorum cultoribus adinventis & excogitatis; quia ejusmodi prædicationi, quibuscumque tandem verbis fiat, etiam spiritu suo adest Dominus, ut audientium corda ad suscipiendum & credendum quæ dicuntur aperiat. Quolibet enim modo dicatur verbum Dei, procul dubio qui sic audit ut illi obediat, inquit Augustinus de bono perseverantiæ cap. 19. donum Dei est. Similiter quod toties inculcat, sacramentis divina promissa discipulorum suorum conscientiis obsignari, quasi videlicet per hæc, tanquam per Divina testimonia, quisque eorum certus fieret, quòd Divina promissa signatè ad ipsum pertinerent, etiam propheticæ & evangelicæ prædicationi commune esse prædicat.

Ex quibus se & suos de sua electione & futura salute certos fieri statuit; quia sicut falsò existimat Sacramentis hoc significari, quòd quisquis illis imbuitur eo ipso certus efficiatur, quòd novi testamenti promissa signatè ad ipsum pertineant: sic etiam impudentissimè prædicat, scriptis Prophetarum & Apostolorum contineri, quòd quisque fidelis debeat apud se certò statuere, se ob Christi mortem jam factum esse justum. Et ideò nec in hac parte Sacramenta distinguit à prædicatione veritatis, sed in hoc duntaxat, quòd prædicatio veritatis sæpius in verbis, Sacramenta verò magis in rebus & significantibus actionibus consistant.

CAPUT V.

Quòd licèt Sacramentorum ritus instructionem habeant, attamen ad hoc principaliter conferuntur & suscipiuntur, ut operentur sanctificationem.

QUapropter ad id quod principaliter & ex professo conatur asserere; nempe quòd Sacramenta nihil aliud sint quàm inania symbola divinitùs instituta, quibus divina promissa nobis annuntientur & conscientiis nostris obsignentur, eo videlicet modo quo eadem promissa in Scripturis sacris verbis annunciantur, & (ut falsò existimat) etiam nostris conscientiis obsignantur ac firmantur; Respondemus, quòd nemo dubitare queat, quin Deus symbolum aliquod instituens spiritalis gratiæ significativum quam solus dare potest, hoc

ipso latenter insinuet, se ejusmodi gratiam electis suis sibi notis aliquando collaturum, quia non potest esse author mendacis aut inanis symboli: ut cùm unius membri circumcisionem Abrahæ præcipiens, significavit ab electis suis universam peccati corruptionem aliquando resecandam, hoc ipso testatus est se aliquando ab electis suis ablaturum universas peccati reliquias; similiter Christus Sacramento baptismi significans, quòd quicunque in ipso baptisati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo ipse surrexit à mortuis, & ita & nos in novitate vitæ ambulemus, confidentes quòd si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus; satis apertè promisit se electis suis aliquando collaturum, ut non tantùm in hac vita peccatis mortui in novitate vitæ ambulent, sed etiam in futura ad resurrectionis gloriam perveniant: quo fit ut rectissimè dicatur, quòd quemadmodum Circumcisio olim signaculum fuit justitiæ fidei & conversionis cordis ad Dominum, sive quæ præcedebat in eis qui priùs fideles facti posteà circumcidebantur, sive quæ sequebatur in eis qui infantes circumcisi posteà fideles effecti ad Deum toto corde convertebantur; sic etiam nunc baptismus. Sicut enim in Abraham, inquit Augustinus, præcessit fidei justitia, & accessit circumcisio, signaculum justitiæ fidei, ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus Sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in Sacramento baptismi. Et sicut in Isaac, qui octavo suæ nativitatis die circumcisus est, præcessit signaculum justitiæ fidei, & quia fidem patris imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante præcesserat; ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conversio, cujus mysterium præcessit in corpore; conversio, inquit, non peccatorum remissio, quia hæc præcessit cum ipso baptismatis Sacramento. Sed quòd is qui baptismi Sacramentum alicui impendit, hunc fructum spectare debeat, aut intendere ut divinas promissiones hoc symbolo illi annunciet, & (ut loquitur Calvinus) conscientiæ ipsius obsignet, non autem ut eum veraciter à peccatis emundet, commentum est hæreticorum, sub laude prædicationis verbi Dei, sub prætextu annunciandi divinas promissiones conantium abscondere suam impietatem, quâ persuadere conantur omnem sanctificationem, & peccatorum remissionem uni fidei à se confictæ sic debere tribui, ut ad hæc nihil omnino cooperentur Sacramenta. Cùm tamen manifestissimum sit, quòd quemadmodum Christus, quoties intuitu fidei quempiam verbo aut tactu curavit, etiamsi hoc facto aliquid designaverit, hoc tamen principaliter intendit, ut merito fidei loquendo vel tangendo sanitatem illi impenderet; sic etiam sacerdos cùm ex data sibi potestate pœnitentem à peccatis absolvit, etiamsi suo facto aliquid significet, attamen hoc potissimùm spectat, ut ex potestate sibi à Christo concessa, pro merito fidei & pœnitentiæ confitentis, indulgentiam peccatorum illi impertiat. Similiter cùm credenti baptismum impendit, licèt aliquid intelligentibus significet, hoc tamen ex professo agit, ut juxtà Christi promissum, corpus aquâ tangendo, cor ejus à peccatis abluat, non magicâ incantatione elementum consecrando, sicut impiè loquitur Calvinus, imitatus Judæorum blasphemiam, qui dæmo-

Rom. 6.

De bapt. contra Donat. c. ult. lib. 4.

Rom. 4.

dæmoniaci, cæci & muti curationem à Christo factam, non divinæ virtuti, sed magicæ incantationi & Beelzebub principi dæmoniorum asscribere præsumpserunt, sed juxta Christi præceptum & promissum, invocato Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine, eum qui baptizatur ex aqua & spiritu regenerando. Nam: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, inquit Christus, *non potest videre regnum Dei.* Et post resurrectionem: *Item* inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De qua non magica, sed divina baptismi virtute, ait etiam Petrus in Actis: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum*; & Ananias Paulo: *Et nunc quid moraris? exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*; & Apostolus Paulus: *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*; & rursus: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*; & Petrus in epistola sua priore: *In arca Noë pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma.*

Joan. 3. Matt. ul. Act. cap. 2. Actor. 22. Ad Tit. 3. Ephes. 5. 1 Pet. c. 3.

CAPUT VI.

Quòd Scriptura sacra remissionem peccatorum fidei tribuens, non eam adimit sacramentis.

QUibus testimoniis, cùm apertissima sint, nihil derogat quod in eadem Petri epistola statim subditur; Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio; quasi videlicet non baptismus aquæ, sed testimonium bonæ conscientiæ, quo catechumenus tàm verbo quàm Sacramento fidem suam profitetur, remissionem peccatorum & salutem operetur in baptismo. Quia hâc adjectione nihil aliud significavit Petrus, quàm quod ait Apost. Paulus: Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, id est, baptismo simul & fide, quia ad remissionem peccatorum non sufficit baptismus, nisi ei fides suffragetur; sicut nec sufficit fides, nisi illi accedat baptismus. Nam fides & baptisma, inquit Basilius, duo sunt modi parandæ salutis inter se cognati & inseparabiles; adeò ut nec infans baptismo sanctificetur nisi alienâ fide illi suffragante; quia verbo fidei ut mundare possit, inquit Augustinus, consecratur baptismus; quod verbum tantùm valet in ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. Sicut igitur Scriptura sacra, dum salutem & peccatorum remissionem tribuit baptismo, non eam fidei adimit, sed baptismo & fidei simul tribuendam ostendit: Baptismo quidem, tanquam instrumento quo Deus nostram salutem operatur, fidei verò tanquam illi quo nos Deus, per cordis conversionem ad Deum, sanctificationi seu peccatorum remissioni præparat; sic etiam ubi salutem fidei tribuit, non est intelligenda illam baptismo

Ephes. 5. De Spiritu Sancto cap. 15. Super Joannem tract. 80.

mo adimere, sed fidei simul & baptismo velle tribuere, quia non tantùm fidei, orationi & aliis ejusmodi operibus additæ sunt in Evangelio divinæ promissiones, (sicut in locis suis communibus videri vult Philippus, docens hæc in Evangelio magnificas habere promissiones, ipsos verò ritus etiam in Evangelio institutos, videlicet baptismum, cœnam Domini & absolutionem, tantùm usurpari ad significandum propriam Evangelii promissionem de remissione peccatorum;) sed easdem promissiones sibi conjunctas etiam habent Sacramentorum ritus, ut cùm dicitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; salus non minus ritui baptismi, quàm fidei promittitur; & cùm alibi dicitur: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; peccatorum remissio tantâ evidentiâ promittitur reconciliationis Sacramento, ut id inficiari non tàm ignorantia videatur quàm aperta impudentia.

Opinio Philippi Melanchtonis de Sacram.

Marc. 16.

Joan. 20.

CAPUT VII.

Quòd baptismi susceptio sit ad salutem Christianæ fidei confessio.

QUando igitur baptismum aut aliud quodvis novæ legis sacramentum suscipimus, non hoc spectare debemus ut ejusmodi symbolo divinas promissiones annunciemus, aut ad exitiosam securitatem (ut loquuntur hæretici) conscientiis nostris obsignemus, sed ut quod priùs ad justitiam credidimus, ore & Sacramento ad remissionem peccatorum & salutem confiteamur. Corde enim creditur ad justitiam, id est, ad veram cordis conversionem, ore autem confessio fit ad salutem, id est, ad peccatorum remissionem, sine qua salus haberi non potest. Nam quod hæc confessio quâ salvi efficimur, non tantùm in martyrio, sed etiam in baptismatis Sacramento intelligi debeat, ostendit Apostolus cùm viventi adhuc Timotheo scribit: *Certa bonum certamen, apprehende vitam æternam, in quam vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus*; nam per fidem & baptismum intelligendus est Timotheus fuisse vocatus ad salutem, & confessus eam confessionem, de qua loquitur Apostolus; quam etiam Victorinum Rhetorem tandem confessum fuisse refert Augustinus in suis Confessionibus. Nam cùm priùs Scripturam sacram omnesque Christianas litteras studiosissimè investigans ad justitiam corde credidisset, & apud Simplicianum se jam Christianum esse jactaret, sæpius ab illo audiens: Non deputabo te inter Christianos nisi te in ecclesia Christi videro; tandem intelligens, inquit Augustinus, quòd si Christum timeret coram hominibus confiteri, ipse vicissim coram angelis Dei ab illo negaretur, humilitatis Christi Sacramentis imbutus est, ut quod corde crediderat ad justitiam, ore & sacramento palàm confiteretur ad salutem. Nam (ait Augustinus) sine verbo quid est aqua nisi aqua? id est, sine fide quid prodest baptisma quod celebratur in aqua? accedit verbum ad elementum, id est, fides ad baptismum, & fit sacramentum ipsum tanquam visibile verbum, id est, tanquam visibilis quædam ejus fidei confessio, quam corde verbo prædicationis adhibet qui imbuitur baptismatis Sacramento. Corde enim creditur ad justitiam, id est, ad internam cordis

Rom. 10.

1 Tim. 6.

Lib. 8. confessionum cap. 2.

Super Joannem tractatu 80.

Rom. 10.

cordis renovationem, sed cùm fidelis baptizatur, ore & Sacramento fit ad salutem confessio, ut dictum est.

CAPUT VIII.

Quòd quando nomine justitiæ sola cordis renovatio intelligitur, tunc justitia fidei etiam sine Sacramentis rectè tribuitur.

SEd objicitur: Vera justitia, propitiatio, pax & peccatorum remissio in Scripturis sacris, tacito Sacramento, passim fidei tribuuntur, ut: *Justus ex fide vivit; Corde creditur ad justitiam; Gentes quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderunt, justitiam autem quæ ex fide est; Fide purificans corda eorum;* & : *Deus proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguinem ipsius;* & : *Justificati ex fide pacem habemus ad Deum.* Igitur baptismi Sacramento nulla vis sanctificandi competit, sed soli fidei. Responsio: Scriptura sacra nomine justitiæ quandoque solam cordis rectitudinem & renovationem spiritus intelligit, quæ etiam remissionem peccatorum sæpius antecedit, quam nihil mirum est soli fidei tribui, cùm Sacramentum hujus justitiæ, fidei signaculum duntaxat sit, non causa. Sed quando Scriptura sacra salutem & peccatorum remissionem, quæ sine sacramento non solet haberi, ipsi fidei tribuit; tunc sine dubio ex aliis Scripturis Sacris sub fide debet Sacramentum comprehendi, quod sæpius cum ipsa fide exprimitur; ut apud Apostolum, ubi ait: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Nec sic rectè colligitur; Scriptura Sacra simpliciter pronunciat, quòd fides hoc aut illud operetur: igitur hoc non facit Sacramentum; quia etiam de iis, quos Christus verbo aut tactu curavit simpliciter dicitur: fides tua te salvum fecit. Ex quo inferri non potest, quòd Christus eos tactu aut verbo non fecerit salvos, sed solùm sequitur quòd Christus eos salvos non fecisset, nisi aut eorum propria aut aliena fides hoc eis meruisset. Quemadmodum igitur curationes quæ à Christo fiebant, fidei tribuuntur, ut intelligatur quare ipse alios curaverit, alios vero non, sic etiam salus quæ confertur baptismi Sacramento, ideò fidei tribuitur, ut intelligatur quòd baptismus credentibus prosit, iis verò qui non credunt, non tantùm non sit præcedentis culpæ remedium, sed etiam vinculum novæ iniquitatis.


Objectio. *Rom. 1. & Abac. 2.* *Rom. 10.* *Rom. 9.* *Actor. 15.* *Rom. 3.* *Rom. 5.* *Respon.* *Per Justitiam quandoque sola cordis rectitudo intelligitur.* *Ephes. 5.*

CAPUT IX.

Quòd si Sacramenta tantùm essent fidei exercitia, tunc eruditis & studiosis non essent admodum necessaria.

SI verò (uti prætendit Calvinus) Sacramenta nihil aliud essent quàm divinarum promissionum quæ sacris litteris continentur signacula, quibus ipsæ promissiones humanæ infirmitati obsignentur & firmentur, eo modo quo sigillis, quæ diplomatibus aliisque publicis actis appenduntur, conscripta veritas confirmatur; tunc Sacramenta non essent iis admodum necessaria aut utilia, qui in sacris litteris diligenter instituti sibi firmissimâ fide persuaserunt,

quòd non voluntate humanâ allata sit aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto
2 Petr. 1. inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Quia hi jam abundè consecuti sunt verbi Dei fidem, quam Calvinus per Sacramentorum exercitia solam quærendam esse somniat: sicut se consecutos esse præsumunt, quotquot doctrinam Calvini aliorumque sectariorum profitentur, quia in hoc toti incumbunt ut sibi certissimè persuadeant, se justos esse & electos Dei filios, ad quos promissiones Abrahæ pertineant. Unde etiam fieri arbitror, ut ipsi tàm rarò, tàm negligenter, tàm irreverenter iis Sacramentis utantur, quæ se prædicare simulant; quia non ignorant se longè pleniùs & uberiùs ex perspicuis Prophetarum & Apostolorum scriptis posse de divinis promissionibus institui & confirmari, quàm ex obscuris Sacramentorum significationibus, quæ nisi Scripturæ sacræ verbis explicentur, vix etiam ab eruditis intelligentur. Sicut igitur initio diximus, quanquam simulet Calvinus se aliquot sacramenta velle retinere; quia tamen non ad sanctificationem, sed ad doctrinam & exercitium fidei duntaxat illa valere prædicat; ideò huc tantùm spectat universa ejus doctrina, ut paulatim & sine violentia, tanquam res minùs necessariæ aut parum utiles, in contemptum abeant, & tandem prorsus aboleantur.



MICHAELIS BAII,
DE
FORMA BAPTISMI,
SEU
DE VERBIS
SINE QUIBUS NON PERFICITUR SACRAMENTUM BAPTISMI,
TRACTATUS UNUS.

PRÆFATIO.

CUm nuper in quodam congressu assererem Christi baptisma non aliis verbis posse perfici, quàm quæ omnes tres divinæ substantiæ personas exprimerent, objecit quidam responsum Nicolai Pontificis ad consulta Bulgarorum, quod sic habet: *A quodam Judæo multos baptizatos asseritis, & quid inde agendum sit consulitis. Hi profectò si in nomine Trinitatis vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, (unum enim idemque est, ut exponit Ambrosius,) rebaptizari non debent*; Respondi (sicut tunc ex tempore occurrebat) verbis illis duo contineri: Alterum quod baptizati à Judæo (quem intelligebam nunquam fuisse Christianum) non essent rebaptizandi; Alterum verò quod ratum haberi deberet ejusmodi baptisma, etiamsi esset solâ nominis Christi invocatione consecratum. De priori dixi Augustinum dubitare lib. 2. contra Permenianum cap. 13. Ait enim sic: *Et hæc quidem alia quæstio est, utrùm & ab iis qui nunquam fuerunt Christiani possit baptismus dari, nec aliquid temerè inde affirmandum est sine autoritate tanti Concilii, quantùm tantæ rei sufficit.* Quorum verborum memor addidi me nondum vidisse Concilium, cujus autoritate ductus Nico-

De conse. dist. 4. c. à quodam.

Lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3.

Nicolaus tam intrepide pronuntiaret de hac quæstione tam abdita. Subjeci nihilominus, me in ea parte libenter verbis ejus accedere, quia contrarium documentum non habebam, nisi quis proferendum putet dictum Gregorii secundi, quod habetur de consecratione, distinctione 4. *c. Quos à paganis, ubi videtur contrarium doceri. De posteriori verò parte dixi, quòd tam apertè repugnaret Basilio, Didimo, Origeni, Theophylacto, Cypriano, Augustino & dictis pontificum (quæ habentur de consecrat. distinct.* 4.) *ut Nicolao Pontifici non quidem definienti, sed respondendo ad quædam consulta simpliciter asserenti, ratum fore baptisma solo Christi nomine invocato collatum, credere non auderem, præsertim quia partem hanc responsionis extra quæstionem propositam obiter adjecit; non enim quærebatur, quibus verbis baptismus perfici deberet: sed an veraciter baptizasse putandus esset Judæus qui priùs non erat baptizatu.. Verùm quia is, qui jam dicta opponebat, responsionem hanc tanquam novam & Pontifici injuriam improbavit, visum est paucis ostendere quid juxta veterum scriptorum traditiones & Romanorum Pontificum definitiones de hac re sentiendum videatur.*


Gregor. 2.

M I-

MICHAELIS BAII, DE FORMA BAPTISMI, TRACTATUS UNUS.

CAPUT I.

Quòd inane sit eorum fundamentum, qui opinantur Apostolos quandoque solo Christi nomine invocato baptizasse.



Ententia eorum, qui vel tempore Apostolorum duntaxat, ut D. Thomas, vel etiam nunc, ut Cajetanus, baptisma cum expressione solius nominis Christi collatum ratum esse putant, sicut etiam ipse Nicolaus indicat, quem Cajetanus sequitur, ex Act. Apostolorum duxit originem, ubi ait Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi*, & ex aliis Scripturis, in quibus in mentione baptismatis unius duntaxat personæ divinæ nomen exprimitur; sed omnes penè Veteres circa ejusmodi Scripturas tam sollicitè monent, ne quis in eum errorem incidat, ut existimet in celebrando baptismi mysterio reliqua duarum personarum nomina non debere invocari, ut ex ipsis prævidisse videantur hunc errorem aliquando nasciturum, quo quidam præsumunt asserere, Apostolos aliquando solo Christi nomine invocato baptizasse, ac proinde nunc adhuc ratum fore baptismum si quis eisdem verbis baptizetur, (quia institutio sacramentorum novi testamenti videtur esse immutabilis.) Igitur nullo modo credendum est Apostolos unquam aliter baptizasse quàm expresè invocando Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Nam ut à Græcis incipiam, ex quibus plerique Latini sua hauserunt, D. Basilius de Spiritu Sancto, sic ait: Neminem ad errorem impellat illud Apostoli, quòd nomen Patris & Spiritus Sancti in baptismatis mentione sæpe omittit, neque ob id putet nominum nomenclaturam non necesse esse observari. Quicunque, inquit, in Christo baptizati estis, Christum induistis. Nam Christi appellatio totius est confessio Trinitatis. Declarat enim & eum qui unxit, & filium qui unctus est, & Spiritum Sanctum qui est unguentum. Porrò videtur aliquando etiam solius Spiritus in baptismate mentionem fecisse: Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto; at non ob id perfectum quis dixerit baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est.

3. parte quæst. 66. art. 6. Cajeta. in 66. quæstionem Thomæ commentans. Actor. 2. Act. 8. c. & 10. & 19. a. Basilius cap. 12. Marci 1.

 Opor-

Oportet enim immobilem manere traditionem in vivifica gratia datam; quarè addere quid aut detrahere palàm est elapsus à vita æterna. Audis circa Scripturas quæ in mentione baptismi unicam duntaxat personam exprimunt, cavendum esse errorem quem Nicolaus incurrit, putans in ipso baptismate nominum nomenclaturam non necesse esse observari, sed sufficere unius Christi nomen exprimere. Audis etiam cætera, quæ clariora sunt quàm quicquid posset de eis à nobis dici. Didymus quoque principio 2. lib. de Spiritu Sancto: Quis non ex ipsa cogetur veritate suscipere indifferentiam sanctæ Trinitatis, dum una sit fides in Patre, & Filio & Spiritu Sancto; & lavacrum detur atque firmetur in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Non arbitror quemquam tam vecordem atque insanum futurum, ut perfectum baptisma putet, quod datur in nomine Patris, & Filii, sine assumptione Spiritus Sancti, aut rursus, in nomine Patris, & Spiritus Sancti, Filii vocabulo prætermisso, aut certè in nomine Filii, & Spiritus Sancti, non præposito vocabulo Patris. Licèt enim quis possit existere saxei, ut ita dicam, cordis, & penitùs mentis alienæ, qui ita baptizare conetur ut unum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet contrarius legislator Christi, tamen sine perfectione baptizabit, imò penitus à peccatis liberare non poterit, quos à se baptizatos existimaverit. Hic certè magnæ novitatis & scandalosi erroris insimulari deberet, qui tot contumeliis eos insectatur, qui in baptismo aliquod de præceptis nominibus prætermitti posse putant, si invocato solo Christi nomine posset verum baptisma conferri. Similiter Origenes tractans 6. cap. Roman. Cur hic Apostolus Christi nomen assumpsit, dicens: Quicunque in Christo baptizati sumus; cùm utique non habeatur legitimum baptisma nisi sub nomine Trinitatis; deinde respondetur, quoniam hoc loco non tàm baptismatis rationem, quàm mortis Christi discutere cupiebat, &c. His accedit Theoph. super ultimum caput Lucæ, dicens: Quomodo autem baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, præsertim cùm aliàs doceamur baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? Primùm dicimus, inquit, quòd quando dicimus baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quòd oporteat in solius Christi nomine fieri; & cætera quæ sequuntur in eandem sententiam. Inter Latinos primus occurrit gloriosus martyr Cyprianus, qui in epistola ad Jubajanum: Illi, inquit, qui jam legis & Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Jesu Christi fuerunt baptizati, secundùm quod in Act. Apostolorum Petrus loquitur: *Pœnitemini & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi:* Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi pater omitteretur, sed ut patri quoque filius adjungeretur. Quomodo ergo quidam dicunt, inquit, modo in nomine Jesu Christi, ubicunque & quomodocunque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, cùm ipse Christus gentes baptizare jubeat in plena & adunata Trinitate? Augustinus etiam lib. 3. contra Maximinum cap. 17. *Si quia non est nominatus Spiritus Sanctus, quòd etiam per illum facta sit creatura, quando de filio dictum est:* Omnia per ipsum facta sunt; *ideò putas Dei spiritum non esse creatorem: procul dubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus:* Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini Jesu Christi; *quia non ait,*

Didymus lib. 2. de Spiritu S.

Origenes in 6. cap. ad Rom.

Theophilactus.

Cyprianus tom. 2.

Actor. 2.

Matt. 28.

August.

Joan. 1.

&

& Spiritus Sancti, nec in Patris nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre & Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: cur non sic audis de Filio Dei: Omnia per ipsum facta sunt; *ut & non nominatum intelligas ibi & Spiritum Sanctum.* Nam (ut ait de baptismo contra Donatistas lib. 6. cap. 25.) *certa sunt verba Evangelica, sine quibus non potest consecrari baptismus.* Quibus planè consonat Fulgentius de incarnatione & gratia Domini nostri Jesu Christi cap. 11. cùm ait: *Omnis qui in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Sacramento Spiritus Sancti regenerationis abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine baptizatur.* *Joan. 1.* *Fulgent.*

CAPUT II.

Quòd Pontifices Romani ex professo damnaverint baptisma datum invocato solo Christi nomine.

IDem ostendit Innocentius primus in epistola ad Episcopos Macedoniæ, docens quòd olim qui à Novatianis baptizati ad Ecclesiam revertebantur, solâ manuum impositione recipiebantur; qui verò à Paulianistis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizabantur. Quod ideò distinctum, inquit, de ipsis duabus hæresibus ratio manifesta declarat, quia Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minimè baptizabant: Novatiani verò iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizabant. Similiter Gregorius Magnus capite: *Ab antiqua*; & capite: *Hi verò hæretici.* His accedunt aliorum adhuc duorum Pontificum apertissima decreta, Pelagii & Zachariæ, synodum Anglorum confirmantia, quæ licèt à quibusdam oppositam sententiam defendentibus ita contra omnem sensum torqueantur, ut apud plerosque penè abierint in contemptum, tamen iis qui veteres legunt non ob aliud fortè edita videbuntur, quàm ut eorum temeritas comprimatur, qui audent docere ratum posse esse baptisma, quod non est collatum in plena & adunata Trinitate, sicut loquitur Cyprianus. Prius decretum sic habet: Si hi qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodò in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujusque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Posterius verò sic: In synodo Anglorum decretum firmissimè præceptum & diligenter demonstratum esse dignoscitur, quòd quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet; quod omnino verum est; quia si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fuerit baptizatus. Hoc quoque observari in prædicta synodo sacerdotes voluerunt, ut qui vel unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma esse verum non posset, quod pro certo verum est. Quæ verba cùm apertissima sint, non rectè à quibusdam subvertuntur per rationem quæ sequitur, quia qui unum ex Sancta Trinitate confessus non fuerit nomen, perfectus Christianus esse non potest. Quasi videlicet

Innocen. 1. cap. 5. *Gregorius epist. 61. lib. 9. ad Quirinum, & cæteros episcopos Hiberniæ.*

licet ipsa synodus Anglicana (quæ tamen clausulam hanc non adjecit, sed Zacharias,) tunc demum voluerit non esse verum baptisma, in quo persona aliqua non nominaretur, quando hæc persona non solùm exteriùs à sermone per omissionem, sed etiam intùs in corde per infidelitatem à reliquis separaretur; tum quia constat ad baptisma, quod verbis evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat quàm cœlestis doctrina insinuat, ut ait August. lib. 4. de unico baptismo, & Concilium Arelatense de consecratione dist. 4. capite, de Arrianis; tum etiam quia rationem hanc subjecit Zacharias pontifex, imitatus D. Basilium de Spiritu Sancto. cap. 12. superiùs citato; ubi simili ratione demonstrat in ipso baptismate omnes tres personas debere nominari, cùm ait: Fides & baptismus duo salutis modi sunt inter se cohærentes & inseparabiles; Fides enim perficitur per baptismum, Baptismus verò fundatur per fidem, & per eadem nomina utraque res completur. Sicut enim credimus in Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, sic etiam baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et præcedit quidem confessio ad salutem inducens, consequitur autem Baptisma obsignans nostram confessionem & pactum.

CAPUT III.

Quòd Ambrosius libro primo de Spiritu Sancto non loquatur de verbis quibus baptismus Christi perficitur, sed quibus Scriptura sacra utitur faciens baptismi mentionem.


SEd objicitur Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. ubi ait, quòd Æthiops Eunuchus Candacis reginæ, baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est. Cujus etiam rationem subjicit: quia si Christum dicas, & Deum Patrem à quo unctus est filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum quo unctus est designasti. Respondeo, quòd si Veterum autoritas sequenda sit, non debet cuiquam contra manifestam sententiam Basilii, Didymi, Origenis, Theophilacti, Cyprian. Aug. & aliquot Pontificum Romanorum de unius Ambrosii obscuritate præscribi, quem tamen, si diligenter expendas, forsitan deprehendes non nisi absurdissimè in eam sententiam posse detorqueri, quæ in objectione prætenditur. Nam si memoriâ repetas quæ superiùs ex D. Basilio protulimus, in primis invenies rationem ab Ambrosio subjectam, quæ à nonnullis tantopere urgetur, ex eo Basilii capite penè ad verbum esse translatam; ubi Basilius ex professo docet, in consecratione Baptismatis observari debere nomenclaturam totius Trinitatis: deinde (sicut ex principio cap. patet) propositum est Ambrosio demonstrare, quòd ubi operatio aliqua divina in Scripturis Patri, Filio, aut Spiritui Sancto seorsim tribuitur, tunc reliquæ personæ non excluduntur, sed quia inseparabiles sunt cointelliguntur. Id quod ex iis Scripturis conatur ostendere, in quibus sub unius personæ nomine baptismatis mentio reperitur. Quia si hi qui in Christo, vel in Spiritu Sancto

Sancto baptizati leguntur, non aliter intelliguntur fuisse baptizati, quàm in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sicut suprà præsupposuit Augustinus, manifestè consequitur in omnibus Scripturis, quæ baptismum sub unius personæ nomine commemorant, etiam non nominatas intelligi debere personas, sine quarum invocatione baptisma non perficitur. Si autem dixerimus (uti objectio dicendum esse prætendit) eos qui vel in Christo, vel in Spiritu Sancto baptizati leguntur, in nomine unius personæ duntaxat fuisse baptizatos, videtur quanta pro Arrianis adversus D. Ambrosium relinquatur tergiversatio, ut prædictis Scripturis respondeant, quòd qui in nomine unius personæ baptizati leguntur, etiam sunt unius personæ duntaxat operatione sanctificati. Et sic ex hujusmodi Scripturis, nec ab Ambrosio, nec ab Augustino, nec à Didymo, aut Basilio, quos ipsi imitati sunt, sufficienter ostensum fuerit, quòd ubi in Scripturis Sacris operatio aliqua uni personæ tribuitur, reliquæ non intelligantur excludi, sed comprehendi. Ut igitur ad verba Ambrosii summatim respondeam; dico Ambrosium dicto cap. non disputare de verbis quibus baptismus ipse perficitur, quæ complecti oportet nomenclaturam totius Trinitatis, sed de verbis Scripturæ sacræ mentionem hujus sacri mysterii facientis, quæ ut pleniùs ostenderet inseparabilem atque indivisam trium personarum unitatem, sine quarum invocatione atque operatione neque perficitur baptisma, neque etiam sanctificari potest qui baptizatur, in ejus tamen mentione sæpe unicam duntaxat nominat personam, & ex notissima baptizandi forma reliquas duas lectori cointelligendas relinquit. Quam intelligentiam peculiari etiam quâdam ratione juvant hæc nomina, Pater, Christus, & Spiritus, sicut ibidem ostendit Ambrosius secutus Basilium; quia qui Christum nominat, inquit, is & ungentem, & unctum, & ipsum etiam unguentum latenter insinuat; & si Patrem dicas, inquit, & Filium ejus, & Spiritum oris ejus pariter indicasti; & si Spiritum dicas, & Deum Patrem à quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti. Nemo tamen unquam adeò insaniit, ut hîc Ambrosium voluisse putaret verum esse baptisma, si qui solum Patris nomen exprimat, aut solum nomen Spiritus Sancti. Unde quanquam aliarum personarum significatio in ratione nominis Domini Jesu forsitan minùs contineatur, quia qui nomen Domini Jesu pronuntiat, is neque Patrem, neque Spiritum patris indicat, tamen etiam in hoc nomine leguntur quidam baptizati, ut non solùm ex significatione nominum quibus divinæ personæ significantur, sed etiam ex baptizandi ritu fidelibus noto, & ex vera fide Trinitatis hæc intelligentia Scripturæ capiatur, ut ubicunque uni personæ aliqua operatio tribuitur, reliquæ duæ non putentur excludi, sed intelligantur sub ea, quæ nominatur, comprehendi: sicut suprà ostendit Augustinus in Scriptura quæ sub unius personæ nomine baptismatis mentionem continebat. Et quia Nicolaus Pontifex huic Ambrosii testimonio in suo responso innititur, ideò mirum non est ipsum in re obscura ex verbis non benè intellectis fuisse deceptum.

CAPUT IV.


De epistola quæ apud D. Bernardum 340. habetur. quid sentiendum.

NOn ignoro epistolam quamdam (quæ in Bernardo 340. ponitur) approbare baptismum datum in nomine Dei & sanctæ veræ crucis. Sed ea est ex eis triginta quæ posteriùs additæ sunt, de quibus forsitan non immeritò possumus dubitare, an sint revera Bernardi. Quicquid sit D. Thomas id non approbat; & si ejusmodi ratiocinatiunculas sequi velimus, qualis ibi redditur, tunc necessum erit in baptismate tot invocationum formas agnoscere, quot baptizantium contigerit de Deo existere phantasias.



MICHAELIS BAII RESPONSA AD CONVENTÛS CAMERACENSIS DELIBERATIONES.

Ex MS.K. primùm edita.



IN Conventu Cameracensi anno 1567. nobis subscriptis præsentibus, post eorum qui convenerunt deliberationem, sic conclusum est de tribus quæ quæruntur.

De Baptismo parvulis collato ab Hæreticis, dicitur quòd cùm constat Hæreticos usos fuisse formâ indebitâ, simpliciter in Ecclesia sunt parvuli baptizandi. Cùm dubitatur an formâ debitâ usi sint (ut meritò sæpe dubitari potest) sub conditione Baptismus est repetendus, sicut Ecclesia facit in baptizatis ab Hæreticis. Cùm autem benè constat debitâ formâ eos esse usos, Baptismus in Ecclesia penitus omitti debet, nec sub conditione est repetendus: semper tamen exorcismi & catechismi, cum reliquis ceremoniis ab Hæreticis prætermissi, sunt supplendi propter servandam uniformitatem in Baptismo, & quia Jura Canonica docent in sacramentorum collatione si quid est omissum, cautè supplendum esse, non tamen repetendum quod benè impensum est. Idem docet Thomas parte 3. quæst. 71. art. 3. ad 3. & Richardus in 4. sentent. dist. 6. art. 6. quæst. 1.

De Templorum, Imaginum, & Reliquiarum violatoribus pœnitentibus, judicatum est, eos procul dubio ab Ecclesia recipiendos esse, sed probandos num ex animo pœniteant. Demum non statim eos ad reconciliationem, potissimum ad Eucharistiæ perceptionem admittendos esse, sed aliquot mensibus, juxta Christi aut Pastoris discretionem, congruam ab eis satisfactionem exigendam & persolvendam, priusquàm ad sacramentorum communionem admittantur, eamque talem quæ ædificet eos quos scandalizaverant, & quæ quantùm facultates ferunt, illata damna reparet.


De Matrimonio apud Hæreticos solemniter celebrato, dictum fuit illud: Si inveniatur contractum inter personas illegitimas, omnino dirimendum est, nisi

nisi impetratâ dispensatione à summo Pontifice in gradibus prohibitis, quo tamen casu Matrimonium in Ecclesia repetendum est. Similiter si contractum sit in aliquo loco ubi Concilium Tridentinum publicatum fuit, omnino repetendum esse; quia illis locis contractum, nullum fuit, quia non contractum præsente Parocho. Si autem contractum fuit illis locis in quibus necdum publicatum fuit Concilium, etsi ratum sit matrimonium inter legitimas personas contractum, tamen repetendum esse in Ecclesia cum consuetis ceremoniis, sicut & clandestina matrimonia repetuntur, ut contractus matrimonialis legitimus sit & habeatur.

Cornelius Jansenius Primus Episcopus Gandensis.

Judocus Ravesteyn Tiletanus.

Michael de Baii Athensis.



M I-

MICHAELIS BAII,

EPISTOLA

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO, D. MAXIMILIANO, A BERGIS, Archiepiscopo Cameracensi.

REVERENDISSIME ET ILLUSTRISSIME DOMINE PRÆSUL.

PErlegi testimonia quibus comprobatur admiranda curatio Antonii Despretii & Annæ de Morine ad memoriam B. Virginis in Sacello ejusdem Cerine, vulgariter dicto ad Fontem, & prælecta etiam aliis Magistris nostræ Facultatis, qui Gallicè norunt, examinanda tradidi, quæ cùm simul retulissemus coram Magistro Nostro Tiletano, & aliis Magistris nostræ Facultatis Theologicæ, judicatum est hæc duo miracula quæ Deus hoc miserando tempore ad subveniendum nostræ incredulitati mirabiliter operatus est, tam certis testimoniis comprobari, ut sine grandi impietate obscurari aut dissimulari non possint, quia horum publicatio fidei catholicæ prædicatio & defensio est, quæ ad Episcopos maximè pertinet. Sicut igitur Nabuchodonosor Rex signa & mirabilia Dei, quæ apud se contigerant, laudabiliter toto regno suo prædicavit, sicut in Daniele legitur; sic etiam duo hæc miracula celebri aliquâ solemnitate ad multorum notitiam videntur esse deducenda, ut Deus in B. Virgine glorificetur, per quam talia dignatur operari. Nam, ut ait Angelus Tobiæ; sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est; maximè quia non tantùm infirmis corporibus, sed multò magis mentibus medentur incredulis, de quibus scriptum est: *nisi signa* & prodigia videritis, non credetis. Porrò quomodo non sunt abscondenda miracula latè prosequitur Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *Nunc primùm edita ex MSS.*

 ubi

ubi etiam circa tertium miraculum quod refert, se stomachatum dicit, quòd non satis publicatum fuerit.

Cùm antè paucos dies essem in patria, sensi sorores Cerinenses vehementer perturbatas quòd contra propriam voluntatem & contra proprii voti obligationem essent reclusæ. Ostensa est mihi copia Bullæ secundùm quam profitentur, & nullam inveni clausuræ mentionem, sed potiùs contrarium: nam ibi disponitur, ut supplementum suæ necessitatis mendicando conquirant, quod sine exitu fieri non potest. Præterea relinquantur sub Pastore Parochiæ, ratione cujus videntur teneri adire templum parochiale ad audienda sacra & percipiendum Sacramenta, & ad sepelienda corpora mortuorum, sicut hactenus observaverunt, à quibus tamen omnibus nunc secluduntur. In Concilio Tridentino ordinatur, ut ubi clausura Monialium violata est, diligenter restituatur; sed non ordinatur ut ubi nunquam fuit, contra propriam earum voluntatem violenter instituatur: quia hoc esset ab eis exigere quod nunquam promiserunt; id quod videtur mihi esse contra jus divinum, & apertissimè contra D. Bernardum *de præcepto & dispensatione*. Sicut enim nemo ad vovendum potest cogi, sic etiam qui vovit, non potest ultrà cogi quàm vovit: quia utrumque esset velle de alieno sacrificium Deo facere, quod prorsus est illicitum. Nec opus est hoc turbulento sæculo exigere violenter à quopiam quod non debet; cùm nobis multùm gratulari debeamus, si quisque persolvat quod debet. Habent etiam Bullam quamdam ipso facto excommunicantem Fratres Minores, qui eas volebant restringere ultrà suam institutionem; quam facilè ostendent si res ita postulet. Hæc paucis indicavi, quia res ista concernit etiam Curatos Illustrissimæ Tuæ Reverentiæ subditos, quam Deus Ecclesiæ suæ diu servet incolumem. Lovanii 1. Julii, anno 1569.

Reverendissimæ atque Illustrissimæ gratiæ tuæ

Addictissimus servitor Michael de Baii.

833

MICHAELIS BAII,

Regii in ſacris Litteris

PROFESSORIS RESPONSIONES,

AD

PHILIPPI MARNIXII

SANCT-ALDEGONDI

Quæſtiones de

ECCLESIA CHRISTI

ET DE

SACRAMENTO ALTARIS.

QUÆSTIONES MICHAELI BAIO

PROPOSITÆ A PHILIPPO MARNIXIO,

die 14. Octobris, Anno 1577.



N Ecclesia, ejusque constitutiones seu traditiones nullum habeant κριτήριον *aliud, nisi consuetudinem eorum qui se profitentur Romanam sectari religionem quam vocant catholicam?*

An hoc κριτήριον, *si quod aliud est, constet pagina sacræ scripturæ sola?*

An patrum explanationibus & commentariis?
An Conciliorum decretis?
An Pontificum Romanorum placitis?
An Scholasticorum pronunciatis?

&

Quorum
Qua, & cujus authoritate confirmatorum seu approbatorum?

An passim sequatur, ut ait Satyricus, corvos testaque lutoque?

An Ecclesia tribuat authoritatem verbo Dei, an potius verbum Dei, Ecclesiæ authoritatem atque axioma conferat?

DE VERBIS SACRAMENTI COENÆ DOMINICÆ.

1. A*N hæc verba,* Hoc est corpus meum, *contineant pro[illegible]tionem identicam atque idem significantem, quod: corpus meum est corpus meum; an verò attributum corporis attribuatur subjecto significato per pronomen, hoc, tanquam diverso suo attributo?*

2. *Et si attribuitur tanquam diverso, an attribuatur substantivè, ita ut hæc verba* (hoc est corpus meum) *idem significent atque, hoc est substantialiter,*

liter, ut ita dicam, corpus meum? An potiùs attribuatur sacramentaliter; ita ut ea verba nihil aliud significent, nisi, hoc est sacramentaliter corpus meum, seu, Corpus meum dicitur de hoc quod vobis do, planè ut sacramenta dicuntur de rebus quas significant & suâ institutione demonstrant, quemadmodum Augustinus in libello De doctrinâ Christiana docet, Sacramentum fidei fidem esse, & sacramentum corporis corpus, & sacramentum fœderis fœdus, & sacramentum verbi Dei ipsissimum verbum Dei; non quidem substantiâ, sed usu, institutione, repræsentatione, ac significantissimâ exhibitione ante oculos fidei.

3. *Quo argumento doceatur vocem* EST *in hac circumstantia significare substantialitatem? liceat enim ita loqui. An hoc ipso argumento tanquam* μέσῳ *non possit formari certa atque indubitata ratiocinatio per propositionem generalem, quo argumenti vis possit & rectiùs intelligi & certiùs judicari?*

Exempli gratia.

Ubicunque vocula EST *conjungit prædicatum cum subjecto in hac vel ejusmodi circumstantia, toties accipitur substantivè.*

In hac propositione vocula EST *conjungit prædicatum corporis cum subjecto pronominis demonstrativi,* Hoc *&c.*

Ergo, &c.

4. *An explicatio horum verborum debeat aut possit aliunde sumi, quàm ex ipsius Christi aut Evangelistarum verbis?*

5. *An illa propositio de calice: Hoc poculum est novum testamentum seu fœdus (* διαθήκη *enim utrunque hic significat, ut Hebræis* Oth-Berith) *in meo sanguine: & illa, Hic est sanguis novi testamenti, non idem significent, & sese mutuò significanter explicent? Ac proinde, an non penitus sit eadem ratio in pane; ita ut hæ propositiones, Hic panis est novum testamentum seu fœdus in meo corpore, &, Hoc est corpus meum: & item, Hic panis quem frangimus est* κοινωνία *corporis Christi, & Hic panis quem frangimus est corpus Christi, idem significent, & sese mutuò significanter explicent.*

6. *Item an pronomen* Hoc *aliud significet quàm idipsum quod uno ore omnes [illegible]angelistæ testantur, Christum accepisse, fregisse, dedisse discipulis, ac jussisse ut a[illegible]erent & comederent?*

7. *An [illegible]* 1 Cor. 10. *quum hunc panem nominat, & panem quem frangimus disertè ex[illegible], aliud sacramenti subjectum statuat atque Christus, vel ipse Paulus (* 1 Cor. 11. *[illegible]omine* Hoc *velit significari quod omnes Evangelistæ testantur fuisse panem quem Chr[illegible]us fregit & dedit, & de quo denique loquutus est?*


8. *An*

8. *An in propositione de calice non eadem sit subjecti ratio, atque in ea quæ est de pane; ac proinde quum subjectum in propositione & oratione de calice non solùm demonstretur pronomine* Hoc, *sed planè & disertè nominetur* τοῦτο τὸ ποτήριον, *vel fructus ac genimen vitis, an non eadem sit ratio in pronomine* Hoc *quod usurpatur in propositione de pane: ita ut* Hoc *idem significet, quod, hic panis, vel hic fructus tritici de multis coadunatus granis.*

9. *Si subjectum positum in hac propositione,* Hoc est corpus meum, *mutatur vel mutatum fuit à subjecto panis quod Evangelista testantur Christum accepisse, fregisse, & dedisse &c. quando mutatum fuit, qua vi, quo Domini mandato, quo divini verbi argumento?*

10. *Quæ sit analogia unionis corporis Christi cum Ecclesia declarata* 1 Cor. 10. *si nulla est panis vel vini reliqua substantia?*

11. *Quando Veteres docuerunt eamdem aut similem esse transformationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, qualis erat aqua admista vino in populum Christi ejus corpori per fidem conglutinatum.*



MICHAELIS BAII
AD
PRIORES QUÆSTIONES
QUÆ SUNT DE
ECCLESIA RESPONSIO.

Generoso, Nobili, Eruditissimoque viro Domino Philippo Marnixio Sanctaldegondo.



Ominus de Wignacourt mihi hactenus & de nomine & de facie ignotus, sed tuæ generositati, ut intelligo, affinitate conjunctus, Generosissime atque eruditissime Sanctaldegonde, multas mihi quæstiones obtulit, quas ajebat tractandas atque solvendas ad me per te transmitti. Facile fuisset, ætatem, quotidianam prælectionem, & negotiorum turbam quibus quotidie in universitate, in ecclesia S. Petri, & in collegio nostro interpellor atque distrahor, excusare: sed in re tam pia tamque patriæ utili (si fortè dignaretur Deus in te operari, quod magnopere exopto, quodque quotidianis precibus instanter ab eo postulo,) nolui dilationem quærere, confidens quod is qui tibi hunc quærendi affectum indidit, etiam mihi suggeret, meque docebit quid & quomodo respondere debeam, ut tibi in bonum cooperetur mea responsio. Utrumque enim Dei donum est, & veritatem sincerè, hoc est non contendendi sed sciendi studio atque intentione invenire, inventamque sic proponere, ut honorificè suscepta debitam suo auctori gratiarum referat actionem. Ne autem mora & responsionis prolixitas tibi fortè molesta sit, si illam distulero mittere donec universas quæstiones absolvero, decrevi primùm iis tantùm respondere quæ de Ecclesia proponuntur, & responsionem hanc mittere, ut cognito quomodo eruditioni tuæ satisfecerit, alacrius reliquarum tractationem aggrediar & prosequar: idque non carptim ac seorsim de singulis quæstionibus differendo faciam, sed uno quodam sermonis tenore, quia quæstiones ita inter se ordine convenienti contextæ sunt & coadunatæ, ut ipsa earum dispositio id omnino postulare videatur. Quod si fortè non per omnia tuæ intentioni satisfecero, non propterea debes de assequenda veritate desperare. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo: sed quod hodie nobis clauditur, potest nobis cras petentibus & ad aures divinæ misericordiæ pulsantibus aperiri, aut per eloquia sanctarum Scripturarum aut per sermocinationes fratrum, aut per internam divinæ

divinæ inspirationis gratiam, ubi sine sono verborum, sine elementis literarum veritas ipsa tantò dulciùs quantò secretiùs loquitur.

Quæris igitur:

1. *An Ecclesia ejusque constitutiones seu traditiones nullum habeant κριτήριον aliud, hoc est, ut interpretor, judicium seu ex quo judicentur, nisi consuetudinem eorum qui se profitentur Romanam sectari religionem quam vocant Catholicam?*

2. *An hoc κριτήριον, si quod est, constet pagina sacræ Scripturæ sola?*

3. *An Patrum explanationibus & commentariis?*

4. *An Conciliorum decretis?*

5. *An Pontificum Romanorum placitis?*

6. *An Scholasticorum pronunciatis?*

7. *An passim sequatur (ut ait Satyricus) corvos testaque lutoque.*

An Ecclesia tribuat autoritatem verbo Dei, an potiùs verbum Dei, Ecclesiæ autoritatem atque ἀξίωμα conferat.

Ad primam & secundam quæstionem clarissimè respondet D. Augustinus cap. 2. lib. De unitate Ecclesiæ, qui habetur in 7. tomo operum ejus, his verbis: Inter nos & Donatistas quæstio est, ubi sit Ecclesia; quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Jesu Christi? Puto quòd in verbis illius eam quærere debeamus, qui veritas est & optimè novit corpus suum: Novit enim Dominus qui sint ejus. Et cap. 3. ejusdem lib. Non audiamus, Hæc dico, hæc dicis: sed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt libri Dominici quibus utrique nostrûm consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Et infra: Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis S. Ecclesiam demonstrari; Id quod in reliqua parte libri elegantissimè exsequitur. Primùm quidem varias regni Dei figuras insinuans, sed tamen nolens iis quæ ab ingeniosis hominibus huc atque illuc converti possent suam disputationem committere, statim transit ad scripturas veteris Testamenti, quæ majori evidentiâ prænuntiant, futurum Christi regnum non uno aliquo angulo constituendum, sed toto terrarum orbe diffundendum, quàm prænuntiant mundi Salvatorem aliquando venturum. Deinde transit ad Scripturas novi Testamenti, quibus ostendit id toto orbe terrarum post Christi resurrectionem impletum, quod variis figuris & manifestis Prophetiis de Ecclesia Christi toto terrarum orbe diffundenda fuerat ante prædictum. Longum esset ipsas utriusque Testamenti scripturas sacras prosequi, & quantùm mihi apparet, superfluum, quia in jam dicto D. Augustini libello, De unitate ecclesiæ, tam convenienti ordine disponuntur, tantâ eruditione & perspicuitate differuntur, ut per me aut alium quempiam similem aliquid velle adjicere, potiùs sit eas obscurare quàm illustrare. Itaque, ut compendio utar, ego tuam eruditionem ad jam dictum libellum remitto, ex quo etiam non tantùm perspicies judicium de Christi Ecclesia ex Scripturis Sacris esse petendum, sed etiam quòd ex sola Scriptura peti debeat. Quanquam, sicut eruditissima prudentia

tua non dedignatur meæ tenuitatis obsequio velle uti, ut in Scripturis Sanctis verum de Christi Ecclesia judicium cernat; sic etiam mirari non debet, si veri fideles, ut ex Scripturis Sanctis de eadem Ecclesia verum judicium accipiant, eorum se studio, diligentiâ & testimonio juvare conentur, qui præ cæteris verâ sapientiâ à Deo ditati fuisse creduntur: Ejusmodi fuit D. Augustinus, de quo scribit Prosper in carmine contra ingratos: quod

Cùm nulla sibi tribuit bona, sit Deus illi
Omnia, & in sancto regnat sapientia templo.


Fuerunt & alii multi toto orbe notissimi, quorum studio & auctoritate ad hanc rem juvari possumus. Ad eumdem usum referenda existimo Conciliorum decreta, placita Romanorum Pontificum & pronuntiata Scholasticorum, quibus tamen Scholasticis (ut verum fatear) subinde plus tribuerem, si magis Scripturis incumbentes, ex Philosophorum gentilium tenebris non tam multa emblemata suis disputationibus intexerent.

Quæstio autem quâ quæritur: An Ecclesia verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiæ auctoritatem & dignitatem tribuat, similis est ei quæstioni quâ quæritur: An Christus auctoritatem Joanni Baptistæ tribuerit, dicens: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ: an verò Joannes Christo, cûm ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: hic enim venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Et discipuli Joannis: Qui erat trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti (inquiunt) hic baptizat. Nam in quantum per testimonium Joannis, qui fuit vitâ admirabilis, inducti sunt homines ut in Christum crederent: negare non possumus quin Joannes apud homines aliquam Christo auctoritatem & dignitatem tribuerit, licèt Christus illo testimonio non indiguerit, sicut apud Joannem prosequitur, cûm ait: Vos misistis ad Joannem & testimonium perhibuit veritati, ego autem non ab homine testimonium accipio. Et infrà: Ego habeo testimonium majus Joanne; opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Sed quia Joannes lucerna tantùm fuit luce lucens alienâ, quæ vero lumine destituta, statim ad suas tenebras recidisset: ideò longè convenientiùs dicitur, quòd Christus qui est lux vera quæ tenebrescere non potest, & lumen & auctoritatem & dignitatem Joanni tribuerit, quàm contrà. Simili modo etiam, quia testimonio Patrum & totius Ecclesiæ inducimur ut scripturas Canonicas pro sacris & divinis habeamus, rectissimè dicitur quòd Patres & Ecclesia Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis, non quidem lumen & veritatem, sed apud fideles & multos infideles qui ejus testimonio commoventur, auctoritatem & dignitatem tribuat. Sed quia Scriptura sacra quæ nec falli potest nec fallere, ipsam veritatem in se continet; Ecclesia verò non nisi veritate in sacris litteris descriptâ illuminatur, & sibi derelicta facilè posset in suas tenebras relabi: ideò convenientiùs dicitur, quòd Scriptura sacra Ecclesiæ Christi auctoritatem & dignitatem tribuat, quàm contrà.

De constitutionibus Ecclesiæ hoc solùm dico, quòd ubi regnum agnoscitur ibi non possunt negari constitutiones: cùm omne regnum pro suo regimine habeat constitutiones. Porrò Ecclesiam Christi regnum esse, agnoscit non tantùm Daniel in Prophetia sua, dicens, quòd suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur: sed etiam Joannes Baptista & Christus ipse, cùm ajunt: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum. Facilè possent hæc longè diffusiùs & copiosiùs ex Scripturis Sanctis disseri; sed puto id acumini ingenii tui minùs congruere, quod Deus in iis quæstionibus illustrare dignetur in quibus caligare aut saltem hærere videtur. Bene vale generosissime atque eruditissime domine.


Lovanii 22. Octobris 1577.

MICH. DE BAII.



EPISTOLA PHILIPPI MARNIXII MICHAELI BAIO, DE EJUS RESPONSIONE.

Amplifs. viro D. Michaeli Baio Academiæ Lovaniensis Cancellario & Theologiæ professori, Philippus Marnixius Sanctaldegondus S.



Itteræ tuæ, eruditionisne an benevolentiæ atque humanitatis pleniores, Reverende D. Doctor, ita mihi fuêre gratæ ut quod omnium est gratissimum. Fuit enim jucundum à tali ac tanto viro & quem sciebam negotiorum ac laborum ingenti mole propemodum obrui, eam tamen mihi præstari operam quæ posset & ad Dei gloriam promovendam, & ad fidem corroborandam esse vehementer utilis. Sed multò etiam fuit jucundius in gravissima quæstione, quam ego hactenus omnium nostrarum controversiarum tantùm non cardinem ac fundamentum præcipuum esse semper sum arbitratus, prope ad amussim nos consentire. Itaque ago, mi Domine, gratias tibi pro hoc beneficio, meumque studium atque operam si qua in re commodare aut prodesse potero, tibi tuisque polliceor; & humanitate istà tuâ fretus, pergo in prioribus quæstionibus reliquos si qui restent scrupulos enodare, & simul responsionem ad posteriores deposcere. Quantum itaque ex tua seu potiùs Augustini responsione possum conjicere, omninò ita sentis, unicum Ecclesiasticarum traditionum κριτήριον, unicum lapidem Lydium atque judicem esse verba Domini nostri Jesu Christi tradita sacræ scripturæ disertis paginis, nec audiendum esse: Hoc dicit Augustinus, *hoc dicunt Donatistæ, sed* Hæc dicit Dominus, *& in libris Dominicis quibus utrique credimus utrique assentimur quærendam esse Ecclesiam, causamque omnem nostram & controversiam discutiendam. Denique judicium de Christi Ecclesia ejusque doctrina & sacramentis, (hoc enim ex priori necessariò efficitur) ex sola Scriptura peti debere. In hoc certè ego tibi per omnia planissimè assentior, ac verè etiam ita statuo, si hoc ipsum impetremus, facilè reliquas omnes controversias ac nullo negotio iri compositum. Ut enim post Paulum ait Athanasius, sufficiunt sancta ac divinitùs inspiratæ Scripturæ ad omnem instructionem veritatis. Quamobrem etsi libens confiteor quod ais, veros fideles, ut ex Scripturis sacris de Christi Ecclesia verum judicium*

tium accipiant, eorum se studio, diligentiâ & testimonio juvare qui præ cæteris verâ sapientiâ à Deo ditati fuisse creduntur, inter quos ego vel imprimis Augustinum non gravatè reposuerim; tamen illud cum Chrysostomo liceat contendere, multos quidem Spiritum Sanctum jactare, sed qui propria loquuntur falsò illum prætendere; ut enim Christus non à seipso loqui se testatur, quia ex lege loquebatur & prophetis: ita si quid præter Evangelium sub titulo Spiritus obtruditur, ne credamus, quia sicuti Christus legis & Prophetarum impletio est, ita Spiritus Evangelii. Deinde & hoc addo, quòd Augustinus ejusque similes verâ à Deo sapientiâ præ cæteris ditati fuisse credantur, id non aliundè fuisse adeptos, nisi quòd Scripturis, quæ solæ hanc sapientiam uberrimo latice profundunt & solæ hominem reddunt ad salutem eruditum per fidem in Christo Jesu, consentanea & senserint & scripserint. Quò enim quisque propiùs ab hoc fonte suos irrigat doctrinarum tubos, eò puriori certè lymphâ lectorem quisque reficit: quò verò remotiùs, eò inquinatiore, ita ut qui se longissimo intervallo ab eodem continent, ii jam non inter pios & sinceros Ecclesiæ doctores, sed inter hæreticos & Scripturarum depravatores connumerentur, cujus cùm eadem penitus sit in Conciliis, Pontificum decretis & Scholasticorum placitis statuenda ratio, non est quòd verear cum Augustino pronunciare: „Nec ego Nicenam synodum tibi, „nec tu mihi Ariminensem debes tanquam præjudicaturus objicere, nec ego hujus au„thoritate, nec tu illius detineris, Scripturarum authoritatibus, non quorumcun„que propriis, sed quæ utrisque sunt communes, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet &c. In summa hoc inter nos conveniat, doctrinæ Apostolicæ & Propheticæ, cui soli innixa est Ecclesia, judicium omne ad Scripturam sacram esse revocandum, omniaque omnium vel Patrum dogmata, vel Conciliorum decreta, vel Pontificum placita, vel Scholasticorum axiomata non aliter esse recipienda, nisi quatenus huic Scripturæ sunt consentanea.

Quod ad alteram quæstionem attinet: An Ecclesia verbo Dei, an potiùs verbum Dei Ecclesiæ authoritatem tribuat: ita mihi per omnia satisfecisti, ut non potuerim istum tuum candorem non vehementer exosculari. Næ tu etenim perquàm eruditè ac piè responsionem tuam comparatione Johannis Baptistæ cum Christi doctrina confirmasti, ita ut in hoc capite nulla restet inter nos controversia.


Postremum tantùm Epistolæ tuæ caput, de constitutionibus Ecclesiæ, vellem paulò dilucidiùs explicasses. Ais enim, ubi regnum agnoscitur, non posse negari constitutiones: quod certè libenter damus, sed simul addimus, ab ipso rege in quovis quidem regno constitutiones debere proficisci; sed maximè certè in Ecclesia, in qua Christus ita regem agit, ut simul sit & corporis caput, & sponsæ maritus, & ovium pastor, ita ut unius ejus vocem audiant oves, imperium accipiat sponsa, spiritu vegetentur ac moveantur membra, constitutionibus denique obtemperet populus: Ipse enim unus est de quo dictum est: Hunc audite; ac proinde semper atque indefessâ sæculorum continuatione resonavit ac resonat in auribus Ecclesiæ ista regis unius vox ac mandatum: „Quod præcipio tibi, hoc observabis ut facias, non addes quicquam nec detrahes. „Et illa: Non addes ad verbum Domini, nec minuas ex eo, ne te fortè arguat, in„veniarisque mendax. Item: Audiendo audite vocem meam, & ero vobis Deus, „& eritis mihi populus, & ambulabitis in omni via quam mandavero vobis. Item: „Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci „suæ? melior est enim obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre

 „adipem

*„adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi non auscultare, & quasi idolo-
„latriæ iniquitas non acquiescere. Et item: In constitutionibus patrum vestrorum ne
„ambuletis, & judicia eorum seu decreta ne observetis, & in pollutionibus eorum
„ne conspurcemini: ego enim sum Jehova Deus vester; in constitutionibus meis ambulate, & decreta mea seu judicia observate, & facite ea: aliæque sexcentæ, quibus inducti patres infinitis locis affirmarunt, quicquid non esset manifesto Dei verbo fundatum habendum esse pro sacrilegio; nec enim in ullo ferendum est regno, rege vivo ac regnante ac jussa sua ex sacrarum tabularum præscripto dictante, à quoquam alio legem constitutionemque sanciri. In quo si te habebo, quod certè tuæ mentis ac judicii perspicuitate & simul eruditionis ubertate fretus fore confido, adstipulatorem; nihil plane restat ampliùs in priori de Ecclesia quæstione quod habeat scrupulum: ac proinde rogo ut ad posteriores de sacramento interrogationes tuam primo quoque tempore audiam sententiam. Vale.*

Datum Bruxellæ quinta Novembris 1577.

Reverentiæ tuæ studiosissimus Philippus de Marnix.



M I.

MICHAELIS BAII

Reſponſio ad poſteriores

PHILIPPI MARNIXII

QUÆSTIONES DE

SACRAMENTO ALTARIS.

Generoſo, nobili, eruditiſſimoque viro, Domino Philippo Marnixio Sanctaldegondo.



Um nondum acceptis tuis litteris, ex quibus cognoſcerem quo modo priores reſponſiones accepiſſes, inciperem de tractandis reliquis quæſtionibus cogitare, eruditiſſ. D. Sanct-Aldegonde (metuebam enim ne actionibus publicis plus ſatis occupato non vacaſſet tam citò reſponſiones meas legere & dijudicare) decimanonâ hujus oportunè ſupervenerunt mihi binæ tuæ litteræ, quæ multis de cauſis, quas longum eſſet proſequi, mihi jucundiſſimæ fuerunt: nam licèt videam non deeſſe in quibus adhuc conferre debeamus, & Deo juvante conferemus, attamen confidens in eo qui habitare facit unanimes in domo, & ſollicitos reddit ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſpero nos de omnibus collaturos abſque omni amaritudine & animi contentione; Servum enim Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati; &, Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, inquit Apoſtolus. Imprimis autem me exhilaravit, quòd ſenſerim tibi oſtenſum à Domino, quæſtionem de Eccleſia verſari circa unum ex præcipuis cardinibus ſeu fundamentis noſtræ religionis. Nam in duorum hominum cauſa propriè fides Chriſtiana conſiſtit: unius, in quo lapſi, cœci & mali facti ſumus: alterius, in quo reparamur. Porrò in eo in quo reparamur, non tantùm agnoſcendum eſt caput, de quo ſcriptum eſt: „ Omnis quicunque invocaverit nomen ejus ſalvus erit; &, „ Non eſt in aliquo alio ſalus; nec enim eſt aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri; ſed etiam corpus extra quod ſalus eſſe non po- „ teſt, dicente Chriſto: Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cœlo: caput videlicet cum corpore: nam ſi ſolum caput aſcenderet in cœlum, omnes nos in terra remaneremus. Porrò ſicut caput quod naſcendo poſitum eſt in ruinam & in ſignum cui contradicetur, non tantùm à filiis ſuis ſemper agnitum fuit & creditum, ſed etiam ſuo tempore in

terris

terris visum, & à reliquis omnibus certâ fide discretum, dicendo ei: Tu es ,, Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti; sic etiam corpus Christi, seu manifestum ejus regnum à Patriarchis & Prophetis semper creditum fuit, & ab iis qui post Christi ascensionem, misso Spiritu Sancto, Christi Evangelium toto orbe terrarum disseminaverunt aut disseminari viderunt, usque in hunc diem semper visum fuit, & ab omnibus schismatis certâ fide dis- ,, cretum, dicendo: Hæc est domus Domini firmiter ædificata super firmam petram. De qua re ne longum faciam sermonem, oro ut digneris legere sermonem quartum & septuagesimum primum in fine D. Augustini, inter sermones Lovanii impressos, quorum exemplar tibi transmitto, ne fortè non sit apud vos in promptu.

Nunc superest ut responsiones brevissimas, ingenio & occupationibus tuis ac meis accommodas, quantùm Dominus largiri dignabitur, reliquis quæstionibus adhibere conemur, quarum primæ sic habent:

1. *An hæc Christi verba*, Hoc est corpus meum, *contineant propositionem identicam atque idem significantem, quod: corpus meum est corpus meum? An verò attributum corporis, attribuatur subjecto significato per pronomen*, hoc, *tanquam diverso à suo attributo?*

2 *Et si attribuitur tanquam diverso, an attribuatur substantivè, ita ut hæc verba* (hoc est corpus meum) *idem significent atque, hoc est substantialiter, ut ita dicam, corpus meum? An potiùs attribuatur sacramentaliter, ita ut ea verba nihil aliud significent nisi, hoc est sacramentaliter corpus meum, seu, Corpus meum dicitur de hoc quod vobis do, planè ut sacramenta dicuntur de rebus quas significant & suâ institutione demonstrant, quemadmodum Augustinus in libello De doctrina Christiana docet, Sacramentum fidei fidem esse, & sacramentum corporis corpus, & sacramentum fœderis fœdus, & sacramentum verbi Dei ipsissimum verbum Dei; non quidem substantiâ, sed usu, institutione, repræsentatione, ac significantissimâ exhibitione ante oculos fidei?*

3. *Quo argumento doceatur, vocem* EST *in hac circunstantia significare substantialitatem? liceat enim ita loqui. An hoc ipso argumento tanquam μέσῳ non possit formari certa atque indubitata ratiocinatio per propositionem generalem, quo argumenti vis possit & rectiùs intelligi & certiùs judicari? Exempli gratiâ.*

Ubicunque vocula EST *conjungit prædicatum cum subjecto in hac vel ejusmodi circumstantia, toties accipitur substantivè:*

In hac propositione vocula EST *conjungit prædicatum corporis cum subjecto pronominis demonstrativi*, Hoc *&c.*

RESPONSIO.

Propositionem identicam vocamus, non quando attributum & subjectum pro eadem re particulari accipiuntur, pro qua verificatur assertio: nam alioquin enunciatio generis de specie, speciei de individuo, & accidentis de subjecto, essent propositiones identicæ: ut, lapis est substantia, Petrus est homo,

mo, & Cicero est Orator: sed vocamus propositionem identicam, quando res eadem sub eodem nomine aut saltem sub synonymo de seipsa enunciatur: ut, corpus meum est corpus, gladius est ensis. Quamobrem dicendum non est quòd hæc Christi assertio, *hoc est corpus meum*, sit identica propositio, etiamsi vera esse nequeat nisi attributum & subjectum pro aliqua eadem re particulari accipiantur pro qua fit verificatio: sed dicendum est quòd sit enunciatio communis attributi de singulari subjecto. Nam licèt Christus unicum corpus habuerit, attamen etiamsi viginti corpora habuisset, de quolibet dicere potuisset, *hoc est corpus meum*. Ex quo intelligimus vocem, *meum corpus*, sicut meus digitus, communem esse non singularem. Porrò enunciationes simplices, in quibus alterum de altero mediante verbo substantivo *est* enunciatur, sunt in duplici genere: aliæ enim proferuntur intentione asserendi id quod est, quando ejusmodi propositio incipit enunciari, ut lapis est corpus, Petrus sedet: Aliæ verò proferuntur non intentione asserendi id quod est, quando enunciatio incipit proferri: sed intentione faciendi id quod ejusmodi enunciatione significatur, & quod tunc primum erit, quando ipsa enunciatio prolata fuerit: Ut si quis demonstrato agro proprio cuipiam, alteri diceret, hic est ager tuus, non intentione asserendi quod non est, sed intentione faciendi ut id sit quod dicit, hoc est, ut ager qui ei proprius est, alterius efficiatur; ejusmodi enim sermonibus apud Jurisconsultos aliquando intelligitur fieri dominiorum & possessionum translatio. Talis sermo videtur esse apud Lucam, cùm ait Christus: „Homo, remittuntur tibi peccata tua; & rursus: Remittuntur ei peccata „multa, quoniam dilexit multùm; & apud Johannem: Filius tuus vivit. Non enim (sicut intellexerunt illi quibus loquebatur) volebat Christus asserere quòd esset, sed id facere quod dicebat. Cæterùm quia nos nostris sermonibus substantias mutare non possumus, ideò exempla enuntiationum posterioris generis, quibus substantia in substantiam transmutatur, non in nostris, sed in Christi sermonibus sunt petenda. Verbi gratia: Si Christus in nuptiis volens ex aqua sex hydriis contenta vinum facere, his verbis usus fuisset, *hoc est vinum:* similiter si voluisset diabolo acquiescere petenti ut diceret lapidi huic ut panis fiat, atque id his verbis effecisset, *hic est panis*, non intendisset his duabus enunciationibus, videlicet, *hoc est vinum*, & *hic est panis*, asserere, quòd aqua hydriis contenta, & hic lapis, (quæ tunc exstabant cùm has enunciationes proferre cœpisset) fuissent vinum & panis, quia id manifestè falsum fuisset, sed tantùm intendisset facere ut id esset quod dicebat, & hoc dicendo significare ea quæ ex aqua hydriis contenta, & ex hoc lapide demonstrato fecisset, esse vinum & panem: quasi dicat, hoc quod ex aqua hydriis contenta facio, vinum est: & hoc quod ex hoc lapide facio, panis est. Simili modo quando ait Christus, *hoc est corpus meum*; &, *hic est sanguis meus*, non intendit asserere quòd panis & vinum quæ tunc præsentia habebat cùm hæc incipiebat dicere essent corpus & sanguis ejus, quia id falsum est: sed ne falsum diceret, omnino credendus est intendisse ex pane & vino corpus & sanguinem suum efficere, & illis duabus enunciationibus, *hoc est corpus meum*, &, *hoc est sanguis meus*, significare, quòd ea quæ suis verbis ex pane & vino faciebat essent corpus & sanguis ipsius. Ex quibus facilè intelligitur, quòd in

dictis duabus enunciationibus, *hoc est corpus meum*, & *hic est sanguis meus*, pronomina *hoc* & *hic* non referuntur ad panem & vinum, quæ ante prolationem harum duarum enunciationum præfuerunt, (sicut intelligerentur referri si tantùm intentione afferendi proferrentur, quod Christus facere non potuit, quia non potuit falsum dicere,) sed referuntur ad hoc corpus & ad hunc sanguinem, quæ jam dictis verbis Christo hoc intendente efficiuntur, quasi dicat: hoc quod ex hoc pane facere intendo & facio, est corpus meum; & hoc quod ex hoc vino facio, est sanguis. His diligenter consideratis, facilè est propositis quæstionibus respondere, quòd hæc verba, *hoc est corpus meum*, non contineant propositionem identicam, atque idem significantem quod, corpus meum est corpus meum: sed id significantem quod diximus: quòdque attributum *corpus* tribuatur subjecto significato per pronomen *hoc* non tanquam diverso à suo attributo, sed tanquam rem eamdem singularem significanti, nempe, hoc Christi corpus ex pane confectum virtute verborum Christi. Undè nec dicere oportet quòd hujus enuntiationis, *hoc est corpus meum*, sensus sit, quòd hic panis substantialiter vel sacramentaliter sive significativè sit corpus meum: sed sensus est, quòd id quod ex pane facere intendo & facio, est corpus meum, ut diximus. Cæterùm quia negari non potest, quin Christus ex aqua vinum, ex lapide panem, ex pane & vino corpus suum & sanguinem efficere potuerit, idque his verbis, *hoc est vinum*, *hic est panis*, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*. Si enim potuit Petrus umbrâ suâ pertranseundo quosvis ægros ab infirmitatibus liberare, quantò magis potuit Christus verbis suis ex re qualibet quamlibet aliam rem aliam efficere? Ponatur ergo disputandi gratiâ quòd Christus hæc universa jam dictis enuntiationibus effecerit, oro ut tua eruditio dignetur propositis à se quæstionibus respondere, nempe an hæc propositio sit identica, *hoc est corpus meum*? An attributum *corpus* tribuatur subjecto significato per pronomen *hoc* tanquam diverso? An hujus enunciationis, *hoc est corpus meum*, sensus sit, hic panis est substantialiter vel sacramentaliter corpus meum? & si ubi de re convenimus, adhuc easdem penè difficultates inveneris quas nunc proponis, facilè intelliges quæstionum multarum nebulas non tam ad rei veritatem quàm ad dicendi rationem pertinere.

Miror autem prudentiam tuam quærere, quo argumento doceatur, vocem *est* in hac sermonis circumstantia, *hoc est corpus meum*, significare substantialitatem, cùm illa sit propria & consueta ejus significatio tam Græcè quàm Latinè, in qua ab initio nascentis Ecclesiæ semper ab omnibus nostris majoribus accepta est. Neque enim rogare solemus, cur aliquis per publicam & consuetam viam ambulet, sed si ab illa digressus insolita & improbata diverticula sectetur, tunc meritò rogatur, cur derelictâ regiâ viâ ad insolitam sese convertat: & ideò potiùs rogandum esset, quo argumento moveantur, qui vocem *est* in hac circumstantia, præter consuetam significationem & præter omnium catholicorum intelligentiam, ad significationem referunt, quàm quo argumento doceatur substantialitatem significare. Scio quosdam proferre Scripturam 1 ad Cor. 10. Petra autem erat Christus; in qua vocem *est* existimant pro *significat* positam, ut persuadeant ipsam etiam in hac circumstantia pro *significat* accipiendam. Sed an ex hac scriptura satis solidum proferri possit argumen-

mentum quo id probetur, forsitan non immeritò dubitaverit quispiam: quia Apostolus non videtur loqui de petra Oreb suo loco manente, ex qua Moyses semel aquam protulit, quæ petra non poterat esse Christus nisi significativè: sed loquitur de petra semper populum consequente, & potum corporalem ac spiritalem semper suppeditante, quæ petra non significativè, sed substantialiter erat Christus, sicut D. Chrysostomus interpretatur. Sed detur vocem *est* uno atque altero loco propter sermonis circumstantiam significativè seu sacramentaliter intelligi, an ideò quando sine tali circumstantia simpliciter ponitur, proferendum erit certum argumentum quo doceatur substantialitatem significare, & in sua significatione propria debere accipi? Scio etiam D. Augustinum epistola 23. dicere, quòd sacramenta habeant quamdam similitudinem earum rerum quarum sunt sacramenta, atque ex hac similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipere; sed subjungens exemplum, quòd secundùm quemdam modum sacramentum corporis Christi est corpus Christi, satis apertè significat hunc loquendi modum, sacramentum corporis Christi est corpus Christi, non esse proprium & consuetum, sed insolitum & ex sermonis circumstantiis intelligendum, quæ ubi defuerit, sicut in verbis Christi, quibus ait, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*, non sine studio proprii sensus videtur talis intelligentia quæri. Quæris etiam:

4. *An explicatio horum verborum,* hoc est corpus meum, *debeat aut possit aliunde sumi, quàm ex ipsius Christi aut Evangelistarum verbis?*

5. *An illa propositio de calice: Hoc poculum est novum testamentum seu fœdus (διαθήκη enim utrumque hic significat, ut Hebræis* Oth-Berith) *in meo sanguine: & illa, Hic est sanguis novi testamenti, non idem significent, & sese mutuò significanter explicent? Ac proinde, an non penitus sit eadem ratio in pane; ut hæ propositiones, Hic panis est novum testamentum seu fœdus in meo corpore, &, Hoc est corpus meum: & item, Hic panis quem frangimus est κοινωνία corporis Christi, & Hic panis quem frangimus est corpus Christi, idem significent, & sese mutuò significanter explicent.*

RESPONSIO.

Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. c. 9. docet, illa quæ in libris Canonicis apertè posita sunt solertiùs diligentiùsque investiganda, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. Ex quo intelligimus non omnia Scripturæ sacræ testimonia ex aliis esse intelligenda. Nam quædam apertè posita sunt, quæ ex propriis verbis & locutionibus intelliguntur; sed ea duntaxat quæ obscuritatem habent, quæ possit ex aliis manifestioribus locutionibus aut testimoniis illustrari. Nunc verò considerandum est utrùm hæc duo testimonia, *hoc est corpus meum*, *& hic est sanguis meus novi testamenti* obscuritatem habeant: & si obscuritatem habere putentur, an hæc obscuritas per hanc sententiam tanquam manifestiorem, *hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, possit illustrari. Nam priora illa duo testimonia forsitan

sitan multis videbuntur hoc posteriori longè magis esse perspicua, præsertim quia hæc sententia, *hic est sanguis meus novi testamenti*, planè respondet illi, quam ex Exodo citat Apostolus ad Hebræos capite 10. *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Igitur hoc testimonium, *hic calix novi est testamenti in meo sanguine*, non est idoneum ad illustrandum duo illa priora, sed potiùs contrà: aut si utraque ambiguitatem aut difficultatem habere prætenduntur, cur ad alias sententias obscuriores recurremus in quibus videtur posse error abscondi, & non potiùs ad eorum studium ac testimonium qui præsentis temporis contentiones præcesserunt, & ad intelligendas Scripturas sacras præ cæteris fuerunt à Deo illuminati; cujusmodi fuit D. Ambrosius, qui de iis qui initiantur & de Sacramentis quæstiones istas clarissimè dissolvit. Nam negare non possumus, Deum quorumdam oculos excœcare, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, ut ad Dominum convertantur, & sanentur ab eo, in quibus Deus hujus sæculi, inquit Apostolus, excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, etiamsi apertissimè prædicetur. Restat igitur, ut in his obscuritatibus quæ non videntur obscuritates fuisse Veteribus, ad illos recurramus quibus Deus putatur dedisse aures ad audiendum & oculos ad videndum, ne fortè nos hîc non satis acutè cernamus. Verba Ambrosii de iis qui initiantur mysteriis, cap. ultimo, sic habent: Potior est lux quàm umbra, veritas quàm figura, corpus authoris quàm manna de cœlo. Fortè dicis: Aliud video, quo modo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? & hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio conservavit; majoremque vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Et lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Author Sacramentorum quis est, inquit, nisi Dominus Jesus? tu fortè dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste, inquit, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accessit consecratio, de pane fit corpus Christi; hoc igitur astruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? consecratione, inquit. Consecratio igitur quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu; nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur. Ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi, Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is quo facta sunt omnia; jussit Dominus, & factum est cœlum; & cap. 5. Antequam consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, hoc est corpus meum; & ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus sermo Christi potens est universa convertere. Hactenus Ambrosius, qui adjectis adhuc aliis multis sententiam suam tam facit manifestam ut non possit de illa dubitari, sicut nec de sententia reliquorum Veterum qui has quæstiones tractaverunt; quibus si cum Evangelio cum totius Ecclesiæ testimonio non creditur, sed verba Scripturæ manifesta ad inusitatum tropum detorquentur, non erit mirum si etiam verbis meis non credatur, cùm nemo credat nisi volens,

lens, nec quisquam credere velit nisi cui dedit Deus ut velit. Porrò quòd vox Græca διαθήκη, quam interpres noster vertit testamentum, sicut & Hebræa, subinde vertatur fœdus, nihil huic disputationi præjudicat: quia licèt per se posita fœdus significet, attamen morti vel sanguini juncta propriè testamentum significat, sicut ostendit Apostolus ad Galatas 3. & ad Hebræos cap. 9. Similiter quod ait Apostolus 1. ad Corinth. 10. Panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? licèt sit verum quòd is panis, qui factâ benedictione frangitur & à fidelibus participatur, sit corpus Christi, in quod per consecrationem mutatus est panis, qui à sacerdote ad benedicendum accipitur, non tamen vult ibi Apostolus dicere quid sit panis qui frangitur, sed quid participatione hujus panis significetur & efficiatur, nempe ut multi unum corpus simus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus, sicut seipsum explicat Apostolus, & Apostolum D. Cyprianus in epist. ad Magnum, cujus verba etiam refert Augustinus lib. 7. contra Donatistas cap. 50. Ex his facile est respondere sequentibus aliquot quæstionibus, nempe

6. *An pronomen* hoc *aliud significet quàm idipsum quod uno ore omnes Evangelistæ testantur, Christum accepisse, fregisse, dedisse discipulis, ac jussisse ut acciperent & comederent?*

7. *An Paulus* 1 *Cor.* 10. *quum hunc panem nominat, & panem quem frangimus disertè explicat, aliud sacramenti subjectum statuat atque Christus, vel ipse Paulus* (1 *Cor.* 11.) *pronomine* hoc *velit significari, quod omnes Evangelistæ testantur fuisse panem quem Christus fregit & dedit, & de quo denique loquutus est?*

8. *An in propositione de calice non eadem sit subjecti ratio atque in ea quæ est de pane, ac proinde quum subjectum in propositione & oratione de calice non solùm demonstretur pronomine* hoc, *sed planè & disertè nominetur* τοῦτο τὸ ποτήριον, *vel fructus ac genimen vitis, an non eadem sit ratio in pronomine* hoc *quod usurpatur in propositione de pane: ita ut* hoc *idem significet, quod, hic panis, vel hic fructus tritici de multis granis coadunatus.*

His, inquam, quæstionibus facile est ex dictis respondere: nam cœnantibus Apostolis, inquit Matthæus, accepit Jesus panem usitatum videlicet, quia tunc ibi panis alius non erat, & eumdem panem benedixit; sed quod fregit deditque suis discipulis, dicens: Accipite & manducate; non fuit panis usitatus, sed benedictione in corpus ejus mutatus, sicut ipsemet est testatus, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum: non enim ait, accipite panem & comedite panem, sicut de ipso prius ait Evangelista: Accepit Jesus panem; sed ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Jussit ergo ut acciperent & comederent, non panem usitatum de quo priùs locutus est Evangelista, dicens: Accepit Jesus panem; sed panem benedictum, de quo dicit: Hoc est corpus meum; jam videlicet ex pane benedicendo confectum. Similem loquendi modum secutus est Apostolus 1 Corinth. 11. cùm ait: Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens: sub quo intelligitur, benedixit, sicut expresserunt Matthæus & Marcus, fregit & dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis trade-

tur: quæ verba simili modo accipienda sunt, quomodo suprà ostendimus verba Matthæi accipi debere. Dico igitur ad primam quæstionem jam propositam, quòd pronomen *hoc* in Christi verbis aliud quidem significet quàm quod uno ore omnes Evangelistæ & Apostolus 1 Corinth. 11. testantur Christum accepisse, sed non aliud significet quàm iidem testantur Christum discipulis dedisse, & jussisse ut acciperent & comederent: significat enim corpus Christi ex pane confectum benedicendo, sed non significat panem usitatum, quem omnes Evangelistæ testantur Christum accepisse. Ex quo intelligimus verba hæc, *accipite & comedite*, non debere construi cum nomine, *panem*, quod præcessit, cùm ait Evangelista, Accepit Jesus panem, sed cum eo quod sequitur, *hoc est corpus meum*, vel cum eo quod intelligitur, ut sit sensus: accipite corpus meum, vel, quod in idem redit, accipite panem benedictum & consecratum.

Porrò ad id quod secundâ quæstione proponitur: An Paulus 1 Corinth. 10. cùm nominat panem quem frangimus, aliud Sacramenti subjectum statuat quàm Christus vel ipse Paulus 1 Corinth. 11? Respondeo quòd Paulus cap. supradicto idem sacramenti subjectum statuat cum eo quod statuit Christus apud Matthæum, cùm ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Nam subjectum sacramenti statuit verum Christi corpus, quod translato nomine panem appellat, quia ex pane confectum, & speciebus panis velatum: quam nominis translationem manifestè significat ipsa sermonis circumstantia, cùm dicitur (panis, quem frangimus: &, omnes qui de uno pane participamus) nam omnibus fidelibus notissimum est in altari neque frangi neque participari panem nisi benedictum, & in corpus Christi benedictione conversum: Sed sacramenti subjectum non statuit panem usitatum quem Evangelista dicit Christum accepisse.

Ad tertiam quæstionem respondeo, id quod apud Evangelistas & apud Apostolum 1 Corinth. 11. de calice dicitur, eodem modo accipiendum sicut id quod de pane dicitur, nempe quòd ubi narratur accepisse calicem, ibi intelligendus sit accepisse calicem vini & aquæ plenum, sicut ait Ambrosius: ubi verò verba Christi operata sunt, hoc est, ubi post benedictionem ait: bibite ex hoc omnes, ibi non est intelligendus porrexisse vinum & aquam, sed suum sanguinem, qui plebem redemit, & de quo dicit, hic est sanguis meus novi testamenti. Quod verò apud tres Evangelistas dicitur de genimine vitis, videtur potiùs referendum ad poculum Paschæ veteris, quàm novi, sicut Lucas non obscurè significat.

Quæritur deinceps.

9. *Si subjectum positum in hac propositione*, Hoc est corpus meum, *mutatur vel mutatum fuit à subjecto panis quod Evangelistæ testantur Christum accepisse, fregisse, & dedisse, &c. quando mutatum fuit, quâ vi, quo Domini mandato, quo divini verbi argumento?*

Respondeo, subjectum positum in hac propositione, *hoc est corpus meum*, non mutari,

mutari, quia subjectum istud corpus Christi est, à quo in Sacramento nulla fit mutatio; sed panem quem accepit Jesus dicimus mutatum esse in corpus ejus, quando benedicendo & consecrando panem, ait *hoc est corpus meum*, mutatum, inquam, virtute verborum ejus. Nam, ut ait Ambrosius de iis qui initiantur, cap. 9. Si tantum valuit humana benedictio, Elizei videlicet facientis ferrum natare, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Salvatoris Domini operantur? nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Heliæ ut ignem de cœlo deponeret, non valebit sermo Christi ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? non enim minus est novas rebus dare quàm mutare naturas. Et lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Sermo Christi, inquit, hoc conficit Sacramentum; quæ autem sint verba Christi quibus hoc sacramentum conficitur, exponit cap. 5. dicens: Omnia illa verba Evangelistæ sunt usque, *accipite*, sive corpus, sive sanguinem; inde verba sunt Christi. Audi dicentem, *hoc est corpus meum*; & ante verba Christi, calix est *vini* & *aquæ* plenus, ubi verba Christi cooperata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Ecce habes quòd verbum, *accipite*, non construatur cum nomine, *panem*, sed cum nomine, *corpus* & *sanguinem*, sicut suprà diximus. Habes secundò, non quando subjectum positum in hac propositione, *hoc est corpus meum*, mutatum sit, sed quando mutatus sit panis, quem cœnantibus Apostolis accepit Jesus, nempe quando dixit, *hoc est corpus meum*: Habes quâ vi, & quo Domini mandato mutatus sit panis, nempe virtute verborum Christi, quibus dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Habes & quo divini verbi argumento, nempe argumento verborum Christi, quibus apertissimè dixit, *hoc est corpus meum*: nam quia mentiri non potuit, oportet ut ex pane quem accepit id fecerit quod dixit, videlicet, *hoc est corpus meum*, ne convincatur falsum fuisse quod dixit.

Quæris etiam:

10. *Quæ sit analogia unionis corporis Christi cum Ecclesia declarata* 1 *Cor.* 10. *si nulla est vel panis vel vini reliqua substantia?*

RESPONSIO.

Hanc analogiam explicat Augustinus libro 7. contra Donatistas cap. 50. verbis D. Cypriani, quæ sic habent: Quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, & quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis multis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat conjunctione adunatæ multitudinis adunatum: nam quemadmodum panis ex quo corpus Christi conficitur, quod interdum etiam panis vocatur, ut panis quem frangimus; quemadmodum, inquam, panis ex granis in unum adunatis conficitur, & quemadmodum vinum

num ex multis acinis in unum confluentibus coalescit: sic etiam mysticum Christi corpus, quod per hoc Sacramentum significatur & coit, ex dispersis Dei filiis colligitur, qui per fidem & dilectionem in unum corpus adunantur. Nec huic analogiæ obstat quòd in confectione Sacramenti nulla est panis aut vini reliqua substantia; quia nec remanet ipsa granorum aut acinorum forma, ex qua tamen sumitur potissima hujus analogiæ portio, quia analogia sumitur non ex substantia quæ in ipso sacramento permanet, sed ex ea quæ in pane & vino præcessit, ex quibus sacramentum ipsum conficitur.

Ultima quæstio sic habet.

11. *Quomodo Veteres docuerunt eamdem aut similem esse transformationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, qualis erat aquæ admistæ vino in populum Christi, ejus corpori per fidem conglutinatum?*

RESPONSIO.

Hanc quæstionem moveri puto occasione verborum beati Cypriani in epistola 63. quæ est ad Cæcilium, ubi sic habet: Quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & conjungitur; & infrà: Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest: nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur & adunatione confusâ sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spiritale & cœleste perficitur. Quibus verbis non continetur ea comparatio quæ in quæstione exprimitur, nempe quòd talis sit transformatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, qualis est aquæ vino permistæ in populum Christi: sed tantùm exponitur quid sacrificium ex vini & aquæ commistione confectum significet & efficiat: nempe ut quemadmodum sacrificium ex aqua vino permista conficitur, sic etiam Christus & plebs ejus in unum corpus coadunetur, non Christum mutando in perversos plebis affectus, sed reformando plebem, ut cum Christo quæ Dei sunt sapiat, & depositâ pravitate Spiritum Christi induat. Nam & ipsa vini & aquæ mistio sic temperatur, ut non vinum in aquam, sed aqua in vinum convertatur, & hoc modo invicem copulentur. Quòd si fortè quæstio hæc alia Veterum dicta respiciat quæ mihi non occurrunt, cuperem illa designari, ut si Deus largiretur possit eis conveniens adhiberi responsio. Bene vale. Lovanii 26. Novembr. 1577.

Tuus Mich. de Baii.

PHILIPPI MARNIXII

Responsum & objectiones adversus

MICHAELIS BAII

RESPONSIONEM

AD

QUÆSTIONES

DE

SACRAMENTO ALTARIS.

Ampliss. viro D. Michaeli Baio, Academiæ Lovaniensis Cancellario & Theologiæ professori, Philippus Marnixius Sanctaldegondus S.

Responsionem tuam ad posteriores meas quæstiones, Amplissime D. Cancellarie, quæ mihi Antuerpiâ Bruxellam reverso tertiâ Decembris fuit reddita, diligentissimè perlegenti, & firmum ac stabilem in ea gradum quærenti, ubi assensionis pedem figerem illud obstitit, quòd orationi quæ secum ipsa dissentiret non videbam quomodo nisi reclamante conscientiâ possem assensum præbere. Nec enim, ut verum fatear, quivi vel ratiocinationis tuæ firmamenta quibus essent connexa vinculis cernere, vel quæ secum ipsa discrepabant (qualia erant meo certè judicio magni momenti permulta) inter se conciliare. Uno loco asseveras propriam, consuetam & usitatam verbi, *Est*, significationem esse tam Græcè quam Latinè ut designet substantialitatem, & in ea significatione ab initio nascentis Ecclesiæ semper ab omnibus nostris majoribus fuisse acceptam. Ita ut mireris me quærere, quo argumento doceatur in nostra quæstione significare substantialitatem: facerem enim instar eorum, qui rogare solent cur aliquis per publicam & consuetam viam ambulet. Et tamen altero loco idem tu dicis: verbum, *Est*, accipi bifariam: aliquando usurpari intentione afferendi id quod est, quando incipit propositio enuntiari; aliquando non intentione asserendi id quod est, sed intentione faciendi id

quod ejusmodi enuntiatione significatur, id est, faciendi ut sit quod non erat, & tum primùm cùm enuntiatio prolata fuerit esse incipiet. De priori quidem significatione nulla certè est dubitatio: agnosco enim genuinam & usitatam vocis notationem. Posterioris autem mihi ne fando quidem unquam auditæ, ne unum quidem exemplum profers. Dicis quidem ejusmodi sermonibus aliquando apud jurisconsultos intelligi dominiorum & possessionum fieri translationem: sed nullo exemplo id affirmas. Et tamen si verum esset, quoniam omnino tibi necesse est fateri id aliquando tantùm & valde impropriè fieri, ac proinde ambiguitate non carere, jam relictâ viâ regiâ & planâ in diverticula te prorepsisse palam constaret. Nam illa exempla quibus peccata remitti declarantur, quia eo ipso momento quo proferri incipiunt planè sunt verissima, vel tuo ipsius judicio nihil habent simile. At verò ista tua quæ producis, ut si de aqua dictum esset, *hoc est vinum*, & de lapide, *hoc est panis*, quia omnino dicta non fuerunt, & non rei veritate sed nudâ imaginatione existunt, responsione haud indigent. Nam si dicta essent, omnino vel à genuina & propria significatione verbi, *Est*, longissimè deflexum esset, vel certè vera esse non potuissent, nisi jam ante aliâ quâpiam vi facta fuisse mutatio & quidem aliis verbis designaretur. Verbum enim, *Est*, quum indicativo modo & præsenti tempore enuntiatur, non dare rebus naturam, multò minùs in aliam immutare, sed tantùm notare & declarare quid sit id de quo dicitur & quidem eo ipso momento quo profertur, omnes norunt qui vel ab uberibus maternis balbutire didicerunt. Quod cùm ipse tu pro optimo tuo judicio animadverteres & planè inficiari non posses (vide quanta sit vis veritatis) ipse te confestim à via regia in aspera certè atque horrida humani sensus vel (ut Pauli verbis utar) τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς senticeta deflexisse prodis. Ais enim: Si verbum, *Est*, in hac quam constat esse propriam, consuetam, atque omnibus linguis, nationibus, seculis denique usitatam significationem, hoc loco retineatur, intelligaturque panis & vinum quæ tunc erant præsentia eo ipso momento quo hæc dicerentur esse id quod Christus ipse asseverat esse, corpus, inquam, suum & sanguinem, planè falsum fore quod Christus dixit. Ac proinde ut Dei filium, ipsam inquam veritatem, à tam turpi nota mendacii vindices, obtrudis novum & ab Evangelistarum verbis alienissimùm commentum: Hæc enim tua sunt verba: *Non intendit Christus asserere quòd panis & vinum, quæ tunc præsentia habebat cùm hæc incipiebat dicere, essent corpus & sanguis ejus, quia id falsum est. Sed ne falsum diceret, omnino credendus est intendisse ex pane & vino corpus & sanguinem suum efficere.* Quæso te, mi Domine, an hoc est viâ regiâ & planâ incedere, cùm doceas omninò non esse, atque adeò falsum esse id quod Christus ore suo sacrato jamjam moriturus, ac proinde testamentum condens revera esse sanctissimè asseverat, novoque atque importuno commento in ea nos diverticula deducas, in quæ jam multis retrò seculis infinitos viros magnos, pios, eruditos ut contra conscientiæ ac veritatis testimonium deflecterent, non ignis, non cruces, non gladii, non carceres, non eculei, non denique acerbissimi cruciatus cogere unquam potuerunt? Sed quid ego illos testes laudem? Ipse tu in tua hac responsione, quasi conscientiam reclamantem persentiscens, ex his anfractibus conaris te recipere, & aliam sed nihilo planiorem tibi viam sternere. Paulò

Id enim post ipse tecum dissentiens asseveras, verba hæc, *accipite & comedite*, non debere construi cum nomine, *panem*, quod præcessit, cùm ait Evangelista: *Accepit Jesus panem:* sed cum eo quod intelligitur: ut sit sensus: accipite corpus meum: vel quod in idem redit: accipite panem benedictum & consecratum &c. Et planè vis, quod & ipse disertis verbis explicas, quod accepit Jesus & benedixit, fuisse panem: quod verò fregit & dedit discipulis suis, & de quo dixit, accipite comedite hoc est corpus meum, non fuisse panem sed corpus ejus. Nam quod utrobique adjicis vel usitatum vel benedictum, nihil officit sententiæ, neque potest nebulas tua verba penitius inspicienti offundere. Nec enim controvertitur an panis sit usitatus vel non usitatus, & benedictus an non benedictus: sed an panis sit, aut non panis. De substantia, non de qualitate aut accidentibus est omnis controversia. Alioqui si fatereris post benedictionem remanere panem & quidem substantiâ, sed benedictum, neminem nostrûm haberes repugnantem. Itaque clarè, nudè & κατηγορικῶς explicanda nobis est tua ista sententia, quæ alioqui sub illis involucris, *benedicti & usitati*; tanquam quibusdam nebulis caliginosis delitescit; & ad rem ipsam veniendum. Vides itaque, si panis acceptus & benedictus non ampliùs est panis substantiâ, sed factum benedictione ipsissimum Christi corpus, jam etiam antequam eum frangeret & daret discipulis, & illis verbis, Hoc est corpus meum, uteretur: Vides, inquam, quàm inanis fuerit ille tuus metus quum vererere, ne falsum dixisse videretur Christus nisi ejus orationem commento illo de nova verbi, *Est*, significatione à falsi crimine vindicasses. Etenim si panem benedicendo jam fecerat suum corpus antequam diceret esse, proculdubio est verissimum quod tu dicis esse falsum; eum nimirum sequentibus illis verbis, *hoc est corpus meum*, voluisse asserere quòd panis & vinum, quæ tunc præsentia habebat cùm hæc incipiebat dicere, essent corpus & sanguis ejus. Hîc tu jam obsecro, Vir Amplissime, collige te paulisper, atque abjectâ omni præjudicatâ opinione, & veritati locum & Deo gloriam tribue. Dum enim ut tuam sententiam stabilias Christum Dei filium falsi coarguis: næ tu inanibus te irretiens paralogismis tecum ipse manifestè pugnans deprehenderis. Itaque ignosce quæso, si tuis verbis credere non possum, quæ tu ipse paulo momento apertè jugulas. Verumenimverò si benedictionis vi panis usitatus in corpus Christi est transsubstantiatus, quæ tandem fuerunt illa benedictionis tam efficacia verba? Profers tu quidem ex Ambrosio, Christum suis verbis elementa posse omnia commutare. Damus libenter. Dicis etiam sermonem Christi hoc conficere sacramentum: & id concedimus: Sed cedo quibus verbis est usus ut id faceret? si dicis benedictione quæ præcessit & fractionem & verba sacramenti: ergo non jam fit illis verbis sacramenti quæ sunt in controversia & quæ in consecratione proferunt Sacerdotes, ac proinde de significatione verbi, *Est*, nulla restat ambiguitas. Tantummodò incumbit ibi probandum ea verba εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν, quibus indiscriminatim utuntur Evangelistæ, significare vel usquam gentium unquam significasse (magos ac præstigiatores semper excipio) mutationem unius substantiæ in alteram. Ego quidem hactenus ex Scriptura didiceram εὐλογεῖν atque εὐχαριστεῖν in ejusmodi argumento prorsus idem significare quod gratias agere vel bene precari, & Dei laudes pro beneficiis in

 nos

nos collatis celebrare. Hanc ego ſtatuebam eſſe viam regiam, planam, uſitatam: tamen ſi habes argumentum, rationem, aut ſcripturam, quâ probes ſignificari his verbis μεταμόρφωσιν ſeu tranſubſtantiationem, & quidem vani & corruptibilis omnique motu & vita carentis elementi, in ſacroſanctum atque incorruptibile & planè divinum Chriſti filii Dei corpus, quod ad dexteram Dei patris æternâ atque omnem humanum mentis captum ſuperante gloriâ decoratum ſedet, ne graveris producere. Habebis me docilem atque obſequioſum auditorem, nec erit opus in latebras duplicis ſignificationis verbi, *Eſt*, confugere. Sed ſi te dicis non poſſe niſi verbis illis ſubſequentibus, *hoc eſt corpus meum*, quod intendis probare: quid hoc eſt aliud quàm actum agere & ut loquuntur logici, petere principium? Quod enim unum eſt in controverſia, id unum tu ſumis quaſi conceſſum confeſſumque pro argumentationis tuæ unico firmamento, quod & ipſum ſi dedero nihil effeceris, quia tum denuo tibi reſtabit demonſtrandum: ecquibus ergo verbis Chriſtus conſecraverit, ut videlicet non jam ſuis ſed Chriſti verbis reliqui conſecrent ſacerdotes, & ita rurſus omnis veſtra tranſſubſtantiatio collabetur. Deinde definiendum etiam erit, quomodo Chriſtus ſuum ipſe corpus fregerit, quod univerſa teſtatur Scriptura ſemel tantùm non à ſeipſo ſed à Judæis, nec in Cœna ſed in crucis ara fractum & morti ac ſepulturæ traditum, ac tertiâ die à morte excitatum in cœlos adſcendiſſe, nec aliunde niſi ex cœlis eſſe venturum. Vides arbitror pro tua prudentia & judicii limatiſſimi ſinceritate, Vir ampliſſime, in quos te laqueos conjeceris, dum te, à veritatis Evangelicæ recto atque indubitato tramite aberrans, in Scholaſticorum improbata atque anfractuoſa diverticula proripuiſti. Ipſe tu igitur judex jam eſto, an immeritò percunctatus fuerim quo argumento doceretur, vocem, *Eſt*, in noſtra quæſtione ſignificare ſubſtantialitatem. Nam ſi negas illis verbis, *hoc eſt corpus meum*, fieri tranſſubſtantiationem, quia jam non ad panem ſed ad corpus ex pane confectum referantur, quemadmodum uno loco doces: haud erit neceſſe (fateor) quærere id quod quæro. Tum enim nativâ, propriâ, & conſuetâ ſignificatione ſuâ, verbum, *Eſt*, per ſe ſatis innuet quod quæritur, ſed omnino efficietur vel nullam eſſe planè tranſſubſtantiationem, vel aliis fieri verbis quàm iis de quibus tantopere gloriantur tranſſubſtantiationis architecti atque propugnatores. Sin autem aſſeveras iis penitus verbis fieri tranſſubſtantiationem, (quemadmodum certatim omnes contendunt qui ſe catholicæ Romanæ eccleſiæ alumnos eſſe profitentur) jam utique docendum reſtat quo argumento poſſis probare verbum, *Eſt*, deſiiſſe ſignificare id quod ſuâ naturâ ſemper poſt homines natos omnibus linguis, nationibus ac ſeculis ſine controverſia ſignificavit, & illam ſuam ſignificationem in verbum, *fieri*, commutaſſe. Argumentum enim illud quod profers ab abſurdo: quia alioqui falſum eſſet quod Chriſtus dixit; ita eſt ipſum abſurdum ac falſum, & (ignoſce quæſo ſi veritatis zelus aſperius verbum extorquet) cum blaſphemia conjunctum, ut propemodum legens totus inhorruerim. Et tamen nititur omnis tua reſponſio hiſce fundamentis, quæ quàm firma ſint puto te videre, & jam mihi eſſe æquiorem quòd verbis tuis credere non poſſim, à quibus, utpote quæ nullum habeant firmamentum, video te ipſum quoties lubet diſſentire.

Sed

Sed quæris tamen quo ego argumento seu μέσῳ doceam, verbum, *Est*, in nostra quæstione debere accipi sacramentaliter, seu, ut tu vocas, significativè. Refugissem sanè lubens hoc genus orationis: volo enim discere, non docere. Sed tamen quia postulas, non tacebo, præsertim non nescienti, aliquando parvulis sua mysteria revelare Deum quæ vel doctissimis abscondit: hoc est igitur nostrum argumentum.

Quotiescunque in sacramentorum institutione rebus aut elementis terrenis atque aspectabilibus, quæ pro sacramentis usurpantur, cœlestium aut spiritalium rerum nomen per verbum, *Est*, attribuitur ad eas ipsas revera nobis exhibendas atque oculis fidei repræsentandas, toties verbum, *Est*, non demonstrat substantiam, quia non adhibetur ut explicet quid sit id quod oculis ac manibus corporeis proponitur, sed planè declarat quid fidei ac mentis oculis & manibus detur ac revera exhibeatur. Hæc est major propositio, quam certè existimo esse ἀξίωμα perpetuum atque indubitatum. Sequitur altera: In his Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, rebus terrenis, pani nimirùm & vino per pronomen, *Hoc*, demonstratis (quæ omnes uno ore Evangelistæ testantur Christum accepisse, fregisse, dedisseque: quæque universa Ecclesia ab initio nascentis Christianismi confessa est esse sacramenta, typos & mysteria corporis & sanguinis Christi) tribuitur nomen ipsum corporis & sanguinis per verbum, *Est*, seu tribuitur nomen fœderis seu testamenti in corpore & sanguine Domini per verbum, *Est*: Ergo verbum, *Est*, eo loco non demonstrat quæ sit substantia ejus rei quæ oculis ac manibus corporalibus exhibetur: nempe an panis sit & vinum, an corpus & sanguis, an verò testamentum in sanguine substantialiter: sed tantùm demonstrat quid sit illud quod illis sacramentis exhibetur oculis & manibus fidei spectandum atque apprehendendum, nempe corpus & sanguis Christi, quæ pro nobis fuêre in ara crucis ad nostram salutem tradita atque effusa, vel novum testamentum vel novum fœdus in corpore & sanguine Domini Jesu Christi sancitum: Ut scilicet illo sacramento sciamus, intelligamus, & nihil addubitantes tanquam oculis cernamus nos revera esse participes ejus corporis & sanguinis: ac proinde cum illo indissolubili nexu sanctissimi fœderis copulatos. Vel ut verbis Concilii Nicæni argumentum concludam: Ergo non debemus intenti hærere in proposito pane & poculo, sed elevatâ mente per fidem considerare in sancta illa mensa agnum Dei. Vel si mavis verba Augustini: Ergo quum in hoc sacramento non minùs quàm Joannis cap. 6. jubemur accipere & manducare ejus corpus, figura est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit; nisi volumus, quod graviter ab eodem Augustino reprehenditur, sub signo servire operantes aut venerantes aliquam rem significantem, nescientes quid significet. Ac proinde Christus ipse nos huc manifestè revocans, jubet hoc ipsum nos facere in sui commemorationem: & Paulus docet nos quoties id fecerimus mortem Domini annuntiare, quod nihil est aliud nisi id ipsum quod ex Augustino diximus, suaviter in memoria recondere quòd caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata est. Atque hoc est planè ipsum illud quod alibi ait Paulus; Panem quem frangimus (hîc nihil ambigitur de substantia panis, nec enim

aliud quippiam frangimus niſi panem) eſſe κοινωνίαν veri corporis Chriſti: & Calicem cui benedicimus (id eſt quem ſumendo beneficium Domini in morte Chriſti nobis datum εὐχαριστοῦντες atque εὐλογοῦντες celebramus) eſſe κοινωνίαν ejus ſanguinis. Etenim quum hæc Chriſtus inſtitueret, haud utique ambigebatur quid eſſet panis quoad ſubſtantiam, ſed quorſum à Chriſto in manus ſumeretur, frangeretur, diſtribueretur que: nimirum ut quoad uſum, inſtitutionem ac repræſentationem diſcipulis eſſet ipſiſſimum Chriſti corpus. Nec enim panis ſubſtantiæ ullam volebat Chriſtus novam conferre dignitatem, multòque minùs ejus accidentibus omni ſubſtantiâ exutis ſuum corpus quaſi novâ quâdam incarnatione unire & glutinare: ſed fidelem ſibi populum, quem ſanguinis effuſione & fractione corporis erat jamjam redemturus, hoc ſignificantiſſimo ſacramento ſecum in æternæ vitæ ſocietatem ac divinitatis participationem conjungere. Hoc eſt enim (ut in Evangelium Joannis tractatu 26. ſcribit Auguſtinus,) manducare illam eſcam & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto & in quo non manet Chriſtus, proculdubio non manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis, ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, &c. Quid ergo eſt? An non revera panis eſt corpus Chriſti? Eſt ſanè & quidem veriſſimè; & tamen non ſubſtantiâ, nec quoad ſubſtantiam; quemadmodum nec verbum Chriſti, Dei eſt verbum vel Dei voluntas quoad ſubſtantiam, ſed quoad uſum, inſtitutionem, ſignificationem, ac vivam ante oculos fidei repræſentationem. Veriſſimè tamen enuntiatur, verbum ex Chriſti ore prolatum eſſe verbum Dei; quemadmodum veriſſimè dicitur, panem in cœna à Chriſto in eum finem quem diximus ſumtum, eſſe ipſiſſimum Chriſti corpus. Sed quia ejuſmodi enuntiationes non ad ſubſtantiam rei de qua quæritur declarandam, ſed ad vim, uſum, inſtitutioniſque ſignificationem explicandam uſurpantur: ideò verbum, *Eſt*, quo attributum conjungitur cum ſubjecto, non poteſt ad ſubſtantiæ ullam immutationem, quæ hîc minimè ſpectatur, referri, ſed ad ſignificandum id quod eſt in dicentis mente atque intentione; quemadmodum in arcu cæleſti, non diſputatur à Moſe quid ſit arcus aut unde componatur, aut in quid mutetur & tranſſubſtantietur (nam Philoſophis has relinquit diſputationes) ſed quorſum à Deo uſurpetur inſtituaturque: nimirum ut ſit certum atque indubitatum ſignum fœderis divini cum genere humano. In Circumciſione item non ſpectatur quid ſit circumcidere præputium, quod ad ſubſtantiam vel cultelli vel præputii attinet: ſed quorſum ejuſmodi ſignum inſtituatur; ac proinde ipſum circumcidere verè dicitur eſſe fœdus inter Deum & Abrahamum ejuſque ſemen, & verè dicit Dominus pactum ſuum eſſe in carne Abrahami in fœdus ſempiternum. Similiter in Baptiſmo non quæritur quid ſit ſubſtantia aquæ: ſed quorſum illa nobis aqua fuerit data atque inſtituta, quò denique illa baptiſandi ſpectet ceremonia. Itaque verè dicitur illa ipſa aqua eſſe ablutio ſanguinis Chriſti, quia peccatorum ſordes in credentibus eluuntur; & verè in Baptiſmo Chriſtum induiſſe, & cum eo conſepulti eſſe dicimur. Non ait (ut Auguſtini verbis utar) ſepulturam ſignificamus, ſed prorſus ait conſepulti ſumus.

Sacramentum ergo tantæ rei non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit. Sunt hæc ita plana, aperta, irrefragabilia, ut nihil ambiguum, nihil hiulcum, nihil occurrat protuberans; & tamen probentur categoricè! Et primum quidem major propositio; nam de minori nulla potest esse dubitatio. Quotiescunque in sacramentorum, hoc est sacrorum signorum institutione, rerum signatarum (quæ ferè solent esse cœlestes atque spiritales) nomina tribuuntur rebus signantibus (quæ sunt terrenæ atque visibiles) per verbum, *Est*, toties non designari substantiam rerum significantium, sed usum, institutionem atque repræsentationem: alioqui non essent sacramenta, sed μεταμορφώσεις vel μετουσίαι seu transsubstantiationes. Probatur exemplis, ratione, Scripturâ & testimoniis. Exempla suppetunt infinita tum in rebus civilibus ac prophanis, tum in divinis ac cœlestibus. Quod enim in divinis ac sacris sunt sacramenta: idem in prophanis ac civilibus sunt signa atque ceremoniæ. Quoties igitur dicitur de annulo, vel de porrecta manu, hæc est fides quam tibi do; designatur non quæ sit substantia manus vel annuli, sed finis ac scopus significationis seu repræsentationis propter quam datur porrigiturve. De insigni aurei velleris dicitur, esse ordo regius seu φρατρία regia, sive domus Burgundicæ. De sceptro ac diademate dicitur esse regnum: De fascibus, cruce & lictoribus, dicitur esse justitia prætoris. Quâ loquendi formulâ nihil est vulgarius, nihil planius. Ita Christus dicit Joanni, *hæc est mater tua*; matri Mariæ, *hic est filius tuus*; non quidem transsubstantiatione (& tamen poterat rerum creator verbo efficere quidquid vellet) sed institutione, significatione ac repræsentatione. Sed malo hæc verbis Bernardi viri suâ ætate facilè omnium præstantissimi, quàm meis declarare: ut si veritati pondus adferre potest dicentis authoritas, non jam mihi, licèt vera dicenti, propter me, sed Bernardo credatur. Hæc igitur sunt ejus verba, hoc ipsum argumentum ex professo tractantis in Sermone de cœna Domini: „Sacramentum dicitur sacrum signum sive sacrum secretum. „Multa siquidem fiunt propter se tantùm, alia verò propter alia designanda, „& ipsa dicuntur signa, & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, „datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad „investiendum de hæreditate aliqua, & signum est: ita ut jam dicere possit „qui accipit: Annulus non valet quicquam, sed hæreditas quam quærebam. „In hunc itaque modum, appropinquans passioni Dominus, de gratia sua in„vestire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad „hæc instituta sunt sacramenta omnia: ad hæc Eucharistiæ participatio: ad „hæc pedum ablutio: ad hæc denique ipse Baptismus initium sacramentorum „omnium, in quo complantamur similitudini mortis ejus; unde & trina mer„sio tridui quod nunc celebrandum est formam gerit. Sicut enim in exteriori„bus diversa sunt signa: & ut cœpto immoremur exemplo, variæ sunt investi„turæ secundùm ea de quibus investimur; verbi gratiâ, investitur canonicus „per librum, abas per baculum, episcopus per baculum & annulum simul: „sicut, inquam, in hujusmodi rebus, sic & divisiones gratiarum diversis sunt traditæ sacramentis, &c. Hactenus Bernardus, qui nostram certè omnem sententiam hoc suo calculo ita disertè comprobavit, ut nihil addi potuisset, etiamsi de industria transsubstantiationis doctrinam voluisset jugulare. Sed

quid opus eſt in re tam clara unius Bernardi teſtimonio? Pleni ſunt omnes Grammaticorum, pleni Philoſophorum, pleni Juriſconſultorum libri ejuſmodi locutionibus, atque in omni noſtra vita nihil occurrit frequentius, nihil uſitatius. Quid enim audimus in civili hominum ſocietate crebrius quàm; hoc quod dico, quod ſcribo, quod enuntio, hæ tabulæ, hoc diploma, hæc ſyngrapha vel eſt regis edictum, vel eſt lex & voluntas populi, vel privilegium civitatis, vel eſt mea obligatio, vel denique eſt mea mens atque ſententia ſeu ultima voluntas. Hic codex eſt novum teſtamentum, hic liber eſt vita Imperatorum, vel fœdus populorum, non quidem ſuâ ſubſtantiâ, de qua non laboramus, (nihil eſt enim aliud ſi illam ſpectes niſi vel ſonus percuſſi aëris vel charta notis characterum exarata,) ſed ſignificatione, uſu, fine, atque inſtitutione ſeu intentione, ad quam exprimendam repræſentandamque ſive verba ſive characteres uſurpantur. In ſacris rebus arbor quâ vita repræſentatur, ſignificatur, exhibetur, dicitur arbor vitæ; quâ verò ſcientia boni & mali demonſtratur, boni & mali arbor eſſe dicitur. Sacrificia dicuntur nos Deo conciliare, eumque nobis reddere propitium, atque adeò eorum nidor dicitur Deo eſſe gratus ac fragrans odor, (quo nihil occurrit in Scriptura frequentius,) & peccata abolere, non quidem ipſa per ſe aut ſuæ ſubſtantiæ & naturæ vi, ſed Domini inſtitutione, quâ voluit illa nobis his rebus poni ob oculos. Ita agnus eſt paſcha ſeu tranſitus, ita Circumciſio eſt fœdus, ita Bethel eſt domus Dei, Arca fœderis eſt ipſe Jehova exercituum, ita columba eſt Spiritus Sanctus, ita denique vox in ore Iſaiæ ac reliquorum prophetarum atque Apoſtolorum reſonans eſt verbum Domini, Prædicatio Pauli eſt ſpiritus, eſt lux, eſt vita. Quo quid eſt frequentius, quid magis proprium aut magis uſitatum? Hîc nemo tamen impingit, nemo quærit an vocis humanæ ſubſtantia mutetur tranſſubſtantiatione in verbum Dei. Omnes quidem fatebuntur Deum omnia poſſe quæ velit, & quæcunque dicat eodem illo momento quo dixerit exſiſtere & eſſe certa atque indubitata, ac proinde poſſe verborum ſonis tribuere ſubſtantias quas velit: ſed tamen nemo eſt ita rerum omnium humanarum hoſpes atque omnis civilis ac popularis ſermonis ignarus, qui non intelligat illam vocem illaque verba efferri ac pronuntiari, non ut quid ſuâ ſint naturâ aut ſubſtantiâ diſputetur, ſed ut quid nobis ſignificent, exhibeant, repræſentent intelligatur. Verba enim reponuntur ab omnibus & disertè ab Auguſtino in eo ſignorum genere quorum omnis uſus in ſignificando eſt: Nemo enim utitur verbis niſi aliquid ſignificandi gratiâ: atqui ſacramenta rerum ſacrarum eſſe ſigna nemo eſt qui unquam dubitarit: Nam etſi ſunt res, ut Auguſtini utar verbis, tamen ita ſunt res ut aliarum ſint rerum ſigna, ita ut omnis eorum uſus in ſignificando conſiſtat: quo reſpectu meritò idem Auguſtinus appellavit ſacramenta verba viſibilia, & verba dixit eſſe ſacramenta vocalia. Utraque enim ad ſignificandum ac repræſentandum inſtituta ſunt. Hæc quidem ſemper & ubique ad ſignificandum: illa verò hactenus quoad ſunt ſacramenta. Itaque verè quidem & eleganter ab Ambroſio dicitur illud quod pro te videris allegare: *Panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum: ubi acceſſit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.* Eſt enim hoc extra controverſiam: panem quem frangimus in cœna Domini ejus mortem commemorantes & εὐχαριστοῦντες, non eò uſurpari ut ſit panis vel funga-

fungatur panis munere ac vi, ſed ut nobis exhibeat ac ſignificantiſſimè repræſentet ipſiſſimum Chriſti corpus pro nobis in ara crucis fractum, quod verè eſt panis ille qui de cœlo deſcendit & qui vitam dat hominibus. Jam igitur non eſt ampliùs panis, ſi ſpectes uſum inſtituentis ac finem inſtitutionis, ſed corpus ipſum, non quidem ſubſtantiâ, ſed repræſentatione atque exhibitione ac fine ipſo propter quem inſtitutus eſt, quemadmodum diſertiſſimè annuli exemplo ſuprà ex Bernardo probatum eſt. Hæc igitur enuntiatio Chriſti de pane ſumto, fracto ac dato, omnino eſt veriſſima, neque quidquam falſi continet ut arbitraris, etiamſi non recurramus ad duplicem illam ſignificationem verbi, *Eſt*. Una enim & ſimplex ejus eſt ſignificatio: Semper enim verbum, *Eſt*, ſignificat eſſe, ſed non ſemper ſignificat eſſe ſubſtantiam, aliquando qualitatem, aliquando quantitatem, aliquando relationem deſignat, aliquando aliam ex decem vocibus in categoriis pro ratione rerum de quibus eſt ſermo.

Hæc autem enuntiatio facta de pane, quemadmodum uno teſtantur ore omnes Evangeliſtæ atque Apoſtoli, *hoc eſt corpus meum*, eſt enuntiatio vera, propria & ſignificantiſſima, quemadmodum eſt illa Pauli: *Panis quem frangimus eſt communio corporis Chriſti*, non quidem ſubſtantiâ (quod & tu ipſe de hac poſteriore confiteris) ſed uſu, fine, inſtitutione. Quod ut intelligas, agnoſce ipſiſſima tua verba, Ampliſſime Domine; Ita enim ſcribis: Non tamen vult ibi Apoſtolus dicere quid ſit panis qui frangitur, ſed quid participatione hujus panis ſignificetur & efficiatur, &c.

Hic tibi nos ſi voles eſſe æquos, eamdem & tu nobis æquitatem præbe: nimirum non ſemper quoties uſurpatur verbum, *Eſt*, ſignificari quid ſit rei de qua agitur ſubſtantia, ſed ſæpe alibi & ſemper in ſacramentis deſignari quid illius participatione ſignificetur & efficiatur.

Vides nos nulla quærere diverticula, imò regiâ viâ quam tu nobis ſternis inſiſtere. Alioqui ſi obſtinatè clamabis verbum, *Eſt*, non dici niſi ad explicandas rerum ſubſtantias, ipſe te vide quomodo laqueo quem nobis poſueris extricabis. Nam ſi apud Paulum verbum, *Eſt*, uſurpatur non ad ſignificandam rei ſubſtantiam, ſed participationem ſeu ſignificationem rei, quemadmodum tu ipſe diſertè teſtaris: cur non idem nobis concedes fieri apud Matthæum, imò cur non & apud eumdem Paulum capite inſequenti de eodem prorſus argumento & ſacramento pertractantem?

Atque hactenus quidem de exemplis planis, perſpicuis atque uſitatis, in quibus omnibus haud quidem eadem ubique eſt ratio: nec enim ſi non aliquâ parte diſcreparent, quæ ſunt ſimilia dici omnino ſimilia poſſent: Sed in eo conveniunt planiſſimè omnia, quòd ſignis tribuantur nomina atque effecta rerum ſignatarum, & tamen non deſignent transformationes ſubſtantiarum, ſed tantùm rerum ſignatarum vivas tanquam imagines, repræſentationes ac ſignificationes. Rationem ſi quærimus, eſt omnino in promptu: ſed malo Auguſtini verbis explicari, propterea quòd video veritatem, etiamſi per ſe pondus habeat maximum, non poſſe tamen niſi authoritate dicentis fultam locum hodie obtinere: „Nunc (inquit Auguſtinus) nemo ambigit, per ſimilitudines li„bentiùs quæque cognoſci, & cum aliqua difficultate quæſita multò graviùs

„ veniri. Quemadmodum enim, idem ait Augustinus, nihil aliud iis Can-„ tici verbis, Dentes tui sicut, &c. hominem discere, quàm cùm illud planis-„ simis verbis sive similitudinis hujusmodi adminiculo auditur, tamen nescio „ quomodo suaviùs se intueri Sanctos, cùm eos quasi dentes Ecclesiæ videt „ præcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus emollitâ duritiâ quasi „ demorsos mansosque transferre, &c.

Planè eodem modo, etsi nihil homo discit aliud, ubi panis in Cœna exhibetur, frangitur, daturque, ac denique jubetur accipi, & asseritur esse corpus Christi quod pro nobis traditum est in ara crucis, nisi idipsum quod universa docet Scriptura, nos cum Christo ita esse unitos, ut simus os de ossibus ejus & caro de carne ejus, per mortis ejus efficaciam spiritus vi per fidem in nos transfusam: tamen nescio quomodo cùm panis manducandus exhibetur, atque id fieri in recordationem mortis Christi præcipitur, quasi in rem præsentem venientes videmur nobis Christum pro nobis crucifixum nostrumque factum & nos cum illo arctissimè conjunctos videre atque palpare. Ita quamvis illa locutio, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis*, sit figura quemadmodum docet Augustinus, nihil præcipiens aliud nisi passioni Domini esse communicandum, &c. tamen nescio quomodo & altiùs insidet animo ea figura, & efficaciùs præsentem nobis statuit mirificam illam atque arctissimam *κοινωνίαν*, & denique tenaciùs hæret in memoria. Theodoreti verba, quibus rationem hujus rei disertè explicat, paulò infrà commemorabimus, ubi ad testimonia veniemus.

Nunc satis est id constare: in universum sacramentorum omnium rationem illam esse, ut imbecillitati nostræ fidei succurratur. Et quemadmodum in Baptismo non modò auribus audimus nos ablutos Christi sanguine, sed etiam oculis ipsis quasi rem præsentem cernimus: Ita in Domini Cœna videmus nos non minùs arctè cum Christi carne & sanguine conjunctos esse, quàm panis & vinum cùm nostri corporis substantia copulentur unianturque; ac proinde carnem ejus verè nobis esse cibum & sanguinem verè esse potum, quorum adminiculis unum fiamus cum illo, sicut ipse unum est cum patre cœlesti; quemadmodum ipsa veritas, cap. Joan. 6. luculenter docet; cujus certè doctrinæ nobis in sacrosanctæ Cœnæ institutione illustre ac præclarum quasi speculum, tesseram ac sacramentum exhibet.

„ Alioqui (ut idem ait Augustinus) miserabilis profectò est animæ servi-„ tus: signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis „ ad hauriendum æternum lumen levare non posse. Inter hæc autem signa disertè ab eo reponuntur Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.

„ Quæ unusquisque (inquit) cùm percipit, quò referantur imbutus agnos-„ cit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potiùs libertate veneretur. Scri-„ pturam autem apertissimè idem significare ex superioribus facilè elucescit. Christus enim quum de pane dixisset, *hoc esse suum Corpus*; dixit de Calice, *hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine*. Tu quidem vis illam hâc esse clariorem orationem: & tamen asseveras illam falsam futuram, nisi novâ significatione verbi, *Est*, muniatur; & non ignoras de illa multis seculis Christianum

ſtianum orbem fuiſſe digladiatum, de hac poſteriori nullam unquam ne minimam quidem exſtitiſſe controverſiam vel ambiguitatem. Et tamen ſi maximè ita ut dicis ſe res haberet, & illa per ſe eſſet clariſſima, hæc verò omnium obſcuriſſima: nihilominus quando inter nos de illa controvertitur, de hac nihil ambigitur, omnino eſt æquius hanc ab illa, quàm ab hac illam ſumere interpretationem. Quare ſepoſitâ omni contentione adaptemus utrobique eadem verba, & dicamus, quemadmodum hæc oratio, *hoc poculum eſt novum teſtamentum in meo ſanguine*, idem ſignificat quod illa, *hic eſt ſanguis novi teſtamenti qui pro vobis effunditur:* ita illam orationem, *hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur*, idem penitus ſignificare quod, *hic panis eſt novum teſtamentum in meo corpore quod pro vobis frangitur*. Ecquis nunc eſt homo ſanæ mentis, qui non è veſtigio ſententiam Chriſti planiſſimè aſſequatur: nimirum, panem illum inſtitui ut ſit διαθήκη ſeu teſtamentum ſeu fœdus atque contractus Chriſti morientis nobiſcum, quo ſe obligat nobis dare ſuum corpus, atque illud ipſum quaſi præſens exhibet, ut certò ſtatuamus nos cum eo indiſſolubili nexu conjunctos eſſe atque copulatos. Huic jam adjunge Pauli ſententiam Domino ſuo adſtipulantis, dicentiſque: *Panis quem frangimus eſt communio corporis Chriſti:* id eſt, ut tu ipſe interpretaris, participatione hujus panis quem frangimus ſignificatur nobis corpus Chriſti.

Quid jam reſtat ambiguum, quid obſcurum! Et tamen ſi Scripturam adhuc penitiùs introſpicias, ut nimirum (quod longè tutiſſimum eſſe docet Auguſtinus) quod habet controverſiam ex eadem Scriptura ubicunque inventis atque adhibitis ejus teſtibus terminetur: nihil vetabit quominus certam atque irrefragabilem hujus loci eruamus interpretationem, & tranſſubſtantiationi oculos configamus. Cùm enim Chriſtus jubet hoc fieri in ſui memoriam, quum Paulus hâc ſacramenti celebratione mortem Domini docet annuntiari, quum Chriſtus ipſe cap. Joan. 6. carnis ſuæ manducationem & potionem ſanguinis his verbis explicat: „ Qui venit ad me non eſuriet & qui credit in me non ſitiet „ in æternum: & paulò pòſt, verba quæ dixit teſtatur eſſe ſpiritum & vitam, „ propterea quòd caro non proſit quicquam, ſed ſpiritus ſit qui vivificat, & ſimul animos audientium ad aſcenſionis ſuæ in cœlos conſiderationem revocat: an non manifeſtè docet non eſſe nobis de ſubſtantiarum corporalium tranſmutatione quicquam laborandum, ſed illis ſacramentorum vehiculis ad cœleſtis illius corporis conjunctionem per vim ſpiritus mediante fide compactam mentes noſtras evehendas, quemadmodum & ipſius Niceni Concilii canone elegantiſſimè & clariſſimè dicitur.

Quid verò, cùm Paulus infinitis locis panem poſt conſecrationem non minùs panem appellat quàm ante: an non manifeſtè tranſſubſtantiationis commentum evertit? *Panis* (inquit) *quem frangimus eſt communio corporis Chriſti.* Et addit rationem, quæ nulla poteſt eludi cavillatione, *quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus: nam omnes de uno pane participamus:* &, *Quotieſcunque hunc panem manducaveritis, mortem Domini annuntiabitis:* &, *Quicunque manducaverit hunc panem indignè, reus erit corporis Domini.* Et: *Probet ſeipſum homo antequam de pane illo edat.* Et ſemper profectò in veteri eccleſia, cui erat ignotum tranſſubſtantiationis commentum, hujus ſacramenti participatio panis fractio nominata eſt.

Hæc omnia siquis cavillando velit eludere, nihil erit tam firmum, nihil tam sanctum, nihil tam perspicuum, quod ejusmodi non violet atque obscuret audacia. Et tamen si nulla possunt Domini eloquia intelligi nisi ab hominibus lumen accipiant, audiamus Patrum testimonia, quos ego libenter sanè dabo magnificè ac nonnunquam etiam hyperbolicè de sacramentis locutos esse, ita ut & baptismi aquæ vim ac nomen Spiritus Sancti, & pani elemento corruptibili corporis Christi & nomen & effecta persæpe tribuerint. Nec mirum: habuerunt præeuntem magistrum qui eâ ratione voluit, quid nobis ejusmodi carnalibus elementis exhiberet, significanter ob oculos ponere. Sed quoties ad interpretationem veniunt, toties profectò manifestissimè declarant elementum panis non esse rem eam quæ significetur, sed signum seu significationem, seu sacramentum seu mysterium rei cœlestis, quæ nobis exhibeatur cœlitùs. Sed paucos adducam, ne multitudine testimoniorum veritatem in dubium videar revocare.

Augustinus certè, quem inter cæteros facilè principem dixeris, quique hanc controversiam infinitis locis apertissimè decidit, ubi contra Adimantum
Tom. 6. cap. 12. Manichæum disputans, ejus insaniam refutat allegantis verba Mosis, *quòd sanguis sit carnis anima*, ita scribit:

„Nam ex eo quod scriptum est sanguinem pecoris animam ejus esse, præter „id quod suprà dixi, non ad me pertinere quid agatur de pecoris anima, possum etiam interpretari præceptum illud in signo esse positum: non enim Dominus dubitavit dicere, *Hoc est corpus meum*, cùm signum daret corporis „sui, &c.

Hæc si bonâ fide conferantur cum iis quæ primo & 2. libro de doctrina Christiana docet de signis & rebus signatis, quis non videt ita esse plana atque perspicua ut nullâ possint tergiversatione eludi? Sed ipsemet se paulò inferiùs clariùs explicat, ita ut nullæ interpretationi alienæ locus relinquatur. „Ait enim „eodem illo capite, idemque prosequens argumentum: Sed quamvis de pecorum animis non curemus, cum quibus non habemus rationis aliquam societatem: tamen illud quod lex dicit, fundendum esse sanguinem nec in escam „assumendum, quia sanguis est anima, esse positum in signo dicimus sicut alia „multa: & penè omnia Scripturarum illarum sacramenta signis & figuris plena „sunt futuræ prædicationis, quæ jam per Dominum nostrum Jesum Christum „declarata est. Sic est enim sanguis anima, quomodo petra erat Christus, sicut dicit Apostolus: *Bibebant enim de spiritali sequente eos petra, petra autem „erat Christus.* Notum est autem filios Israel petrâ percussâ bibisse aquam in „eremo: de quibus loquebatur Apostolus cùm hæc diceret. Nec tamen ait, „petra significabat Christum, sed ait, petra erat Christus. Quæ rursus ne „carnaliter acciperetur, spiritalem illam vocat, id est, illam spiritaliter intelligi docet. Longum est & nunc non necessarium sacramenta ejusdem legis exponere, nisi cùm breviter possint: sufficit autem ut noverint illi qui de „his calumniantur, non ea nos ita intelligere, ut illi solent irridere, sed quemadmodum Apostoli omnia intelligentes pauca exposuerunt, ut ad easdem „regulas cætera posteris intelligenda relinquerent, hactenus Augustinus. An verò est ulla tanta vis ingenii quæ huic tam claræ luci nebulas possit offundere,

&

& Augustini sententiam verborum aut sophismatum involucris obscurare? Itaque fateamur panem esse corpus Christi, & quidem eum mutatum esse in corpus Christi, transelementatum in ejus carnem: sed ubi ad interpretationem veniendum est, ne signa pro rebus serviliter accipiamus, sed apertè & planè cum Augustino dicamus, hæc omnia in signo esse posita. Ac proinde frustra conaris, Vir doctissimè, eumdem Augustinum in castra tua pellicere, dicentem:

„Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac enim similitudine plerumque etiam ipsa rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est, &c.

Quod enim tu ais his verbis significari hunc loquendi modum, Sacramentum corporis Christi est corpus Christi, non esse proprium & consuetum, planè à nobis facit. Dicimus enim esse modum loquendi sacramentalem, quo nimirum tribuitur signo quod est rei signatæ. Nimis enim sunt manifesta Augustini verba quàm ut ejusmodi nebulis possint obfuscari: hæc enim præcedunt:

„Nempe sæpe ita loquimur ut paschâ propinquante dicamus, crastinam vel perendinam Domini passionem, cùm ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit, nempe ipso die dominico dicimus, hodie Dominus resurrexit, cùm ex quo resurrexit tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundùm illorum quibus hæc gesta sunt similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse dies qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus; & dicatur eo die fieri propter sacramenti celebrationem, quod non illo die sed jam olim factum est. Nonne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in sacramento non solùm per omnes paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur: nec utique mentitur qui interrogatus responderit eum immolari: si enim sacramentum quamdam similitudinem earum rerum, &c. ut supra.

Quæ verba si quis arte sophisticâ possit eludere, haud ego quicquam tam esse planum, tam clarum atque perspicuum dicam quod idem non possit in tenebras convertere. *Tom. 2. epist 23. ad Bonifacium.*

His addo quod suprà allegavimus: figuram esse quum jubet carnem & sanguinem suum manducari, &c. cùm in psal. 3. admirans Christi bonitatem dicit, eum adhibuisse Judam ad convivium in quo corporis sui figuram discipulis commendavit & tradidit. Possem sexcenta ejusmodi loca ex Augustino proferre: sed hæc satis sint ei qui manifestæ veritati non volet refragari.

Tertullianus verò, qui ætate illum præcessit, an ulla in re cum eo discrepat, ubi adversùs Marcionem lib. 1. ex universæ & Catholicæ Ecclesiæ sententia scribit:

„Sed ille quidem usque nunc neo aquam reprobavit creatoris quâ suos abluit, nec oleum quo suos unxit, nec mellis & lactis societatem quo suos pavit,

„ nec panem quo ipsum corpus suum repræsentat, etiam in sacramentis propriis „ egent mendicitatibus creatoris, &c. Et paulò pòst:

„ Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit, panem corpus suum „ appellans, ut & hinc jam eum intelligas corporis sui figuram panem dedisse, „ cujus retrò corpus in panem prophetes figuravit, ipso Domino hoc sacramen- „ tum posteà interpretaturo.

Et lib. 4.

„ Professus itaque se concupiscentiâ concupisse edere pascha, ut suum (in- „ dignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & di- „ stributum discipulis, corpus suum illum fecit, *hoc est corpus meum* dicendo, „ id est figura corporis mei; figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. „ Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest; & quæ „ sequuntur: Quæ sanè si non sunt meridianâ luce clariora, nihil ego profectò video. His accedat Theodoretus in dialogo qui dicitur ἄτρεπτος:

Ορθόδοξος. ὁ δέ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα, καὶ τῷ μὲν σώματι τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα, τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος. οὕτως ἄμπελον ἑαυτὸν ὀνομάσας, αἷμα τὸ σύμβολον προσηγόρευσεν. Ερανιστής: Τοῦτο μὲν ἀληθῶς εἴρηκας· ἐβουλόμην δὲ τὴν αἰτίαν μαθεῖν τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς.

Ορθο. δῆλος ὁ σκοπὸς τοῖς τὰ θεῖα μεμυημένοις. ἠβουλήθη γὰρ τοὺς τῶν θείων μυστηρίων μεταλαγχάνοντας, μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἀπαλλαγῆς πιστεύειν τῇ ἐκ χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ. ὁ γὰρ δὴ τὸ φύσει σῶμα σῖτον καὶ ἄρτον προσαγορεύσας, καὶ αὖ πάλιν ἑαυτὸν ἄμπελον ὀνομάσας οὗτος τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς.

„ Quæ possunt ita Latinè reddi: *Orthodoxus*. Noster sanè servator nomi- „ na permutavit, & corpori quidem symboli nomen dedit, symbolo verò „ corporis. Ita seipsum vitem nuncupavit & symbolum sanguinem appella- „ vit.

„ *Eranistes*. Hoc tu quidem verè dixisti, sed velim rationem hujus nominum „ permutationis ex te intelligere.

„ *Orthod.* Perspicuus certè scopus est iis qui sacris sunt imbuti. Voluit enim „ eos qui sacris mysteriis participant nequaquam eorum quæ oculis cernuntur „ naturæ intentos esse, sed per nominum permutationem adduci, ut crede- „ rent ei, quæ per gratiam fit, commutationi. Nam qui, quod natura erat cor- „ pus, panem & cibum appellavit seque ipsum vitem nuncupavit, idem sym- „ bola aspectabilia corporis & sanguinis nomine decoravit, non quidem natu- „ ram immutans, sed naturæ gratiam adjiciens.

Hæc certè ita sunt clara ut nihil planius dici possit: Et tamen in eo dialogo, quem inscripsit ἀσύγχυτος, hoc argumentum etiam fusiùs explicat. Quæ verba quia omnem istam controversiam luculentissimè definiunt, libet hic adjicere.

Ορθόδοξος: Εἰπὲ τοίνυν τὰ μυστικὰ σύμβολα παρὰ τῶν ἱερωμένων τῷ θεῷ προσφερόμενα, τίνων ἐστὶ σύμβολα;

Ερα.

Ερανιστής: Τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε καὶ αἵματος.

Ορθό. Τοῦ ὄντως σώματος, ἢ οὐκ ὄντως;

Ερανιστής. Τοῦ ὄντως.

Ορθ. ἄριστα. χρὴ γὰρ εἶναι τὸ τῆς εἰκόνος ἀρχέτυπον. καὶ γὰρ οἱ ζωγράφοι τὴν φύσιν μιμοῦνται, καὶ τῶν ὁρωμένων γράφουσι τὰς εἰκόνας. Ερα. ἀληθῶς.

Ορθ. Εἰ τοίνυν τοῦ ὄντως σώματος ἀντίτυπα ἐστὶ τὰ θεῖα μυστήρια, σῶμα ἄρα ἐστὶ καὶ νῦν τοῦ δεσπότου τὸ σῶμα οὐκ εἰς θεότητος φύσιν μεταβληθὲν, ἀλλὰ θείας δόξης ἀναπλησθέν. Ερα. Εἰς καιρὸν τὸν περὶ τῶν θείων μυστηρίων ἐκίνησας λόγον, ἐντεῦθεν σοὶ γὰρ δείξω τοῦ δεσποτικοῦ σώματος τὴν εἰς ἑτέραν φύσιν μεταβολήν. ἀπόκριναι τοίνυν πρὸς τὰς ἐμὰς ἐρωτήσεις.

Ορθ. ἀποκρινοῦμαι. Ερα. Τί καλεῖς τὸ προσφερόμενον δῶρον πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως.

Ορθ. Οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν. εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτους παρεῖναι. Ερα. αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔστω.

Ορθ. Τὴν ἐκ τοιῶνδε σπερμάτων τροφήν.

Ερα. Τὸ δὲ ἕτερον σύμβολον πῶς ὀνομάζομεν;

Ορθ. Κοινὸν καὶ τοῦτο ὄνομα, πόματος εἶδος σημαῖνον. Ερα. Μετὰ δέ γε τὸν ἁγιασμὸν, πῶς ταῦτα προσαγορεύεις;

Ορθ. Σῶμα Χριστοῦ καὶ αἷμα Χριστοῦ. Ερα. καὶ πιστεύεις γε σώματος Χριστοῦ μεταλαμβάνειν καὶ αἵματος;

Ορθ. οὕτω πιστεύω. Ερα. ὥσπερ τοίνυν τὰ σύμβολα τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε καὶ αἵματος, ἄλλα μὲν εἰσὶ πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως, μετὰ δέ γε τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται καὶ ἕτερα γίνεται, οὕτω τὸ δεσποτικὸν σῶμα μετὰ τὴν ἀνάληψιν, εἰς τὴν οὐσίαν μετεβλήθη τὴν θείαν.

Ορθ. ἑάλως αἷς ὕφηνας ἄρκυσιν. οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι καὶ ἁπτὰ, οἷα καὶ πρότερον ἦν νοεῖται, δὲ ἅπερ ἐγένετο καὶ πιστεύεται. Παράθες τοίνυν τῷ ἀρχετύπῳ τὴν εἰκόνα καὶ ὄψῃ τὴν ὁμοιότητα. Χρὴ ἐοικέναι τῇ ἀληθείᾳ τὸν τύπον, καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα τὸ μὲν πρότερον εἶδος ἔχει καὶ σχῆμα καὶ περιγραφὴν καὶ ἁπαξαπλῶς εἰπεῖν τὴν τοῦ σώματος οὐσίαν, ἀθάνατον δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν γέγονε καὶ κρεῖττον φθορᾶς καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν ἠξιώθη καθέδρας καὶ παρὰ πάσης προσκυνεῖται τῆς κτίσεως ἅτε δὴ σῶμα χρηματίζον τοῦ δεσπότου τῆς φύσεως.

Hæc ita Latinè.

Orthodoxus. Dic igitur; ſymbola myſtica quæ à ſacra facientibus Deo offeruntur, quarum rerum ſunt ſymbola? *Era.* Corporis & ſanguinis Dominici.

Orthod. Corporiſne quod verè exiſtit, an quod non verè. *Era.* Quod verè exiſtit.

Orthod. Optimè: neceſſe eſt enim imaginis quoddam eſſe exemplar atque archetypum: nam & pictores naturam imitantur, & rerum aſpectabilium formas effingunt. *Era.* Ita eſt.

Orth. Quòd ſi igitur divina myſteria corporis reverâ exiſtentis ſunt antitypa; ſanè & nunc quidem Domini corpus reverâ corpus eſt, non quidem in deitatis naturam commutatum, ſed divinâ gloriâ impletum.

Era. Næ tu opportunè de divinis myſteriis ſermonem injeciſti. Hinc etenim

tibi

tibi Dominici corporis in aliam naturam permutationem commonstrabo. Age itaque responde ad meas interrogationes.

Orthod. Respondebo. *Era.* Quo nomine vocas donum quod offertur ante sacerdotalem nuncupationem?

Orthod. Haud fas est palam effari, verisimile est enim quosdam hîc adesse nondum initiatos. *Era.* Ænigmaticè itaque respondeto?

Orthod. Voco alimentum ex certis granis compositum.

Era. Alteri verò symbolo quod nomen damus?

Orthod. Commune etiam nomen quod potus quamdam speciem denotet. *Era.* At verò post sanctificationem quibus ea nominibus appellas?

Orthod. Corpus & sanguinem Christi. *Era.* Et credis omnino corporis & sanguinis Christi fieri participem?


Orthod. Ita credo. *Era.* Quemadmodum igitur symbola corporis & sanguinis Domini alia quidem sunt ante sacerdotalem nuncupationem, posteà verò immutantur & alia fiunt: ita planè & corpus dominicum post assumptionem in essentiam commutatum est divinam.

Orthod. næ tu iis quæ tetendisti retibus ipse captus es: neque enim post sanctificationem symbola mystica propriam exuunt naturam, (permanent enim in priori substantia, figura & specie, & sunt non minùs aspectabilia & palpabilia ac priùs,) sed mente & cogitatione comprehendenda sunt ea quæ facta sunt & creduntur. Nunc itaque exemplari huic & archetypo imaginem adaptato, & planè cernes similitudinem; oportet enim veritati similem esse figuram. Etenim & illud corpus retinet priorem quam habuit figuram, formam & circumscriptionem, & ut breviter dicam ipsam corpoream essentiam: post resurrectionem autem factum est immortale & omnis corruptionis planè expers & ipsâ etiam ad dexteram sessione dignum atque ab universa creatura, utpote quæ verè corpus ejus dicitur qui naturà Dominus est, adorandum.

Possem ex Irenæo, Origene, ex Clemente Alexandrino, ex Cypriano, Ambrosio atque Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, Macario, Maximo, aliisque infinitis ejusmodi luculentissima atque certissima testimonia depromere, planissimèque demonstrare universæ Ecclesiæ sensum à Christo nato adusque Bertrami tempora, qui hac de re librum de industria conscripsit sub ætatem Caroli (ni fallor) Crassi, certum atque constantem semper fuisse. Posteà verò quàm horrenda illa Gothorum vastatio ecclesiæ justo Dei judicio pro virtute libidinem, pro justitia tyrannidem, pro pietate superstitionem invexerat sub Nicolai tempora, qui Berengarium rectè atque orthodoxè sentientem canere coëgit palinodiam, tum primùm Romanorum Pontificum fulminibus, universum propè terrarum orbem territantibus, invecta est hæc de transsubstantiatione doctrina. Sed nolo veritatis luci manifestissimæ conquisitorum testium multitudine facere præjudicium, ne videar doctrinæ orthodoxæ atque ecclesiasticæ aliud amplecti fundamentum aliudque κρίσιν, nisi unam ac solam sacræ Scripturæ doctrinam, cui quamdiu consenserint Patres non verebor eos laudare ac venerari, sin autem ab ea desciverint, haud mihi sanè pluris erunt quàm fuit Augustino synodus Ariminensis, vel nobis est Tridentina.


Sed

Sed quia longior fui quàm ſperaram, nolo in hujus novæ quæſtionis campum digredi; ad epiſtolam enim illam tuam quam reſponſioni de ſacramentis adjeciſti reſpondebo aliàs. Interea hoc meum ſcriptum rogo ut boni conſulas, & ſi quâ parte erro, Scripturis, ratione & probatiſſimorum teſtium authoritate errorem commonſtres, ſin minùs, vel ipſe veritati locum des, vel nos certè propter veritatis teſtimonium multa indigna patientes tuo patrocinio tueare. Vale, Vir Ampliſſime, meque tui eſſe obſervantiſſimum tibi certò certiùs perſuade.



MICHAELIS BAII
RESPONSIO
AD EA QUÆ
MARNIXIUS
OPPOSUIT EJUS
RESPONSIONI
AD QUÆSTIONES DE
SACRAMENTO ALTARIS.

Generoſo, Nobili Eruditiſſimoque viro, Domino Philippo Marnixio Sanctaldegondo.



De Ectâ reſponſione tuâ ad ea quæ de poſterioribus quæſtionibus tuis, quantùm Deus largiri dignatus eſt, diſſerui, eruditiſſimè D. Sanctoaldegonde: deprehendi te diſputationi meæ minùs conſentire, quòd non ſatis aſſecutus ſis quomodo vel dicta mea ſibi conſentiant, vel quibus firmentur argumentis. Et inter ea quæ diſcrepare exiſtimas, imprimis profers, quod dixi verbum ſubſtantivum, EST, uſitatâ ſuâ ſignificatione ſubſtantialitatem notare: cùm tamen ante præmiſerim enuntiationes ſimplices in quibus alterum de altero mediante verbo ſubſtantivo, EST, enuntiatur, aliquando proferri intentione aſſerendi id quod eſt priuſquam talis enuntiatio proferri incipiat, aliquando verò intentione faciendi id quod nondum eſt quando ejuſmodi oratio enuntiari incipit, ſed tunc demum erit quando ipſa enuntiatio abſoluta fuerit.

Hanc enim diſtinctionem ſic accepiſti, quaſi dixiſſem verbum ſubſtantivum, EST, bifariam accipi, aliamque ſignificationem habere in iis enuntiationibus quæ tantùm proferuntur intentione aſſerendi quod præfuit, & aliam in iis quæ dicuntur intentione faciendi quod tali enunciatione deſignatur. Id quod neque dixi, neque ſignificare intendi.

Sed tantùm volui oſtendere, enuntiationes quaſdam manente eâdem uſitatâ & genuinâ omnium vocum ſignificatione, poſſe aliâ & aliâ intentione dici:

nempe

nempe intentione asserendi quod præfuit, & intentione faciendi quod non præfuit, sed quod tum demum erit quando ejusmodi enuntiatio absoluta fuerit. Et quia satis suspicabar istud posterius enuntiationum genus à te minus observatum; conatus sum illud comprobare, non tantùm sermone jurisconsultis noto, sed etiam tribus sacræ Scripturæ testimoniis: quorum duo satis leviter attigisti; sed tertium, tanquam huic rei impertinens, omnino præteriisti: in quo tamen tantâ evidentiâ ostenditur, unam & eamdem enuntiationem, manente prorsus eâdem vocum significatione, posse proferri & intentione faciendi quod non præfuit, & intentione significandi quod præfuit: ut non nisi absurdissimè negari possit. Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum: abiit & rogavit Jesum ut sanaret filium ejus: tandem dicit ei Jesus: filius tuus vivit: & hoc dicendo sanavit eum, sicut etiam postea à ministris sibi occurrentibus cognovit. Hîc significavit Jesus, non quod præfuit, sed quod hæc dicendo fecit: nempe quod filius ejus viveret, id est sanus esset. Descendente regulo, servi occurrerunt ei, & indicaverunt dicentes quia filius ejus viveret: ergo & hi dixerunt regulo filius tuus vivit; non aliâ vocum significatione, sed prorsus aliâ intentione; quia Christus regulo dixerat, filius tuus vivit, intentione faciendi quod dicebat: servi verò dixerunt eidem, filius tuus vivit: non intentione faciendi quod priùs non erat, sed intentione nuntiandi quod jam esse gaudebant, & ipsum regulum gavisurum esse sciebant. Accipe exemplum aliud: Cùm Jesus ex cruce vidisset matrem & discipulum stantem quem diligebat: dicit matri suæ, non de seipso sed de discipulo: *mulier, ecce filius tuus:* deinde dicit discipulo, *ecce mater tua: & ex illa hora accepit eam discipulus in suam.*

Quæro an Jesus hîc matri & discipulo dixit quod præfuit, an potiùs quod suis verbis effecit? certè si præfuisset, non subjecisset Evangelista, quòd ex illa hora, nempe quâ hoc audivit à Domino, accepit eam discipulus in suam: non significatione (ut ais) sed adoptione, sicut etiam in civilibus fieri solet. Sicut enim Christus mandando multa effecit, quæ nos iisdem verbis & eâdem significatione acceptis tantùm præcipere solemus: ut, *surge, tolle grabatum tuum, & ambula: Lazare veni foras: Extende manum tuam: Respice,* &c. sic etiam per præsens enuntiando multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eâdem significatione acceptis, præfuisse significamus. Jam puto intelligis me, dicendo, enuntiationes in quibus alterum de altero enuntiatur, mediante verbo substantivo, EST, aliquando proferri intentione asserendi quod præfuit, aliquando verò proferri intentione faciendi quod non fuit, sed quod tunc primum esse incipit quando prolata est oratio; non geminasse verbi substantivi, EST, notionem, sed semper genuinam & usitatam servasse, quæ substantialitatem significat: ac proinde non esse contrarietatem, quam in meis scriptis contrarietatem esse putasti, sed meram & apertam veritatem solidis & manifestis Scripturæ sacræ testimoniis sufficienter comprobatam.

Aliam contradictionem attulisti, quòd dixerim apud Evangelistas verba Christi, *accipite & comedite*, non debere construi cum nomine, *panem*, quod præcessit, quando Evangelista ait: *Accepit Jesus panem*; quia ibi de communi pane loquitur, quem Ambrosius usitatum vocat. Sed dixi debere construi cum

eo quod sequitur: *hoc est corpus meum*; vel cum eo quod intelligitur; panem benedictum & consecratum. Quasi videlicet hæc inter se opponantur: verbum, *comedite*, non construitur cum nomine, *panem*, quod præcessit: quia significat panem usitatum; sed construitur cum nomine, *panem benedictum & consecratum*, quod intelligitur: cùm manifestum sit panem benedictum & consecratum jam ampliùs panem non esse: sed in Christi corpus esse mutatum: sicut aqua in vinum mutata jam ampliùs non est aqua sed vinum: & homo mortuus non ampliùs est homo sed cadaver. Non est igitur sibi contrarium verba Christi, *Accipite & comedite*, non construi cum nomine, *panem*, quod præcessit, sed cum eo quod sequitur, *Hoc est corpus meum*: vel cum eo quod intelligitur, *panem benedictum & consecratum*: sicut construit Ambrosius.

Longum esset cuncta prosequi, nunc præsertim occupationibus me aliò vocantibus: ne etiam per occasionem particularium difficultatum, quas Deo juvante posteà per otium carptim excutiemus, caussæ caput prætereamus. Nosti enim cardinem, in quo vertitur summa nostræ controversiæ esse; in qua, imò in utra significatione accipi debeat verbum substantivum, EST, cùm ait Christus: *hoc est corpus meum*; an ut substantialitatem designet, an verò ut ponatur pro verbo, *significat*. Ambo dicimus propriam & genuinam significationem verbi, EST, esse, ut substantialitatem designet. Fatemur etiam propositionem hanc, *hoc est corpus meum*, veram esse non posse, si verbum substantivum, EST, in propria significatione sumatur, & simul ad id respiciatur quod ante horum verborum prolationem exstitit. Nam verum esse non potest, quòd hoc, id est, hic panis in sua substantia permanens, sit corpus Christi: & nihilominus (ne in Christum, qui veritas est, blasphemi simus) ambo defendimus verum esse quod accepto pane dixit, *hoc est corpus meum*. Sed tu hanc veritatem defendis, dicendo verbum, EST, non accipi in usitata & genuina significatione, sed pro verbo, *significat*, quasi dixisset: hic panis significat corpus meum. Ego verò, imò Catholica fides defendit, sententiam hanc à Christo prolatam veram esse, accipiendo verbum substantivum, EST, in sua genuina significatione: sed addit, Christum hanc sententiam protulisse, non respiciendo ad id quod erat priusquam eam enunciaret, sed ad id quod his verbis faciebat, & quod futurum erat ultimo momento prolationis eorum: quasi dixisset: hoc quod ex hoc pane verbis meis facio, est corpus meum. Et ut ostendam hunc loquendi modum Christo non fuisse inusitatum, alia ejus verba profero quibus regulo dixit: filius tuus vivit: dixit matri suæ de Joanne Apostolo, *Ecce filius tuus*: dixit ipsi Joanni, *Ecce mater tua*: quibus verbis non intendit significare quod præfuerat, sed facere quod nondum erat: sicut suprà latiùs prosecuti sumus. Imò etiam verbo præterito significavit quod non præfuit, sed tantùm prolatâ oratione perfecit, dicens: *Mulier, dimissa es ab infirmitate tua*. Quia igitur hujus collationis initio tam gratanter accepisti, quod dixi, judicium de Christi Ecclesia ex sola Scriptura juxta D. Augustinum peti debere, cui etiam subjecisti reliquas controversias nullo negotio compositum iri, si ad verba Domini Salvatoris Scripturis sanctis tradita tanquam ad Lydium lapidem explorentur: oro, ut quemadmodum ego multis & certis Scripturæ sacræ testimoniis ostendi Christum verbis indicativis præsentis temporis imò

&

& præteriti sine ulla æquivocatione tam præcedenti quàm præsenti scripto sæpius significasse, non quod præfuerat antequam loqui inciperet, sed quod suis verbis faciebat: sic etiam certa proferas testimonia, in quibus Christus verbo substantivo, EST, usus sit pro verbo, *significat*, præsertim dicendo simpliciter, hoc est illud: ut omnibus ex utraque parte diligenter consideratis, faciliùs videri queat utri parti magis adhærendum sit: præsertim cum & Veteres omnes & omnia Concilia quæ hujus quæstionis mentionem fecerunt, eam partem amplexa sint quam tuemur, & contrariam expresè damnaverint. Nullum enim unquam audivi designari Concilium in quo vestra sententia probata sit.

Fateor Berengarium primum eam in medium protulisse: sed sicut eam primus attulit, sic eam primus bis terve abjurando, & quantùm memini, in abjuratione moriendo, jugulavit. Quod ais, multos pro hac sententia subiisse mortem, non me movet: tum quia plures pro veritate catholica oppetierunt mortem, tum etiam quia Donatistæ & alii plures hæretici similia prætendentes semper ab Ecclesia contemti sunt. Nam ubi quis pro justitia moritur, veritatis testificatio est: ubi verò pro errore, obstinationis est miseranda ostentatio. Quod fieri posse testatur Apostolus, cum ait: Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest. Martyrem non facit pœna, sed caussa; si videlicet pro justitia moriatur: sicut Dominus definivit dicens: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Sed de his hactenus. Hoc unum te suppliciter oro, optime Domine, quod & fratrem proprium si tuo loco esset obnixè rogarem, ut diligenter expenso libello D. Augustini de unitat. Eccles. prudentia tua consideret, an audeat confidere se esse in Christi Ecclesia, extra quam salus esse non potest; quia in die judicii nos non juvabit tergiversatio & subtilis defensio positionis, sed humilis, simplex & aperta veritatis confessio, quam in mansuetis & humilibus operatur Deus. Bene vale. 18. Decemb. 1577.

Scio non tantùm seculares libros vulgaresque sermones, sed etiam sacros libros tam novi quàm veteris testamenti plenos esse parabolis, allegoriis, tropis, aliisque figuratis locutionibus: sed ego eum tropum quæro in Scripturis sacris usurpatum, secundùm quem verbum substantivum, EST, pro significat ponatur, quia nondum videor mihi illum reperisse: Nam ubi Christus propter aliquam proprietatis similitudinem significatur esse leo, agnus, petra, serpens, hircus, aut aliud ejusmodi, non est æquivocatio aut tropus in verbo substantivo, EST, sed illâ ingenuina sua significatione permanente, tropus in attributo quæritur, idque ex justa aliqua necessitate, sicut lib. 3. de doctrina Christi cap. 16. à te citato docet Augustinus; quapropter si in his sententiis, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, tropus aliquis esset, is (ut tuâ pace dicam) non esset quærendus in verbo substantivo, EST, sed aut in pronominibus, *hic & hoc*, quæ subjiciuntur, aut in orationibus, *corpus meum, & sanguis meus*, quæ de pronominibus enuntiantur. Qui tropus specialiter probandus esset, non ex aliis vocibus, sed ex ea ipsa in qua tropus esse asseritur. Non enim sequitur, agnus, leo, serpens, tropo Christum significant, ergo & quævis alia vox. Hæc celeriter dicto & scribo, sciens te satis intelligere

quid velim, etiamsi illud non admodum scitè exprimam; iterum vale: eo die quo suprà.

Tuus Mich. de Baii.

NUnc superest ut carptim & quantâ potero brevitate reliquis tuæ disputationis capitibus quæ nodum quæstionis facere videbantur, respondeam.

1. *Si Christus ex pane corpus suum benedicendo fecit, igitur simpliciter & consuetâ locutione verum est quod posteà dixit:* hoc est corpus meum.

RESPONSIO.

Benedictiones in Scripturis Sacris duobus modis factæ leguntur: sine verbis, & cùm verbis: sine verbis ut Matth. 14. Christus aspiciens in cœlum, benedixit & fregit & dedit discipulis panes multiplicatos: sed nulla benedictionis verba protulisse legitur. Similiter Lucæ 9. ubi acceptis qunque panibus & duobus piscibus, suspexit in cœlum, & benedixit illis; non legitur expressisse aliqua benedictionis verba. Sed Genesis 1. *Deus benedixit animalibus, dicens: Crescite & multiplicamini*; & 35. *Deus benedixit Jacob, dicens: Non vocaberis ultrà Jacob, sed Israël erit nomen tuum*; & 49. Jacob benedixit singulis filiis benedictionibus propriis, quas & prophetando verbis expressit. Hoc posteriori modo acceptum panem benedixit Jesus dicens, *Hoc est corpus meum.* Quamobrem Christi benedictio, quâ panem benedixit, non præcessit hæc verba, *Hoc est corpus meum:* sed his verbis facta est; ac proinde res verbis istis significata non præcessit horum verborum prolationem, sed potiùs secuta est, sicut effectus caussam sequitur; & ideò respiciendo ad id quod præfuit, sicut frequentiùs in hujusmodi sermonibus respicere solemus, non potest verum esse quod ait Christus, *Hoc est corpus meum:* sed tantummodò respiciendo ad id quod istis verbis efficiebatur; sicut priùs diximus.

2. *Si benedictionis vi panis usitatus in corpus Christi transsubstantiatur, quæ tandem sunt benedictionis tam efficacia verba?*

RESPONSIO.

Huic difficultati clarè & disertè satisfactum est, respondendo quæstioni quâ initio hujus collationis sciscitabaris, si subjectum positum in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, mutatur, quando mutatum fuit, quâ vi, quo Domini mandato, quo divini verbi argumento. Legantur verba non tam mea, quàm Divi Ambrosii ibi posita; & manifestè invenietur, quòd benedictionis verba efficacia, sint Christi verba, quibus ait, *Hoc est corpus meum*; sicut etiam satis clarè testantur Evangelistæ & D. Chrysost. circa finem homiliæ de Juda proditore, tomo 3. Nec dicimus verbo εὐλογεῖν, metamorphosin aut transsubstantia-

ſtantiationem ſignificari: quia poteſt homo Deo & homini abſque ulla mutatione benedicere. Sed dicimus quòd quemadmodum Deus benedicens animalibus, dicendo, *creſcite & multiplicamini*, dedit eis generandi facultatem: ſic etiam Chriſtus benedicendo panem, his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, de pane corpus ſuum fecerit.

3. *Libenter damus quod ait Ambroſius, Chriſtum ſuis verbis elementa omnia poſſe commutare.*

Responsio.

Vellem eâdem facilitate dares, quod idem Ambroſius ait: *Antequam conſecretur, panis eſt; ubi autem verba Chriſti acceſſerunt, corpus eſt. Denique audi dicentem:* accipite & edite ex eo omnes, *Hoc eſt corpus meum.* Quia non ad alium finem dicit Ambroſius, quòd ſermo Chriſti potens ſit omnia convertere, quàm ut perſuadeat quòd Chriſtus his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt ſanguis meus*, panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum converterit. Sed tu hæc D. Ambroſii verba, priùs à me citata: *Antequam conſecretur, panis eſt; ubi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt:* item, *De pane fit corpus Chriſti;* novo Calvini tropo eleganter expedis: quòd panis antequam conſecretur, panis eſt: ſed ubi verba Chriſti acceſſerint, eſt corpus, non ſubſtantiâ, ſed repræſentatione; & quòd panis deſierit eſſe panis, non mutatione ſubſtantiæ, ſed ſi ſpectes uſum inſtituentis & finem inſtitutionis. Certè ſi panis panis eſſe deſierit quando ad ſignificandum inſtitutus eſt: igitur & vox vox eſſe deſinit, quando ad ſignificandum inſtituitur; quod an aliquis mortalium unquam ſenſerit neſcio. Fateor, cùm ſupradicta verba D. Ambroſii proferrem, hoc omnino de ingenuitate & acumine ingenii tui confidebam, quòd longè citiùs reſponderes, aut Ambroſii verba non eſſe, aut te ejus ſententiâ non teneri: quàm contra omnium legentium ſenſum conareris ea in alienum ſenſum detorquere. Sed video te ita imbutum & ſenſu & tropo à Calvino inventis, ut etiam pugnantiſſima tibi non niſi Calvinum ſonent & ſapiant. Quamobrem vide ne hic Calvini ſenſus tibi altiſſimè impreſſus, ſit velamen & cauterium, de quibus loquitur Apoſtolus. Cæterùm cùm dicis panem non ſubſtantiâ, ſed repræſentatione & inſtitutione fieri corpus Chriſti, rogo quando & quibus verbis fit panis hoc modo corpus Chriſti? Scio te dicturum iſtis verbis quando proferuntur, *Hoc eſt corpus meum.* Ex quo infero, quòd ante horum verborum prolationem hic panis non fuit corpus Chriſti, nec ſubſtantiâ, nec inſtitutione. Quæro igitur ulteriùs, quomodo ſuprà dixiſti, quòd ſi à Chriſto aquam in vinum mutante dictum fuiſſet, Hoc eſt vinum, omnino vel à propria ſignificatione verbi, EST, deflexum eſſet, vel certè verum eſſe non potuiſſe, niſi jam anteà aliâ quâpiam vi facta fuiſſet mutatio? Nam ſi acceptâ aquâ, ſine deflexione à ſignificatione verbi, EST, verè dici non poteſt, hoc eſt vinum, niſi jam anteà aliâ quâpiam vi facta ſit mutatio aquæ in vinum, quomodo ſine deflexione à ſignificatione verbi, EST, verum eſſe poteſt quòd hic panis ſit repræſentatione & inſtitutione corpus Chriſti, niſi jam ante iſta verba aliâ

quâ-

quâpiam vi facta fuerit prætacta sacramentalis institutio, quâ hic panis hoc modo corpus Christi effectus sit? Jam puto vides etiam secundùm sensum quem prætendis, omnino tibi dicendum, quòd Christus accepto pane dicens: *Hoc est corpus meum;* non ad id respexerit quod erat ante horum verborum prolationem, sed quod verbis suis faciebat, nempe ad institutionem sacramenti, per quam dicis panem hunc factum esse corpus Christi. Ac per hoc vides te, asserendo quòd Christus dicens, *Hoc est corpus meum*, non ad id respexit quod faciebat, sicut ego dixi & Scripturis Sacris usitatum esse ostendi: sed ad id quod præfuerat; non tantùm esse in aperto errore, sed etiam te tibi ipsi manifestè contradicere: aut certè ista duo inter se concilia: Non potest verum esse, si acceptâ aquâ dicatur, Hoc est vinum, nisi vi aliquâ antè facta sit mutatio aquæ in vinum: & tamen verum est quòd accepto pane dicitur, hoc est corpus Christi institutione, etiamsi ante horum verborum prolationem nondum facta sit jam dicta institutio sacramenti: sed nunc primùm his verbis fiat quòd iisdem verbis significatur.

4. *Rogas quomodo Christus corpus suum fregit?*

RESPONSIO.

Christus corpus suum seu panem benedictum fregisse dicitur: quia sic fregit sacramentum quo corpus suum tegebatur, ut licèt corpus integrum & incorruptum permaneret, tamen non ab uno tantùm, sed à pluribus sub sacramento sumeretur. Non enim uni, sed omnibus discipulis ait Christus: *accipite & manducate, hoc est corpus meum.* Et si Dominus gloriæ ratione humanitatis in qua lædi potuit, rectè crucifixus esse dicitur, quid mirum, si Christi corpus, ratione formæ panis, sub qua continetur, etiam frangi dicitur? Sed qui ad credendum tardi sunt, facilè tergiversationes quærunt, quas Christi verbis opponant: sicut opposuit Zacharias dicens: unde hoc sciam? quem Elizabeth latenter coarguens, ait beatæ virgini: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur quæ dicta sunt tibi à Domino.*

5. *Si verbis istis*, hoc est corpus meum, *fit transmutatio panis in Christi corpus: igitur verbum*, EST, *relictâ propriâ significatione pro*, fieri, *positum est.*

RESPONSIO.

Posset alius simili modo dicere: si Christus his verbis, *filius tuus vivit*, filium reguli sanavit: igitur verbum, *vivit*, relictâ propriâ significatione, pro, *sanus fit*, ponitur. Et si Lazarum his verbis è sepulcro eduxit, *Lazare veni foras*; igitur verbum, *veni*, ponitur pro, *facio te venire.* Et denique si his verbis, *hoc est corpus meum*, efficitur, ut hic panis sit sacramentaliter corpus Christi: igitur verbum, EST, relictâ propriâ significatione pro, *fieri*, positum est. Quasi Deus, apud quem ab æterno sunt omnia (nam quod factum est in ipso vita erat) non possit mediante verbo, EST, efficere,

re, ut quod est ab æterno apud illum, etiam ex tempore apud nos esse incipiat.

6. *Argumentum quo docetur verbum,* EST, *in hac enuntiatione,* Hoc est corpus meum, *accipi pro,* esse sacramentaliter: *Quotiescunque elementis terrenis spiritualium rerum nomen per verbum,* EST, *attribuitur, verbum,* EST, *non demonstrat substantiam, sed declarat quid fidei exhibeatur.*

RESPONSIO.

Dicis infrà hâc eâdem responsione, verbi, EST, unam & simplicem esse significationem, ac subjungis: Semper namque verbum, EST, significat, *esse,* sed non semper significat, *esse substantiam:* aliquando quantitatem, aliquando qualitatem, aliquando relationem. Quæ verba non tantùm inter se, sed etiam cum hac ratiocinatione pugnare videntur. Inter se quidem: quia ubi analogia est, non est una & simplex significatio. Sed verbum, EST, non potest nisi analogicè pro substantia & reliquis supremis rerum generibus enumeratis ab Aristotele in categoriis accipi, quia alioqui esset unum supremum rerum genus: igitur cùm significat aliquando esse substantiam, aliquando quantitatem, qualitatem, aut relationem, non est ejus simplex & una significatio, sed multiplex. Cùm hac verò ratiocinatione in hoc pugnare videntur hæc verba, quòd ratiocinatio prætendat panem à Christo demonstratum corpus ejus fuisse, non simpliciter, sed tantùm sacramentaliter & secundùm quid. Nam quemadmodum esse aliquid imaginariè, non est illud esse simpliciter, sed secundùm quid, sic etiam, esse corpus Christi sacramentaliter, non est esse corpus Christi simpliciter, sed secundùm quid: ac per hoc significatio verbi substantivi, EST, non tantùm ex eo multiplex invenitur secundùm sententiam tuam, quia analogicè significat non tantùm esse substantiam, sed etiam quantitatem, aut relationem, aut aliud supremum rerum genus: sed quia aliquando significat esse simpliciter aliquid, aliquando verò esse non simpliciter, sed sacramentaliter sive significativè. Deinde non explicas in hac Christi sententia, *Hoc est corpus meum,* an attributum, *corpus meum,* significet verum Christi corpus, an tantùm signum seu sacramentum corporis Christi. Nam si per metonymiam tantùm significet signum seu sacramentum corporis Christi, nihil opus est verbum substantivum, EST, novo tropo & in rhetorica hactenus ignoto explicare, dicendo quòd significet *esse sacramentaliter:* Si verò attributum, *corpus meum,* significet veram corporis Christi substantiam, tunc necessum est verbum substantivum, EST, à sua propria significatione deflectere, ut aliud significet quàm significare consuevit cùm simpliciter loquimur: nempe ut significet non simpliciter esse, sed esse sacramentaliter. Oro ut hæc digneris explicare, ne fortè suspicemur te obscuris verbis eos qui parvi sensus sunt velle deludere, & novo tropo obnubilare quod apertè eloqui & in lucem proferre non audes. Sed nunc ad ipsum argumentum veniamus, quo conaris ostendere verbum, EST, in hac Christi sententia, *Hoc est corpus meum,* debere acipi pro, *esse sacramentaliter,* seu significativè, etiam non obstante quòd

verbi, EST, sit simplex & una significatio, id quod tamen mihi videtur esse aenigmati simile. Imprimis itaque in tua ratiocinatione assumis universale axioma philosophiae naturali & Scripturae sacrae prorsus ignotum, & nullo tamen Scripturae sacrae exemplo, velut inductionis initio, probatum. Neque enim ullum adfers testimonium in quo ostendas verbum substantivum, EST, pro *significat*, vel pro *esse sacramentaliter*, debere accipi, sed tantùm asseris te existimare esse axioma perpetuum & indubitatum. De quo tamen axiomate ego vehementer dubito, quia nullum videor mihi Scripturae sacrae testimonium reperire in quo verbum, EST, à sua propria significatione translatum, pro verbo *significat*, aut pro eo quod est *esse significativè*, ponatur. Nam sicut etiam prius dixi, ubi Christus propter aliquam proprietatis similitudinem tropicè dicitur esse agnus, leo, ostium, serpens, vitis, lapis aut aliud ejusmodi, non est tropus aliquis in verbo, EST, quo à propria sua significatione transferatur, ut ponatur pro *significat*, vel pro *esse sacramentaliter*, sed tantùm in ipsis attributis. Ut igitur rem compendio colligam, in his duabus sententiis, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*, nullus est tropus in subjectis quo à propria significatione transferantur; quia secundùm tuam sententiam accipiuntur pro pane & vinò proprii nominis. Nullus etiam est tropus in verbo substantivo, EST; quia ut ipse confiteris, una & simplex est ejus significatio quâ semper esse significat: igitur secundùm tuam sententiam necessum est tropum invenire in attributis, *corpus meum* & *sanguis meus*, secundùm quem tropum transferantur à substantiis, quas propriè significant, ad earum substantiarum imagines & sacramenta. Rogo igitur ut testimonium aliquod Scripturae Sacrae proferas, ubi haec attributa, corpus Christi, caro Christi, sanguis Christi, à significatione quâ substantias significant transferantur, ut harum substantiarum imagines seu sacramenta significent; ne fortè tuo axiomati, cujus nullum profers exemplum praesenti negotio conveniens, ego aliud axioma opponam: nempe quòd in Scripturis sacris non exstet exemplum in quo nomen aliquod Christi substantiam sive divinam sive humanam propriè significans, à sua propria significatione translatum, elemento aut inanimatae substantiae tribuatur, ad significandam aliquam ejus proprietatem. Nam licèt Dominus apud Psalmistam hominem ad suam imaginem conditum & divinae naturae consortem hoc honore afficiat, ut substantiae suae nomen tropo quodam illi commune faciat, dicens: *Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes:* attamen non facilè invenietur tale aliquid inanimatae substantiae tribuisse.

7. *Qui panem benedicunt, vel de benedicto pane participant, non debent haerere in proposito pane & poculo: sed elevatâ mente per fidem, considerare agnum Dei.*

RESPONSIO.

Quis nescit panem hunc benedictum esse Christi morientis sacramentum? unde etiam mandatum est à Domino, *hoc facite in meam commemorationem:* ut & offerentes hostiam salutarem, & participantes, elevatâ mente per fidem, perpe-

perpetuò in eam formam intenti sint quam Christi corpus habuit, & in cruce per passionem, & in resurrectione per gloriam & immortalitatem. Sed numquid inde sequitur, corpus istud in sacramento non contineri? alia forma considerandа est, ut perpetuò habeatur passionis & resurrectionis memoria; sed non alia substantia quàm in sacramento ipso contineatur.

Sicut cùm de sacramento agitur, jubemur accipere & manducare corpus Christi: sic „etiam Joan. 6. dicitur, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus „sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed apud Joannem, teste Augustino, figura est præcipiens passioni ejus esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata est: igitur etiam figurata sunt Christi verba quibus ait: Accipite & manducate, hoc est corpus meum.

RESPONSIO.

Verba Christi apud Joannem, quæ nondum instituto corporis & sanguinis Domini sacramento primâ facie significabant, carnem Christi eo modo manducandam esse quo laceramus & manducamus carnes boum & arietum, juxta Augustinum simpliciter accepta flagitium aut facinus jubent, & ideò figuratè accipienda sunt. Sed quia tale nihil jubent verba Christi, offerentis corpus suum manducandum & sanguinem bibendum sub specie panis & vini: ideò nihil opus est hîc figurâ. Deinde quando ait Augustinus, figuratam esse locutionem quâ dicitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; & caro mea verè est cibus;* numquid dicit figuram esse in nominibus, *carnem* & *sanguinem*; an potiùs in verbo, *manducaveritis*, & in nomine, *cibus*? sicut & in nomine panis, quod ibi transsumitur ad significandum omne id quod vitam tribuit, sicut & in eo testimonio quod ex Apostolo protulisti: *panis quem frangimus, &c.* Nondum igitur reperisti testimonium in quo nomina hæc, *corpus*, *caro*, aut *sanguis Christi*, transsumantur ad significandam imaginem carnis aut sanguinis ejus; sed tantùm reperisti aliarum vocum translationem, quæ designandis veri corporis & sanguinis Domini proprietatibus deserviant: nempe harum vocum, *cibus*, *panis*, *manducaveritis*. Sicut enim esurire dicimur quod vehementer desideramus, sic manducare quo delectamur. Cujus difficultatis tibi conscius, hactenus videris voluisse tegere quod in nominibus, *corpus meum*, *sanguis meus*, figuram intelligeres, quam in Scripturis sanctis invenire non potes, & ideò illam in verbum, EST, transferre voluisti. Sed quia etiam illius verbi figuratam translationem à te prætensam in Scripturis sanctis invenire non potes, ideò adhuc in luto hæres, nec invenis quomodo ex Scripturis sacris hanc controversiam inter nos componas, etiamsi illam ex Scripturis sacris componendam tibi libenter offeramus. Non enim sequitur, verbum *manducaveritis*, & nomina *cibus* & *panis*, ad significandam aliquam veri corporis & sanguinis Christi proprietatem transferuntur; ergo etiam nomina hæc, *corpus meum*, *caro mea*, *sanguis meus*, transferuntur ad significandas harum substantiarum imagines aut sacramen-

cramenta; nec ſub ſigno ſervit qui corporis & ſanguinis Chriſti veritatem ſub venerabilis ſacramenti ſpeciebus contineri contendit, ſi modò per ſpecies ipſum corpus ac ſanguinem ibi inviſibiliter contentum, formam paſſionis & reſurrectionis ejus recolat: ſed potiùs Manichæis accedit, qui per corpus & ſanguinem Chriſti non corporis & ſanguinis veritatem, ſed imaginem intelligendam præſcribit. Quia ſi non veritas, ſed imago corporis Chriſti intelligitur, ubi ait Chriſtus, *hoc eſt corpus meum*; quid prohibet etiam Manichæos dicere, quòd ubicunque corpus & ſanguis Chriſti nominatur, ibi non veritas, ſed imago & phantaſma debeat intelligi? Nec cauſam juvare poteſt, quòd ſuper caput 6. Johan. ait Auguſtinus tract. 26. manducare illam eſcam & bibere illum potum, eſſe in Chriſto manere & illum manentem in ſe habere, quia ibi per eſcam & potum non intelligitur corporis & ſanguinis nudum ſacramentum, ſicut intelligi vis per corpus & ſanguinem Chriſti, cùm ait Chriſtus, *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*; ſed ſolùm oſtendit quis ſit modus manducandi veram carnem & verum ſanguinem, de quo ibi loquitur Chriſtus, aut ſi ibi ullam carnis & ſanguinis tranſſumtionem intelligit Auguſtinus, non eam intelligit, quæ eſt de veritate corporis & ſanguinis Chriſti ad ſigna corporis & ſanguinis ejuſdem; ſed tantùm quæ eſt à capite ad corpus, id eſt à Chriſto ad Eccleſiam; ut cùm dicitur, quòd iſte cibus & potus ſit ſocietas Sanctorum. Unde nec ullo modo conformiter ad cap. 6. Johannis loqueris, quando temetipſum urgens interrogas, an non revera panis eſt corpus Chriſti? ac deinde reſpondes; eſt ſanè, & tamen veriſſimè, non ſubſtantiâ, ſed quoad ſignificationem; quia apud Johannem nullum eſt prorſus judicium quòd panis in ſua ſubſtantia permanens ſit corpus Chriſti propter aliquam ſignificationem, ſicut videri vis: Sed Chriſtus ſe & carnem ſuam, panem & cibum nuncupat, quia cum pane & cibo ſimilem habet proprietatem, quia videlicet dat vitam mundo. Juxta quem modum, etiam pater ipſe panis nuncupatur, cùm dicitur: percuſſus ſum ut fœnum & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Non enim vocatur Deus, panis angelorum aut hominum ante lapſum; quia pane materiali ſignificatur: ſed dicitur panis, quia in ſe ſperantes & ſibi adhærentes vivificat, ſicut panis materialis vivificat ſe comedentes. Addis ex Scripturis ſacris multas metonymias, ſed quæ cauſam non tangunt, quia nulla earum probat, corpus & ſanguinem Chriſti transferri ad ſignificandum ſigna eorumdem: etiamſi ipſum ſacramentum, ſub quo Chriſtus continetur, ſignum ſit ejus formæ quæ in ejus morte apparuit.

Et quis ignorat omnia ſacramenta eſſe ſigna? Sed dum Calvinus ex hoc fundamento conatur oſtendere, ipſa Sacramenta tantùm eſſe ſigna, & nullum prorſus effectum habere niſi quòd ſignificent, non autem quòd noſtram ſalutem operentur; eodem modo prorſus argumentatur quo tu hîc, ſic colligendo: Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſignum; ergo non eſt corpus & ſanguis Chriſti; cùm utrumque ſit & ſignum Chriſti morientis pro mundi vita, & veritas corporis & ſanguinis Chriſti. Sicut aqua in baptiſmo & ſignum eſt, & aqua eſſe non deſinit; ſed ſimul aqua & ſignum eſt, ſed quando ſibi relinquitur, tunc tantùm aqua eſt. Sicut dicit Auguſtinus, *quid eſt aqua, niſi aqua?* Quando verò ſub certa verborum forma ad baptizandum adhibetur, tunc efficitur viſibile

bile signum: nec tamen dici potest quòd desinat esse aqua; sed id verè diceretur, si aqua in vinum mutaretur. Sed tu æquitatem judicii postulas in eo quod dixi, Apostolum dicentem: *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est*; non velle dicere quid sit panis, sed quid participatione hujus panis significetur & efficiatur. Quasi ego dixerim, verbum, EST, pro *significat*, esse positum. Video enim hunc Calvini tropum, quo aliquid aliud esse dicitur quia ipsum significat, ita animo tuo impressum ut vix quicquam dici queat quod non statim eò trahas. Dixi igitur in eo quod dixit Apostolus: *panis quem frangimus*; non significari quid sit panis, sed quid participatione hujus panis efficiatur: non exponendo verbum, EST, per *significat*: sed ostendendo cujus rei sacramentum sit comestio hujus venerabilis sacramenti, quasi dicas: panis quem frangimus, id est, sumtio panis benedicti, est participatio seu sumtio corporis Domini, & simul omnium nostrûm cum ipso unio, id est unionis sacramentum & caussa. Puto enim hujus transsumtionis tropum, tibi ignotum non esse; secundùm quem etiam dicitur quòd Christus factus sit sapientia & justitia, id est sapientiæ & justitiæ causa.

9. *Dicit Augustinus, de doctrina Christiana lib. 3. cap. 9. miserabilem esse servitutem, signa pro rebus accipere.*

RESPONSIO.

Signa pro rebus non accipit, qui in tremendo Eucharistiæ sacramento corporis & sanguinis Christi præsentiam agnoscit: præsertim si simul intelligit ipsam Eucharistiam esse etiam passionis Christi memoriam. Servitus est, ubi quod signum est res tantùm esse putatur, non ubi signum agnoscitur, & res quæ illo signo tegitur non negatur.

10. *Addis Christum in omnibus Sacramentis nos revocare ad ascensionis suæ in cœlos considerationem: ac proinde non esse nobis de substantiarum corporalium transmutatione laborandum.*

RESPONSIO.

Quid si alius dicat, Christum suâ incarnatione & omnibus miraculis quæ in terris fecit, nos ad cognitionem & amorem cœlestium revocare: igitur non esse contra Mænichæos, neque de veritate incarnationis, neque de veritate miraculorum laborandum, sed tantùm de iis ad quæ nos per ista revocat. Videsne in quæ prærupta nos ejusmodi argumenta præcipitent?

11. *Paulus infinitis locis panem post consecrationem non minùs panem appellat quàm antè: igitur evertit fundamentum transsubstantiationis.*

RESPONSIO.

Christus apud Joannem se panem appellat: Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi; igitur evertit suæ divinitatis atque humanitatis veritatem. Item dicit: *panis quem ego dabo, caro mea est:* igitur evertit carnis datæ in cruce veritatem. Si autem & Christus & caro ejus, panis seu cibus verissimè dicitur, quia dat vitam mundo, quare non potest simili tropo etiam panis benedictus & in corpus Christi conversus, panis nuncupari, etiamsi post benedictionem non remanserit substantia panis, sed formâ remanente versa sit in corporis Christi veritatem?

Post hæc profers aliquot sanctorum Patrum testimonia, quibus videri vis eos suo tempore sensisse & docuisse sententiam quam tueris. Sed quia his ante annos fere quingentos per Lanfrancum, Guitmundum, Algerum, & nostro sæculo per Joannem Hessellium, aliosque plures plenissimè satisfactum est, productis etiam longè plurium pluribusque ac manifestioribus sententiis, quibus manifestè probantur id & docuisse & sensisse quod usque in hodiernum diem sentit & docet Ecclesia catholica, id quod & ipse satis videris agnoscere, quando fateris eos interdum hyperbolicè de hoc sacramento locutos. Nam quod apertè & simpliciter dixerunt, hoc videris hyperbolicè dictum interpretari; ne cogaris fateri esse mendacium. Quia igitur his Patrum testimoniis per alios satis responsum est; ideò his prætermissis, ad illud transeo quod ais in fine responsionis tuæ;

12. *Horrendam Gothorum vastationem Ecclesiam corrupisse, ipsamque Romanorum Pontificum fulminibus territam, invexisse doctrinam de transsubstantiatione.*

RESPONSIO.

Obsecro ex qua Scriptura sacra aliquando didicisti, Ecclesiam Christi persecutionibus esse corruptam; & non potiùs à vitiis & erroribus, qui dormientibus hominibus tempore pacis irrepere solent, veluti à somno excitatam & purgatam; promittente Domino apud Psalmistam: *Si dereliquerint filii tui legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, & mandata mea non custodierint, si justitias meas prophanaverint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Non enim continet Deus in ira misericordias suas: sed corripit in misericordia & miserationibus.* Sicut etiam Ecclesia orat apud Psalmistam: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Non enim in ira corripit, quando ad hoc corripit ut emendet, & purgat palmites in se fructum facientes ut fructus plus afferant. Unde etiam confidenter dicit: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*; fructu, videlicet, qui ex flagellis nascitur. *Bonum mihi*, inquit, *quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* De quo Apostolus: *In disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se Deus.* Et rursus apud Psalmistam: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Israël*; id est,


est, se antiquis exemplis in persecutione consoletur. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea; etenim non potuerunt mihi*, scilicet nocere, sed potiùs prodesse, quia major serviet minori. Et omnis iniquorum persecutio consumitur, operando salutem justorum. Disciplinam Ecclesiæ non persecutio, sed pax longa corrumpit. Unde Prosper in Sent. *Inimici Ecclesiæ quolibet errore cæcentur; si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam: si tantummodò malè sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam: & etiam, ut inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam: quia Deus iis qui eum diligunt, omnia cooperatur in bonum.* Sed & ipse memoriâ repetens quæ ab annis quinquaginta sex vidi, quando, auctore Luthero, cœpit hæresis has inferiores provincias infestare, invenio & Abbatias Monachorum, & Capitula Canonicorum, & multitudines inferiorum Clericorum, & turbam laicorum, ab innumeris & infandis sceleribus esse repurgatam, quæ facilè possem explicare, si luberet in hominum vitiis exspatiari. Noli ergo, frater Sanctoaldegondie, noli existimare Ecclesiam Christi fuisse Gothorum vastatione corruptam aut extinctam; ut perniciosum errorem de transsubstantiatione susciperet, susceptumque defenderet: sed crede fuisse à somno excitatam & purgatam, ut nascenti errori circa tremendum Eucharistiæ Sacramentum sese sincerè & constanter opponeret: & fidem Catholicam non tantùm verbo, sed etiam celebri festivitate & convenientibus ritibus, toto orbe terrarum concordibus animis prædicaret: sicut hodie transactis quingentis annis ab exorto errore constantissimè prædicat. Hæresum & schismatum est, instar torrentis subitò extolli, & sedatâ tempestate paulatim deficere, sicut testatur Psalmista: *Vidi impium superexaltatum & elevatum, sicut cedros libani: & transivi, & ecce non erat; & quæsivi eum & non est inventus locus ejus.* Sicut defecerunt Donatistæ, qui de ducentis septuaginta Episcopis gloriabantur: defecit Berengarius & post eum Hus & Wicleff: imò & ipse Lutherus magna ex parte, recedentibus ab eo Carolostadio & Zwinglio, qui sine episcopis ac presbyteris aliisque sacris Ordinibus in Scriptura sacra commendatis, filiorum ab Ecclesia recedentium turbam coacervantes, Calvino sectam paraverunt: quæ an diu subsistet, an verò paulatim degenerabit ad sectam Anabaptistarum, sicut Lutherana degeneravit ad sectam Calvinistarum, novit Altissimus, qui ad nostram correptionem & purgationem, illam & alias permisit exsurgere: quæ aut non flagellantur, recedente zelo Domini ab eis; aut flagellis non emendantur: sed proficiunt in pejus, errantes & in errorem mittentes: Christi verò Ecclesia adversùs quam portæ inferi non prævalebunt, stabit in æternum: & licèt aliquando velut obnubiletur multitudine scandalorum & falsorum fratrum, qui ortâ persecutione exeunt, & instar palearum vento flante huc atque illuc rapiuntur: attamen etiam tunc in suis firmissimis eminet, ut nunquam abscondatur civitas super montem Christum posita: sed semper & bonis ad consolationem & malis ad persecutionem, satis sit nota & ab hæresibus schismatisque discreta. Bene vale. 7. Januarii 1578.

Tuus Mich. de Bay.

PHI-

PHILIPPI MARNIXII EPISTOLA MICHAELI BAIO IN EJUS RESPONSIONEM AD OBJECTIONES MARNIXII.

Philippus Marnixius Sanctaldegondius Michaëli Baio. S. P. D.



IAm plusquàm annus est, quòd reverso mihi ex Frisia, quo negotiorum publicorum causâ fueram ablegatus, Amplissime Cancellarie, seriùs redditæ fuerunt tuæ literæ. Et tamen dum responsionem parabam satis festinanter & tumultuariè, denuò ablegatus fui in Germaniam: ubi præter opinionem per aliquot menses hærendum fuit. Posteà verò quàm huc redii, audio Lovanium in hostium isse potestatem: quod quidem mihi non solùm per se fuit gravissimum; sed ea etiam re molestum, quòd non putarem nos posthac institutam nostram per Literas disputationem commodè posse perficere. Neque enim est animus ullum tibi periculum creare apud eos qui omni nobiscum communicationi graviter solent interdicere. Itaque putavi commodius esse tempus exspectandum, & in aliam oportunitatem reliquam nostram disputationem rejiciendam, si fortè Dominus suâ benignitate nos iterum aliquando conciliare & pristino amicitiæ ac civitatis vinculo nectere dignetur. Dum id exspecto, adfertur mihi ex Francfortensibus nundinis libellus cum hac inscriptione, *Michaëlis Baii Regii in Theologia professoris Academiæ Lovaniensis, ad quæstiones Philippi Marnixii Sanctoaldegondii, de Ecclesia Christi & Sacramento altaris responsio.* Perlustro, & comperio meam responsionem meaque omnia argumenta de re Sacramentaria penitùs esse omissa: solam illam

lam Epistolam, quâ probabam tuam de Ecclesiæ *κρίνειν* in solo Dei verbo consistente judicium, adjunctam, reliqua omnia deesse. Miror profectò tam malâ fide à te nobiscum agi, qui Theologum & quidem Regium te esse profitearis: neque possum tantam contumeliam non tam in me, quàm in ipsam Dei veritatem irrogatam silentio præterire. Itaque responsionem illam, quam totius penè anni intervallo abjeceram, repeto & absolvo, atque in lucem do: & simul tuas omnes epistolas, ut apud me ad verbum asservantur tuâ manu obsignatæ, addo; ut faciat lector judicium apud quem sit veritas. In hoc si quid erit quod minùs tibi placeat vel facti vel scripti ratione, tu tibi imputabis, qui tam iniquum te mihi haud unquam lacessitus præbueris. Itaque venio ad tuam epistolam. Ais, non rectè me tuum animi sensum comprehendisse. Quum enim diceres; Enuntiationes simplices in quibus alterum de altero mediante verbo substantivo, *Est*, enuntiatur, aliquando proferri intentione asserendi id quod est, priusquam talis enuntiatio proferri incipiat: aliquando verò intentione faciendi id quod nondum est quando ejusmodi oratio enuntiari incipit, sed tunc demum erit quando ipsa enuntiatio absoluta fuerit: Haud voluisse te significare (uti à me est acceptum) quasi verbum substantivum, *Est*, bifariam accipiatur, aliamque significationem unâ atque aliâ ratione loquendi habeat: ,, sed tantùm voluisse ostendere, enuntiationes quasdam, manente eâdem usitatâ & genuinâ omnium vocum significatione, posse aliâ & aliâ intentione dici, nempe intentione asserendi quod præfuit, & intentione faciendi quod non præfuit, sed quod demum erit quando ejusmodi enuntiatio absoluta fuerit.

Tu verò, Eruditissime Domine, vide quàm pingue mihi ac rude sit ingenium, qui non possum hîc nisi prævaricationem aut collusionem animadvertere. Dum enim quod dixi simulas te destruere, planè astruis. Nec enim aliter potest intelligi, nisi orationem esse earum notionum quas animo ex speciebus impressas infixasque comprehendimus notam. Eæ notiones si sint diversæ inter se, omnino efficitur orationes quibus diversæ illæ notiones explicantur, notanturque necessariò aut diversas esse, aut certè diversas habere significationes. Verissimum enim est quod ait Philosophus, ,, Ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ, hoc est: Quæcunque voce efferuntur, mentis sunt symbola; non aliter quàm vocis sunt symbola ea quæ scripto explicantur. Quod igitur intentione mentis quis concepit, id si verborum notis explicet, ea verba intentionem illam complectantur necesse est. Quum igitur ais, enuntiationes manente eâdem usitatâ & genuinâ omnium vocum significatione, posse aliâ & aliâ intentione dici, quid aliud designas nisi easdem illas enuntiationes idem significando non idem tamen significare, diversasque & non easdem intentiones, unâ tamen & eâdem significatione explicare? quod certè aut est omnium absurdissimum & planè inter se dissidens, aut ego Latinè non intelligo. Nam si alia quidem atque alia est enuntiantis intentio, & tamen intentionis notæ seu voces non aliud atque aliud significant, sed unam, simplicem & genuinam significationem retinent, næ aut illæ intentionem enuntiantis nequaquam explicant, aut simul eadem est & non eadem loquentis intentio, verborumque significatio. Vides in quas

te tendiculas inducis, dum apertam rerum veritatem involucris orationis obtegere conatus es. Exempla quæ producis vel nihil prorsus habent cum nostro hoc argumento simile, vel si qua in re conveniunt, faciunt contra te. Ecquid enim, amabo, habet simile, unam naturam commigrare in alteram, & quidem substantiam brutam, vitâ, sensu, ratione atque animâ carentem, in divinum Dei domicilium, in sanctum, sublime ac gloriosum Christi Dei filii corpus commutari ac transsubstantiari (ut loquuntur vestræ sapientiæ antistites) cum iis propositionibus quibus significatur accidere quippiam substantiæ quod naturali rerum serie usuvenire plerumque soleat. Quid enim est usitatius in rerum natura, quàm humanum corpus ex ægritudine convalescere? Aut ecquæ tandem rerum commutatio seu potiùs ἀλλοίωσις potest esse naturalior, quàm infirmum corpus reddi firmum, & è diverso? Quare si in ejusmodi enuntiationibus quod duntaxat fit, vel in actu est ut fiat, jam esse diceretur, nemini posset mirum videri: quemadmodum si quis calidum esse diceret qui calescat, frigidum qui frigescat, saturum qui saturetur, sanum qui sanetur, mortuum qui moriatur: propterea quòd non modò in ejusmodi enuntiationibus potentiæ ad actum, sed ipsius actus inchoati ad perfectionem est ita proclivis atque ἄμεσος appulsus, & usqueadeò breve intervallum, ut vel penè pro eodem habeantur, vel certè nullam obscuritatem ab uno ad alterum traducta pariat oratio. At verò ubi dissimillimæ & disparatæ naturæ sive substantiæ, quibus (ut quæ toto genere inter se dissideant) penitùs nihil est commune, aliæ in aliam transformari significantur: ecquis est ita rerum omnium rudis, qui antequàm illa ipsa tam mirifica transformatio seu μετουσία jam perfecta esse indicetur, putet eam per verbum, *Est*, posse constitui, manente neque quicquam immutatâ verbi, *Est*, genuinâ atque usitatâ significatione? Ut si quis quia Christus dixit, ego sum vitis, vos verò palmites, ideò mordicùs contendat, verbi, *Est*, manente genuinâ significatione, Christum Dei filium in vitem fuisse aut nos in palmites transmutatos. Enimverò haud magis sunt disparata Christus & vitis, quàm Christus & panis: nec minùs verus nec minùs omnipotens est Dei filius, ut efficiat quod ait, & rerum naturas inter se commutet, dum se vitem & quidem vitem veram esse asseverat, quàm dum panem, vel hoc quod omnes Evangelistæ testantur fuisse panem, suum esse corpus testatur; neque est denique transsubstantiationis commentum, in uno minùs quàm in altero, vel alienum vel portentosum.

Ais Christum dixisse regulo, *Filius tuus vivit*, aliâ intentione quàm ejus servi totidem illa verba, filius tuus vivit, usurparint, manente tamen penitus eâdem ac simplice vocum significatione. Non hîc repetam quod antè ostendi: Si eadem est vocum omnium utrobique significatio, sanè & eadem est dicentium intentio: aut certè vocum significatio intentionem dicentis minimè explicat. Tantùm dicam, immeritò me perstringi quasi huic argumento in „superioribus meis scriptis non responderim. Generali enim illâ proposi„tione satisfecerim quâ dixi: Illas enuntiationes, quæ quidem eo ipso momen„to quo proferri incipiunt sunt verissimæ, neque aliud indicant nisi quod „jam reipsa perfectum est, nihil ad tuam ratiocinationem pertinere. De reliquo te judicem faciam, an cùm id Christus regulo illi diceret, non indicabat

jam

jam convaluisse suâ virtute ac voluntate ejus filium. Itaque eo ipso momento quo verba proferebat vel proferre incipiebat, jam sanus erat filius, non quidem vi illorum verborum, quæ merè sunt enuntiativa seu indicativa, sed virtute divinâ Christi, qui voluerat filium reguli convalescere. A quo quàm procul absint „ illa verba, *hoc est corpus meum*, vel ex tua ipsius sententia æstimato. Ita enim „ scripsisti; Quando Christus ait, *Hoc est corpus meum*, non ostendit asserere „ quòd panis, quem tunc præsentem habebat quum hæc incipiebat dicere, esset „ ejus corpus; quia id falsum est, &c. Vides hîc nihil esse quod tuo de transsubstantiatione dogmati non repugnet. Verissimum enim est quum Christus inciperet dicere, Filius tuus vivit, eo ipso momento vixisse filium & sanum fuisse: falsum autem fuisse, panem factum corpus quum inciperet dicere, *Hoc est corpus meum*, tu ipse disertis verbis asseveras. Hallucinaris itaque si existimas ex illius exempli similitudine transsubstantiationem posse comprobari. Alterum illud exemplum, *Mulier ecce filius tuus*, ita prorsus facit à nobis, ut vel efficacissimè nostram confirmet sententiam. Neque enim es usque adeò transsubstantiationis studio & amore fascinatus, ut arbitreris iis verbis voluisse Christum substantialiter mutare Joannem in virginis Mariæ filium, vel virginem in illius matrem: tantùm enim indicat velle se ut Joannem illa loco filii habeat atque amplectatur; illamque vicissim Joannes matris loco veneretur. Nec est quòd hîc adoptionis juridicæ asylum tibi patrocinari posse arbitreris, ut significationem quam posuimus impugnes. Non enim agit hîc jurisconsultum Christus (quamquam ne ipsa quidem adoptio apud jurisconsultos ullam rerum metamorphosin introducit) sed mœrentem virginem matrem, Joannis charissimi Apostoli præsentiâ ac pietate, quasi quâdam sui absentis imagine, repræsentatione ac significatione consolatur: planè quemadmodum Symbolum ac Sacramentum sui corporis in cœlum assumpti vult haberi à nobis pro ipsissimo suo corpore, ad fidem unionis quam cum ipso habemus ita confirmandam fulciendamque, quasi vel ipsis manibus atque ore palpandum nobis suum corpus traderet.

Quod quidem, ne exoticos quæramus interpretes, ipsemet Christus disertissimè indicat, dum adjicit: *Quoties id feceritis, in mei memoriam facietis:* quasi dicat, nos eâ actione, memoriæ atque oculis animi mentisque nostræ sistere Christum præsentem. Et Paulus, *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Cui planissimè adstipulatur Augustinus inquiens, *Quum ait Dominus*, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. *figura est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.* Quod enim tu in posteriori tua epistola ad hæc Augustini verba effugium paras, dum ais ideò apud Joannem illa verba fuisse figuratè accipienda, quòd primâ facie significarent eo modo esse manducandam Christi carnem, quo laceramus & manducamus carnes boum, nugas agis. Neque enim hîc de modo sed de re disputat Augustinus, definitque omnino flagitium & facinus esse, humanam carnem quocunque tandem modo seu integram seu laceratam manducare: ac proinde, Manducare Christi carnem & bibere ejus sanguinem, nihil aliud esse nisi condere in memoria, carnem ejus pro nobis esse crucifixam & vulneratam. Atqui sanè nemo nescit unum tantùm

esse Christi corpus quod à nobis manducetur, ac proinde Joannis 6. de eodem agi corpore de quo hîc agitur. Ibi Augustinus tum ait manducari carnem illam, quum animo recordamur & fide certâ nobis persuademus, carnem Christi pro nobis fractam ac vulneratam esse: totidem propè verbis Christi simul & Apostoli sententiam explicans. Nec enim omnino est aliud, panis sacramento in memoriam Christi instituto mortem Domini annuntiare, nisi passioni Domini communicare, & in memoria recondere quòd caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata sit. Fides enim, si nescis, unica est ratio quâ in Christi corpus uniamur, & fiamus os ex ejus ossibus & caro ex ejus carne, ac proinde carnem ejus manducemus & bibamus sanguinem. Quòd si mirum videtur vobis, qui dente carnem ejus vos premere & sensualiter atterere gloriamini, audite Christum disertè pronuntiantem, Qui venit ad me non esuriet, qui credit in me non sitiet in æternum, & credite spiritalem hanc famem ac sitim non dente sed fide restingui, propterea nimirum quòd cibum illum æternum ac vitæ panem nobis edendum fides præbeat. Quo sensu præclarè scriptum est „ab Augustino: Quid paras dentem & ventrem? crede, & manducasti; & „item: Nulli aliquatenus dubitandum est, unumquemque fidelium corporis & „sanguinis tunc esse participem quando in Baptismate membrum efficitur „Christi, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam „panem illum edat calicemque bibat, de hoc seculo migraverit in unitate Chri„sti constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non „privatur, quando in ipso id quod sacramentum significat invenitur. In quo certè nihil docet aliud nisi quod ipse asseverat Paulus, eos qui in Christo baptizati sunt Christum induisse; & rursus: Christum habitare in nobis per fidem, &c. Quæ certè omnia nobis deferuntur, exhibentur, & revera præstantur donanturque in sacrosancto panis hujus & calicis sacramento. Fide enim hoc Domini testamentum, quod morte & sanguine semel sancitum est, amplectentes, omnino & Christum induimus, & cum eo coalescimus, ejusque carne & sanguine enutrimur, & in ejus communionem imus, & denique totum Christum in nobis habitantem eâdem fide complectimur. Ad cujus certè admirabilis ac tremendi, neque unquam satis comprehensi mysterii, ratam, sanctam atque exploratam certitudinem, panis ac vinum pro pignore, arrha, σφραγίδι, atque indubitata promissionis divinæ tessera nobis proponitur, & in ejus memoriam commendatur, tantisper donec ipsemet denuò veniat, id est donec suo adventu reipsâ, perspicuè ac manifestè promissionis veritatem atque effecta in salutem omnium credentium comprobet. Interea sublato in cœlum suo corpore, vult hæc nobis pignora hactenus in illius vicem substitui quoad nobis mortem ejus annuntient, & novum sanguinis testamentum, loco illius veteris quod agni paschalis celebratione & brutorum animalium cæde ac sanguine constabat, ob oculos quasi præsens sistat. Quum igitur hîc nobis Joannis Apostoli & Virginis matris exempla profers, næ tu mihi prorsus colludere videris, clarissime Doctor, & prævaricari. Planè enim quemadmodum nec ex Maria Joannis matrem Christus iis verbis fecit, ac proinde neque Joannes in virginei uteri substantiam oculos conjecit, ut sibi ex omnipotentia verbi divini fulcrum strueret ad novum indidem quærendum naturæ suæ ortum: neque no-

c. Ego Berengarius de consf. d. 2. & in conc. Later.

Gal. 1 Cor. 1. Rom. 8.

bis sunt confingenda miracula, ut prætextu omnipotentiæ divinæ absurdam atque inauditam, & à Scripturis omnique sacramentorum ratione & analogia remotissimam metamorphosim pro libidine architectemur. Quod autem adfers Christum mandando multa fecisse, non equidem diffiteor, si mandatum referas ad mentem ac voluntatem, & non ad magicam vim verborum, quæ tantummodò ad illam explicandam indicandamque adhibentur: Et nihilominus certè, argumentum à verbis mandandi ad enuntiandi voces traductum quàm sit elumbe nemo est qui non videat. Quanquam, quid attinet his immorari, cùm neque ante neque post hæc verba enuntiativa, ullam omnino ex Evangelistarum verbis possis producere circumstantiam, ex qua appareat Christum voluisse ut ex panis eversa substantia sibi corpus constaret sub nudis accidentibus delitescens. Quod si fecisset, tum demum tibi pugnandum esset, ut his verbis indicativis, *Hoc est corpus meum*, illud ipsum posse significari evinceres. Sed cùm omnes undiquaque circumstantiæ reclament, cùm omnes Evangelistæ testentur de pane Christum loquutum esse, quum omnes Apostoli consentiant etiam post consecrationem panem esse qui frangitur; Christus doceat manifestissimè ad memoriam suæ mortis esse institutum, & nihil esse nisi testamentum corporis & sanguinis pro nobis expositi, & nobiscum individuâ societate ac manducatione spiritali conjuncti: cùm universa Ecclesia fateatur esse Sacramenta, symbola, signa, significationem, typos, antitypa, figuram, mysterium, mysticam mensam, quæ unusquisque cùm percipit (ut Augustini verbis utar) quò referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potiùs libertate veneretur: Quid est quæso causæ cur inutiliter signa interpretando, imo verò verborum significationem contorquendo, à jugo servitutis eductam cervicem de integro pergas laqueis erroris inserere, & in diversis intentionibus unam eamdemque vocum significationem nequicquam rimari?

Secundo Epistolæ capite, vitium argumentationis ambiguitate verborum panis consecrati & benedicti, conaris nequicquam involvere. In quo tuum, mi Baii, candorem per Deum immortalem ac vivum obtestor, ut apertè ac sine involucris rem tantam agas. Quod enim ais antè fuisse panem usitatum, posteà benedictum & consecratum, planè non dissentio. Itaque quæ inter nos conveniunt in medio relinquantur. Sed video te propterea quòd vereâre dicere id quod sentis, nimirum antè fuisse panem, posteà non panem sed corpus, neque habeas Christi verbum quo celerem hanc atque improvisam mutationem fulcias; pro corpore succenturiare panem consecratum, de quo nulla penitus est controversia. Cùm enim in sacrum usum hic panis à Christo instituatur ad ejus memoriam celebrandam, nemo est qui dubitet quin illâ ipsâ sumtione atque institutione panis jam sit sanctus & consecratus. Quod enim ad sacros usus destinatur, sanctum esse nemo non fatetur: Sed quæsivi an verbum, *comedite*, construatur cum substantia panis, an cum substantia corporis. Hic tu mihi candidè, genuinè, atque ἁπλῶς debueras respondisse, neque differentias consecrati seu benedicti & usitati usque ad nauseam ingeruisse, cùm de illis ne tantillum quidem inter nos dissentiamus. Sic itaque ratiocinor: Quum Christus jubet accipere & edere Apostolos, jubet hoc ipsum accipere & edere quod

quod ipse accepit, quod fregit, quod eis dedit: Atqui accepisse, fregisse, dedisse panem, omnium universim Apostolorum testimonio liquet: Panem igitur velle edi, & non ullam aliam adscititiam substantiam, luce meridianâ est clarius. Quod enim tu hîc nobis panem consecratum obtrudis, nihil agis. Vel tuâ enim ipsius confessione hic panis consecratus nihil minus est quàm panis quem acceperat, quum in aliam substantiam toto genere totâque naturâ discrepantem commigravit.

Posteà ais, nos in eo consentire quòd verbo, *Est*, utrique tribuamus substantialitatis significationem: quod certè quomodo vel suspicari potueris haud intelligo. „Ita enim scripsi disertis verbis: Una & simplex ejus est significa„tio. Semper enim verbum, *Est*, significat esse, sed non semper significat „esse substantiam; aliquando qualitatem, aliquando quantitatem, aliquan„do relationem designat, aliquando aliam ex decem vocibus seu categoriis pro „ratione rerum de quibus est sermo, &c. Quomodo igitur tu jam ais nos ambo dicere propriam & genuinam significationem verbi, *Est*, esse, ut significet substantialitatem? Quum inter decem summas voces quæ rerum creatarum naturis tribuuntur una sola sit substantia quæ substantialitatem notet: reliquæ omnes ad accidentia referantur: & quidem ipse Aristoteles ab omnibus illis decem summis categoriis τὸ ὂν κατὰ συμβεβηκὸς & sejungat & variis etiam modis (quod non potes ignorare) discriminet. Sanè siquis dicat Christum Jesum fuisse dimensum, si bonum, si misericordem, si benignum, si omnipotentem, si Dei agnum, si ostium, si pastorem, si leonem, si vitem, si panem qui de cœlo descendit, si quidvis denique aliud eorum epithetorum illi vendicet per verbum, *Est*, quæ in Scriptura tribuuntur, nihil planè substantialitatis intelligi poterit: & tamen verbi, *Est*, significatio non quidem erit illa maximè omnium propria & prima, sed tamen simplex, genuina, usitata, familiaris & significantissima, quam nemo sanæ mentis vocabit in dubium, etiamsi substantialitatis opem haud imploret. Imo verò, ut propiùs pedem conferam, dico verbum, *Esse*, semper significare, *Esse*, & nunquam nisi valde impropriè, *fieri:* sed propriam ejus explicationem sumendam ex natura & ratione attributi seu materiæ quæ attribuitur subjecto de quo agitur. Et ubi in Sacramentis dicitur de signo per verbum, *Est*, id quod proprium est rei signatæ, omnino impropriam & alienam quæri significationem in substantiarum inter se commigratione vel metamorphosi; cùm omnis explicatio in analogia signorum ad res signatas (quemadmodum superiori meo scripto luculenter ostendi) posita sit. „Nam, ut disertè monet Augustinus, quemadmodum in „rebus cavendum est nequis in eis attendat nisi quòd sunt, non etiam si quid „aliud præter se significant, ita vicissim de signis videndum est nequis in eis at„tendat quòd sunt, sed potiùs quòd signa sunt, id est quòd significant. Signum „est enim res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens „in cogitationem venire, &c.

Lib. 2. de doctrina Christiana cap. 1.

Quòd me in calce, quasi re confectâ, ad Patrum doctrinam fide amplectendam invitas, demiror, cùm manifestè probaverim classicos omnes Patres nostram sententiam jam ab initio nascentis Ecclesiæ stabilivisse; ad quæ tu mihi ne verbo quidem respondes, nisi quòd quodam loco videris me ad nescio quas

illo-

illorum rapsodias velle remittere, qui putidas sub nomine Clementis, Anacleti, Evaristi, aliorumque larvatorum Patrum nænias ac ne patientissimi quidem lectoris auribus dignas farragines, unà cum detortis nescio quibus Patrum testimoniis confusè permiscent, iisque demùm pro coronide Scholasticorum sophistica dogmata quasi ad populum phaleras adjungunt, quibus inutilium næniarum centones suos farciant.

Rationes etiam omnes, quibus meam probavi sententiam, intactas relinquis; & posteriori tuo scripto, quod tum eodem accepi tempore, pergis ad reliqua disputationis capita respondere. Et primo quidem capite ais, benedictionem aliquando fieri sine verbis, aliquando cum verbis. Hîc factam cum „ verbis. Ea enim verba, *Hoc est corpus meum*, esse ipsam benedictionem quâ „ mutetur panis in corpus. In quo non modò cum innumeris Scholasticis, sed & cum Christi verbis, & ipse tecum etiam dissides. Antè enim asseruisti, de jam benedicto pane ea dici, *Accipite & comedite:* Hîc ais nondum esse benedictum nisi postquam ea verba sunt prolata, *Hoc est corpus meum*, & in iis vis intelligi benedictionem: quam tamen uno ore omnes Evangelistæ præcessisse asseverant, ita ut nulla jam sibi tuæ orationis pars constet; quod certè in causa est ut in verba Christi præceps impingas, eisque veritatem detrahas, in„ quiens non posse vera esse respiciendo ad id quod præfuit, sed tantùm ad id „ quod eis verbis efficiebatur: ita ut tibi hæc oratio, *Hoc est corpus meum*, nudè & simpliciter intellecta falsa sit: illa autem quam Christus nunquam dixit, sed à vobis conficta est, duntaxat vera, Hoc erit corpus meum, vel, Hoc fit aut efficitur meum corpus. In quo certè video te magistros tuos præeuntes sequi, qui non minùs blasphemè quàm ineptè & perridiculè hoc verborum turpi cœno sententias suas asperserunt: Alii dicunt & meliùs, quòd non demonstretur illud quod sacerdos tenet in manibus, quia mentiretur, cùm non ibi nunc sit nisi panis: Sed demonstratur corpus Christi ratione illius instantis in „ quo finitur illa oratio, & fit demonstratio ad intellectum, &c. Ita vobis ipsa Dei veritas Christus Jesus mendax est, nisi ad fulciendam vestram ementitam transsubstantiationem patiatur vel significationem verbi, *Est*, in *Fieri*, novâ quâdam transsubstantiatione commigrare, vel certè recantatâ suâ oratione, quâ omnes Evangelistæ illum testantur panem quem acceperat, fregerat, ac dederat demonstrasse, novam vestram demonstrationem quam vocatis *ad intellectum* introduci. Et tu etiamnum audes gloriari tritâ te & publicâ viâ incedere, neque quicquam obscurum aut involutum in medium adferre.

In glos. s. Henrici de Urimaria d. 8. c. 2. ad §. si formam verò.

Quod verò etiam in verbo εὐλογεῖν ita subtiliter philosopharis, ut novam illi atque inauditam transsubstantiandi vim affingas, à tanto mihi viro perquàm alienum videtur, cùm constet benedicendi verbum idem esse quòd laudare, gratias agere, ac beneprecari, nihilque habere commune cum substantiarum transelementatione. Nam illud exemplum quo ais, quemadmodum Deus verbo illo, *Crescite & multiplicamini*, dedit generandi facultatem: ita fecit ex pane corpus iis verbis, *Hoc est corpus meum*; ita est remotum ab hac loquendi ratione ut responsione nullâ indigeat. Jubet enim ibi Deus creaturas crescere ac multiplicari: Quod autem jubet, id vult etiam ut fiat. Hîc verò nullo verbo jubet panem fieri suum corpus, aut relictis accidentibus evanescere ut corpori

suo

ſuo locum faciat. Veſtrum enim hoc eſt commentum, ad quod tanquam ad lapidem Lydium Chriſti orationem expenditis atque explicatis.

Quòd autem Ambroſium tantopere urges, quaſi ejus verba non poſſint ad ſacramentalem referri repræſentationem, propterea quòd dicat deſiiſſe eſſe panem, exemplo vocis quæ non deſinat eſſe vox, ex quo ad ſignificandum fuerit inſtituta: Primùm nuſquam equidem reperio dixiſſe Ambroſium, quòd deſierit eſſe panis: ſed dicit ante conſecrationem fuiſſe panem: ubi autem verba acceſſerint, eſſe corpus. Quo quid aliud, quæſo, notatur, quàm illud vulgatiſſimum, *Accedat verbum ad elementum, & fiet ſacramentum.* Antè quidem nudum erat elementum: nunc autem corporis eſt ſacramentum, ſeu ſacrum corporis ſignum. Ita aqua Baptiſmi ante conſecrationem eſt aqua: poſt verò, ablutio peccatorum, vel indumentum Chriſti, vel ſepultura in Chriſto. Ita calix benedictionis cui benedicimus, antè quidem erat vinum: poſt verò conſecrationem ſeu benedictionem eſt novum fœdus ſeu novum teſtamentum in ſanguine Chriſti, ſeu ſanguis novi teſtamenti, ſeu communio ſanguinis Chriſti: Hæc enim eſſe prorſus eadem, ipſa docent Evangeliſtarum atque Apoſtolorum oracula.

Atque ita etiamſi adjeciſſet Ambroſius, deſiiſſe eſſe panem poſt conſecrationem, (quod nunquam probabis) tamen nihil aliud ex eo evinceres niſi deſiiſſe eſſe panem talem, qualis fuit ante conſecrationem, ſeu panem elementarem: quemadmodum hoſtia ante oblationem eſt agnus fortè vel hircus: poſt conſecrationem deſinit eſſe agnus, & fit λύτρον ſive propitiatio peccatorum. Deſinit enim eſſe quod antè fuit non ſubſtantiâ, ſed uſu atque inſtitutione, eò quòd prioris ſubſtantiæ non major habetur ratio quàm ſi non eſſet. In ſignis enim, ut ex Auguſtino oſtendimus, non attenditur quod ſunt, ſed quod ſigna ſunt, id eſt quod ſignificant: & nihil eſt uſitatius, quàm dicere ea non eſſe quorum nulla prorſus habetur ratio neque æſtimatio. Ita dicitur Melchiſedec eſſe ſine patre & ſine matre: nimirum, quòd ejus parentum nulla neque mentio neque ratio habeatur. Ita vox Pauli, etſi eſt aër ſeu ſpiritus è pulmonibus & gutture perductus, & deinde adminiculo linguæ, dentium, & circumſtantis aëris repercuſſione in ſyllabas erumpens; tamen ubi Dei fœdus in Chriſto crucifixo eâ voce ſignificatur, fideique auribus præſens ſtatuitur, jam non eſt ampliùs aër (nec enim aëris ulla eſt æſtimatio) ſed ſacroſanctum ipſiſſimi Dei verbum, non quidem quòd ſubſtantia deſinat eſſe quod antè fuit, ſed quòd in alium finem jam ſit inſtitutum. Neque ullum planè eſt ſacramentum, in quo hæc ratio locum non habeat. Quæ quidem nos haud à Calvino accepimus, (quod tu invidiosè nobis objicis) ſed ab univerſa Scriptura & conſentiente cum illa Patrum doctrina hauſimus atque arripuimus: cui ne ipſe quidem Ambroſius, quem tu tranſſubſtantiationis patronum eſſe putas, refragatur. Quod ut intelligas, ſeriò ac diligenter totam illam Ambroſii, in libro de iis qui initiantur myſteriis, tractationem examinato. Videbis enim, poſtquam ſplendidis ac magnificis verbis ſacramenti hujus dignitatem extulit, ac veterum figuris & antiquius eſſe & multò præſtantius, ornatâ cóntentione atque exemplorum, in quibus per Dei verbum ac virtutem rerum naturæ immutatæ perhibentur, accumulatione comprobavit, tandem in epilogo quorſum hæc omnia referri

ferri debeant disertè ac sine ulla verborum ambiguitate demonstrat. „Quid „hîc quæris, inquiens, naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter na- „turam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine? vera utique caro Christi quæ „crucifixa est, quæ sepulta est, verè ergo carnis illius sacramentum est. Ipse „clamat Dominus Jesus, *Hoc est corpus meum*. Ante benedictionem verborum „cælestium alia species nominatur: post consecrationem, corpus significa- „tur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur, &c. Vides nihil esse quòd vel mihi succenseas, vel Calvini memoriæ petulanter insultes, quasi ejus commentum sit, significatione & nuncupatione sacramentali non tantùm apud Evangelistas, sed apud ipsos etiam Patres, panem in corpus Christi commutari, repudiatâ commentitiâ vestrâ transsubstantiatione. Quod enim Patres tantopere hoc mysterium admirantur, & supra omnia veterum sacramenta infinitis efferunt præconiis, variisque potentiæ divinæ exemplis illustrant: ideò fit quòd in hoc sacramento verè nobiscum atque οὐσιωδῶς communicatur atque unitur sacrosanctum illud è Virgine natum atque in cruce pro nobis oblatum Christi corpus, ita ut verè fiamus nos (non panis ille elementaris, sed nos qui Christum fide apprehendimus ejusque mortis ac beneficii memoriam hoc sacramento recolimus) os ex ossibus ejus & caro ex carne ejus; quâ copulatione nihil potest fingi aut cogitari arctius, nihil indissolubilius, nihil denique admirabilius. Ac proinde non injuriâ piorum Patrum mentes in admirationem quasi quodam ἐνθουσιασμῷ sustollit atque abripit. Sed qui hoc beneficium quod in nos & in suam Christus ecclesiam confert, ad panis vel substantiam vel accidentia velit traducere, is profectò non modò stultitiam suam prodiderit, sed à mente ac doctrina Patrum toto se cælo aberrare perspicuum fecerit. Ita enim in unde- „cimum caput prioris ad Corinthios idem ille scribit Ambrosius: Sicut enim „nos de uno pane & de uno calice percipientes, participes & consortes sumus „corporis Domini, ita & qui edunt hostias participes sunt altaris erroris; & „in caput undecimum: Quia enim morte Domini liberati sumus, hujus rei „memores in edendo & potando carnem & sanguinem quæ pro nobis oblata „sunt significamus, quod est nova lex quæ obedientem sibi tradit cælestibus „regnis. Et mox, Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia divini „beneficii sanguis testis est. In cujus typum nos calicem mysticum sanguinis „ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus: quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est, totum hominem salvum fecit. Quibus certè verbis nihil potest dici clarius, nihilque ad nostræ sententiæ atque interpretationis firmamentum accommodatius. Quare & reliqua illa omnia quæ in libellis de sacramentis proferentur, eodem ducimus esse referenda. Alioqui si quid contra tam certam atque indubitatam veritatem ex eis opponatur, non verebimur cum doctissimis nostri seculi viris eos libellos, qui alioqui satis per se rhapsodi nescio cujus stilum referunt, pro spuriis & illegitimis & cum Ambrosii sententia pugnantibus libris repudiare, & ex iis quæ sine controversia Ambrosio tribuuntur & Scripturæ sunt ubique consentanea de ipsius mente ac sensu judicare.

Dicis deinde, vocem non desinere esse vocem quando ad significandum est insti-

instituta: quasi nos unquam statuerimus, vel panem desinere esse panem, vel vocem vocem, quum ad significandum adhibentur: vel omnium significationum parem esse rationem posuerimus: & non libenter demus hanc prærogativam rebus sacris, ut posteaquàm semel consecratæ Deoque mancipatæ sunt, nomen profanum prioris substantiæ soleant amittere, & nomen dignius quod à significatione mutuantur retinere: ut est superiùs à nobis infinitis exemplis luculentissimè demonstratum.

Quòd verò etiam festivè & joculariter videris in nos velle retorquere quod vobis ipsi impegimus; dum quæris quando, & quibus verbis panis fiat corpus Christi, repræsentatione, an ante verborum prolationem, an post: in cassum profectò sudas, & cum tua ipse umbra digladiaris. Nec enim quum dicimus fieri corpus Christi repræsentatione, ullâ nobis mutatione aut metamorphosi opus est. Magicum enim & cabalisticum hoc est commentum, qui verborum vi elementa putant consecrari. Tota enim illa actio, non certè aliquæ voces aut carmina efficiunt ut panis fit corpus Christi; quia nimirum universâ illâ actione panis ad eum finem sanctificatus (hoc est à communi pane separatus) destinatur & usurpatur. Nos enim quoties in commemorationem mortis Christi sacramentum usurpamus & mortem Domini annuntiamus, ad tanti mysterii σφραγῖδα seu symbolum, panis elementum adhibentes: toties & quidem ex eo ipso momento, dicimus hoc esse nobis Christi corpus repræsentatione, usu, institutione & significatione; quod quidem fiat, non verborum seu carminis aliquo murmure, sed vi promissionis divinæ quam fide amplectimur; ac proinde si desinimus ad eum usum panem illum usurpare, jam quod illius substantiæ reliquum est, exemplo vetustioris Ecclesiæ pauperibus destinatur, non ut sacramentum, sed ut panis ac cibus communis quo famis molestia ab esuriente corpore depellatur; omnino quemadmodum dicimus aquam Baptismi non fieri sacramentum ullâ vi verborum ab homine prolatorum, sed Dei promittentis institutione & Ecclesiæ destinatione, quæ illius mandato obsequens aquam ad significandum id quod promisit Dominus usurpat, & præter illum usum nihil est nisi aqua communis; quemadmodum Jordanis olim fuit fluvius quo Christum ipsum baptisavit Joannes. Vides omnia tua firmamenta, quibus videbaris paulò confidentiusculè gloriari, excusso tibi illo magicarum seu cabalisticarum præstigiarum in verbis vim profanam constituentium casso scipione, penitus elumbia corruere.

In 4. capite, ubi conaris explicare quomodo Christus corpus suum fregerit, multò etiam magis ac magis te tuis laqueis pergis irretire: ita ut perspicuum facias quod ab Aristotele olim usurpatum fuit; ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, πολλὰ ἕπεσθαι.

Primùm conaris te iterum obtegere nebulâ illâ panis benedicti, quo minùs persentiscatur à simplicioribus quanta sit illa tuæ sententiæ absurditas. Neque enim ἁπλῶς fateris Christum fregisse suum corpus, (esset enim omnium absurdissimum;) sed hanc quam metuis absurditatem velas, scilicet illâ leviori explicatione panis benedicti, quam nobis nunquam desinis fastidiosè inculcare. Sed jam antè rogavi, ut hoc semel expedires, an panis benedictus sit Christi corpus nec ne? Si enim non est: fatere ingenuè, & veritati locum dato.

to. Sin autem: noli posthac tuam sententiam ambiguis sermonibus obtenebrare.

Sed necdum visus tibi fuit hic fucus satis idoneus qui tam fœdas sententiæ labes obtegeret, nisi & alterum illevisses. Ita enim respondes anfractuosè: Christus dicitur fregisse suum corpus, seu panem benedictum. Amabo te, quorsum attinebat hoc, *dicitur*? An metuebas ne si apertè & categoricè dixisses, Christus fregit suum corpus, omnes viderent absurdissimè te loquutum esse? Et tamen necesse est ita loquare, si transsubstantiationis sententiam tueri voles: cùm non modò omnes uno ore Evangelistæ testentur Christum fregisse, quod tu asseveras fuisse ipsissimum ejus corpus: sed Paulus ipse testetur idem ipsum quotidie à nobis frangi. Id viderunt olim tui illi hujusce transsubstantiationis architecti in concilio Lateranensi. Itaque pro oraculo docuerunt, ipsissimum Christi corpus non modo edi à nobis in sacramento, sed revera & sensualiter frangi manibus, & dentibus atteri. Ita blasphemia trudit blasphemiam, ut clavus clavum.

Tu tamen abhorrens fortasse à tam impio carcinomate, non quidem ais fregisse Christum, sed tantùm dici fregisse suum corpus seu panem benedictum ,, (quasi quod verè dicitur non etiam verè atque efficienter existat;) & addis ,, rationem, quia sic fregit sacramentum quo corpus suum tegebatur, ut licèt ,, corpus integrum & incorruptum permaneret, tamen non ab uno tantùm sed ,, à pluribus sub sacramento sumeretur. Hîc jam vide rursum quàm fœde impingas, etenim de alliis interroganti de cæpis quod aiunt respondisti. Quæsivi enim, an Christus corpus ipse suum fregerit & quomodo? Tu respondes, dici fregisse quia sumatur ejus corpus à pluribus licèt maneat incorruptum. Neque planè ais fractum fuisse corpus neque negas. Quo certè perspicuum facere videris cavillandi studium.

Sed videbas te hîc teneri, neque ullum patere effugium. Omnino enim aut confitendum erat, ipsum Christi corpus fregisse suum corpus, aut certè falsa esse Spiritus Sancti oracula, aut denique evertendam omnem transsubstantiationis doctrinam. Itaque noluisti sententiam tuam à nobis intelligi; in quo certè secutus es vestræ theologiæ magistros Scholasticos, qui etsi peracuti ac solertes homines, mirum tamen dictu est quàm se in hoc nodo explicando anxiè ac solicitè torserint, & variis propositis ventilatisque sententiis, tandem multò quàm antè arctiori nervo sese irretierint. Ita enim hanc quæstionem agi- ,, tant in Sententiarum seu potiùs Romanæ fidei oraculorum libro: Solet etiam *Hæc ad*
,, quæri de fractione & partitione quæ ibi videtur fieri, utrùm vera sit: & si ibi *verbum*
,, vera fractio est, cujus rei sit, vel in qua re fiat; cùmque non sit ibi alia sub- *descripta*
,, stantia quàm Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi *sunt ex lib.*
,, videtur esse: sed è contrà, cùm ipsum corpus incorruptibile sit, quia im- *Sententia-*
,, mortale & impassibile, in ipso non posse esse videtur, &c. Ideò quibusdam *rum 4.*
,, placet, quòd non sit ibi fractio sicut videtur, sed dicitur frangi quia videtur *dist. 12.*
frangi, &c. Hanc tu sententiam verbo tenus videri posses hîc secutus fuisse, *cap. 2.*
nisi è vestigio aliud arripiens, multò altiùs pedem cœno immersisses: quòd certè & illis ipsis usuvenit. Ita enim disputationem persequitur Lombardus: ,, Quibus objicitur quod ait Ambrosius, nihil falsi putandum est in sacrificio

„ veritatis, vel ſicut fit in magorum præſtigiis, ubi deluſione quâdam falluntur „ oculi, ut videant eſſe quod non eſt, &c. Sed hîc mirum eſt eos oculorum præſtigias tantopere averſari, cùm in tranſſubſtantiatione non oculos tantùm, ſed manus, linguam, palatum, & denique ventriculum ipſum meris præſtigiis confidenter deludant. Tertiam deinde opinionem ventilant his verbis: „ Alii dicunt quòd ſicut ibi ſpecies panis eſt, & non eſt ibi res cujus vel in qua ſit „ illa ſpecies: ita eſt ibi fractio quæ non fit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur. „ Quod mirabiliter Dei potentiâ fieri dicunt, ut ibi fiat fractio ubi nihil frangitur. Vide quàm protervè ad ſuas nænias ſtabiliendas Dei potentiâ abutantur. Sed neque hoc illis arridet. Itaque aliud effugium parant, & aiunt: Alii tra- „ dunt corpus Christi eſſentialiter frangi & dividi, & tamen integrum & in- „ corruptibile exiſtere: quod ſe colligere aſſerunt ex confeſſione Berengarii, „ qui confeſſus eſt coram Nicolao Papa & pluribus epiſcopis, Panem & vinum „ quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm ſacramenta, ſed e- „ tiam verum corpus & ſanguinem Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolùm ſub „ ſacramento, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari & frangi, & fide- „ lium dentibus atteri, &c. Hæc ſanè ſententia etſi contradicentes pugnanteſque inter ſe enuntiationes ſimul veras eſſe profiteretur (quod certè Magiſtris noſtris minimè eſt inſolens, qui pro ſua authoritate ejuſmodi flagitia omnipotentiæ velo ad populum tegunt:) tamen erat cum tranſſubſtantiationis dogmate omnium maximè conſentanea, & concilii Lateranenſis pontificiſque Nicolai decreto roborata: & nihilo tamen minùs à delicato Magiſtrorum noſtrorum palato quaſi minus ſapida repudiatur. Aliam enim quam aiunt eſſe probabiliorem tandem obtrudunt pro oraculo, quam & tibi video, Ampliſſi- „ me D. Cancellarie, placuiſſe. Sed quia corpus Chriſti, *aiunt*, incorruptibile „ eſt, ſanè dici poteſt fractio illa & partitio non in ſubſtantia corporis, ſed in „ ipſa forma panis ſacramentaliter fieri: ut vera fractio & partitio fit ibi, quæ „ fit non in ſubſtantia corporis, ſed in ſacramento, id eſt in ſpecie, &c. Quæ quidem mihi videntur cum iſta tua reſponſione ad amuſſim conſentire: Nam etſi primâ fronte verba inſpicienti videri poſſis ipſam fractionem in viſo potiùs quàm rei veritate ponere: tamen poſteà ais, fregiſſe ſacramentum quo corpus ſuum tegebatur. Sed cedò, vir ampliſſime, quod tandem iſtud eſt ſacramentum? Nec enim potes ignorare vos veſtramque Eccleſiam Romanam duo hîc ſacramenta ſtatuiſſe. Tria enim omnino vultis eſſe diſtinguenda: Unum, quod eſt ſacramentum tantùm, ut ſpecies viſibiles, vinum & panis; aliud, quod eſt ſacramentum & res, ut caro Chriſti vera & ſanguis verus: tertium, quod eſt res & non ſacramentum, ut corpus Chriſti myſticum; & primum quidem hederæ pro caupona ſuſpenſæ comparatis: alterum, ipſi cauponæ: tertium, vino cellâ clauſo ſimile eſſe dicitis. Ac proinde debueras certè explicare utrùm ex his duobus ſacramentum fregiſſet Chriſtus: illudne quod tantùm ſignificat, nimirum accidentia panis & vini; an verò ſuum ipſiſſimum corpus, quod vultis & rem ſimul eſſe & ſacramentum? Sed hæc omnia ex compoſito præteriiſti, ne in fœdiſſimo humani commenti cœno nimis altè pedem fixiſſe deprehendereris. Quod ſi tamen Romanæ eccleſiæ dogma ſequi voles, utique neceſſe eſt ut omiſſo vero Chriſti corpore (quod tamen præcipuum eſſe ſacramentum ſemper

Hæc ſumta ſunt ex lib. Sentent. 4. diſt. 9. cap. 1. & ibi gloſſa Henrici de Urimaria. Hæc ſimilitudo uſurpatur à Panormitano quem deinde reliqui ſequuntur & Lovanienſis & Scholaſtici.

ſemper inculcatis) ad nuda, inania & planè commentitia te panis accidentia convertas. Et ſanè hoc ipſo intuitu videris hæc verba adjeciſſe, *Sacramentum quo corpus ſuum tegebatur:* innuens videlicet, verum Chriſti, corpus, quod ſub panis forma & accidentibus nudis tectum deliteſcat, nequaquam frangi, ſed tantùm ejus tegumentum ſive involucrum, accidentia nimirum & ſubſtantiâ vacuam formam. Verumenim verò, Vir doctiſſime, cùm omnes uno ore Apoſtoli atque Evangeliſtæ Chriſtum teſtentur ſumſiſſe, fregiſſe ac dediſſe panem, (quo certè nomine unà cum accidentibus & forma ſubſtantiam etiam ipſam vel maximè comprehendi ne vos quidem ponitis in controverſia,) deque eo dixiſſe, *Hoc eſſe ſuum corpus:* Cùm Paulus etiam poſt conſecrationem ubique aſſeveret, Panem eſſe quem frangimus, cui benedicimus, quem denique vel dignè vel indignè manducamus, & ex panis natura atque análogia uberrimam & cumprimis ſalutarem de unione corporis Chriſti cum eccleſia, ejuſdemque membrorum inter ſe nexu indiſſolubili doctrinam eliciat; de forma verò ſeu accidentibus ſubſtantiâ nudatis ne iota quidem univerſa Scripturæ ſacræ pagina contineat: quo tandem præeunte Dei verbo, aut quo ſuggerente ſpiritu didiciſtis, ipſum panem neque frangi, neque omnino eſſe Chriſti corporis vel ſacramentum vel ſymbolum, ſed illo prorſus evaneſcente commentitiam hanc veſtram umbram atque inanem panis formam pro ſacramento quæ ſola frangatur ſuccedere? cùm nemo ſanæ mentis homo non videat, planè nullam eſſe nudis hiſce rerum & commentitiis atque inanibus accidentibus cum vero ac vitali efficienterque vegetante Chriſti corpore analogiam, nullam ſimilitudinem, nullam comparationem: & jam in ſcholis veſtris ex Auguſtino vel „ pueris ipſis tritum ſit: Si ſacramenta nullam habeant ſimilitudinem earum re- „ rum quarum ſunt ſacramenta, omnino ſacramenta non eſſe: propter illam „ enim ſimilitudinem, & ipſarum ſæpe rerum nomina accipere. Quænam igitur vos vel vis vel ratio vel fortuitus denique caſus impulit, ut ſpreto abjectoque pane qui vim illam vitalem ac ſalutarem carnis Chriſti ſignificantiſſimè nobis ponit ob oculos, quemadmodum poſt Apoſtolum Paulum omnes uno ore teſtantur vetuſtioris eccleſiæ Patres, & proinde viciſſim ſuum nomen cum Chriſto communicat, qui ſe hoc intuitu panem è cælo delapſum appellavit, ut nimirum quam ab illo accipimus vitam ac nutritionem diſertè exprimeret: in ejus locum inane neſcio quod veſtri cerebri commentum & caſſum ſimulacrum ſubſtitueretis? præſertim cùm jam omnium Apoſtolorum teſtimonio liqueat, veram panis fractionem verba etiam illa quibus tranſſubſtantiationis omne dogma fulcitur præceſſiſſe, ac proinde haud potuiſſe Chriſtum nuda panis accidentia frangere, cùm vel vobis authoribus ante illorum verborum prolationem ſubſtantia necdum evanuerit: Ita ut quocunque tandem vos vertatis, utique fiat perſpicuum vos à Chriſti exemplo & doctrina quàm longiſſimè receſſiſſe. Alioqui obſecro te, vir præclare, cedò tandem ex quibuſnam fontibus vel rivulis hauſerint veſtræ hujus præſtigioſæ theologiæ antiſtites, præcipuum in hoc jus & ſingularem prærogativam accepiſſe nuda hæc veſtra accidentia, ut hoc Chriſti corpus inviſibile atque impalpabile nullâque corporeâ circumſcriptum ut volunt dimenſione, non æquè poſſit ſub vero, naturali & vitali pane, atque ſub caſſis & inanibus accidentibus occultatum deliteſcere? An

verebantur ne fortè non se posset eousque porrigere divina omnipotentia, ut unà cum pane simul ipsum Christi corpus, disparatas nimirum substantias, uno eodemque loco unoque momento præsens sisteret? haud equidem arbitror. Quos enim nihil movebant innumerabilia alia miraculorum portenta, quibus pro libidine confictis ad sustentandam mirificam illam suam transsubstantiationis machinam, nihil dubitarunt omnipotentiæ velum quasi quoddam suorum somniorum tegumentum perpetuò & sine ulla fronte confidentissimè obtendere: eosdem vix est verisimile ut disparatarum inter se substantiarum nova coagmentatio seu coalitio conturbarit. An fortè existimarunt Christi majestate dignius videri, ut cassis accidentibus quàm ut verâ panis substantiâ corpus ejus velaretur? Ne id quidem. Esset enim nimis ridiculum. Quid ergo est? Obfirmarant scilicet animum semel in eam sententiam, ut æternum Dei filium atque adeò Deum ipsum Christum Jesum unicum humani generis Servatorem, non sursum in cælis, (quemadmodum & ipse voluit & Apostoli docuerunt,) sed hîc deorsum in terris quærendum, adorandum, amplectendumque proponerent, eumdemque sacrificorum suorum verbis quasi Jovem elicium evocari, manibus porrigi, & instar Persici numinis circumgestari, litatione denique in peccatorum remissionem & vivorum defunctorumque salutem Deo patri tanquam salutarem victimam offerri. Hoc enim erat unicum illis & faciendi quæstus compendium, & subjiciendarum sibi conscientiarum artificium, si crederet vulgus in illorum esse arbitrio ac potestate, Christum ipsum quoties liberet in terris præsentem sistere, & salutis humanæ mysterium quibus essent benevolentiores dispensare. Ad eam rem arripuerunt hæc sacramenti verba, quibus panem esse suum corpus testatur; eademque non pro ratione sacramentorum & signorum, in quibus nihil nisi quod signa sunt, id est quod significant attenditur; sed ad litteram, &, ut loquitur Augustinus, serviliter voluerunt intelligi; & quæ Christus in sui jamjam morituri, seseque in cruce oblaturi & pòst in cælum ascensuri memoriam fieri jubet, hæc illi ad eum ex cœlo in terras evocandum & de integro novo quodam ἱλαστικῷ sacrificio immolandum, contra genuinam atque usitatam omnium verborum significationem traduxerunt. Atque inde porrò ut novo sacrificio novum adderent miraculum, & ita suæ dignitatis existimationem ac reverentiam in hominum animis novâ religione cumularent, putaverunt populo esse persuadendum, haud ullum ampliùs restare panem, sed habere se in manibus & ipsis dentibus premere Deoque offerre ipsissimum illud quod in cruce pependit corpus; quod quidem omnipotentiæ divinæ obtento velo rudium oculos obtundentes, finxerunt non esse quale olim fuit, visibile nimirum & palpabile, sed mirificâ quâdam & portentosâ ac inter se pugnante machinatione, esse hîc quidem penitus invisibile, neque omnino vel sensui obnoxium vel dimensionis corporeæ capax: in cælo autem idem illud & videri & palpari & omnium sensuum perceptioni obnoxium existere, neque tamen vel hîc vel illic coporeâ suâ dimensione ac finibus circumscribi, sed per omnes sacrificorum aras quocunque velit sine ulla circumscriptionis meta se porrigere. Huic autem portentosæ metamorphosi vehementer obstabat quòd videbant nemini nisi planè cæco & vecordi posse persuaderi, omnem illam pristinam panis formam, figuram, colorem, saporem

Lib. 2. de doct. Christ. cap. 1.

rem & reliqua quæ vocantur naturalia panis accidentia penitùs interiisse: quippe cùm ea omnium oculis manifestè cernerentur, manibus contingerentur, & totis denique sensibus haurirentur. Hæc illi accidentia Christi corpori tribuere nequaquam sunt ausi. Fuisset enim è vestigio deprehensa impostura; cùm nemo nesciat verum Christi corpus neque rotundum esse, neque farinaceum, nec denique panis forma & accidentibus vestitum. Itaque commenti sunt, panis quidem substantiam atque adeò ipsum panem ad verba consecrationis diffluere ac penitus evanescere atque interire, eique verè Christi corpus ipsissimum succedere, atque illud unum à sacrificis, manibus teneri, dentibus premi, & sacrificio immolari, populoque adorandum exhiberi. Sed tamen quia non possunt falli oculi vel reliqui omnes sensus, ideò in aëre vel nescio ubi tandem pendula hærere panis accidentia. Ita enim scribunt disertis verbis, quòd accidentia sensibilia quæ fuerunt in pane, eadem numero maneant post „consecrationem, ut patet per experientiam, quia eadem apparent post con- „secrationem quæ antè, & sensus circa objectum proprium non decipiuntur; „& licèt multa ibi sint quæ non apparent, scilicet corpus Christi & sanguis „cum accidentibus propriis: ea tamen quæ apparent tanquam propria obje- „cta sensus, qualitates scilicet sensibiles, eædem quæ fuerunt ante consecra- „tionem ibi sunt, &c. Ex quibus certè meridianâ luce clarius fit, universam „hanc transsubstantiationis molem nullo planè fidei aut verbi Dei fundamen- „to, sed solo sensuum externorum judicio atque experientiâ subnixam consistere. Et quidem in eo ipso judicio pro imperio illos quod arrideat amplecti, quòd minùs palato sapiat, anathemate ferire & funesto theta inurere. Cæteroqui cùm pleræque post consecrationem omnes omnino substantiæ proprietates, ipsaque essentialis forma quæ dat esse rei, tum reipsâ tum numero eâdem permaneat quæ fuit ante consecrationem, neque quicquam immutetur (quod & certissimâ patet experientiâ, & sensuum omnium indubitato judicio comprobatur) nihil erat causæ cur substantiâ ejectâ, cassa & nuda accidentia rudis plebeculæ sensibus largirentur. Quod enim aiunt, substantiam non æquè esse proprium sensuum objectum atque sint accidentia, versuram profectò faciunt, & in eodem semper luto hærent. Non enim quisquam non insanissimus unquam dabit, accidentia quæ nulli inhæreant substantiæ esse propria sensuum objecta. Quod enim omnino sensibus percipiuntur, ideò fit quia substantiæ inhærent; quod si ademeris, jam non modo sensibus objici non poterunt, sed planè nihil erunt. Ecquis enim unquam vel oculis vidit vel fando audivit, colorem si à substantia colorata divellatur oculis cerni posse? vel rotunditatem sensu percipi quæ nulli rei rotundæ seu orbiculari inhæreat? Accidentium certè omnium una hæc est definitio atque ipsum τὸ ἦν τι, quòd rebus per se existentibus id est substantiis accidant atque inhæreant. Eo autem sublato ne accidentia quidem esse possunt, utpote quæ nulli accidant, nedum ut sensuum proprium objectum dici debeant: cùm nullus certè sensus abstractarum qualitatum, imò verò earum quæ nusquam sunt capax possit intelligi. * Et tamen quando sensuum trutinam certamque ac propriam perceptionem in solis accidentibus voluerunt collocari, debuerant certè meminisse ipsum Christi corpus suâpte naturâ dimensum atque aspectabile suisque naturalibus & propriis

Gab. Biel. quæst. 1 dist. 12.

priis vestitum accidentibus, quale fuit in cruce, hîc unà cum panis accidentibus ab eis statui, & tamen sensibus omnino non comprehendi, quos tamen unos atque irrefragabiles testes in corporis sui veritate exploranda Thomam Apostolum Christus ipse jussit adhibere. Fallentur ergo vobis sensus in ipso Christi verissimo, ut vultis, corpore, ejusque forma atque omnibus accidentibus & proprietatibus substantiæ suæ naturaliter ac verè inhærentibus, quæ sunt proprium sensuum objectum: & in fictis atque commentitiis & à substantia sua divulsis accidentibus, quæ neque sensus ullus neque ratio ipsa aut intelligentia queat percipere, falli non poterunt? Hoc certè jam non est loqui, sed sortitò ac temerè arripere quod effutiatis, quodque stupenti ad tanta miraculorum portenta plebi pro inani fuco obtrudatis. Et non dubitatis tamen, inania hæc & monstruosa humani cerebri commenta, quæ neque Dei verbo, neque ulla vel vera vel probabili ratione potestis tueri, non modò ferro & igni quasi aras vestras ac focos propugnare, sed multò etiam absurdioribus & à Scripturarum veritate atque analogia fidei longè remotioribus dogmatum portentis cumulare. Tu enim hîc, ut præclaram hanc ex Magistrorum vestrorum cerebro prognatam minervam in fidei arce possis collocare, non dubitas quasi ex tripode „ pro oraculo absurdissimam hanc similitudinem adjicere: Si Dominus gloriæ, „ ratione humanitatis in qua lædi potuit, rectè crucifixus esse dicitur: quid mi-„ rum si Christi corpus ratione formæ panis sub qua continetur etiam frangi di-„ catur? Quid? an potes esse nescius quòd idiomata naturis duabus inter se communicentur, quemadmodum locuta est omnis theologorum antiquitas, id fieri duntaxat ratione unionis hypostaticæ, quâ Deitas humanitati personaliter ita conjuncta est, ut ex duabus naturis diversissimis una tantùm existat persona? Tune igitur huic evanidæ panis formæ seu accidentibus ejusmodi aliquam unionem cum Christi corpore audebis tribuere, cujus ratione atque intuitu quod panis formæ usuveniat, idem Christi corpori sub ea latitanti usuvenire non impiè dici possit? At quo tandem verbo, aut quonam Evangelista vel Apostolo teste id comprobabis? cùm nemo sit sanæ mentis homo qui tam crassam atque impiam blasphemiam toto pectore non aversetur? Et tamen aut hoc tibi statuendum est, aut confitendum non modò elumbem atque inanem, sed impiam esse hanc tuam rationem: aut certè ex verbo Dei demonstrandum, quali tandem unione aut quo genere copulationis, Christi corpus cum panis accidentibus esse connexum intelligatur. Id autem quomodo possit demonstrari non video, cùm in universa Scriptura ne minimo quidem apice horum vestrorum accidentium vel tantula mentio injiciatur. Et tamen si dederimus sublatæ panis substantiæ subire accidentia, necdum quicquam effeceris. Nam si non junguntur hæc accidentia cum Christi corpore unione hypostaticâ, restabit ut conjungantur vel eâ quæ est essentialis ac naturalis, vel eâ quæ dicitur sacramentalis. Naturalem scio te nunquam esse admissurum: neque enim posses tueri. Restat igitur sacramentali conjunctione hæc constet coagmentatio. Quod si ita est, inanis certè est hæc tua ratiocinatio, quâ tribuatur unioni hypostaticæ idiomatum communicatio, eamdem posse sacramentali eodemque jure tribui: ac proinde Christi corpus frangi rectè dici, propterea quòd panis forma seu panis frangantur accidentia, quemadmodum Dominus gloriæ

gloriæ dicitur crucifigi, propterea quòd illa natura quæ crucifigitur cum divina Domini gloriæ natura ita arctè est unita, ut idem sit crucifixus atque idem gloriæ Dominus. Nam planè è diverso efficietur, quum hîc nulla alia nisi sacramentalis unio possit intelligi, haud aliter accipiendum esse quòd Christi corpus hîc è cælo sub panis forma sistatur, nisi pro ratione & perpetua norma sacramentorum, id est quemadmodum in reliquis omnibus sacramentis & sacris signis res signatæ sisti solent. Hîc tu tam immensâ absurditatum voragine ,, obrutus, tamen audes quasi prætor aliquis ferre sententiam; Quòd qui ad ,, credendum tardi sunt, facilè tergiversationes quærunt quas Christi verbis op- ,, ponant, sicut opposuit Zacharias dicens, Unde hoc sciam? Quasi verò quæ vestri Scholastici ac Pontifices contra Scripturarum fidem, contra omnem Sacramentorum rationem atque analogiam, contra denique articulorum fidei confessionem absurdissima finxerunt dogmatum portenta, nobis continuò fide sint amplectenda, quia vos ita esse dicitis: quum ipsi tamen à vobis non minùs quàm ab Evangelicorum oraculorum veritate diffideatis.

Ad quintum caput quia satis antè responsum est, nihil repetam: tantùm addam, Deum omnia posse efficere quæ velit & quâcunque velit ratione: sed planè non cogitur ad sancienda vestra miraculorum commentitiorum plaustra divinam suam vim atque potentiam quoties vobis adlibuerit exerere. Illa enim nihil agit nisi quod vult, neque ad sophistarum libidinem vel rerum à se conditarum naturam evertit, vel semel sancitam veritatem labefactat: sed quæ facit miracula, ea facit ita efficienter ut sub sensus veritatis testes cadant & nihil cum magorum præstigiis commune habeant: eademque verbo suo & spiritu eatenus facit manifesta quoad ex usu Ecclesiæ esse novit. Quòd autem verbo, *Est*, miracula fabricari posse contendis, nihil est aliud nisi ad quæstionis caput quæstionem ipsam revocare, & petendo (ut dialectici loquuntur) principio non modo actum agere, sed ferulâ se dignum præbere. Quæritur enim, an Deus verbo, *Est*, id fieri voluerit quod est in controversia. Tu ut ostendas voluisse, dicis eum si velit posse mediante verbo, *Est*, efficere quæ velit: quæ quidem argumentandi ratio omni responsione indigna est.

In sexto capite fidem tuam, mi D. Doctor, iterum vehementer desidero. Reprehendis quòd dixerim, verbi, *Est*, unam & simplicem esse significationem, ut semper significet, *Esse*, sed non semper significet, *Esse substantiam*, ,, sed aliis etiam summis tribui vocibus. Hæc tu verba ais non tantùm inter se, ,, sed etiam cum mea ratiocinatione pugnare. Inter se quidem, quia ubi est ,, analogia, non est una & simplex significatio: sed verbum, *Est*, analogicè ,, refertur ad decem voces: ergo non est ejus simplex significatio, &c. Sanè si simpliciter dixissem esse unam, simplicem & perpetuam verbi, *Est*, significationem, haberes fortasse quod suggillares: Sed quum certam subjunxerim interpretationem, ut nimirum significet semper, *Esse*, sed non semper, *Esse substantiam*: eccui facies fidem te hîc bonam fidem præstitisse? Quum enim dico, *Esse*, semper significare *Esse*, tum dico verbi, *Est*, significationem in se quidem esse unicam, sed respectu rerum cui tribuatur esse analogicam.

Hoc si non esset, jam necessariò esset una ex decem vocibus. Sed quia omnibus decem vocibus peræque accommodatur, quamvis diversâ ratione: ideò esse supra illas omnes voces præclarè est à Logicis definitum. Itaque quàm tu ipse hîc turpiter impingas vide, qui contendas verbi, *Est*, significationem semper significare substantialitatem. Ita erit τὸ ὂν unum ex decem vocibus & quidem erit substantia. Nihil enim nisi meram significabit substantiam.

Quod quidem si discipulorum tuorum quisquam dixisset, ferulâ certè dignum judicares. Et tamen paulò pòst etiam impingis turpiùs, dum significationem sacramentalem ab omnibus decem vocibus planè separas. Et ais significationem verbi, *Est*, non tantùm ex eo multiplicem inveniri quia decem vocibus accommodetur: sed etiam quòd aliquando significet aliquid esse simpliciter, aliquando non simpliciter, sed significativè & sacramentaliter: quasi verò hæc significatio sacramentalis non manifestè ad relationis categoriam sit referenda. Nam si κατηγορεῖσθαι quippiam de altero dicitur, quâcunque tandem ratione respectuque ei tribuatur, omnino necesse est ad harum decem vocum unam referatur. In quo tu videris in vocem analogiæ impegisse, quam pro æquivocatione seu amphibologia sumsisti, & πολύσημα cum ὁμωνύμοις seu æquivocis confudisse. Etenim verbum, *Est*, per se quidem πολύσημον est, & cuicunque tandem categoriæ accommodetur, significat *Esse*: sed cum aliis comparatum, tum demum æquivocè seu ut tu loqueris analogicè dicitur, & non simpliciter. Ita cum dicimus, Hominem pictum esse hominem, verbum quidem conjungens has voces significat simpliciter esse, non autem esse substantialiter, sed tantùm per similitudinem, seu ratione πρός τι; & tamen æquè propriè dicitur imago esse id quod refert ratione similitudinis, ac ratione substantiæ dicitur homo esse homo. Sed si rationem similitudinis cum substantia conferas, tum demum hujus comparationis intuitu alterum dicetur simpliciter, alterum secundùm quid & non simpliciter. In quo demiror tantopere hospitem te videri, qui apud tuos nihil audias videasque frequentius. Nullus enim est vicus, nullus angiportus qui non habeat aliquod εἴδωλον seu simulacrum, de quo nemo est vestrûm qui dubitet dicere, hæc est Maria, hic est Christophorus, hic est Christus crucifixus, & infinita ejusmodi: sed de modo interrogati, continuò respondetis, ad memoriam seu similitudinem earum rerum quas significent ita dici. Et interim non auditis Christum ipsum sese explicantem, dum jubet ut in sui suæve crucis memoriam non simulacra aurea saxeave erigantur, sed panis ac vini symbolum in sacrosancta cœna usurpetur.

Tandem venis ad meum argumentum, in quo me ais assumere axioma Philosophiæ naturali & Scripturæ sacræ prorsus ignotum. Quod an ita se habeat ex superioribus quæ à me scripta sunt, ne sæpius repetita fastidium pariant, lectori æstimandum relinquo.

Postremò, quasi persentiscens veris te nihil rationibus efficere, ad cavillos plusquam sophisticos confugis. Ais meis exemplis quæ produxi non quidem verbum, *Est*, sumi tropicè seu sacramentaliter ac figuratè, sed ipsum attributum, corpus scilicet aut sanguinem; quod quidem etsi nobis quasi quemdam

dam Ajacis clypeum iteratò objicis, quàm ſit tamen puerile ac penitus elumbe tu quæſo ipſe judex eſto. Ego ſi de ſimulacro quopiam veſtro dixero, Hoc eſt S. Franciſcus vel Dominicus, & interrogatus an ſubſtantialiter ita ſit, vel ut ipſius Auguſtini exemplo utar, ſi dixero, Hic dies eſt dies reſurrectionis ſeu paſchatis, reſpondero verbum, *eſſe*, ibi (quemadmodum idem loquitur Auguſtinus) poſitum eſſe in ſigno vel ſignificatione: ſi quis me hîc ſuggillet quaſi tropus non ſit in verbo, *Eſt*, ſed in attributo, nimirum Franciſco & Dominico, vel Paſchatis die, ut dicam verba mea ſic debere intelligi, hoc eſt verè Franciſcus, vel hæc dies verè eſt Paſcha, id eſt Franciſci imago, vel Paſchatis rememoratio: quis ejuſmodi hominem cum tam putida ſophiſtica non putet eſſe procul explodendum? Sive enim dicas hæc verba, Petra erat Chriſtus, innuere quòd Petra ſignificabat vel repræſentabat, vel figurabat, vel ſacramentaliter notabat Chriſtum, (ut tropus ſit in verbo, *erat*,) ſive ponas tropum in attributo, & dicas tantumdem exprimere ac, petra erat ſignificatio, vel ſignum, vel repræſentatio vel figura, vel Sacramentum Chriſti: quis eſt ita cæcus qui non videat hæc penitus eodem recidere? Et tamen videmini neſcio quomodo vobis in ejuſmodi cavillis delitioſos triumphos facere, & quidem uſque adeò ut nonnulli libros quos de noſtrorum diſſentionibus inſcripſerunt, non dubitarint ejuſmodi puerilibus næniis infarcire, quibus rudi plebeculæ perſuaderent Zwinglium, Oecolampadium, Caroloſtadium, Calvinum & neſcio quos alios inter ſe digladiari propterea quòd alii in his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, tropum in verbo, *Eſt*, alii in attributo corporis poſuerunt. Quæ quidem nimium impudens calumnia quum in nemine ferenda planè ſit (nec enim eſt quiſquam ita cæcus qui neſciat ne tantillum quidem hæc inter ſe ſignificationis veritate diſcrepare) tum certè vel maximè in vobis, qui ſcholaſticæ veſtræ theologiæ rivos propè ex Ariſtotelis fontibus deduxiſtis, prorſus eſt intoleranda, quum diſertis verbis præeuntem habeatis veſtrum Ariſtotelem, apertèque in metapkyſicis ita docentem: *καὶ αὐτὸ δὲ εἶναι λέγεται, ὅσαπερ σημαίνει τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας. ὁσαχῶς γὰρ λέγεται, τοσαυταχῶς τὸ εἶναι σημαίνει*, id eſt, Per ſe autem dicuntur eſſe ea quæcunque in categoriæ figuris ſignificatione continentur; nam quotcunque tandem modis dicuntur, totidem planè ſignificant, *Eſſe*. Ex quibus certè non debebatis ignorare in omni enunciatione verbum, *Eſt*, adhiberi ad ſignificandum eam quæ eſt inter extremas utraſque voces inter ſe conjunctionem copulationemque, & quidem pro ratione ac natura ipſarum vocum quæ inter ſe copulantur. Itaque quemadmodum, *οὐδὲν διαφέρει τὸ ἄνθρωπος ὑγιαίνων ἐστὶν, ἢ τὸ ἄνθρωπος ὑγιαίνει*, teſte Ariſtotele: ita planè nihil intereſt utrùm dicas, panis eſt ſignum corporis, poſito nimirum tropo in voce attributi corporis; an potiùs, panis ſignificat vel ſignat, vel repræſentat ipſiſſimum corpus Chriſti, poſito eodem in verbo, *Eſt*, quod adhibetur ad copulandum attributum cum ſubjecto. Certiſſimum enim eſt quod idem ait Ariſtoteles: *ὅτι τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον αὐτὸ μὲν καθ' αὑτὸ ἐν οὐδεμίᾳ καταφάσει λέγεται ἢ ἀποφάσει, τῇ δὲ πρὸς ἄλληλα τούτων συμπλοκῇ κατάφασις ἢ ἀπόφασις γίνεται. περὶ γὰρ σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν ἐστὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές.* Id eſt, quòd nihil eorum quæ conjuncta non ſunt, in affirmatione aut

negatione dicitur: sed ex eorum mutua quadam inter se conjunctione omnis manat vel affirmatio vel negatio. Nam circa conjunctionem aut sejunctionem verum & falsum omne versatur. Quod quidem cùm in omnibus omnino categoriis quæ per se esse dicuntur sit extra controversiam ὅτι ἑκάστῳ τούτων τὸ εἶναι τ' αὐτὸ σημαίνει, id est, propterea quòd eorum unicuique, *Esse*, idipsum significat, tum certè vel facillimè potest in analogicis & sacramentalibus loquendi rationibus quæ in signo positæ sunt & per similitudinem explicantur intelligi. Quod ipse tu facilè potuisses perspicere, si disertissima te Augustini verba superiori à nobis epistola ex libro ejus contra Adamantium Manichæum producta non piguisset examinare, vel certè judicem ipsum ac dictatorem Christum docili aure controversiam hanc omnem suis verbis decidentem auscultare. Uno enim loco ait, hoc est sanguis novi testamenti: & altero, ne disputaretur ubi esset tropus, in verbo ne an in attributo, sic locutus est, & se explanavit: Hoc poculum est novum Testamentum in meo sanguine. Quod si velimus in verbum resolvere, idem valebit atque, Hoc poculum testatur, vel testamento ac fœdere sancit meum sanguinem pro vobis effusum esse in remissionem peccatorum vestrorum. Vides, Vir doctissime, sive tropum in verbo, *Est*, constituas, sive in voce subjecto attributa: id est sive dicas poculum esse sanguinem vel sanguinis fœdus ac testamentum; vel denique sanguinem testamento sancire; prorsus idem te dicere: vel certe necesse esse ut Evangelistas ipsos mendaces ac tropistas seu hæreticos & sacramentarios esse convincas; qui manifesta Christi verba de sanguine per tropum explicarunt, & quid de iis quæ de pane dixerat esset sentiendum apertissimè commonstrarunt. Apagesis igitur cum istis frivolis effugiis & verborum inanibus ampullis, & cùm se Christus dicit esse vitem, agnum, &c. tu si libet explica per tropum in attributo: ego etiam si dixero unam esse & perpetuam verbi, *Est*, explicationem, ut semper, *Esse*, significet: tamen non dubitabo ita exponere quasi dicat se esse similem non agno, viti, aut ostio tropico, (quemadmodum vos apud ignaram & stupidam plebem nos fingitis statuere nescio quod corpus Christi tropicum seu figuratum atque commentitium,) sed vero ostio, vero ac naturali agno, veræ denique viti: Sed dicam verbum substantivum, *Esse*, hîc non substantiam, sed similitudinem notare; ut cum de bardo homine dicitur, eum esse asinum, caudicem, stipitem: quòd nimirum ingenii tarditate ἀνάλογον quiddam iis referat. Ex quo, Amplissime Cancellarie, facilè cernis necesse esse ut corruat invictus ille tuus aries quo nostrum perpetuum atque indubitatum axioma sperabas te posse convellere. Ais enim quòd „ in Scripturis sacris nullum exstet exemplum, quo nomen aliquod Christi sub„stantiam sive divinam sive humanam propriè significans, à sua propria signi„ficatione translatum elemento aut inanimatæ substantiæ tribuatur, ad signi„ficandam aliquam ejus proprietatem. Nam etiamsi esset hoc omnium verissimum, quod minimè est: quid quæso tamen efficeres, nisi quòd nobis gladium in manus porrigeres quo in tuum jugulum contorto tibi omnino pereundum esset? Eâdem enim argumentandi ratione valeret & hoc axioma: Nullum posse produci ex Scriptura exemplum quo Christi corporis & sanguinis nomen

men, mutis ac brutis creaturis tributum transsubstantiationem invehat. Ac proinde nullam esse rationem cur & in iis verbis quibus instituuntur sacramenta quæ sunt σφραγῖδες signa & typi & ad memoriam & annuntiandum Christi mortem instituta, tale quippiam præter omnem rationem atque exemplum confingi debeat.

Sed audi Augustinum exemplis quibus hoc tuum axioma jugulatur & Christi nomen mutis elementis tribuitur utentem: cujus authoritati pro tua modestia sat scio non voles refragari. Is verba illa Pauli, *Petra erat Christus*, prorsus eâdem ratione exponit, ut Christi nomen tum divinam tum humanam substantiam significans tribuatur petræ, ad significandum signum seu sacramentum quod in illa petra Dominus populo proposuerat. Et illud ipsum exemplum ad hanc ipsam rem de qua agimus ita accomodat, ut doceat propter similitudinem & analogiam quam habent inter se signa & res signatæ unius nomen alteri tribui. Sed hæc tu omnia à nobis toties inculcata, tamen surdâ aure prætereunda tibi putasti. Deinde, quoties obsecro arca fœderis nominatur ipse Jehova exercituum? Quid? an non Jerusalem nominatur Jehovah Justitia nostra. Ecquem autem nosti Jehovam qui sit Justitia nostra, præter unum Christum? De columba an non dicitur, fuisse Spiritum Sanctum? Et tamen nemo est ita omnis sensus ac rationis expers qui propterea Spiritum ipsum à Patre & Filio Christo procedentem in columbam fuisse transsubstantiatum; vel è diverso columbam in Spiritum somniet. Sunt enim hæc temulentorum seu potiùs furiosorum hominum insomnia, quæ mens ægritudine & præjudicatæ opinionis errore occupata, per visum seu φαντασίαν sibi reddit verisimilia.

Pergis deinde ad refutationem nostrorum argumentorum. In quo pleraque, & quibus urgeris vehementissimè, silentio præteris, & ad Synodi Nicenæ de- „cretum pedem refers, atque ais neminem esse qui nesciat, Panem hunc be- „nedictum esse Christi morientis sacramentum. Unde etiam mandatum est à „Domino, *Hoc facite in meam commemorationem:* ut & offerentes hostiam salu- „tarem & participantes elevatâ mente per fidem, perpetuò in eam formam in- „tenti sint quam Christi corpus habuit. Sed non propterea sequi, corpus istud „in sacramento non contineri: Aliam enim formam considerandam esse, ut „perpetuò habeatur passionis & resurrectionis memoria, sed non aliam sub- „stantiam quam in sacramento ipso contineatur.

Hîc tu mihi vidêris, quod tanti viri pace dixerim, quasi alto quodam & supino veterno consopitus, omnium eorum quæ antè dixisti penitus esse oblitus. Nam ne concilii Nicæni authoritatem cogaris elevare, simulas te nostræ sententiæ prope ad amussim astipulari. Ais enim panem hunc benedictum esse sacramentum Christi morientis. In quo certè si tibi constares, & superiora omnia quæ de transsubstantiatione enixus es stabilire, everteres, & cum veritatis doctrina pulchrè consentires. Sed continuò pedem retrahis

------ veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit.

& variè tecum ipſe pugnas, ut facilè appareat, quum dixiſti neminem neſcire quin panis hic benedictus ſit Chriſti morientis ſacramentum, longè ſenſiſſe aliud quam verba præ ſe ferant: & voluiſſe te hinc iterum effuſo illo obſcuro & ambiguo panis benedicti verbo, quaſi ſepiæ quodam atramento involvere; metuens videlicet ne ut ſorex, quod aiunt, tuo ipſe judicio prehenſus tenerere, ſi planè ac ſine ambagibus vel panem vel Chriſti corpus nominaſſes. Quid enim eſt obſecro panis iſte tuus benedictus, quem tu nobis uſque ad nauſeam toties ingeris, & Chriſti morientis ſacramentum eſſe pronuncias? panisne? At nullus vobis reſtat panis; an corpus Chriſti quod pani ſucceſſit? At non ignoras Sacramenti definitionem eſſe, ut ſit ſacræ rei ſignum: atqui jam corpus Chriſti eſt ipſa res ſacra: non poteſt igitur ſui ipſius eſſe ſignum, præſertim quum non ſit viſibile. Quam certè notam Auguſtinus & reliqui omnes Patres in ſacramentis animadverterunt. Adjicis propterea mandatum eſſe à Domino ut hoc faciant in ſui commemorationem. In quo niſi tutemet tibi oculos rancidis magiſtrorum tuorum collyriis obleviſſes, facilè cerneres te hîc univerſam tranſſubſtantiationem jugulaſſe, nihilque nos ab orthodoxa fide aberrare, qui doceamus hoc ſacramentum benedicti panis & calicis in ejus mortis memoriam ac ſacrum ſignum eſſe inſtitutum. Sed evertis è veſtigio quæ dixiſti, & jubes ut offerentes hoſtiam ſalutarem intenti ſint non in eam formam quam vident, ſed in illam quam habuit dum viveret & in terris converſaretur: quo quid poteſt eſſe abſurdius? Nam ſi eſt illa veſtra hoſtia veriſſimum atque ipſiſſimum Chriſti corpus, quemadmodum ſoletis etiam ignibus & gladiis efferatè contendere; quid eſt neceſſe in aliam formam intentos eſſe veſtros ſacrificos? quaſi verò ea forma quæ Chriſto ipſi placuit non etiam vobis placere debeat: aut quaſi Romanæ Eccleſiæ Scholaſtici Chriſto præſcribere debeant, quâ ille nobis formâ ſit adorandus. Sed quid quòd & in Romanam Eccleſiam es contumelioſus? Illa enim dum ſe corpus Chriſti capſulâ condere arbitratur, dum ſe illud per fercula & pompas tum flaminales tum funerales circumgeſtare credit, & non modò incenſis facibus, thure, campanis ac libaminibus colit, ſed etiam quotidie in miſſa univerſo populo tanquam Deum ipſum rerum omnium conditorem ac vitæ fontem adorandum proponit: tantùm certè abeſt ut ad aliam aliquam formam populum revocet, ut qui coram hac ipſa forma vel vitreâ etiam capſulâ incluſa non ad genua actutum provolvantur, eos confeſtim ignibus atque extremis cruciatibus addicant. Tu tamen illâ formâ neglectâ aliam vis conſiderari, ut poſſit haberi ejus paſſionis & reſurrectionis memoria. Vides enim pro tuo ingenii acumine Chriſtum neque paſſum fuiſſe unquam neque reſurrexiſſe in forma panis; ac proinde ut ejus memoriam tibi proponas, aliam omnino formam eſſe animo ac mentis oculis objiciendam. In quo fortè non planè abs re lignei vobis & ſaxei veſtri crucifixi, atque alia ſimulacra ſeu εἴδωλα ac deorum formæ ex uſu erunt. Sed vide quàm iniquè agas. Chriſtus, ut nobis vim atque efficaciam ſalutarem ac vivificam ſacroſancti ſui corporis & ſanguinis à virgine matre accepti & in cælum poſteà ſublati præ oculis mentis ac memoriæ ſtatueret, putavit nullum ſe poſſe magis proprium atque accommodatum, nullumque ſignificantius ſignum, ſacramentum, aut mnemoſy-

mosynon proponere nisi panem & vinum, ut nimirum illis sumptis ejus mortis perennem memoriam retineremus. Vos quasi Christum Dei filium sapientiâ longè antecellatis, primùm abjicitis panis substantiam, & nuda relinquitis accidentia quæ mirabili verborum fuco formam nominatis, cùm nullius formati formam esse posse ipsi suaviter in scholis vestris disputetis. Mox non contenti tantâ contumeliâ Christi affecisse institutionem, etiam formam ipsam eripitis, & ad aliam formam vultis animi nostri atque oculorum aciem esse intentam. Et interea ne ullum insaniæ vestigium relinquatis intactum, unam illam ac simplicem corporis esse substantiam pugnatis. Necessum igitur est Christi corporis unam & eamdem substantiam diversas habere formas. Unam nimirum quam sumpsit à matre virgine: alteram, quam à pistore seu fornacario mutuatam vestri sacrifici solemni carminis præstigio corpus ejus effecerunt. Ita una ejus forma erit in cælis, altera in terris: una vera, ejusque omnibus proprietatibus atque accidentibus vestita, quam secum post mortem abiens abstulit, eâdemque se denuo ad judicium venturum dixit: altera imaginaria sine ulla aspectabili figura ullisque sensui objectis accidentibus, missatica nimirum, quæ neque in pane sit, neque in corpore, neque pendeat in aëre, neque in manibus sacrifici hæreat, nec in stomachum delabatur: sed sit quod non est, & non sit quod est: quodque malesanum Scholasticorum cerebrum extra Dei verbum somniavit, & stolido mundo pro miraculo obtrusit.

In octavo capite variis uteris involucris, ut ostendas caput Joannis 6. ad sacramentalem manducationem minimè pertinere; quod si luberet contradicere, haud me deficerent veterum Patrum testimonia. Sed lubens acquiesco, modò & tu fateâre quòd Christus cap. Joh. 6. promittit id ipsum præstare in cruce, idemque ipsum ante crucem significantissimè in cœna sacramento ad sempiternam sui recordationem instituere. Itaque non est alia manducatio Christi corporis proposita Joan. cap. 6. alia in cœna, nisi quatenus ad sacramentum attinet. Christus enim Joan. 6. testatur se esse verum illum panem qui de cælo descendit & mundo vitam largitur, non enim vi carnis, sed Spiritus divini carnem vivificantis, & quasi quodam organo seu tubo utentis, per quem fidei aprehendentis virtute vitam & justitiam in nos transfundit. Frustra itaque desudas, quum hîc elabi te posse speras objectâ lectori diversæ manducationis nebulâ. Omnino enim, quemadmodum Joan. 3. Christus dum dicit, homini esse renascendum qui vitam velit ingredi; non quidem instituit Baptismum, sed illud ipsum planè declarat quod Baptismo nobis tanquam certâ atque indubitatâ tesserâ & σφραγῖδι obsignatur exhibeturque: ita dum docet sese in hunc mundum venisse, ut vitam mundo præstet & credentibus justitiam, per veram illam ac mirificam sui corporis nobiscum unionem, longè profectò arctiorem quàm sit illa panis aut vini cum corporis substantia & carne coalitio, non instituit quidem ille cœnæ sacramentum, sed verum ejus effectum ac finem declarat. Et sanè in cœna nihil consequimur aliud, vel Paulo teste & te etiam astipulatore, nisi ut in Christi corpus & sanguinem ad vitæ æternæ participationem uniamur & coalescamus. Quare quod hîc identidem nos traducis, quasi cœnæ Sacramentum nudum & inane signum esse doceamus, neque ullum

ullum habere effectum nisi ut significent: bona si tua cum venia licet dicere; mera calumnia est; nisi tu inane signum audes fortasse appellare, cum quo & per quod tanquam per intermedium arrabonem ac sigillum Deus ipse animis nostris præsens statuit Christi corpus, ex eoque nobis verè atque essentialiter justitiam, sanctitatem, vitam æternam, & denique omnia quæ in Christo accipere possumus dona affatim & luculentissimè largitur. Sed sunt jampridem hæ calumniæ ab aliis plus satis confutatæ, quorum lectionem si vos liberam populo permitteretis (quemadmodum nos vestrorum librorum & commentariorum liberam mercem etiam myropolis & tonsoribus relinquimus) haud ægrè sanè hominum mentibus diffusâ humanorum commentorum caligine, Dei veritatis lux affulgeret.

Quæ reliqua sunt in hoc capite, sunt omnia ejusdem farinæ. Tu quidem tibi delicias facis in argutula illa distinctione: quòd scilicet tropus sit non in verbo, *Est*, sed in ipso attributo: eòdemque Pauli sententiam conaris revocare. Sed quod hoc sit inane, jam antè satis demonstratum est. Et tamen tu ipse tuo hîc laqueo prehenderis. Fateris enim, his Pauli verbis, Panis quem frangimus est communicatio sive communio corporis Christi, noluisse Paulum significari quid esset Panis, sed quid participatione illius panis significaretur atque efficeretur (etsi in postrema tua Epistola quasi teneri te tuis pedicis sentiens, illud verbum significandi expunxisti) quamobrem quæso te, vir optime, quum hic de verborum Christi interpretatione sit controversia, & nemo planè dubitet quin eorumdem fidissimus fuerit interpres Paulus, præsertim eamdem materiam pertractans: præsta hîc nobis bonam fidem, præsta animum modestum ac dociles aures: & quemadmodum tu tibi tribuis posse te verba Pauli, prout commodissimè licet, interpretari: ita nobis ipsissimam hanc tuam interpretationem patere ad ea ipsa verba quorum sententiam Paulus ad amussim explicavit accommodare, & continuo sensies omni penitus nebulâ discussâ, nihil ampliùs superesse quod veritatem possit obscurare: neque opus esse ullis vel ambagibus vel cavillis, vel variis verbi, *Est*, distinctionibus, ut quod est per se planissimum verborum involucris obtegatur.

Similitudo porrò illa tua quâ ex Joan. cap. 6. in medium productâ conaris Pauli testimonium, panis nomen Sacramento manifestè atque identidem tribuentis, eludere, propterea quòd se Christus ipse panem appellet, propè mihi etiam risum excussit, quem vix te certè ipsum in scribendo tenuisse arbitror. Nimis est enim venusta & lepida illius tuæ ratiocinationis complexio, „dum scribis: Si Christus & caro ejus, panis seu cibus verissimè dicitur, quia „dat vitam mundo: quare non potest simili tropo etiam panis benedictus & „in corpus Christi conversus panis nuncupari? Taceo, quod hîc per te potes animadvertere, innumerabilem vos passim troporum catervam in vestri de transsubstantiatione commenti suppetias advocare, ut scilicet positam in signo & sacramento Christi orationem à Spiritus efficientia & fidei ratione ad dentes ac ventrem avertatis. Prætereo etiam cramben illam tuam toties cum nausea repetitam de pane benedicto. Sed quis quæso non videt, quæ tu similia esse autumas, ea plus quàm toto inter se cælo discrepare, cùm nemo non stultissimus

mus ullam sibi amphibologiam in illa Christi assertione, quâ se panem esse testatur, vel imaginatione possit confingere. Tota enim oratio eò spectat, ut cælestem vitam ex se uno Christus manare asseveret: ac proinde ait se esse panem qui de cælo descendit. Deinde omnes videbant Christi vivum ac naturale corpus neque tum esse, neque antè unquam fuisse panem: Hîc verò in eo quòd panis fuerit, quòd panem esse omnes sensus judicent, natura doceat, ortus convincat, forma testetur, color, figura, gustus, omnes denique circumstantiæ atque omnia planè accidentia manifestè prodant, Verbum ipsum divinum & à Spiritu Sancto dictatum oraculum iteratò ac sæpius inculcet. Velle tamen emendicato aliquo tropo quod paulò antè proprium fuerit ejus nomen ad peregrinam significationem contorquere, abutentis est profectò & auditoris patientia & verbi Dei dignitate. Patrum testimonia quæ produxi ne verbo quidem confutas. Conscius es enim ipse tibi nimis esse plana, diserta atque perspicua quàm quæ verbis eludi queant. Ad nescio quem Lanfrancum, & Guitmundum, & Algerum me remittis. His adjicis Joannem Hesselium Lovaniensem; quasi verò mihi cum Hesselio, & non cum Michaele Baio hæc sit palæstra. Deinde dicis ex ipsis Patribus alias & quidem plures ac manifestiores colligi posse sententias quibus vestra opinio constabiliatur. Quod si ita est, necesse est multùm esse vel in Patrum delectu discriminis, vel in ipsis eorum scriptis ambiguitatis: & tamen ea ipsa debueras producere ut ad veritatis trutinam expenderentur.

In extrema Epistolæ parte graviter me & pro magistri authoritate reprehendis quasi dixerim, horrendam Gothorum vastationem Christi Ecclesiam corrupisse. Unde tu in campum Philosophiæ de Ecclesiæ afflictionibus orationem vocas: ut quasi Theologiæ magister ostendas, afflictiones non corrumpere sed repurgare Ecclesiam. In quo certè primùm præstas malam fidem, & manifestam impingis calumniam: deinde turpiter & sophisticè cavillaris: postremò totâ rei veritate aberras. Quod ut intelligas recole hæc mea verba. „ Ego ita scripsi. Posteà verò quàm horrenda illa Gothorum vastatio Eccle- „ siæ justo Dei judicio pro virtute libidinem, pro justitia tyrannidem, pro pie- „ tate superstitionem invexerat, sub Nicolai tempora, &c. Quæ quàm sint à tuis diversa, judicet æquus Lector: & an te calumniæ reum immeritò agam, ex æquo & bono seu potiùs ex re præsenti statuat. Observa deinde cavillum plus quàm sophisticum. Quòd si dixissem Ecclesiam corruptam esse Gothorum vastatione, nemo me existimasset de alia locutum esse Ecclesia nisi de aspectabili ac visibili, quam nimirum Christus piscium sagenæ & areæ tritici dicit esse similem, & proinde improbis æquè ac probis confertam. Eam si dixero persecutione imminui, & propemodum totam perdi atque interire, quid aliud dixe- „ ro nisi quod ipsa universa testatur apud Isaiam Ecclesia: Nisi Dominus reli- „ quisset nobis semen, omnes sicut Sodoma fuissemus, & sicut Gomorrha pe- „ riissemus. Est igitur cavillus impudens, ita ludificari lectorem vocabulorum ambiguitate. Sed vide quàm bonus sis Theologus, qui te illius sacrosanctæ doctrinæ antistitem profitearis. Quæris ex qua Scriptura sacra aliquando didicerim Christi Ecclesiam persecutionibus esse corruptam. At pleni sunt

omnes prope omnium Prophetarum libri, pleni Apostolorum atque Evangelistarum infinitis harum rerum exemplis. Quid enim aliud pertractat Isaias, quid Jeremias, quid Ezechiel, quid Daniel, quid Oseas, quid Joël, quid Psalmorum liber, quid denique omnes reliqui? nisi quòd propter hominum peccata ira Dei accensa, miras & horrendas strages in Dei populo quotidie edat, Ecclesiæ suæ sepem diruat, seminarium evellat, stolones exstirpet, vitem suibus & apris laniandam & cuivis obvio diripiendam tradat. Hæc si, Domine Doctor, tu ignoras, quòd in Scholasticorum argutis quotlibetis ætatem potiùs quàm in Scripturarum simplici veritate pro academiæ vestræ more triveris: est quod te ipsius Domini verbis remittam cum Judaica synagoga ad locum Siloh. Vide quid ibi egerit Dominus exercituum; quomodo Ecclesiam suam hostium persecutionibus dissiparit, sanctissimi fœderis symbolum ludibriis incircumcisorum exposuerit: remittam te ad Bethel quod Bethane factum est: ad Geïhinnem, quod in Gehennam commutatum est: rogabo ut ipsam visas Jerosolymam ac montem Sionis, de quo dictum erat: Hic est locus meæ requietis in æternum, &c. Et si hæc tibi satisfaciunt, rogabo ut mihi florentissimas illas Asiæ & Græciæ, Ægypti, Africæ Ecclesias commonstres, quis illas ita vastarit atque everterit edoceas. Ubi sedes illa Antiochena, quam Petro per vigintiquinque annos vestri tribuunt fabulatores: ubi Roma illa antiqua quâ alios xxv. annos illum sedisse comminiscuntur? An non vides urbium ruinas, hominum excidia, gentium ac populorum interneciones; quasi verò quod in Silo, quod in Jerusalem, quod in Græcia, quod in Asia, quod in Ægypto, Africa, quod denique in universo terrarum orbe pro sua justitia fecit Dominus exercituum, non etiam in Romana vestra Ecclesia audeat experiri: quæ nullam certè habet ejusmodi promissionem: „ Hæc est requies „ mea in seculum. Si filii eorum peccarint mandatorum meorum obliti, &c. „ misericordiam tamen meam ab eis non auferam. Et sanè à veritatis doctrina longè etiam si non fœdiùs, at certè multò proterviùs & petulantiùs sese sciens volensque averterit quàm unquam fecerit Ecclesia Judaica, quippe quæ nunquam ausa fuerit statuere Deum in terris, in cujus gremio reconditum esset universi juris & divini & humani scrinium, qui conciliis authoritatem daret, decreta scisceret, fidei articulos fabricaret, de verbo ac mandatis Dei pro arbitrio dispensaret: hominum animas Christi sanguine redemptas in infernum catervatim ducens à nemine posset reprehendi; ut qui judex esset omnium, à nemine planè judicandus, Dominus mundi, Regum rex & Dominus dominantium. Hæc non est necesse tibi certè ut probem. Agnoscis enim vestræ Ecclesiæ Romanæ catholicam & universalem doctrinam, agnoscis ipsissima verba & decreta, quibus olim in principum ac regum omniumque populorum aures intonuistis, oculos fulminastis, animas attonitas reddidistis. Et quia vos jam, si qui estis paulò verecundiores, tam horrendarum blasphemiarum pudet, vultis emendicato Petri velo Romanæ meretricis, cujus nomen est Hebraicè, Geddon Harma, seu ut Græco more legitur harma Geddon, id est, excisio Romæ, vel excisio altæ urbis, spurcissima opprobria obtegere: & quod neque ratione, neque Scripturarum testimoniis evincere potestis, id ferro,

ferro, flammâ, cruce, eculeis ac violentâ manu extorquere. Sed adest jam brevi tempus, quo vestrum hoc probrum universo terrarum orbi patefiat, quo ipsi reges qui meretricem hanc splendidam ac purpuratam stupidè adorant, ejus carnes frustatim sint incisuri ac devoraturi. Ac proinde si tu, mi D. Baii, cujus aliquando conscientiam melioribus fuisse imbutam quàm hodie præ te feras satis scio, iram Dei non reformidas: sine, quæso, nos ad ejus vocem ac mandatum ex Babylone maturè fugere, ne abominationum ejus & simul condignorum suppliciorum fiamus participes.




EPISTOLA F. FRANCISCI HORANTII

Minoritæ, universæ regiæ expeditionis Flandricæ Sedis Apostolicæ gratiâ Præfecti.

DE ECCLESIA CHRISTI AD

MICHAELEM BAII,

Lovaniensem Cancellarium, virum doctrinâ ac pietate maximum.



N Ecclesia, ejusque constitutiones seu traditiones, nullum habeant κριτήριον aliud, nisi consuetudinem eorum, qui se profitentur Romanam sectari Religionem, quam vocant Catholicam?

An hoc κριτήριον, si quod est aliud, constet paginâ Sacræ Scripturæ solâ?

An Patrum explanationibus & commentariis?

An Conciliorum decretis?

An Romanorum Pontificum placitis?

An Scholasticorum pronuntiatis?

An passim sequatur, ut ait Satyricus, corvos testaque lutoque?

An Ecclesiæ tribuat authoritatem verbo Dei, an potiùs verbum Dei Ecclesiæ authoritatem atque axioma conferat?

M. Michaëli Baii hæ quæstiones per Marnixium Aldegondum propositæ fuere.

M A-

MAGISTRO NOSTRO
MICHAELI BAII,
Sacræ Theologiæ Professori Regio, meritissimo Lovaniensi Cancellario, viro longè Clarissimo eruditissimoque,
F. FRANCISCUS HORANTIUS
S. D. P.



Iu est, quod me certiorem feceras, sacrati ludi apud Lovanienses Coryphæe maxime, transmisisse ad te Philippum Sanct-Aldegondum, scrupulos aliquot gravissimarum Quæstionum, per eruditionem tuam (quæ meritò maxima omnibus habetur, & longè latèque collucet) è suo animo expungendos. Commemini pariter, addere te quando ista mihi narrabas, lætatum Aldegondum lætitiis omnibus, quantùm intelligere potuisti ex litteris nuper ab eo ad tuam Reverentiam delatis, quòd in gravissima quæstione de Christi Ecclesia, ad amussim prope vos duo consentiretis. Nec obliviscor, imò probè etiam nunc recordor, incredibilem subortam animo meo admirationem mox atque ex te ista audivi. Constans siquidem apud nos fama jam diu vagata est, Aldegondum jam dudum Christi Ecclesiæ ultimum vale dixisse, renuntiasseque Patrum Ecclesiasticorum disciplinis; ut qui satis sit edoctus à nostrorum hostium Antesignano Joanne Calvino, instar onagri, liberrimi perniciosissimique animalis, insequentium clamores parum curare, Spiritus vincula aspernari, libertatis nefandæ studiosum esse, Antiquitatem totam *Naso suspendere*, cunctam demum vociferantem Ecclesiam ridere: ac passim criminari è filo ipsam pendere totam. Indomita nimirum ingenia, nullâ disciplinâ, & multò minùs indulgentiâ ac dulcedine curari possunt. Incredibili ergo tunc me tua Prudentia admiratione plenum reliquit. Nec erat inventu facile, qui sic convenire posset viro adprimè Theologo summèque Catholico, cum eo homine, qui à tam multis annis incidisset in perturbatorem veteris disciplinæ Joannem Calvinum, & quidem super quæstione omnium primâ, & quæ tantùm non cardo & fundamentum præcipuum est,

quam nequiter satis ab ipso Aldegondi Magistro sciebam in Institutione sua agitatam, & nequissimè profligatam: (quemadmodum libro integro nostrorum locorum Catholicorum, non omnino obstinatis animis ac duris satis ostensum mihi persuadeo) nempe de primo ac uno judice, qui sit velut *Lydius lapis* Ecclesiasticorum dogmatum, atque adeò ipsius fidei nostræ Orthodoxæ regula prima & una. Verùm, quoniam nimis ingrata & importuna illa hora mihi visa est, ad seriò agendum de eo negotio tam gravi, & erat mihi summo mane urbe recedendum; non adjeci animum, Eruditionem tuam super ea re sollicitiùs pulsare. Imò, cum post sæpe te convenerim, & de more nostro de rebus gravibus, quæ (proh dolor) nobis nolentibus, & maximè recusantibus, hisce calamitosis temporibus obveniunt, multis verbis ultrò citròque habitis, totus nobis non semel consumeretur dies; numquam tamen, aut in memoriam mihi venit Prudentiam tuam denuò eo in negocio consulere, aut ipse omnino unquam rei hujus meministi: tam nos undique coarctant ac premunt curæ longè acerbiores ac molestiores, quæ nec me, nec te, istarum litium cum Aldegondo recordari sinant. At cùm nihil minus quàm de vestro litigio ego cogitarem, rogavit me casu doctus quidam Pater mei Sodalitii Franciscani, legissemne Cancellarii Lovaniensis Responsiones ad quæstiones ei per Philippum Aldegondum olim propositas, nunc recens excusas Lovanii, de Christi Ecclesia, & de tremendo altaris Sacramento. Non, inquam, legi; nihil verò posset mihi accidere jucundius, quàm jam antea à me tantopere concupitum opus, integrum devorare. Brevi hoc meum tantum desiderium bonus ille Pater explevit, atque codice conspecto, novis igniculis amoris totus ardeo; ut qui mihi certò promitterem, brevi abs te tractandum impostorem illum, & plusquam simulatum discipulum, ut dignus erat. Dicam, & quidem liberiùs, quàm tibi par esse fortasse videbitur, quid ego desiderem in responsione tua ad quæstionem de Christi Ecclesia. Nam in quæstione altera, de tremendo altaris Sacramento terminanda, ita profectò me totum explevisti, ut mihi sim planè visus non aliud, quam Ambrosii, aut Cypriani, aut cujusquam veterum Patrum voces ex isto tuo ore dimanantes audire: quippe qui tam graviter, dexterè, feliciter & aptè, fidei tuæ hostem coërceas.

Priùs tamen nequeo dissimulare, ex coacervatione tot quæstionum, redditum mihi ipso initio suspectum Aldegondum, cùm intuerer eum hominem, quem multos fecisse progressus in hac scientia plurimi jactitarent (ut solent cæteri hæretici hujus nostri seculi) primis semper hærere rudimentis hujus divinæ artis, continuò addiscere, & (ut Divus ille dixit) *ad veritatis cognitionem numquam pervenire*, in eadem semper salebra versari, & eodem in luto perpetuò volutari. O quam est solemne istis inclamare altè, poscentes reserari sibi ostium, & cùm maximæ cunctis fores pateant, nolle tamen rectà introire. Fingunt sibi novos quotidie arbitros, quorum se parituros sententiæ ac judicio sanctè promittunt; ac sæpius, legitimo superati judicio, causam ipsam eamdem, non modò denuò exagitant, verùm judicantem Ecclesiam, cum suo judicio, in eamdem arenam semel atque iterum protrahunt. An non ludus merus est, & jocus atque ludicra scena, quæcumque ab istis nobiscum eniti-

enititur concertatio; si non potiùs simul ata, & ad omnem artem astumque composita tragœdia? Contemnunt Ecclesiæ censuram, & tuum judicatum probabunt? & quid vides, & quid sentis? vero judice non audito, quos posthac judices sumus habituri? cupis scire? nihil isti aliud simulatione suâ moliuntur, dum tecum privatè agunt super eis causis, quas omnium Magistra parens Ecclesia, ad debitos fines deductas, servat suo in archivo reconditas; quam etsi tibi in ipso conflictu (ut fit sæpe) verbum unum excidat, quod suæ insaniæ ac delirio quoquo pacto adstipulari existiment; id ipsum tunc amplificare, ornare, extollere, exosculari, & tantùm non adorare possint, ingentes pro beneficio suscepto gratias agere, suum suorumque studium atque operam, si qua in re commendare aut prodesse poterunt, tibi tuisque (quos alioqui impensè oderunt) polliceri: & in summa, quòd te habeant suarum partium imitatorem inter lata sua pocula lictores exulcare, triumphare & gaudere videas. Si verò intellexerint te sagaciùs odorari, & diligentiùs explorare quid ipsi animi habeant, ipsosque degustatos habere; certè statim alienant se, & inimicantur apertè, teque cum aliis sibilant. Observo secundò, dum Aldegondum, sua quæsita tibi proponentem, contemplor, quàm despicatè, quàm contemptè, pretiosissima quæque ac divinissima isti de more suo tractent, Sacris sua prophana immiscentes: ut, etsi nolis, videas tamen, quo lacte isti sint enutriti, qui tam repentè Theologi in hominum perniciem prodeunt. Quærit itaque Aldegondus unico tractu de primo judicio Ecclesiæ & Ecclesiasticarum traditionum, an ipsum sola Sacræ Scripturæ pagina non stet? an Patrum explanationibus & commentariis? an Conciliorum decretis? an Pontificum Romanorum placitis? an Scholasticorum pronuntiatis? Et quorum, quâ, & cujus authoritate confirmatorum, seu approbatorum? an *passim sequatur*, ut ait Satyricus, *corvos testaque lutoque*? Heu, quàm istis facilis est transitus à Prophetis ad comicos, ab Evangelio ad Satyras, ab Apostolis ad Poëtas! En quorum commentariis se muniant, quoties ad Sacras litteras & arcanas (in quibus tantum quærendam esse Ecclesiam, causamque omnem nostram & controversiam discutiendam contendunt) se accingunt. Visus profectò est mihi dicere Aldegondus, quando causa ista non tam Patrum explanationibus & commentariis, nec Conciliorum decretis, nec Pontificum Romanorum placitis, nec Scholasticorum pronuntiatis transigenda est, quàm ipsissimet Scripturæ Sanctæ vocibus, utique jam nos vicimus; quippe apud quos tam vigent & florent Satyrici, Comici, Oratoresque: verùm de his satis.

Accedo jam ad responsionem tuam, doctissime Michaël, super eo Aldegondi de Dei Ecclesia quæsito, & (ut liberè quod sentio edam) cœpi ipso primo gradu hærere ob istam nimiam tui animi lenitatem, (quam non ego, qui ejus animi candorem satis novi, sed forsitan quicquam alius, vitioso lenitudinis nomine appellet) & desiderare vehementem illum priscorum Theologorum zelum, quo divinis flammis æstuantes minimè sinebant, impietatem Religionis prætextu dissimulari; & osculo pacis, ut olim hominis Filium, ita nunc ipsius sponsam ab istis proditoribus traduci, sinistram de ea famam spargi, ludibrio exponi, ac deridendam omnibus per vicos & theatra (ut isti faciunt)

ciunt) duci. Ad hæc, dum semel atque iterum attentiori animo perlego; & observo primo quæ abs te in eam rem proferuntur; ita omnia mea Deus benè vertat! tam sum incensus, cùm tui, tùm Ecclesiæ desiderio, ut flagitium haud vulgare in vestrum utrumque admittere me existimarem, ni Prudentiam tuam hisce nostris litteris admonitam reddidissem eorum omnium quæ inde expuncta, vel certè dictis tuis addi ita vehementer desiderassem, quod ita expedisse existimationi tuæ, atque ideò fidelium, qui tua legent, commodo ego plane judicassem; mihi ipsi persuadeo non id te gravatè laturum, nec aliud suspicaturum, nisi animo candido & tui observantissimo ad te hæc mittere. Quis enim tam sit demens, qui gratis velit tam Sanctis senibus, mihi præsertim summo in honore semper habitis, vel minimum detrahere? Nec sum, qui soleam senum facta reprehendere; fuique semper omnia magis quàm Zoilus. Cæterùm, etsi te humanitatis tuæ & sinceritatis minimè accusem, qui putaveris Philippo isti jam deplorato responsionem tuam in bono cooperaturam; non tamen æquo fero animo quòd pro jure tuo ementitum discipulum, cùm abs te discere se velle fingeret, digno verbere non cecidisti, quòd sic media in luce se talpam simulet, & inter vehementes solis ardores frigere se adhuc componat, communique nostrûm omnium progenitrici Ecclesiæ, super tritissimo jam olim negotio, apud te, non tam judicem suum, quàm ipsius Filium diem dicere, inque jus illam vocare ingratus pariter & stultus ipse audeat. Quis, cedo, homo prudens, degenerantem vicini Filium à gravitate paterna, si possit, non reducendum curet, & tradendum progenitoribus suis, qui propriis cum legibus imbuant, flagello emendent, cogantque paternis stare præceptis?

Quid à me petis, Philippe, (ô si tu ita cum Aldegondo egisses!) quod à matre tua per multas annorum centurias non habeas de hac re ad Sacras Scripturas discussum decisumque? Cessa, ingrate pulle, in tuam matrem recalcitrare, quæ dicere potest cum Simone illo Machabæo glorioso: *Nec alienam mihi terram hactenus sumpsi, nec alienam detineo, tantùm hæreditatem Patrum, quæ injustè ab inimicis, exempto vaginâ ferro satis hostiliter invaditur, pro mea virili vendico.* Redi ad te, fili, & quid sis considera, & noli agni nuptam nefariè oppugnatam & proditam ab istis spuriis, suâque dote spoliatam, novo per te scelere quod aliena occupet, gravari & onerari. Num ignorat Ecclesia, multùm honoris & cultûs cumprimis deferendum verbo divino arcanis litteris contento? Num ignorat eadem Scripturas Sanctas à solo Deo precariò habere omnem illam suam majestatem & firmitudinem præ cunctis Scripturis, nec ad se, sed ad primam ipsam veritatem, qui Deus est, referendam esse cunctam earum divinarum Scripturarum authoritatem? Num ignorat Ecclesia insigne illud sibi proprium, quòd errare non possit, intra divinos libros non in obscuro sed omnibus pervio loco collocatum, ut per locum connexorum utramque in alterius probationem sumere debeamus? Num ignorat eadem contineri ibidem aut in principiis, aut in conclusionibus expressè, vel per consecutionem, in genere, sive in numero, explicatè aut involutè, omnia fidei nostræ dogmata, & Christiani cultûs observationes? Num ignorat Ecclesia, si quid sit suos natos doctura, consulendas sibi priùs Scripturas, velut Dei ipsissimum ora-

oraculum, ac sibi semper perscrutandas, ut inde Spiritu Scripturarum plena ad nos prodiens, secum clavem deferat earumdem Scripturarum Sanctarum, quâ profundam illam abyssum nobis adaperiat; utque inde colligat, quo pacto nos versari conveniat in Dei domo, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & basis veritatis? videlicet locum cum loco concordat, verbum cum verbo confert; & in summa, multa deligit, multa colligit, multa elicit nobis in Scripturis non multùm pervia, sibi verò certissima notissimaque. Estne hoc *corvos lutoque testaque sequi?* Jam verò (ô mihi charissime) quis tam demens, qui judicium primum de Scripturis per ipsasmet Scripturas quoquo pacto constare posse sentiat? quis tam cæcus, qui Scripturam Judicem mortuum non consideret, qui litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valeat? Dic, Philippe, cujus est, si non Ecclesiæ, divinos libros ab aliis, qui tales non sunt, tam illustri notâ secernere? Cujus, si non Ecclesiæ, germanam Scripturarum intelligentiam habebimus? Num Arrii? Num Eutychis? Num Manichæi, Lutheri, aut Calvini? Noverint igitur scioli isti, qui te, mi Aldegonde, sic decipiunt, qui te suâ linguâ malâ fascinant, divinis litteris levissimè tincti (qui cùm in sacrarum musarum ædem vix à limine inspexerint, nihil tamen non audent,) falsâque eruditionis opinione sic intumescunt, ut utrumque depositum Ecclesiæ commissum, utrumque etiam fide perpetuâ conservet, reddatque simul quas accepit Scripturam Scripturæque intelligentiam. Rectè proinde magnus Augustinus Judæos, ante quorum *oculos velamen est positum*, (teste Apostolo) dum Moses legitur, Scriniarios Ecclesiæ Christi, verbo satis eleganti, appellavit. Imò noveris non eos habere veras Dei Scripturas, qui verum earum intellectum (qui proculdubio Ecclesiæ est) non habent, quantumlibet Scripturas jactent, & de Scripturis inani triumpho gaudeant. *Non* (inquit D. Hieronymus) *Dei Evangelium in Scripturis, sed in sensu est; non in superficie, sed in medulla; non in verborum foliis, sed in radice rationis.* Quale ergo donum & quantum, si cum Dei verbo ipsam etiam germanissimam ejus verbi intelligentiam non accepit à sponso Ecclesia? putas, tantùm Scripturis illis bene consultum Christi Ecclesiæ, quam expetivit Sathan ut cribraret, nisi cum eis Spiritum intelligentiæ Scripturarum earumdem accepisset? cedo, non indubitatus, certus, & in hoc ipsum munus à Deo destinatus vivens nostrarum controversiarum in Religione nostra Judex, à cujus sententia & judicio non sit jam nobis ad firmius & certius tribunal provocandum, ullusne tibi videbitur nostrorum dissidiorum futurus finis? ulla fidelium consensio? ulla fidei unitas? ulla pax? ulla fides? ulla charitas? immò ullum Ecclesiæ aut nomen, aut officium? Profectò, si talem Deus nobis reliquisset Ecclesiam, multò Andabatis illis, qui (ut fertur) oculis clausis digladiabantur, deteriores essemus. Durius siquidem multò est, & minùs ferendum, si nescias quo spectatore, quo judice desertes, quàm si excæcatis etiam oculis non modò clausis tendas in adversarium. Ne dubita, Aldegonde, Ecclesiæ Judicium cùm per Scripturas, tùm per Apostolicas traditiones (constat namque Christiana Religio Dei verbo partim scripto quidem illo, partim annosis traditionibus jam à primis Ecclesiæ fasciis asservatis) *Lydius & Heraclius lapis est*, cujus attritu cœleste aurum eloquiorum Dei nobis proditur; di-

vina est regula, qua lineæ universæ hujus nostræ revelatæ Philosophiæ diriguntur; norma est altissimæ rationis, vitam nostram in cœlum juxta Scripturas dirigens, & diligentissimè perpendens momenta officiorum omnium nostrûm; perpendiculum demum est, quo rectitudo seu obliquitas fidei nostræ & operis juxta Dei verbum perpenditur & examinatur. Cave ergo, generose Sanct-Aldegonde, tantæ matris disciplinam fastidias: cave ipsius legem dimittas, ne me cogas tui amantem habere te (juxta evangelicum mandatum) *ethnicum & publicanum*, Christianissimis alioqui generosissimisque ortum parentibus, & qui sanguine proprio ejus Ecclesiæ leges obfirmarunt; quorum tu imitari potiùs fidem debuisses, quàm quòd istorum, qui nikil ad te & quibus jam tam nihil sit frontis, sectari insaniam atque furorem maluisses. Nihil hîc Christi verbo derogatur, cujus hoc jus est, ut ab ipso instructa Ecclesia, nostris omnibus certaminibus præsideat.

Hoc, ut de universali fidelium cœtu dictum sit, vellem nihilominus tibi persuadeas, nihil etiam in Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa, esse prius aut antiquius legitimorum ac Oecumenicorum Conciliorum authoritate jam ab ipsis Apostolorum temporibus pro dissidiis, quæ de religione horis singulis suboriuntur, in Ecclesia componendis. Scis tu, opinor, quas ego legitimas & Oecumenicas Synodos appellem, nempe quando authoritate Romani Pontificis (qui procul dubio fidei & potestatis Petri hæres est) Ecclesiæ Pastores ac Primores in unum locum coëunt de fidei causis, & Religionis nostræ Sacramentis, per Scripturas, & Apostolicas traditiones, annosissimasque ipsius Ecclesiæ consuetudines jam cum ipsa nascentes & adolentes, acturi & judicaturi. Quorum certè Patrum judicium, postquàm fuerit illius Sedis, ad quam nunquam perfidia ulla accessum habuit hactenus, Romanæ videlicet, suffragio firmatum, quisquis detrectat; is sanè nullum judicem vivum est inventurus, à cujus tribunali non sibi semper integrum esse existimet discedere; immò, si ejusmodi Pastorum ac Patrum conventus in errorem labi possent; nulla utique via nobis esset reliqua, ut in fidei controversiis Catholicum dogma exploraremus: redirentque prorsus omnia illa inconvenientia, quæ, cum de universali Ecclesia ego tecum agerem, tetigi. Amabo, quis putas nostrarum quæstionum finis reperiretur, abutentibus hæreticis de more Scripturis Sanctis; si semel liceret Conciliorum generalium fidem, non modò pro libitu rejicere, sed quoquo pacto ulteriùs de ipsorum judicio dubitare? Oritur Antiochiæ non modica seditio propter Judæos volentes gentes ad Deum conversas circumcidi; Paulus & Barnabas rem ad Apostolos Hierosolymis referunt, qui post Petri omnium illorum maximi, & Jacobi ejus urbis Antistitis, suffragia communi decreto per litteras statuunt gentes conversas non ligari Mosis lege. Quo certè in Concilio, licèt magna de Prophetarum & legis sententiis super eo negotio conquisitio præcesserit, divino tamen flamini primas dant Apostoli, inquientes, ita esse cumprimis Spiritui Sancto visum, sibique deinde: id Theologos illos divinos consilio summo fecisse, nemo negabit; ut videlicet ostenderent jam ab illis annis Spiritum Jesu primarium Synedrum Ecclesiasticorum Patrum omnium seculorum conventibus à Deo pronuntiatum & declaratum, cujus perennes illustrationes cuncta quæ sunt ad salutem omnium

nostrûm,

nostrûm, pro quibus, sicut pro illis primus Christus mortuus est, patefaciant atque illustrent. Utque noverit, quisquis adversum talium Conciliorum decreta pugnax fuerit & contentiosus, non tam hominibus, cum quibus non sit ille conferendus, se opponere; quàm Spiritui Sancto (qui habitator est in hac cœlesti & divina domo, rector, moderator, & tanquam Architectus tanti operis tantique muneris) palam contradicere. Rectè proinde Gregorius verè Magnus de illis quatuor illustribus Conciliis locutus, dicebat: *Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector. Quia*, inquit, *dum universali sunt instituta consensu; se & non illa destruit, quisquis præsumit absolvere quos ligant.* Dicere vult Sanctus hic & doctus pariter Pontifex, qui enim sibi per omnia consonant, hos non à proprio Spiritu, qui semper dissidia quærit; sed à Deo, qui veritatem amat, duci necesse est: atque ita in se ipsum contumeliosus est, & non in illos Patres, quisquis eam unitatem Spiritûs proscindere conatur. Ergo desine, desine, fili, dicere hoc vestrum dogma, cùm in Scripturis Sanctis expressè non legam, quantumlibet Concilia inclament, ipsum tamen nunquam sum admissurus. Audi non me, cui tamen propter annos & senium credere debuisses, sed Nazianzenum illum Gregorium ter Theologum maximum, quem authorem ejus Symboli, quod in Ecclesia canitur, multi faciunt. Is namque mirabilis Pater, cùm sibi à Macedonio hæretico objiceretur Spiritum Sanctum Deum non esse, quod non sic appellarent eum Scripturæ, tali sermone blasphemum illud os fortissimè compescuit cohibuitque. *Rerum alia* (Macedoni) *cùm non sint, esse tamen dicuntur; ut cùm Scriptura dicit Deum dormire, evigilari, irasci: aliæ cùm sint, non dicuntur; ut quòd Deum Patrem ingenitum vocamus, non quòd sic legamus in Scripturis, sed quòd sic juxta seniorum Ecclesiæ interpretationem ex ipsis colligamus: alia neque sunt neque dicuntur; ut Deum esse malum, aut mali authorem: alia tandem & sunt, & dicuntur; ut Deum esse, Angelum esse, hominem esse. Spiritum* (concludit) *Sanctum Deum esse in Scripturis Sanctis expressè non lego, non dicitur, sed est.* Hæc divus ille. Audis non omnia quæ credimus, disertis paginis Biblia Sacra nobis plane edisserere; quum sæpe etiam opus sit talibus Scripturis divinum admovere lumen, quo Synodi gaudent ad obstructissima quæque perlustranda. Manens siquidem nobiscum in æternum hic amplissimus veritatis Spiritus (quem mundus non potest accipere, sicut & eum, cujus est ille, non cognovit) reconditas exquisitasque sententias mirificè pollicens, in medium proferre nunquam cessat. Sexcenta Græcorum & Latinorum Procerum Ecclesiæ tibi darem in eam rem præclara testimonia, ni vererer Epistolæ prætergredi fines, teque, mi Aldegonde, gravare. Tantùm hoc scias, ad Concilii generalis Patres & Pastores potissimùm respexisse Dominum, cùm diceret: *qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit*; & cum rursum diceret: *ubicumque duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in eorum medio ego sum.* Dixit, *duo* vel *tres*, ut apertè indicet in Conciliis non tam habendam esse rationem multitudinis Patrum eò confluentium; quàm spiritûs cælestis, qui sic in eo spiritu legitimè collectos, labi non sinat.

Vide item, ne sinistrum quid & demissum de Romana Ecclesia aut sentias

aut loquaris. Ea enim, etsi Apostolica à Sanctis omnibus, Græcis & Latinis, pleno ore acclametur; non tamen ab ipsis tantùm Apostolis, sed à Christo etiam suum primatum obtinuit, eminentiamque potestatis super Ecclesias universas, & cunctum Christiani populi gregem est assecuta; sicut Beato Petro dictum est: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quamobrem non minùs credas super Romana sede, ut in cardine verè Apostolico & plus quàm humano fundamento, totum hoc cæleste ædificium verti, quod supra Divum Petrum à Domino (post ipsum Christum *lapidem verè angularem à solo Deo innixum*) fundatam esse Ecclesiam, per Evangelium edoctus, credere debuisti. Intuere, quæso, quantus hic sit Romanæ Sedis principatus, cui non privati homines tantùm, verùm tota etiam ipsa Ecclesia assurgit. Sic Synodus Nicæna trecentorum & octodecim Patrum dogmata sua omnia hujus Sedis, cui tunc Sylvester præerat, authoritate firmari, supplex eumdem Beatissimum Antistitem orat. Sic eadem non posse Concilia Oecumenica, Romano & universalissimo Patre inconsulto, cogi, non tam sanxit, quàm à Deo eam legem Christianis omnibus stabilitam explicuit. Adde, quòd famosæ Synodi, Ephesina, Constantinopolitana & Chalcedonensis (quibus singularem Ecclesia ac præcipuum honorem impartitur) illi Sedi, velut principi, tantùm detulerunt honoris, ut altero post Christum gradu, Petri successorem ad Christiani orbis clavum ibidem sedentem suspiciant, exosculentur & adorent. Sic Synodus septima, ante octingentos plus annos celebrata, annosam esse & satis pervulgatam in Christi Ecclesia Romani Pontificis super cunctas orbis nationes præeminentiam à Christo ipso descendentem disertis verbis eisque satis elegantibus est prosecuta. Sic Florentinum Concilium definire audet Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem, in universo terrarum orbe habere principatum, successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, universæ Ecclesiæ Christi caput, omnium Christianorum Patrem ac præceptorem. Fatetur etiam, illi Sedi in Beato Petro à Domino nostro Jesu Christo potestatem pascendi plenam tradi regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, quemadmodum (ut sancta Synodus ait) in actis universalium Conciliorum, & sacris Canonibus continetur. Quid? non (opinor) ignoras, Aldegonde, quibus verbis hanc Sedem Athanasius ille magnus, & universi Ægyptiorum, Thebaicorum & Lybiorum Episcopi, in sancta Alexandriæ Synodo gratiâ Dei convocati, supplices salutaverint: *Pater* (inquiunt) *beatissime, ad Sedem istam vestram, quasi ad matrem nostram, recurrimus, ut ejus uberibus nutriamur; quoniam non potest mater oblivisci infantem suum: nihil vobis inconsultis agere præsumimus. Canonibus quippe jubentibus, absque Romano Pontifice nos de majoribus nostræ Fidei causis nihil debere decernere. Ob id enim, vos vestrosque prædecessores, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum eos Deus habere curam præcepit, ut nobis succurratis, nos doceatis, ruentesque, ut quibus à Deo judicium omne est commissum, liberare non negetis.* Hæc ibi, & his multò præclariora, in hanc rem quam tractamus habentur. Scripserunt & iidem ad Marcum Pontificem Romanum litteras simili & pari observantiâ plenas, quibus perhonorificam Sylvestri & Felicis Prædecessorum Pontificum mentionem faciunt, & Sedem illam, *Caput*

put & Matrem omnium Ecclesiarum, atque Magistram orbis totius prædicant. O quàm sunt præclara, quàmque admiranda, quæ scripsit vetustissimus post Apostolos Theologorum Irenæus Polycarpi, D. Joannis alumni, discipulus, lib. 3. adversus hæreses de Principatu, Magisterio & Majestate Romanæ Ecclesiæ: *In ea* (nimirum dicit) *Apostolos universam hanc nostram Religionem fundasse, hic caput atque arcem totius pietatis constituisse, hanc unam omnium Ecclesiarum magistram esse voluisse, hinc fontem per orbem universum profluentis sanctitatis ac Religionis erupisse, hic erudiri omnes oportere Apostolos decrevisse, hinc manare veram Apostolorum* (quasi alterum Evangelium) *traditionem, hinc traditionem non-scriptam illos reliquisse, quæ sit alterum quoddam amplissimum uberrimumque Evangelium.* Vides unde, Irenæo divino teste, nobis hæc nostra manarit præcellentia. Vides apud eum virum Apostolis æqualem, certam esse scientiam, quòd Ecclesia Romana lumen sit orbis terrarum; quòd hic sit magnus Religionis principatus; hujus unius Ecclesiæ sapientiâ, ab Apostolis fusâ, hæreticos omnes coarguendos, unde fors Apostolicæ sapientiæ perpetuâ per ætates omnes successione scaturiret? Post Græcum unum, accipe Latinum testem Tertullianum, in eo libro quem etiam adversùs hæreticos author pervetustus edidit. Namque antiquus is scriptor similia scribit & asserit, quæ Irenæus prodidisset; aut ex fontibus certè ejus, quod mihi verosimilius habetur, delibavit. *Si autem,* ait, *Italiæ adjeceris, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est statuta. Felix,* addit, *Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam est relegatus.* Et lib. adversus Marcionem: *Quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* Hæc ille. Revertar ad Græcos, inter quos primus mihi occurrit os illud vere aureum, Pauli præcipuus imitator, Joannes Chrysostomus, qui non longè post Constantinum floruit, tempore videlicet Theodosii. Illustris hic Doctor similem cum reliquis Theologis sententiam tulit de hoc principatu, Petro à Christo tradito, cùm interpretaretur Evangelium Joannis: *Tradidit,* inquit, *in manus Petri omnium credentium Principatum. Nam etsi Jacobus Hierosolymorum sedem accepit; at Petrus totius orbis terrarum. Eia age,* ait, *accipe pecudes, egredere in orbem terrarum, sequere me deducentem te ad prædicationem, totumque terrarum orbem in tuas manus tradentem.* Hæc aureus Theologus, qui cùm dira passus periclitaretur, ad Innocentium Papam, velut ad unicum miserorum & afflictorum parentem, & ad injuriæ legitimum vindicem, suâ appellatione confugit. Nec te pigeat Cyprianum, longè antiquissimum Theologum Latinum, de capite & unitate Christianæ Religionis candidè disserentem audire in Epistolis de Hæreticis ex Africa Romam navigantibus. *Audent,* inquit, *navigare ad Petri cathedram, Ecclesiam principalem, unde totius Fidei nostræ ordo & veritas pendet.* Quid clarius? quid expeditius? Cernisne caput ordinis, unitatis, Religionis Christianæ? Audias quoque Cypriani vocem de Sede Sancti Petri & hodiernâ gigantum audaciâ: *Deus,* ait, *unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una, super Petrum, Domini voce fundata; aliud altare constitui, & sacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi colligerit, spargit: adul-*

terium est, impium est, sacrilegium est, quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Inde schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, dum Episcopus, qui unus est & Ecclesiæ præest, superbâ quorundam præsumptione contemnitur. Cernisne, Philippe, veluti prophetantem, ac spiritu quodam divino prænuntiantem, divinum hunc ore prophetico, hodiernam hæresim atque ejus præcipuam causam, quâ septentrionalis superbia summum sacerdotem erat contemptura, aliud altare sacerdotiumque institutura, idque humano furore, cæcitate ac dementiâ, cælestibus ordinibus violatis, institutisque divinis repudiatis? Hoc etiam Cypriani testimonium protulit etiam Anselmus, Theologus apprimè bonus ac sanctus etiamque antiqùus. *Nolo oblivisci, quid idem Cyprianus de Petri primatu, & una Ecclesiæ Cathedra in Epistolis dicat. Loquitur Dominus*, inquit, *ad Petrum*, ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Super unum ædificat Ecclesiam, & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat:* sicut misit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum: *tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, suâ authoritate disposuit.* His certe divini Theologi dictis planè cognoscitur antiquam fuisse indubitatamque fidem, Sanctum Petrum caput esse Religionis: nec verum esse, quæ nostri temporis audacia conata est persuadere, fuisse omnes Apostolos æquales; neminem plus cæteris habuisse; quidquid uni datum esset, hoc unicuique datum esse. En, mi Aldegonde, Sanctorum Theologorum testimonium, à quibus, usque ad sanguinis effusionem, defensa est Religio: Deum decrevisse caput esse Petrum, ad cujus thronum omnia Ecclesiæ Dei referrentur, & à quo Religio dependeret: tametsi Sancti Apostoli potestatem parem à Christo Jesu accepissent. Quare, conticescat, rogo, erubescatque insanorum hominum temeritas. Theodoricus Græcus, (libet enim catenam hanc verè auream, & Græcorum simul & Latinorum nexibus nectere) qui celebri illi Chalcedonensi Patrum conventui interfuit, ad Leonem hujus nominis primum Romanum Antistitem scribens, sic habet post multa: *Petrus ac Paulus Sedem vestram admirandam clarissimamque reddiderunt. Hoc bonorum vestrorum supremum est culmen, quoniam Deus etiam nunc Sedem ipsorum claritate conspicuam reddidit, vestrâ sanctitate super ea collocatâ, unde sanctæ ac puræ Religionis radios diffundit. Si enim Paulus, veritatis præco, tuba Spiritus Sancti, ad magnum Petrum accessit, ut ab eo solutionem referret super his dubitationibus quæ Antiochiæ inciderant, an vivendum esset secundum legem, multò magis nos abjectæ sortis & exigui homines ad Apostolicum vestrum thronum recurrimus, ut à vobis medicinam ad sananda Ecclesiarum ulcera discamus. Vestrum enim est in cunctis præesse ac dominari, propterea quod Sedi vestræ omnium charismatum excellentia data est.* Hactenus divus hic. Vides ut omnes mirificè congruant super Romanæ Sedis majestate, utque in causis Fidei ab ea Sede sit cùm auxilium, tùm responsum expetendum, ut Romanæ fidei tota nostra Religio nitatur. Scilicet Augustinus ab his, quæ de divino hoc primatu & magisterio diximus, longè vehementissimèque dissentit? minimè gentium; imò maximè illi tota hæc placet oratio de divi Petri ac successorum præfectura. Et, ut pluribus locis Scripturarum ejusdem divini libens supersedeam, unus tamen ille

longè

longè est omnium clarissimus patentissimusque in hanc rem, ubi inter cætera, quæ illum in Ecclesiæ gremio justissimè detinere diceret, illa tamen ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad sui temporis Episcopum, qui Romæ tunc præerat, sacerdotum successio præcipua sibi videbatur & habebatur. Quid hîc commemorem utrumque Cyrillum, Alexandrinum scilicet & Hierosolymorum Patriarcham? quorum ille prior in libro Thesaurorum: *Christus*, inquit, *accepit à Patre esse Dux, & super omne quodcumque est, ut ei cuncta genua curventur, plenissimam potestatem, quam sic Petro & ejus successoribus commisit plenissimè.* Hæc ille: posterior verò, Christi personam sustinens, *Petrum ita alloquitur: tu cum fine, & ego sine fine cum omnibus, quos loco tui ponam, planè & perfectè sacramento & authoritate cum eis ero, sicut sum tecum.* Non te celabo aureum Maximi, in Epistola ad Orientales, de hac re verbum. *Omnes*, ille ait, *fines orbis, qui Dominum Jesum sincerè receperunt, & ubique terrarum fidem veram Catholici confitentes, in Ecclesiam Romanorum Pontificum, tanquam in solem, respiciunt.* Mediolanensem Ambrosium, Constantini Magni ac Nicæni Concilii tempori vicinum, præterire neque debeo, neque volo: *Hanc*, inquit, *solàm Ecclesiæ navem Dominus ascendit, in qua Petrus Magister est constitutus; quæ navis in altum seculi istius natat, ita ut pereunte mundo omnes, quos suscipit, servet illæsos: sicut enim Noë arca, naufragante mundo, cunctos quos susceperat incolumes servavit; ita & Petri Ecclesia, conflagrante seculo, omnes quos amplectitur repræsentabit illæsos. In urbe*, inquit, *Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, passi sunt gloriosi Apostoli, ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, & ubi gentilium Principes habitabant, illic Ecclesiarum Principes morarentur.* Sic Divus ille. Hem, quid ago? quid tam longè progredior? sic vivam, tanta tui docendi, mi Philippe, animo huic meo, commodo tuo obsequentissimo, cupiditas incessit, ut nec temporis nec Epistolæ rationem habuisse ullam jure aliis videar. Verùm non assis facio, quid illi de me sentiant, modò munus ego meum apud te, qui me præceptore uti dignatus es, officiosè & amicè, etsi cum nonnullo tuo tædio, expleam. Quamobrem libenter proficiscor ad reliqua. Rogo, tribunal illud fidei nostræ unà adeamus, ac te ipsum illi Sedi sistens verba Athanasii Græci, & Hieronymi Latini sic usurpabis. *Vestram Sanctam Romanam interpello Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi & solvendi speciali est privilegio super alios concessa. Hæc enim firmamentum à Domino fixum & immobile percepit: quoniam ipsam formam universorum titulorum lucidissimam, Dominus Jesus Christus vestram hanc Apostolicam constituit sedem. Hæc enim ipsa sacer est vertex, in quo omnes vertuntur, sustentantur & revelantur: & sicut in Christo Christiani; ita in petra, id est Petro, Christo renovantur Ecclesiæ. Tu es (sicut divinum veraciter testatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & propriis humeris reportare debent, tibi sunt confirmatæ. Tibi claves regni cælorum commisit, atque ligare & solvere potestati tuæ, quæ in terra & quæ in cælo sunt, promulgavit. Tu profanarum hæresum, & imperitorum atque omnium infestantium depositor; tu Princeps & Doctor caputque omnium Orthodoxorum doctrinæ, & immaculatæ fidei existis: te particularis decet reverentia pro rebus fidei tuæ & nostræ, causisque cunctis inquirendis atque determinandis, quas solicitè decet justèque abs te ipso*

ipso Præsulum vertice Apostolico examinari, cujus solicitudo semper fuit & est, tam mala damnare, quàm probare laudanda. Placentne tibi Athanasii verba, Philippe? Næ tu isto Græco sanctior, melior nec doctior es: dicito, oro, cum Hieronymo viro integro, & qui omnia seriò & dicit & agit, nullius fortunam admiratus nec adulatus unquam, ut cujusquam libidini inserviret, & adniteretur humanum emereri favorem: *Quoniam* (inquit divus hic) *vetus oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam & desuper textam, minutatim per frusta decerpit, & Christi vineam exterminant vulpes inter lacus contritos, qui aquam non habent; ut difficile ubi fons signatus & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde mihi meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi: nec enim tanta vastitas elementi liquentis, & interjacens longitudo terrarum me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur authoritas. Ibi cespite terra fœcundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: Hic obruta sulcis frumenta, in lolium avenamque degenerant. Nunc in Occidente sol justitiæ oritur; in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, posuit Thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos vasa aurea & argentea: Hi testæ, seu vasa fictilia, quæ virgam ferream & æternum operiuntur incendium. Quantùmque tui me terret magnitudo, tantùm invitat humanitas. A Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ovis efflagito. Facessat invidia Romani culminis, recedat ambitio: cum successore Piscatoris discipulo Christi loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra domum hanc agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio: & quia pro facinoribus meis ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriæ cognomento Barbariæ fines disterminat, non possum Sanctum Domini, tot interjacentibus spatiis, à sanctimonia tua semper expetere: Ideò Collegas tuos Ægyptios sequor, & sub eorum parva navicula delitesco. Non novi Vitalem, Meletum respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristus est.* Ita eximius ille Theologus Sedem Apostolicam alloquitur. Agnoscisne, Philippe, hominis pene divini phrasim? eloquentiæ admirabile corpus? rarum dicendi modum? considerasne Christiani pectoris candorem? fidem integram & sanam? videsne quàm ille suspiciat, quàm admiretur collatam huic Sedi cœlitùs potestatem? observasne quàm punctim & cæsim ille Throni hujus verè Apostolici hostes petat? ut nos omnes Romano præceptori dedat? ut Romanam fidem tenere perinde ac Catholicum esse æstimet? Antichristi signa sequi, qui non sequatur doctrinam & fidem successoris Petri? Quid, si te, mi Aldegonde, clarissimorum Imperatorum illustria & dicta & facta de hac re delectant: ut, qui generosis satisque claris, & illustribus sis editus majoribus? profectò ni vererer tuâ abuti humanitate, qui me tam diu loquentem sic patienter sustineas & feras, sexcenta proferrem exempla, quæ domi meæ collecta habeo ex antiquissimarum Historiarum monumentis deprompta; quæ te docerent non à Theologis tantùm, verùm etiam ab ipsa Imperatorum & Regum celsitudine adorari solitam & consuli

ſuli prædictam Petri Cathedram. In tantum, ut ſummi hujus orbis Monarchæ, non modò ſuis edictis publicis de Petri ac ſucceſſorum majeſtate & Principatu multa prædicarent & ſtatuerent; quin etiam tantâ obſervantiâ Romanum Pontificem coram proſequerentur, ut & pedes exoſcularentur cum magna humilitate terræ proſtrati, & vice ſtratorum uſque in aliquantum locum juxta ſummi Patris ſellam properarent, & cum gloria ad palatium ducerent: à quibus ille quæ peteret, impetraret omnia. Conſtantinus Magnus Imperatorum Orthodoxorum primus, quantum huic Sedi cultûs detulerit, nemo ignorat: deficeret me tempus narrantem de Valentiniano Auguſto, Carolo Magno, Pepino, Galla Placidia Auguſta, Andronico, Juſtiniano, Eoô Leone, Pulcheria, cæteriſque nobiliſſimis Imperatoribus, Principibus ac Regibus, apud quos Romanus Pontifex tantùm non Deus in terra habebatur, & colebatur illius fidei & poteſtatis hæres, quibus præ cæteris Apoſtolis Petrum pollere ex ipſis divinis libris, omni oriente atque occidente huic veritati atteſtante, didicerunt. Quid diceres, ſi ego hîc eorum Imperatorum attexerem catalogum, qui ob ſcelera ſua, hæreſes atque flagitia ab ejus ſedis moderatoribus, tanquam à fidei noſtræ unicis magiſtris ac judicibus, & proborum morum cenſoribus diro anathematis fulmine ſunt percuſſi? ſed nolo eam ingredi ſilvam. Nec volui ipſoſmet Pontifices Romanos ſuæ poteſtatis aſſertores huc introducere, viros longè antiquiſſimos, & ex eis glorioſiſſimos Chriſti Martyres non paucos, quòd talibus teſtibus parum apud te me profecturum ſperarem. Tantùm dico, Romanus Pontifex eſt, ex cujus ore legem Domini accipere univerſi jubemur, quia primarius & univerſalis Dominici gregis Sacerdos eſt & Magiſter. Scilicet qui Romanorum Pontificum reſponſa ſequitur, *corvos teſtaque lutoque inſequitur*.

* De Patrum etiam explanationibus & commentariis, ſummatim dicam id ipſum, quod ex ipſis eorum commentariis edoctus ſum: eſto hoc unum & præcipuum. Nullus Sanctorum Eccleſiaſticorum Patrum, Græcorum ſeu Latinorum, eam ſibi à nobis adhiberi fidem unquam popoſcit, quam præſtare teneamur vel canonico Scriptori, vel Synodo univerſali & legitimæ, vel Romanæ Sedi, in eis rebus quæ ad religionem noſtram pertinent: probè namque humiles iſti Eccleſiæ & Scripturarum Diſcipuli, & veræ diſciplinæ alumni, norunt ſe homines eſſe, & errare poſſe ac labi: multaque ſuis commentariis interſerunt, hominum aliorum opinionibus innixi, præſertim in deſcribendis Hiſtoriis. Immò, in omnibus quæ ad fidei, morum, Chriſtianæ Religionis neceſſitatem ſpectant, pro generali regula in ſingulis Sanctorum Patrum libris, obſervandum quòd ejuſmodi Patres, qui ad mortem uſque permanſerint in Eccleſiaſticæ fidei unitate, in qua Petri Cathedra per Chriſtum regnat, non aliter ſe intelligi volunt, quàm hactenus Catholica Eccleſia id ipſum, de quo per eos agitur, intellexit. Tot hæreſibus nimirum nondum exortis ſecuriùs multa dixerunt, quæ poſtmodum hæreticis in alienum ſenſum detorquentibus, civili interpretatione indigent. Hinc illa cujuſdam ipſorum vox: *errare potero, hæreticus tamen nunquam ero*. Verùm hoc tibi certum perſuadeas velim, quòd, etſi ut homines nonnulli ex illis priſcis Patribus, in rebus etiam quæ ad fidei noſtræ ſubſtantiam pertinent, aliquando lapſi ſint; in re tamen re-

ligionis nostræ concorditer nunquam errarunt. Id enim Christi pollicitationi, & perpetuæ Spiritûs præsentiæ, apertissimè repugnabat. Lege diligenter D. Augustinum, hujus divinæ scientiæ peritissimum, libro adversus Julianum primo, capite secundo, & libro II. adversus eumdem; & disces eum, qui antiquos Patres imitatur, non, ut ait Satyricus, *Corvos testaque lutoque insequi.* Cùm enim Julianum vellet Augustinus Sanctorum testimoniis in fidei dogmate, de quo controversia erat, revincere; *Omnium* (Aurelius ait) *de hac re sententias commemorabo, sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores coguntur erubescere & cedere, si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicacia superaverit.* Inferiùs paulò: *Alia sunt*, inquit, *in quibus inter se, etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salvâ fidei compage, non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem, unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta.* Et libro altero in eumdem Julianum, ita D. Augustinus invehitur: *Hoc probavimus Catholicorum authoritate Sanctorum, ac per hoc non est consequens, ut falsum sit: tales quippe ac tanti viri secundùm Catholicam fidem hoc esse confirmant, ut vestra fragilis & argutula novitas solâ authoritate conteratur illorum: præterquam quod ea dicunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur: sed nunc authoritate primitus eorum vestra est contumacia comprimenda, ut, dum tales homines Dei in fide errare non potuisse creditis, ausus præcipites refrenetis.* Et mox: *Ego te*, inquit, *ante istos judices constituo, quos non amicos meos & inimicos tuos in hac nostra disceptatione constitui cognitores, nec quorum sententiæ de hoc, quod inter nos disputatur, incertæ sunt, inani cogitatione confinxi, sed Sanctos & in Sancta Ecclesia illustres Antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis,* (quamquam & in his docti nonnulli ex his fuere) *verùm omnes Sacris litteris eruditos nominatim, sicut oportebat, expressi; ut in eis timeas non ipsos, sed eum qui sibi eos utilia vasa formavit, qui tunc de ista causa judicaverunt, cum ab odio, amicitia, & inimicitia, irâ vacui erant. Quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt.* Statim: *Usque adeò*, ait, *permiscuit imis summa longus dies, ut videant Pelagius, Cælestius, Julianus; & cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius, Cyprianus? sed qualiscumque homo sis; tamen, quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, (si tamen, non in te spes est & omnis emortua sanitatis) & quodammodo audio vocem tuam, quâ respondes, absit, ut audeam cæcos istos viros vel cogitare vel dicere.* Et tandem in libri fine, *qui Sanctos rejicit, eum universam Christi Ecclesiam rejicere*, testatur Augustinus. Igitur ne te, Aldegonde, multis onerem, ad summam dictum existimato, in expositione sacrarum litterarum, communem omnium Sanctorum veterum intelligentiam certissimum argumentum Theologo præstare ad fidei dogmata comprobanda stabiliendaque. Scias demum, vel eorum unum contemnere pro tua libidine ortum esse signum, quòd inverecundum animi ingenium possideas.

Circa demum Scholasticorum placita habeo unum quod te doctum cupio: Scholastica Theologia ascriptitia & ad discordiam nata ingenia non probat, pertinacia & omnia scalpentia: sed quæ in litteris arcanis, & Apostolorum traditionibus, ac Patrum conciliis, & antiquorum commentariis abdita speculantur, & quæ ex principiis fidei à Deo revelatis, conclusiones suas in ipsis princi-

principiis implicatas, eruere & explicare (hoc profectò munus est Scholasticæ Theologiæ) per argumentationem naturæ consentaneam, contendunt: talia sane ingenia efficere debent, ne propter paucorum vitia, omnium corona traducatur. Habet item hæc disserendi in scholis facultas alterum propositum scopum adversus hæreses fidei nostræ defendendæ. Ad ipsos namque Scholasticos Theologos (Augustino teste) attinet facere, quemadmodum fides Catholica piis opituletur, & contra impios defendatur. Hinc illæ lacrymæ, illudque intestinum odium hæreticorum adversùm tam præclaram, tamque Ecclesiæ necessariam professionem: spectat demum ad Scholasticorum functionem, Christi & Ecclesiæ doctrinam, quantùm id possit fieri, ex humanis disciplinis aut illustrare, aut etiam confirmare. Quare vera hæc & consummata Theologica scientia cœlestium rerum cognitione, & humanarum prudentiâ ac usu constat. Danda proinde est Scholasticæ Theologiæ opera, sine qua, nec hostium fraudes & artes detegere, nec ullam omnino perfectam in Ecclesia doctrinam consequi tu possis. En, Aldegonde generose, ostende tibi sellas nostras Curules & tribunales. En, quibus sit permissum de fidei nostræ Sacramentis incorruptè judicare: contemplare, quæso, paululum nostrorum judiciorum speciosam formam. Occurrent tibi primo loco Scripturæ Sanctæ, quibus, velut divino verbo, nos certò fidimus: habemus dein Apostolorum traditiones, quas, ceu amplissimum *alterum Evangelium*, (ut dixit Irenæus) nos veneramur: habemus dein Romanorum Pontificum responsa, nobis velut divina habita: habemus dein Patrum nostrorum decreta in Conciliis edita: habemus demum veritatis Spiritum, quem nobis Jesu sanguis peperit, qui judices illos nostros errare & labi non sinat. Quos cùm sequimur, non corvos, sed columbam, cujus oculi divini, sequimur. Cave tibi, qui, ut video, corvos imitaris, ne in te paræmia jactetur, *mali corvi, malum ovum*.

Non equidem dubito, Michaël eruditissime, si simili ratione respondere voluisses primo Philippi tui de Christi Ecclesia quæsito, te multò præclariora in eam rem, pro tua eximia eruditione, adducturum, quibus compesceretur ille, ne in eas iret blasphemias, in quas in altera ad te post tuam responsionem epistola te audiente legenteque prorupit. Liberiores sanè animi, postquam lege nullâ semel intellexerint se coërceri, in dies horasque indulgentiâ multò fiunt deteriores. Quamobrem, ut tibi ultrò assentior in eo quod Augustinum imitatus initio responsionis tuæ asseris judicium de Christi Ecclesia, deque ejus constitutionibus & traditionibus (de his siquidem omnibus tibi ab Aldegondo quæstio proponebatur) ex Scripturis Sanctis esse petendum: ita profectò tibi reluctari cogor, in eo quod dictum amplificans, subjungis non tantùm præfatum judicium ex Scripturis nobis petendum, sed etiam quòd ex sola Scriptura peti debeat. Ut enim prius illud non Augustinus solus, sed fides ipsa Patrum nos doceat, omnia videlicet Ecclesiastica ad Scripturarum amussim esse exigenda; hoc tamen posterius nec suspicatus certè est Divus ille. Quare desiderarem utique exclusionis notam illam ex sola Scriptura, omnino inde expunctam, aut certè (ut decebat) explicatam. Quasi verò minùs sit credendum Ecclesiæ in his quæ nos docet, aut facere nos jubet, quod ea in arcanis

litteris minùs nobis videantur excussa: & quasi multa non sint, quæ sine expressa Scriptura à Christo ad Ecclesiam per viros Dei plenos spiritu transmissa fideli ipsa memoriâ retineat; & quasi tandem solâ vocum Scripturæ Sanctæ efficaciâ sit nobis semper omnis aut corrigendus error, aut firmanda veritas. Dicam ad summam, quid sibi vult hoc: *ex sola Scriptura peti debet?* nam quàm sæpe Scripturæ locus obscurus est, quem minimè possis ex aliis ejusdem divini canonis manifestioribus locutionibus illustrare? an non tunc ad eorum testimonia & studia recurremus, qui nostri temporis contentiones præcesserunt, quique lumine cœlesti in eam rem sunt à Deo ditati, cujusmodi imprimis est Ecclesia, & Ecclesiæ conventus legitimi, Romanique Pontifices, Ecclesiastici Patres? Nonne ex his simul cum Scriptura, & non ex sola Scriptura judicium de divinis tunc petemus? Adde quòd multa sunt ad doctrinam Christianam maximè facientia, quæ nec etiam obscurè in numero in ipso canone divinorum Bibliorum leguntur, quæ tamen Sancti Apostoli bonis de causis vivâ tantùm voce prodiderunt. Exempla ponerem, ni tecum agerem, ut non sit mihi metuendum, ne videar quid novum & recens excogitatum dicere. Horumne etiam judicium ex sola Scriptura petemus? nisi velit tua prudentia dicere, universorum etiam quæ traditione solâ servantur in Ecclesia (quæ plurima sanè sunt) judicium ex sola adhuc Scriptura petendum; non eatenus quòd expressè Dei verbo scripto ea constent, sed quatenus eadem Scriptura expressas Ecclesiæ Dei notas (sicut Augustinus eo in loco contra Donatistas egregiè convincit) profert; quæ cùm cognoscantur Ecclesiæ nostræ Romanæ propriæ, facilè colligamus, inde verè eam esse *columnam & veritatis fundamentum*, ac perinde noverimus errare, & labi non posse, quidquid doceat aut jubeat. Vel certè eò apposuisti prædictam exclusivam, quò insinuares Ecclesiam veritate in Scripturis Sanctis scriptâ semper illuminari, etiam circa ea, quæ in numero divinis litteris mandata non sunt. Quorum certè utrumque tam est verum, & Christianæ parænesi conforme, quàm quod maximè. At, quod tuâ pace dixerim, nec id erat quod quærebat Aldegondus, nec satis in re tam gravi, tamque cum hostibus fidei nostræ controversa, fidelibus simplicioribus per te responsione illâ consultum judico. Hanc ego legem semper vidi servari, non modò apud Ecclesiasticos viros, verùm apud prophanos, in ferendis sententiis super aliquorum dissidiis, ut scilicet judicantis verba tam sint clara & perspicua, ut nullus deinde futuris jurgiis relictus locus videatur, nec sit altero judice opus, qui prioris mentem interpretetur. Acutè proinde, etsi nimis subdolè & fraudulenter, Philippus tuus rem jucundam & sibi pergratam habens, quod in gravissima quæstione, & quæ omnium cum hæreticis controversiarum tantùm non cardo ac fundamentum est præcipuum, tu cum illo propè ad amussim consentires, sententiam tuam in satis iniquum judicium trahit, quâ visus ei fueris nudam & solam Scripturam judicem constituisse omnium nostrarum cum hæreticis litium: ait enim in litteris ad te datis 5. Novembris 1577. Quantum igitur ex tua, immò potiùs Augustini sententia possum conjicere, omnino ita sentis; unicum Ecclesiasticarum traditionum *κριτήριον*, unicum lapidem *Lydium* atque judicem esse verba Domini nostri Jesu Christi tradita Sacræ Scripturæ disertis paginis; nec audiendum esse, hoc dicit

dicit Augustinus, hoc dicunt Donatistæ, sed hoc dicit Dominus: & in libris Dominicis, quibus utrique credimus, utrique assentimur, quærendam esse Ecclesiam, causamque omnem nostram & controversiam discutiendam. Hîc jam ille, quasi Ecclesiæ funere exultans, & tripudians, tamquam si verbo illo ex sola Sacræ Scripturæ pagina, Apostolicas traditiones, Conciliorum decreta, Romanorum Pontificum placita, Patrum explanationes & commentarios ab illo unico ac primo Ecclesiasticarum traditionum judicio tu exclusisses. Ulteriùs audet progredi & inferre: *Ergo judicium de Christi Ecclesia ejusque doctrina & Sacramentis (hoc enim ex priori necessariò efficitur) ex sola Scriptura peti debere. In hoc,* addit, *certè ego tibi per omnia planissimè assentior, ac verè ita statuo, si hoc ipsum impetremus, facilè reliquas omnes controversias ac nullo negotio iri compositum.* Hæc ille: & ut clariùs videas adhuc, quantùm sibi vox illa, *ex sola Sacra Scriptura*, arriserit, quàmque eam suis sensibus infixam servet; deinde, quasi tuæ sententiæ rationem reddens: *ut enim*, inquit, *post Paulum ait Athanasius, sufficiunt Sanctæ ac divinitùs inspiratæ Scripturæ ad omnem instructionem veritatis.* Vides non diu potuisse istum simulatum tuum discipulum dissimulasse, quæ olim ex Calvini sui ore toties accepisset. *Sacramentum & ejus usus* (dixerat ille) *nisi certo Dei verbi expressi fundamento nitatur, de filo pendet.* Præmiserat verò eodem in loco, inquiens: *ubi demum in carne manifestata est Dei sapientia, quidquid humanâ mente de Patre cælesti comprehendi potest, & cogitari debet, pleno ore nobis edisseruit.* Quæ duo, quasi tu signo exclusivo firmaveris, ea tibi Aldegondus adscribit. Heu, quantam fenestram (mi Domine) ad nequitiam furiis istis illo tuo benè dicto verbo *ex sola Scriptura peti debet*, etsi nolens, patefeceris.

Illud etiam quod subjungis, non debere mirari Aldegondum, si exemplo suo, qui te de ea re dignatus fuerit consulere, veri fideles, ut ex Scripturis Sanctis de eadem Ecclesia verum judicium accipiant, eorum se studio, diligentiâ & testimonio juvare conentur, qui præ cæteris à Deo verâ sapientiâ ditati fuisse creduntur; hoc, inquam, licèt verè dixeris, nimis tamen blandè & molliter est abs te dictum; nollem profectò eo in negotio tam ipsius admirationem taxasses, quàm quòd inculcasses necessitatem summam accersendi sibi expertos Doctores verbi Dei, quoties esset ei de divinis per Scripturas Sanctas judicandum, terruissesque hominem pro tua dignitate & gravitate, ne imprudens ac demens immenso Scripturarum Sanctarum pelago (in quo multò acutiores & ingenio valentiores Aldegondo miserandum naufragium pertulerunt, miserrimèque periclitati sunt) sine bonis ac firmis remis, & quibus tumens mare facilè cedat, & non sui cerebri levitate tantùm fretus se committat, unde miser, scopulosis illisus collibus, enavigare & nesciat & nequeat. O quàm fuissem lætus, si admonitionem istam tuam verè paternam, immò reprehensionem tanto Magistro dignam, præclaro illo Scripturæ loco ornasses, ubi legimus, quotquot intra arcam, hæc est Dei Ecclesia, inclusi non fuissent, periisse regnante diluvio! Vis dicam? tu istos curas molliter. Ægyptium erat mare, & tamen gentiles suos (ut ita loquar) devoravit; eis verò qui unius ducis unanimes fidem imitarentur, etsi exteris & ignotis ultrò divino jussu cessit. Ceciderunt illi in suis equis ac curribus, transiverunt hi pedites revelatis

sibi terræ fundamentis, patefactisque aquarum fontibus, idque non aliâ ratione, (juxta divinum canonem) quàm quòd Dei verbo per suum famulum divulgato illi constanter reluctarentur non semel per eundem sibi popositi, hi corde tunc perfectò crediderunt. Verùm revertamur ad Aldegondum; &, si placet, contemplemur quantùm apud eum tu profeceris dulcedine tuâ istâ nimiâque indulgentiâ. *Etsi lubens*, inquit, *confiteor quod ais, veros fideles, ut de Scripturis Sacris, de Christi Ecclesia verum judicium accipiant, eorum se studio, diligentiâ & testimonio juvare, qui præ cæteris verâ sapientiâ à Deo ditati fuisse creduntur; inter quos ego & Augustinum non gravatè reposuerim: tamen illud cum Chrysostomo liceat contendere, multos quidem Spiritum Sanctum jactare: sed qui propria loquantur falsò illum prætendere. Ut enim Christus non à se ipso loqui se testatur, quia ex lege loquebatur & Prophetis, ita si quid præter Evangelium sub titulo Spiritus Sancti obtruditur, non credamus. Quia sicuti Christus legis & Prophetarum impletio est, ita Spiritus Evangelii.* Hæc ille. Ipsissimus cuneus iste est, quo Calvinus in Institutione sua ad findendam Ecclesiam utitur, à quo, non animum tantum & sententias, verùm & verba ipsissima mutuò Aldegondus accepit: quo sanè loco non satis mirari queo, quàm nihil mentis istis hominibus sit. Si apertos profectò oculos haberent, planè intuerentur se suo perimere ense, cadereque trucidatos proprio gladio. Utri (ab eis quæro, respondeant) magis videntur Spiritum Sanctum jactare, magis propria loqui, falsòque Domini Spiritum prætendere? Utri (rogabo istos) securiùs mare hoc Scripturarum navigabunt? illine qui spretis pro libidine Patribus, spretis Apostolicis traditionibus, spretâ demum omni Ecclesiasticâ disciplinâ, quotidie ad Scripturas provocant adversarios suos, jactantque eâ se libertate potiri, ut in ipsis enarrandis, in nullius debeant cogi *jurare verba Magistri*; etiamsi eis tota objiciatur Ecclesia & tanta Patrum nubes, quorum animus errore vagetur, nec habeant quod certò sequantur? An qui mutum illum Scripturarum judicem germanâ Ecclesiæ & Sanctorum intelligentiâ, vivificare & animare nunquam non contendunt, quique eos sectantur Magistros, quorum probitas quemquam fallere non sinat, quorumque plurima scientia divinitus concessa ac vigiliis multis aucta, ipsos decipi non patiatur? Certe quidem (Michaël longè doctissime) locus hic, in quem te ille projecit invitum, si abs te pro tua magna eruditione fuisset occupatus & expeditus; non opinor, tam inverecundum animi ingenium possideret Philippus iste, ut te virum sanctum, pium & doctum eligeret, apud quem virus nequissimæ acerbitatis suæ, quod in Ecclesiam ejusque universales ac legitimas Synodos, inque Romanorum Pontificum sanctissima certissimaque decreta jam diu suo stomacho concoxisset, evomeret forasque projiceret; sed te contrà nulla in re ipsius dementiæ conniventem, imò potiùs ad vivum omnia resecantem, non modò revereretur, sed etiam pertimesceret. Dixi semel, nec me dixisse (sat scio) unquam pudebit pigebitque, deteriores istos fieri licentiâ & indulgentiâ. Rectè proinde eâ lege Ezechiel à Deo missus speculator constituitur, ut, si prævisum imminens malum non annunciaverit, ejus qui perit reus efficiatur. Contemplemur & expendamus sequentia, videbis quàm ille sinceritati tuæ insidietur semper..

Post-

Postquam enim juvari nos dixisti in responsione tua, hominum clarissimorum studio & scientia, ut ex Scripturis Sanctis de Dei Ecclesia verum judicium accipiamus; subjungis, ad eundem usum referenda Conciliorum decreta, & Romanorum Pontificum placita. Ita me Deus amet! cogor invitus hanc tuam, pene appellaverim desidiam, in differendo hoc loco Ecclesiastico magisterio, (quod te sat scio alioqui magnopere delectat) iterum notare. Novit namque tua Reverentia longè ad præstantiores usus referenda Conciliorum decreta, & Romanorum Pontificum placita, quàm cujusvis hominis judicia quantumvis licèt excellat. Illa siquidem esse non vera nequeunt: cùm sæpe contingat doctos alioqui viros hallucinari graviter, & à judicio vero longè aberrare. Non ergo debuit tua Eruditio sic hîc æquo pede hæc omnia metiri, ne viderere quasi apertam dedisse hosti ansam, ad tam facilè hæc quàm illa perdendum, ut qui sibi persuadeat, nihil his inesse divinius quàm illis: quod re ipsa accidit. Non enim horret dicere, tuis auditis, eam sibi statuendam rationem penitus de Conciliis & Pontificum decretis, atque de aliorum Ecclesiæ Doctorum judiciis, nec hos divinos judices minùs quàm illos veretur non inter pios & sinceros Ecclesiæ Doctores connumerare, sed inter Hæreticos & Scripturarum depravatores, si quid, præter Evangelium in Scriptura expressum, sub titulo Spiritus Sancti obtrudere illi pergant. Domine mi, quia nimis virgæ tuæ percisti, odisti profectò virum tuum. Vides quò insaniæ devenerit iste, quòd initio, cùm posses & deberes, similes in Spiritum Dei contumelias ultum non iveris, nec vi sapientiæ tuæ corripueris. Ergo Aldegondum inter pios & sinceros Ecclesiæ Doctores habebimus, quòd sic prope ab Scripturarum fonte suos irriget doctrinarum tubos, ut, nisi expresso Dei verbo, velut purissimâ lymphâ refici velit, universos veræ Ecclesiæ Pastores, legitimo modo in unum Concilium coactos, si dicant nobis quæ sunt, modò non in Scripturis legantur, inter Hæreticos & Scripturarum depravatores connumerabimus? Heu quàm est solemne, iniquis insignitos notis velle optimos quosque eisdem denigratos reddere. Utique non id obscurè præ se ille ferebat, cùm de Ecclesiæ Dei judicio se velle denuo tecum contendere diceret. Nec multùm dissimulare animum potuit, quin tandem ipsum tibi palam exprimeret, quantumvis qui istius sunt artis, nunquam non præparent dissimulatim insidias tandem, ut quod cœpit expleat, & inchoatum nequam sermonem nequiore coronide ornet & terminet, concludens, inquit: *In summa, hoc inter nos conveniat, doctrinæ Apostolicæ & Propheticæ, cui soli innixa est Ecclesia, judicium omne ad Scripturarum esse revocandum, omniaque omnium Patrum dogmata, vel Conciliorum decreta, vel Pontificum placita, vel Scholasticorum axiomata, non aliter esse accipienda, nisi quatenus huic Scripturæ sunt consentanea.* Hæc Aldegondus. Profectò si dixisset, judicium omnium dogmatum, quæ in Catholica nunc habentur Ecclesia, ad Scripturam fuisse per ipsam & Concilia atque Romanos Pontifices revocata, planè nos isti adstipularemur. At antiquissima quæque nunc denuò per Aldegondum ad Scripturam revocari quis ferat? Estne hoc aliud, nisi litem omnem de Religione Christiana perpetuam & infinitam reddere? nunquam non de Religione litigare? esse fora Ecclesiastica semper litigiosa, & nunquam terminandis litibus plena? Si antiquæ furiæ, ac monstra prisca,

quæ

quæ olim Ecclesiam prætextu Scripturarum vexarunt, nunc triverunt, aut ex inferis ad nos remearent, haberent profectò, juxta Aldegondi præscriptum, imò verò juxta Sathanicum per Hæreticos inventum, quò se tueri possent adversum Ecclesiastica decreta, quibus sua illorum insania jam diu damnata est: verùm de hoc paulò inferiùs redibit sermo.

Quid ad ista deliria tua Reverentia responderit vidi in Epistola vigesima octava mensis Novembris, anno 1577. ad eundem missa: verba tua sunt hæc: *Dicis itaque, tibi licere illud cum Chrysostomo contendere: Multos quidem Spiritum Sanctum jactare, sed qui propria loquantur, falsò illum prætendere:* id quod verissimè dicis, quia id docet Scriptura Sancta, cùm ait: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Et rursus: *Prophetæ duo vel tres dicant, & cæteri dijudicent.* Duplici sanè Scripturæ loco hominem cruciasses, si aut ille saperet, aut tu in eum te hæc dicere palam testarere. Cæterùm pergo: *Sed si quis, inquis, æquè conetur persuadere, veterum testimonia & Conciliorum decreta, præsertim antiquorum, quæ per multas annorum centurias à viris doctissimis ad Scripturas Sanctas discussa, tamquam ab Spiritu Sancto profecta, hactenus sine contradictione recepta sunt, posse leviter rejici, puto non facilè excusabitur à contemptu eorum, quos venerari convenit.* Addis: *nam Conciliis generalibus, quæ communi Patrum consensu conclusa, à cunctis fidelibus recepta sunt, etiam hoc accedit, quòd non immeritò existimentur & præsumantur continere sensum Ecclesiæ, de qua dicit Apostolus, quod sit columna & firmamentum veritatis: & generali sententiâ mandat Dominus, ut, qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Hæc tu.

Non desunt, qui de responsis primarii ac universalis omnium nostrorum Pastoris, Sacerdotis ac Magistri, Romani videlicet Pontificis, quem Aldegondus non minùs iniquè tractaverat quàm generalia Concilia, vellent ex te aliquid audire, quæ tu silentio texisti. Verùm ego non sine magno consilio id à te factum, & animo satis candido sic interpretor. Nosti certè, tam averso istos esse animo in eam Sedem, (quæ omnium Ecclesiarum caput est & Magistra, & cujus Responsa circa fidem nostram divina sunt jam ab Apostolicis annis habita) ut certò tibi persuaderes Aldegondum cum suis scripta tua omnia execraturum devoturumque, si, quemadmodum sentis, ejus eum Cathedræ disciplinæ subjiciendum necessariò decerneres, cui sanè non omnino displicere, ut, si posses, prodesse cupiebas. Sed revertor ad tua.

Dicam liberè, quæ nollem apposuisses, & cujus gratiâ id abs te omissum desiderem. Novit tua Prudentia quid Calvinus, cujus umbra est iste Aldegondus, de Conciliis generalibus senserit, & in Institutione sua omnia magis quàm Christiana suos imitatores docuerit. Is namque Author ita eo in loco habet: *Quid ergo, inquies, nullane erit in definiendo Conciliorum authoritas? Immò verò, neque enim hic omnia Concilia damnanda, aut omnium acta rescindenda, & quod dicitur, unâ liturâ esse inducenda puto. At cogis tamen, inquies, omnia in ordinem, ut cuilibet in medio positum sit recipere, vel repudiare quod statuerint Concilia. Minimè verò: Imò priscas illas Synodos, ut Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem & similes, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, reveremurque ut Sacrosanctas quantùm attinet* a

fidei dogmata. Nihil enim continent aliud, quàm puram & nativam Scripturæ interpretationem, quam S. Patres speciali providentiâ ad frangendum Religionis hostes, qui tunc emerserant, accommodant. In posterioribus quoque nonnullis, addit, *videmus elucere veræ pietatis studium, notas adhæc ingenii, doctrinæ, prudentiæ non obscuras. Sed quemadmodum solent res in deterius ferè prolabi, ex recentioribus Conciliis videre est, quantum subinde Ecclesia à puritate illius aurei seculi degeneravit. Dum enim numerantur, non appenduntur sententiæ, minorem partem à majori vinci necesse est. Quamobrem,* adjungit, *quoties Concilii alicujus decretum profertur, expendi primùm diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, & quo Concilio, quales homines interfuerint; deinde idem ipsum de quo agitur ad Scripturæ amussim examinari: idque in eum modum, ut Concilii definitio pondus suum habeat, sitque instar præjudicii.* Ne tamen examen quod dixit impediat, statim apponit: *utinam eum modum omnes servarent, quem præscribit Augustinus.* Profert illud idem exemplum de Maximino hæretico, cujus & Aldegondus sua in Epistola meminit. Nihil enim iste novit, nisi quòd fuerit ab illo edoctus. Vides, hæc omnia communia habere nobiscum Calvinum: videlicet maximam esse Conciliorum in definiendo fidei dogmate authoritatem; non esse cuilibet in medio positum recipere vel repudiare quod statuerint Concilia: amplecti se ingenuè, & minimè gravatè priscas illas quatuor Synodos, & revereri ut Sacrosanctas; elucere sibi in posterioribus quoque nonnullis veræ pietatis studium: at, quia nondum ille cum Dei Ecclesia credit, quidquid fuerit decretum fidei nostræ ab omnibus sacris & legitimis Episcoporum Conciliis, tam priscis illis quàm recentioribus his, ad divinam id esse voluntatem referendum, utpote in quibus certè Dei Spiritus præsideat, & contra Synodorum, quas nunc commendaverat, decreta de actis in ipsis adhuc inquirendum sentit, & denuò per viros doctos ad Scripturæ amussim illud totum revocandum, examinandum, & discutiendum; nec sibi persuadet, includi Ecclesiam veritatis *firmamentum ac columnam* in universali Patrum Concilio, summi omnium ac universalissimi Patris & Pastoris operâ collecto, & consensione obfirmato: quia itaque in his omnibus ab ipsorum Patrum regula Calvinus longè recedit, non magni Patres æstimant, si prædicet decreta Conciliorum, præsertim antiquorum, quæ per multas annorum centurias à viris doctis & sanctis pariter ad Scripturas Sacras discussa, tanquam ab Spiritu Sancto profecta, & hactenus sine contradictione recepta, non modo non posse ea à nobis leviter rejici, sed prorsus nefas esse, nec quoquo pacto excusari contemptorem à contemptu eorum, quos venerari convenit: & quidem meritò jam diminutos Sclesia suorum studiorum æstimatores & judices parvi facit. Nam vel recentissima Concilia legitima (de eis enim tantùm sermo est) eodem Spiritu nunc ducuntur, quo antiquissima illa ducebantur, vel diverso. Si eodem, profectò aut utraque sunt fidei nostræ ex Scripturis dicenda regula certa, ut, si divino Spiritu regantur; aut, si humano, neutra: quod sanè veri fideles alienum ducunt à majestate Spiritûs Dei, qui per Patres nos ibidem docet & suggerit, quæ Christus Dominus locutus est. Cui etiam perversæ hæresi & illud accederet, quòd per eam incredibilis & æterna confusio Dei Ecclesiæ obtruderetur. Si verò prisci Patres in suis conventibus divini numi-

nis assensione gaudebant, quâ nostri destituantur; sanè quidem nequissima foret conditio nostra, qui eo ductore careamus inter tot errorum aggeres, quibus seculis istis cingitur Ecclesia, licèt Dei gratia non similibus tumulis obruatur, quo illi à Deo ditati creduntur. At firmiorem habemus Evangelicum sermonem, firmiusque nobis à Deo promissum donum. *Dabo* (ait fidei nostræ consummator & Author) *vobis promissum Spiritum veritatis, qui sit vobiscum in æternum mansurus.* Ac si Dominus his verbis sponsam suam recessurus consolaretur: ut enim mendacii Spiritus nunquam vos non agitabit, perturbabit, molestabit, & nequiter insectabitur; ita sane semper vobis aderit, semper vos tuebitur veritatis Spiritus, qui sua inter vos perpetuò exerceat Magisteria, nec sinat Ecclesiam meam illius nequam Spiritûs arte diludi. Observemus (si placet) hoc loco & tempore hæreticorum ingenia. Qui Ephesinæ Synodo interfuere hæretici, nullâ aliâ ratione contendebant acta in Nicæno Concilio esse rescindenda, quàm quòd causa minimè fuisset satis perspecta, nec ad Scripturæ amussim pro veritate examinata, quodque multitudine solâ vicissent Catholici: ad eundem modum, nostrâ hâc tempestate iidem eâ ipsâ notâ Patrum nostrorum conventus infamant, & priscas illas Synodos laudant, quas veteres furiæ velut illegitimas & nothas vanissimè repudiarunt. Quid est, si non hoc, *Lesbiâ* sive *plumbeâ regulâ*, divinissima quæque metiri: fidemque nostram, quam constantem esse maximè convenit, non pluris æstimare, quàm cereum quemdam nasum, quem, ubicumque sit opus, facilè flectas, torqueas ac curves? quæ lex, ut id tantùm probes quod tuæ libidini non intellexeris palam adversari; id damnes quod instituto tuo noceat maximè? Nullus itaque Scholasticorum Patrum tam humiliter & demissè de generalibus Ecclesiæ Conciliis sensit unquam, vel suspicaretur examine suo ac discussione vel minimum certè illius maximæ divinæ authoritatis, quâ à Deo solo in causis fidei sine errore sententiandis ditata sunt, eis iri conciliatum, & multò minùs ullâ temporis diuturnitate: & licèt quatuor illæ Synodi quædam habuerunt propria, quæ commendatiores eas orbi reddiderunt, in tantum, ut Divus quidam summus Ecclesiæ Christi Sacerdos, dicere non dubitarit, *venerari se eas quatuor, & exosculari velut quatuor Christi Evangelia:* Tamen in universum cuncti Patres, jam ab eo tempore quo celebrari & cogi in Ecclesia ejusmodi conventus cœptum est, planè noverunt, ac constantissimè crediderunt non à quoquam hominum Synodos examinandas, sed per eas quoscumque tandem & sine spe provocandi ad judicem superiorem judicandos, habueruntque & reputarunt maledictos, & suo anathemate jam olim percusserunt eos omnes, quotquot non addiscendi animo, sed novo inquirendi studio, & denuò judicandi de decretis Concilii generalis ac legitimi, molirentur ea ipsa definita semel per Synodum ad Scripturas Sacras, velut ad suam regulam, perpendiculum & normam, examine novo & rigoroso exigere. Idque facilè sibi persuaserunt primarii illi viri, ut tam sanctè & piè de Oecumenicis Conciliis sentirent, quòd certissimè crederent talibus conventibus divinâ Christi pollicitatione Dei Spiritum dulcissimo firmissimoque vinculo alligatum; cui qui reluctetur plusquam *Ethnicus* esset sibi habendus Domini mandato & *Publicanus.* Quamobrem (ut ad te veniam) verbum illud tuum, *præsertim Antiquorum:*

&

& illud, *ad Scripturas Sanctas discussa:* & illud, *leviter rejici:* & illud, *puto quod non facilè excusabitur:* (hoc inquam) totum puto inde expungendum, ut, quod de generalibus Conciliis verè & piè pronuntias quod sensum Ecclesiæ contineant, hoc abs te de omnibus generalibus ac legitimis dictum omnes videant; quodque cum illa communi Patrum consensu fuerint conclusa, necessum sit, à cunctis ea fidelibus recipi, haberique tamquam ab Spiritu Sancto profecta, nec indigere, quòd per multas annorum centurias à doctis sanctisque viris denuo ad Scripturas Sacras discutiantur.

Cupio scribendi finem facere; faciam verò, cùm leviter tetigero quonam pacto responsionem tuam ad alteram quæstionem (an scilicet Ecclesia verbo Dei, an potiùs verbum Dei Ecclesiæ authoritatem tribuat) ego nunc interpreter, & longè forte alio ab eo quo ipsam interpretatus est. Qui ad te scribit, ita sibi per omnia hac in parte abs te satisfactum, ut non potuerit istum tuum candorem non vehementer exosculari. Dico & ego. Næ tu perquam eruditè ac piè, responsionem tuam comparatione Joannis Baptistæ cum Christi doctrina confirmasti, docuistique convenientiùs dici, quòd Scriptura Sacra tribuat Ecclesiæ authoritatem, quàm contrà. Ita ut in eo capite, inter te & eos qui candidè abs te dicta, etiam candidè interpretantur, nulla restet controversia: inter te verò & Calvinianos maxima. Quare, vel Aldegondus hac parte Calvinianus esse desivit, vel tui animi candore iniquè hoc loco abusus est, sententiam tuam aliorsum accipiens, atque ipse dixeris. Quasi hoc demum asseras, eruditionis veræ Theologicæ esse (ut sentiunt isti) nihil ultrà, quàm sacris libris proditum est, & quod inde necessariâ consecutione colligitur definire: cætera omnia (ut ajunt) esse problemata in illud rejicienda tempus, quum sublato speculo videbimus Deum de facie. Similitudinem itaque istam tuam (mi Domine) ego sic accipio: sicut, inquis, Joannes lucerna erat alienâ (nempe Christi, qui naturâ lux est, in eo tenebræ ullæ non sunt) luce lucens, divinâ tamen illâ flammâ micans, dicente eodem divo: *qui me misit baptizare, ille mihi dixit: supra quem videris Spiritum descendentem, ipse est: & ego vidi, & testimonium perhibui: Quia hic est Filius Dei:* dilecto similiter attestante divinitati hujus cælestis testimonii illis brevioribus verbis: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes: Hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine*, ut qui Joanni non crederet, non crederet ei, qui illum misit testificari de Christo: pari modo utut Scriptura Sacra, quæ nec falli potest, nec fallere, ipsam veritatem in se contineat, quâ certè veritate Ecclesia illuminetur, penes tamen Ecclesiam sentis continuò asservari digitum Joannis, quo certò Christus & Christi omnia in Scripturis contenta divinitùs, etsi humano ministerio, fidelibus demonstrentur. Quæ sanè Ecclesia instar Joannis dicere nobis potest, qui me elegit Filio suo Sponsam, ille mihi hæc & hæc dixit, locutus mihi olim per Prophetas, novissimè per Filium, & Filii sui Legatos, Apostolos, Sanctos. In summa, ex tuo exemplo non modò mihi elicio quod sibi Aldegondus collegit, nimirum, convenientiùs dici, quòd verbum Dei authoritatem Ecclesiæ tribuat, quàm contrà. Verùm conjicio voluisse te eâ comparatione indicasse utramque authoritatem esse divinam & de cælo, cui nemini mortalium quoquo pacto reluctari liceat. Quis, cedo, negare audeat testimonium Joannis

de cælo fuisse, licèt per hominem hominibus redditum, sicut de ejus Baptismo ipsissima veritas testata est, de cælo venisse, nec hominum fuisse inventum. Quare illud quod addis, posse facilè Ecclesiam in suas relabi tenebras sibi derelictam; ita accipio, sicut & illud, quod de D. Joanne præmiseras, lucem esse, quæ vero lumine destituta, statim ad tenebras suas recidisset. Non enim id ideò dicis, quòd sentias aut Ecclesiam, stante Dei verbo, posse in suas tenebras relabi, sibique cælesti destitutam luce derelinqui, cùm *ejus lucerna sit agnus*, qui, cùm fuerit occisus, vivet in æternum: aut D. Joannem (quem Spiritus Sanctus, ne peccaret aut erraret in ipsis maternis visceribus inclusum, suâ gratiâ obfirmavit) potuisse juxta Dei legem, vero lumine destitui, ut in tenebras, quibus cæteri homines sunt obnoxii, ille recideret. Sed eò id dicis, quò indices in utroque fontem ipsum aut lucis aut veritatis.

Nolo tamen negare, immò fatebor ingenuè tuum illud verbum: *Ecclesia verò non nisi veritate in Scripturis Sanctis descripta illuminatur; & sibi derelicta, facilè posset in suas tenebras relabi*, tam me offendit, quàm illud, *ex sola Scriptura peti debet præfatum Ecclesiæ judicium*, utrumque certè idem mihi sonat. Atque hæc forsitan pluribus à me dicta sunt, quàm exigebat ratio aut epistolæ, aut veritatis: minùs tamen multis, Domine mi, quàm postulabat pravè detorta, & inveterata istorum hominum opinio: tantùm attigi illa & quidem raptim, & negotiorum turbâ vehementer complicatus, quorum te admonitum existimationi tuæ expedire pro nostra necessitudine judicavi: nec vereor dicas hæc nobis inchoata & rudia excidisse: solùm digneris, oro, rudem me & integrum discipulum accipere, quem prima illa scientiæ nostræ rudimenta, de quibus tecum Aldegondus binis litteris egit, & tuam plurimam eruditionem recens percontari non dubitavit, planiori distinctiorique sermone quem nemo simulatus discipulus à tuæ mentis candore detorqueat, tu doceas: pluris certè æstimabo in tuam me dedisse disciplinam, quàm si se mihi instituendos plurimi permittant. Tam est magna omnium Catholicorum opinio de te, magnaque vitæ & scientiæ tuæ apud cunctos commendatio: atque, si id quod efflagito abs te obtinuero, gratiorem me fore in te, quàm isti perversi sint, certùm habeto; meque, quod hîc tu operæ insumpseris non *in cœnam*, ut dicitur, *diem*, sed satis occultam, precibus nimirum pro incolumitate tua coram Deo fundendis, soluturum atque annumeraturum: sin frustra te rogavero, unum tamen mihi nunquam negabis, hoc, inquam, meo desiderio, non ita privato commodo studuisse me, quin & tui nominis rationem simul habuerim, cui apud fideles omnes consultum tantopere cupiam. Vale, celeberrimi Musæi moderator præclare; meque, ut solitus es, amabis. Trajecti ad Mosam, 8. Januarii, 1580.

MICHAELIS BAII,

ADVERSUS

P. FRANCISCI HORANTII

REPREHENSIONES

EPISTOLA APOLOGETICA.

Eximio D. & Sacræ Theologiæ Licentiato, M. Anthonio Ghennart, Canonico Leodiensi,

MICHAEL DE BAII,

CAPUT PRIMUM.

Quòd secundùm D. Hieronymum & Augustinum reprehensibile sit, epistolam ad amicum scriptam non priùs ei mitti, quàm latiùs in alios dispergatur.



Um nuper ex litteris tuis intellexissem, quemdam (cujus nomen reticebas) obtulisse tibi approbandam epistolam, contra responsiones meas ad quæstiones Sanct-Aldegondi, de Ecclesia scriptam, ut Leodii imprimeretur, optime Domine Anthoni, teque cum tuis consortibus ex certis causis approbationem recusasse, atque illum respondisse, quòd curaret eam imprimi Coloniæ; cùmque deinceps ex litteris Reverendissimi Domini Ruremondensis, datis Trajecti Mosæ, 8. Februarii anni 80. & mihi Lovanii redditis 13. ejusdem, cognovissem supradictæ epistolæ scriptorem fuisse R. D. Horantium,

rantium, quem similiter scribebat sibi promisisse, quòd hanc epistolam non ederet, si modò intra dies quindecim clariùs explicarem, quo sensu dixissem D. Augustinum asseruisse, Judicium de Ecclesia ex sola Scriptura petendum; omnino putabam fore, ut supradictus Horantius epistolam suam aut omnino supprimeret, aut saltem mihi mitteret, priusquam ederet in publicum, ut possem certiùs cognoscere, quid illi in scriptis meis displiceret, præsertim quia acceptis litteris R. D. Ruremondensis, etiam corpore malè affectus, tantâ celeritate respondi, ut ne exemplar quidem litterarum mearum apud me servaverim. Misique simul quatuor illa prima capita libelli de Ecclesia, quæ & ad te priùs miseram, in quibus clarissimè aperui, quid de Traditionibus Apostolicis & sacris Conciliis sentirem, quibus putabam ei fore satisfactum, & si ampliùs aliquid peteret, saltem hoc verbo indicaturum. Cæterùm præter meam expectationem, ante finem supradicti mensis Februarii, Pastor quidam epistolam, de qua supra, Coloniæ impressam, ex Leodio Lovanium attulit, non ad me, sed in usum suum, aut fortè eorum quibus luberet eam legere. Quæ cùm fuerit in via à Colonia usque Lovanium dies novem: & ipsa epistola constet undecim quaternionibus, qui non nisi singuli diebus singulis imprimuntur, necessum est, epistolam ut minimùm impositam esse prelo, octavo aut nono die Februarii, quando videlicet datæ sunt litteræ R. D. Ruremondensis, quibus scribebat, se litteris tuis admonitum, adiisse R. D. Horantium, ac rogasse, ne epistolam suam Coloniæ imprimendam curaret, priusquam privatis litteris me fraternè admonuisset de iis quæ in scriptis meis ad Aldegondum offendebant. Deinde subdit in suis litteris: *Hac eadem de re Reverendus D. Levinus, R. D. Cardinalis jussu, cum eodem egit. Post quæ* (inquit) *hodie tandem ab eo impetravimus, ut promiserit, se suæ epistolæ libellos in vulgus non editurum, modò tu intra dies quindecim nobis rescripseris.* Rescripsi autem magnâ celeritate, sicut suprà dixi, & nihil promovi. Igitur magna fuit hujus epistolæ publicandæ necessitas, propter quam & excusio & editio tantopere accelerata est, idque extra patriam, ut author nec monitus observaret quod & D. Hieronymus de epistola D. Augustini non fuisse observatum tam graviter conqueritur, & D. Augustinus observari debuisse palam confitetur: nempe, ut epistola ad amicum scripta, priùs ad eum perveniat cui scripta est, quàm in
Epist. 14. apud Aug. alios dispergatur. Ait enim Hieronymus: *Satis mirari nequeo quomodo ipsa epistola tua & Romæ, & in Italia haberi à plerisque dicatur, & ad me solùm non pervenerit, cui soli missa est.* Augustinus verò sic respondet:
Epist. 19. *Dabo operam diligentiùs, ut litteræ quas ad te scribo, priùs ad te perveniant, quàm ad quemquam à quo latiùs dispergantur. Fateor enim nec hoc mihi fieri velle de tuis ad me, quod de meis ad te factum justissimè expostulas.* Et Hieronymus ad Domnionem de Monacho quodam: *Si errare me arbitratus est,* inquit, *debuit vel arguere, vel interrogare per litteras: quod vir eruditus & nobilis fecit Pammachius. Imitatus saltem fuisset tuam verecundiam, qui ea loca quæ scandalum quibusdam facere videbantur, excerpta de volumine per ordinem digessisti.*

CAPUT II.

Quòd responsio ad quæstiones de Altaris sacramento supra meritum ab Horantio extollatur; sed in Responsione ad quæstiones de Ecclesia duo sunt reprehensionis capita.

RESponsionem ad quæstiones de tremendo Altaris sacramento, longè suprà quàm meretur extollit Horantius; sed in Responsione ad quæstionem de Christi Ecclesia, duo sunt reprehensionis capita. Prius est, quòd nimiâ lenitate, seu potiùs desidiâ Sanct-Aldegondum corripuerim: Alterum verò, quòd secutus D. Augustinum, dixerim judicium de ecclesia, ex sola Scriptura sumendum; quòdque Sanct-Aldegondo satis impudenter inde colligenti, omnem nostram causam, & cum hæreticis controversiam, ad verba Domini tradita sacræ Scripturæ esse discutiendam, non responderim ex professo, sed tantùm principio responsionis ad posteriores quæstiones, dixerim in epistola Sanct-Aldegondi (quæ hæc continebat) non deesse, de quibus adhuc conferre deberemus. *De unita. Eccl. c. 2.*

CAPUT III.

Quòd Scriptura sacra duos corripiendi modos insinuet.

UT igitur de priori capite dicam; Scriptura Sacra nobis duos corripiendi modos insinuat. Alterum cum lenitate & mansuetudine, in quo Christus in primis eminuit, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* *Matt. 11.* Alterum verò cum austeritate, cum increpatione, & imperio. De priori dicit Apostolus: *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis:* & ad Timoth. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres:* & iterum: *Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati; nequando Deus illis det pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem.* Item Petrus: *Parati semper ad satisfactionem, omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe; sed cum modestia & timore.* De posteriori verò dicit Apostolus: *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Et ad Titum: *Increpa illos durè, ut sani sint in fide.* Et rursus: *Hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem quam dedit nobis Deus, in ædificationem, & non in destructionem.* De ambobus autem corripiendi modis simul scribit Corinth. *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?* *Galat. 6. 1 Tim. 5. 2 Tim. 2. 1 Petr. 3. 1 Tim. 5. Tit. 1. 2 Cor. 13. 1 Cor. 4.*

CAPUT IV.

Quòd tacendo non sit veritatis honori detrahendum.

QUæritur ergo inter nos, utro modo Sanct-Aldegondus quæstiones suas proponens, per me tractari debuit; An in spiritu lenitatis, an in austeritate, & increpatione sermonis. Non enim sentit Horantius, ad quæstiones ejus omnino respondendum non fuisse; sicut alius quidam, à quo increpatus
1 Petr. 3. sum, quòd non prorsus tacuerim: cui objeci quod ait beatus Petrus, semper paratos nos esse debere, ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de ea quæ in nobis est spe. Item illud Christi apud Matthæum: *Omnis ergo qui confi-*
Matt. 10. *tebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est.* Alia est enim causa, cum rogamur: alia, cùm non rogamur. Cùm non rogamur, locum non habet confessio in Evangelio præcepta, sed tantùm fraterna correptio, quæ pro eorum utilitate moderanda est, quibus impendi-
Matt. 7. tur; & ideò si omnino putatur non profutura, tunc impendenda non est, ne margaritas spargamus ante porcos. Quando verò rogamur, tunc facilè potest intervenire præceptum confessionis, quo jubemur confiteri veritatem, non tantùm propter rogantis utilitatem, sed etiam propter honorem veritatis, ne quid illi tacendo detrahamus, tunc sive interroganti profutura sit nostra responsio, sive obfutura, attamen respondere tenemur. Unde etiam Christus in Evangelio, non tantùm interrogantibus discipulis respondit, ut eis consuleret, sed etiam cum inimicis tentantibus, obtrectantibus, maledicentibus, habuit de veritate sermonem, ut illam honoraret. Quin & ipsum diabolum insidiosè tentantem, & de Scripturis Sanctis quæstionum laqueos opponentem (inquit Augustinus) de Scripturis sanctis respondendo convincit: Nec
Contra Cresc. lib. 1. cap. 8. iudicavit indignum, cum sathana Christus de divinis eloquiis habere colloquium.

CAPUT V.

Quòd errantes, extra nostram potestatem positi, potiùs sint cum lenitate docendi, & ad fidem revocandi, quàm increpandi cum imperio.

CUm ergo ambo sentiamus, ad quæstiones Aldegondi omnino tacendum non fuisse, inter nos controvertitur, utro modo respondendum fuerit. An cum lenitate eum docendo, quæ veluti dubitans discere velle videbatur: an cum austeritate, imperio, & authoritate cum increpando, quod ejusmodi quæstionibus fidem suam suspectam redderet. Si mihi subjectus fuisset, & in mea potestate positus: sicut Timotheo & Tito subjecti fuerunt, de quibus ait
1 Tim. 5. Apostolus: *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant;* & ad
Tit. 1. Titum: *Increpa illos durè, ut sani sint in fide:* potuissem ei cum increpatione respondere,

pondere, & eum minando deterrere, ne ejusmodi periculosis, ne dicam perniciosis, disputationibus incumberet. Sed quia assistens lateri principis Auraici (qui favore multorum, etiam contra Regiam majestatem incipiebat hîc rerum potiri, & me potiùs in potestate habebat, quàm ego illum) ideò non putavi illum meâ gravitate terrendum, sicut à me requirit Horantius, sed potiùs ex Scripturis Sacris cum modestia docendum: sicut ait Petrus, *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe, sed cum modestia & timore.* Similiter Apostolus: *Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.* Et rursus: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Si enim ob reverentiam ætatis, seniorem Episcopo subjectum, & in ejus potestate positum jubet Apostolus non increpari, sed rogari ut patrem; quantò magis intelligendus est jubere, ne quis privatus & abjectæ originis, qualis ego sum, virum nobilem, potentem & in lubrico positum, duris & acerbis verbis exasperare præsumat: sed tantùm docere, & rogare ut Deum timeat, & suæ aliorumque curam salutis non negligat. Sicut divus Bernardus primâ suâ epistolâ, nepotem se juniorem, sibique etiam ratione voti astrictum, sed jam extra suam potestatem positum, admirabili humilitate & lenitate obsecrat, ut ad susceptum prius institutum revertatur. Quo consilio etiam erga suos subditos nunc utitur Catholica Majestas, quæ tamen non sine causa gladium portat, magis studens eos lenitate attrahere, quàm minis & timore suppliciorum compellere, ut ad catholicam fidem & sui principis obedientiam redeant. Petit Horantius ut contemplemur quantùm apud Sanct-Aldegondum profecerim istâ meâ dulcedine, nimâique indulgentiâ? Respondeo, me hoc profecisse, ut de rebus gravissimis differentem (nec judicio ejus omnino infeliciter differentem, præsertim de tremendo Altaris sacramento) patienter audierit, & iis quæ dicebantur sic intenderit, ut mihi absque omni contumelia semel atque iterum responderit. Ex quo infero me hoc saltem apud eum profecisse, ut auditorem & benevolum & attentum reddiderim, & forsitan in quibusdam consentientem; licèt, superveniente bello, quod conabar perficere non potuerim. Cæterùm ego vicissim rogo, ut Horantius intra aliquot menses contempletur, quid ipse suâ acri increpatione, seu, ut vocat, suâ virgâ, cui me nimiùm pepercisse queritur, profecerit: nominando eum impostorem, tractandum, ut dignus est, deploratum, ementitum discipulum, ingratum pullum in suam matrem recalcitrantem; & fortè comperiet se apud eum nihil aliud profecisse, quàm ut ipse, cum doctrina veritatis quam illi cum increpatione ingerit, aut omnino contemnatur, aut irrideatur, subsannetur, aut alia similia patiatur; quæ non debent esse Christianis formidabilia, quando pro veritate irrogantur: sed tamen non sunt per eos ex stimulo impatientiæ aut vindictæ provocanda, quando aut nulla, aut exigua utilitas expectatur, ne videantur eo zelo succensi, quo succensi erant Christi discipuli, dicentes: *Vis dicamus, ut ignis descendat de cælo, & consumat eos?* non autem eo, quo succensus erat Apostolus, dicens: *Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus.* Sed omnis ejus nobiscum disputatio, inquit Horantius, simulata & composita tragœdia est; nec aliud agit, quàm

1 Pet. 2 Tim. 1 Tim.

quàm ut ex ore nostro verbum aliquod excidat, quod suæ insaniæ astipulari existimet. Respondeo, fieri posse ut ita habeat; possum hoc timere, non tamen audeo judicare, præsertim de futuris, quæ adhuc in manu Dei sunt, & procul à nostra cognitione, quia scriptum est: *Nolite judicare & non judicabimini. Tu quis es qui judicas alienum servum?* (inquit Apostolus) *Domino suo stat aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum.* Qualiscunque sit, etiamsi fortè deterior esset Pharisæis & Saducæis, quibus insidiantibus & calumniantibus Christus ex Scripturis Sanctis respondit; saltem non est diabolo deterior, quem etiam ex Scripturis Sanctis redarguit Christus, & confudit.

Luc. 6. Rom. 14. Matt. 21. & 22. & 19. Matt. 4.

CAPUT VI.

Quòd hæretici veras Scripturas habeant, ex quibus possit cum eis disputari.

AT hæretici non habent veras Dei Scripturas, inquit Horantius, qui verum earum intellectum, qui Ecclesiæ est, non habent, quamtumlibet Scripturas jactent: quia Dei Evangelium non in Scripturis, sed in sensibus est. Hîc rursus quæro, An Pharisæi, an Saducæi, an denique diabolus ipse, veras Scripturas habuerint, cum quibus Christus sæpius ex Scripturis Sacris disputavit? Attamen quòd & Judæi & hæretici veras Scripturas Sacras habeant, quamdiu libros habent incorruptos, ex eo convincitur, quòd Scriptura nomen signi est, quod apud quemcunque reperiatur, semper manet verum quamdiu servatur incorruptum; etiamsi vera ejus intelligentia non habeatur, quæ significatur nomine Evangelii. Evangelium enim propriè non tam signi nomen est, quàm intelligentiæ signatæ, quæ intelligentia invenitur in solis cognoscentibus veritatem. Sed sicut Ecclesia catholica, contra Donatistas defendit, quòd hæretici habent & conferunt vera sacramenta, rerum sacrarum signa, etiamsi res ipsas sacras nec conferant, nec habeant; & cùm ad Ecclesiam redeunt qui sacramenta ab eis susceperunt, signa ipsa non rejiciuntur tanquam falsa, sed agnoscuntur tanquam vera Christi sacramenta: Sic etiam defendere debemus, quòd Judæi & hæretici, quando libros sacros habent incorruptos, veras habent Scripturas sacras, ex quibus eos redarguere & convincere possumus; sicut ab initio nascentis Ecclesiæ semper fecerunt nostri majores, non reddendo eis Scripturas Sacras, quibus non carent; sed ostendendo eis veram earum intelligentiam, quam obtenebrati non vident. Si verò, juxta sententiam Horantii, in eo reprehendendus sum, quòd secutus divum Augustinum, ut ad cor Aldegondi introitum invenirem & loquerer, aliquid dixi ex quo sententiam meam in satis iniquum judicium trahit, nescio quomodo ipse Horantius reprehensione carebit, id dicens quod non iniquo judicio trahitur, sed sensu verborum proprio, argumento scilicet à simili, spontaneo cursu, impetuque vehementi fertur, ut comprobet hæresim Donatistarum: nempe, quòd quemadmodum hæretici non habent veram Scripturam, quia intelligentiam signatam non habent; sic etiam ab hæreticis baptizati & ordi-

ordinati non habent vera sacramenta, quia res sacras per sacramenta significatas non habent.

CAPUT VII.

Quòd peculiari quâdam ratione dicitur à Divo Augustino: ex sola Scriptura Sacra discutiendum quænam, & ubinam sit Christi Ecclesia.

SEd nunc transeamus ad alterum reprehensionis caput. Ait autem sic Horantius: *Ut tibi ultrò assentior, in eo quòd Augustinum imitatus, initio responsionis tuæ asseris, judicium de Christi Ecclesia, de ejus constitutionibus & traditionibus, ex Scripturis Sanctis esse petendum: ita profectò tibi reluctari cogor, quòd ex sola Scriptura peti debeat.* Fateor Horantium hactenus satis fideliter retulisse, quæ responsionibus meis continebantur: sed hoc loco non benè copulavit judicium de Ecclesia, cum judicio de constitutionibus & traditionibus Ecclesiæ: quasi ego dixissem, Judicium de his tribus, videlicet de Ecclesia, ejusque constitutionibus & traditionibus, ex sola Scriptura petendum: quia licèt de his omnibus mihi ab Aldegondo sit proposita quæstio, quemadmodum mihi objicit Horantius, attamen (sicut in mea responsione manifestissimum est) ego quæstionem de prædictis tribus simul propositam respondendo divisim, quod aut non advertit, aut dissimulat Horantius. Et principio quidem de sola Ecclesia ex D. Augustino dixi, quòd ejus judicium ex sola Scriptura peti debeat: de reliquis verò quæstionis partibus, videlicet de constitutionibus & traditionibus, post expeditas alias quæstiones de Ecclesia, brevissimam responsionem per se posui: quia priùs admonitus à Domino doctore Leonino, dum adhuc nobiscum esset, quòd valde expediret, ut Sanct-Aldegondum de Ecclesia Christi conarer instruere; omnino decreveram de sola Ecclesia cum illo seriò disputare. Et ut de hac tam necessaria quæstione, cum benevolentia ad cor ejus loqui possem, ad eum sanandum ex professo præmisi, quod de unitate Ecclesiæ ad sanandum Petilianum præmisit Augustinus, nempe ubinam & quænam esset Ecclesia, ex sola Scriptura petendum. Nam licèt Augustinus non utatur voce, *sola*; utitur tamen æquivalentibus, præsertim cap. 16. ubi ait: *Utrùm ipsi Ecclesiam teneant, non nisi divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant.* Sive enim dicat, non nisi; sive dicat, solis divinarum Scripturarum canonicis libris; idem omnino significat. Sicut etiam intellexit Dominus Tiletanus, in Apologia pro concilio Tridentino; & Dominus Tapperus, in articulo de Ecclesia, qui nondum est editus. Quia enim videbam Sanct-Aldegondum eodem prorsus morbo laborare, quo laborabat olim Petilianus, ideò peritissimum medicum imitatus, eodem conatus sum uti remedio. Petilianus enim veram Christi Ecclesiam non agnoscebat, quia dicebat eam esse perditorum conspirationem, ac proinde nec Concilia sacra, nec constitutiones, nec traditiones ejus recipiebat; sed solos libros sacros, quos per suos majores ab ignibus conservatos gloriabatur. Nonne eodem morbo laborat Sanct-Al-

degondus? Sed ne quis existimet vel D. Augustinum, vel me ejus imitatorem, dicendo judicium de Ecclesia ex sola Scriptura esse sumendum, aliquid voluisse detrahere traditionibus Apostolicis, Conciliis sacris, aut decretis Ecclesiæ, paucis aperiam cur videatur mihi D. Augustinus hoc peculiariter de isto fidei articulo dixisse, quod de aliis nec dixit, nec dici passus fuisset. Disputatio quâ quæritur quænam & ubinam sit Christi Ecclesia, propter eos instituitur, qui de illa malè sentiunt: Qui autem de Christi Ecclesia malè sentiunt, consequens est ut & de traditionibus, & de Conciliis, & de constitutionibus Ecclesiæ, doctorumque testimoniis, non satis reverenter sentiant. Ac proinde sola restat Scriptura Sacra, ex qua adversus eos disputari possit, ubinam & quænam sit Christi Ecclesia. Quæ cùm apertissima & innumera contineat testimonia, quibus id clarissimè ostenditur, (sicut de unitate Ecclesiæ, & alibi sæpiùs prosequitur Augustinus) ideò rectissimè dixit, ubinam & quænam sit Christi Ecclesia, non nisi ex Scripturis Sacris esse differendum, cum eis videlicet, propter quos ista instituitur disputatio, qui de Ecclesia malè sentiunt.

CAPUT VIII.

Quòd veritas quæ utiliter dicitur, non debeat reticeri propter malignantes, qui illam in judicium perversum trahunt.

SEd Sanct-Aldegondus hanc sententiam meam ex D. Augustino desumptam, in satis iniquum judicium trahit, quasi visus ei fuerim solam Scripturam, judicem constituisse omnium nóstrarum cum hæreticis litium. Quid est quod hæretici non depravant, ad suam ipsorum perditionem? Sed si bene dictum est quod depravatur; non est dicentis, sed depravantis culpa quòd veritas suo loco dicta, cernentibus bonis, ad iniquum judicium trahitur. Magnum etiam periculum est, cùm hæretici à nobis increpando nominantur impostores, & plusquam simulati discipuli, prout digni sunt tractandi, item deplorati & ingrati pulli in suam matrem recalcitrantes; ne hæc nomina, non tanquam increpationes criminum ex charitatis zelo profectas, & ad emendationem prolatas, sed potiùs tanquam irascentis & impatientis animi convitia, contra Dei præceptum; *nolite maledicere*; ad vindicandum dicta intelligant, & sic maledictis maledicta reponant. Et tamen non timemus, ne hæc & similia in iniquum judicium trahant; sed tantùm timemus, ne quod particulariter à Divo Augustino, propter certam utilitatem, de Christi Ecclesia verè dictum est absque ulla consequentia, generaliter de universa fide Christiana dictum ab hæreticis malitiosè accipiatur. Propter ignorantes & infirmos aliquando reticenda est veritas, etiam ubi alioqui utiliter diceretur. Sed
Matt. 15. de malignantibus ait Christus; *Sinite illos, quia cæci sunt, & duces cæcorum.* Unde etiam Apostolus, non ignorans in quàm iniquum judicium trahi possit
1 Cor. 9. quòd fiebat Judæis tanquam Judæus, iis qui sub lege erant quasi sub lege esset, iis

iis qui sine lege erant, tanquam sine lege esset: poterat enim putari, nunc esse Judæus, sub lege constitutus; nunc sine lege vivere, & sicut apud Judæos accusatus est, docere discessionem à lege: & tamen his non obstantibus, non solùm omnibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos; sed etiam hoc ipsum se factum esse gloriatur, dicens: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem: & factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, (cùm ipse non essem sub lege) ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem: iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, (cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos qui sine lege erant.* Quid igitur mirum, si ut Sanct-Aldegondum lucrifacerem, conatus sum ei fieri, quod olim ob eandem causam Petiliano factus est Augustinus? Sed ego in responsione ad epistolam Sanct-Aldegondi, non eum arguo, quòd sententiam meam, de Christi Ecclesia particulariter dictam, tanquam de doctrina & sacramentis generaliter pronuntiatam intulerit. Respondeo: Priusquam hanc responsionem dictarem, miseram ad eum responsionem ad cæteras ejus quæstiones, quæ erant de Venerabili sacramento: in cujus quidem responsionis initio præmittebam, in ejus epistola non deesse in quibus adhuc conferre deberemus, & Deo juvante, absque omni amaritudine & animi contentione conferremus, inter quæ ego istud unum intelligebam. Sed quia mihi omnino propositum erat, de Ecclesia Christi latiùs cum eo disserere, sicut facillimè potest ex verbis meis intelligi, quæ in eadem responsione subjeci, videlicet, *In primis autem me exhilaravit, quòd senserim tibi ostensum à Domino, quæstionem de Ecclesia versari circa unum ex præcipuis cardinibus, seu fundamentis nostræ Religionis:* & infrà: *Porrò sicut caput, quod nascendo positum est in ruinam, & in signum cui contradicetur, non tantùm à membris suis semper agnitum fuit & creditum; sed etiam suo tempore in terris visum, & à reliquis membris certâ fide discretum, dicendo:* Tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti; *sic etiam corpus Christi, seu manifestum ejus regnum, à Patriarchis & Prophetis semper creditum fuit, & ab iis qui post Christi ascensionem, misso Spiritu Sancto, Christi Evangelium toto orbe terrarum disseminaverunt, aut disseminari viderunt, usque in hunc diem semper visum fuit, & ab omnibus schismaticis certâ fide discretum, dicendo:* hæc est domus Domini, &c. Et in responsione ad objectiones Sanct-Aldegondi, paulò ante primam objectionem: *Hoc unum te suppliciter oro, optime Domine, quod & germanum fratrem, si tuo loco esset, etiam obnixè rogarem, ut diligenter expenso libello D. Augustini de unitate Ecclesiæ, prudentia tua consideret, an audeat confidere se esse in Christi Ecclesia, extra quam salus esse non potest.* Quia igitur omnino decreveram incumbere quæstioni de Ecclesia, in qua si mihi consensisset, facilè cætera obtinuissem; ideò reliquas quæstiones in aliud tempus differebam, ne vel importunâ aliquâ contradictione offensus, vel prolixitate scriptorum meorum fatigatus, collationem inter nos cœptam abrumperet, quam tamen postea (me dolente) bellum abrupit.

Actor. 11.
1 Cor. 9.
Objectio.
Solutio.
Matt. 16.
Joan. 11.

CAPUT IX.

Quòd errores hæreticorum faciliùs per partes expugnantur, quàm simul extirpentur universi.

Objectio. Illud etiam graviter accusatur, quòd in responsione ad epistolam ejus, nimis remissè & restrictè defenderim Concilia Patrum, additis restrictionibus, &c.
Solutio. Ad quod respondeo, quòd quia non statueram immorari quæstioni de Conciliis & Constitutionibus Ecclesiæ, donec pleniùs de Ecclesia disseruissem; ideò celeriter pertransiens, ea duntaxat obiter perstrinxi, quæ videbantur mihi non posse sine magna absurditate defendi: cujusmodi erat, quòd videbatur mihi Sanct-Aldegondus in sua epistola judicare, licere sibi pro arbitrio veterum testimonia & universa Concilia sacra dijudicare, an ex divino, an ex humano essent spiritu profecta. Contra quod dixi: quòd si quis conetur persuadere, veterum testimonia & decreta Conciliorum, præsertim antiquorum, quæ per multas annorum centurias à viris doctissimis atque sanctissimis ad Scripturas Sacras discussa, tanquam à Spiritu Sancto profecta, hactenus sine contradictione recepta sunt, posse leviter rejici; puto quòd non facilè excusabitur à contemptu eorum quos venerari convenit. Nam Conciliis generalibus etiam hoc accedit, quòd non immeritò existimentur continere sensum Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis. Restrinxi autem sermonem meum ad Concilia sine contradictione recepta, ne mihi aliò properanti quæstionem moveret de Concilio Ariminensi, Constantiensi, Basiliensi, & similibus, quorum nonnulla decreta à quibusdam in jus vocantur: sed ea saltem Concilia fixa teneret, de quibus non solent fideles movere quæstionem, ut jacto hoc fundamento, introitum haberem ad ingrediendum
Matt. 12. domum fortis, & demoliendum munitiones ejus, non statim simul universos ejus errores facto impetu undique oppugnando, & conando radicitùs evellere, sicuti à me requirit Horantius; sed paulatim nunc hanc, nunc illam partem expugnando. Considerabam enim Chusai Arachitem consilium dedisse
2 Reg. 17. Absalon, ut simul universos, qui ad Davidem quoquo modo pertinebant, conglobatis universis copiis à Dan usque Bersabee, uno impetu deleret; & si quam forte intraret civitatem, illam detraheret in torrentem, ut non reperiretur ne calculus quidem ex ea. Considerabam, inquam, Chusai hoc consilium dolosè suggessisse, non ad promovendam causam Absalonis, sed ad dissipandum consilium Achitophel, quod ad delendum Davidem utilius fuisse testatur Scriptura, quàm ipsius Chusai: universa enim simul oppugnando, facilè fit ut nihil expugnetur. Visum est adversùs epistolam Horantii pauca hæc cursim perstringere, ut intelligentioribus ostenderem, non statim secundùm Scripturas Sacras, debere desidiosum, & ad revocandum errantes infirmum reputari quicquid militarem fervorem, seu potiùs furorem non sapit: quia *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus; & infirma*
1 Cor. 1. *mundi elegit Deus, ut confundat fortia*; & placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes: unde illud Apostoli: *Nos stulti propter Christum,*
1 Cor. 4. *vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes.*

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM
PRÆCEDENTIS EPISTOLÆ.

Utiliter cum Apologia excudetur,

Ioh. Molanus censor.

MICHAELIS BAII APOLOGIA, PRO SUA AD MARNIXII OBJECTIONES RESPONSIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quòd hæretici vocentur Antichristi, quia licèt aliud profiteantur, tamen re ipsâ Christo & Ecclesiæ ejus sunt adversarii; sicut Antichristus suo tempore futurus est, non solùm re, sed etiam professione & nomine.



Um ante aliquot dies, ex Aquisgrano ad me missus esset libellus Antwerpiæ editus, quem inscripsisti: *Theses aliquot Theologicæ de Ecclesia, atque ecclesiasticarum traditionum κρατηρίω*: in quo conaris redarguere responsionem meam, ad quæstiones de venerabili Altaris sacramento, per te mihi nuper propositas, optime Sanct-Aldegonde; valde miratus sum, te in eo libello asserere, quòd edendo responsiones meas Lovanii, malâ fide tecum egerim, tibique atque veritati contumeliam fecerim, quòdque tuam responsionem tuaque omnia argumenta de re sacramentaria prorsus omiserim; cùm mundo manifestum sit, me ex responsione tua, objectiones seu argumenta tua numero duodecim collegisse, ac quantùm Deus pro tempore dedit, ex Scripturis Sacris (in quibus imprimis gloriaris) confutasse. Tuam autem Epistolam ad verbum prelo non commisi, quia sicut optimè nosti, (licèt id dissimules) publica potestas nunquam permisisset ut hîc ederetur epistola tua, quæ nihil nisi Calvinum sapit: cujusque author pertinaciter in eorum communione permanet, qui se palam in edictis publicis profitentur & nominant desertores Romanæ Catholicæ Religionis; quod nomen an aliqua hæresis unquam ante vos assumpserit, non memini me usquam legisse. Joannes 1. suæ epistolæ c. 2. omnes

1 Joan. 2.

omnes desertores Romanæ Catholicæ Religionis, qui ex nobis prodierunt, Antichristos vocat, quia licèt non profiteantur se hostes Christi & Ecclesiæ ejus, sicut aliquando facturus est Antichristus; attamen re verà sunt Christi & Ecclesiæ persecutores ac hostes, sicut suo tempore futurus est Antichristus. Sed quòd aliqua secta ante vos ad Antichristum tam propè accesserit, ut etiam desertoris seu persecutoris Romanæ Catholicæ Ecclesiæ nomen assumpserit, nondum videor mihi legisse; nisi quis fortè talem existimet esse sectam Mahumeticam, quam nonnulli arbitrantur, regnum & potentiam Antichristo præparare.

CAPUT II.

Quòd duæ sint causæ, cur epistola Sanct-Aldegondi non sit Lovanii edita.

DUæ igitur sunt causæ, cur ego epistolam tuam posteriorem Lovanii non ediderim. Altera, quam dixi, quia à potestate publica nunquam ad prelum admissa fuisset, sine qua tamen edi non poterat, sicut optimè nosti. Altera, quia nolebam argumentis Calvini, per te in ea epistola plausibiliter & apparenter propositis, eorum infirmitatem tentare, qui in Ecclesia Christi adhuc lacte fidei nutriuntur, nec tantum in rerum divinarum intelligentia profecerunt, ut seductorum laqueos observare queant & conterere; quibus libenter insidiantur hæretici, intendentes arcum, & parantes sagittas, *ut sagittent in obscuro rectos corde;* eos videlicet qui nondum intelligendo clarescunt, sed tantùm credendo recti sunt: quales nisi tu etiam te reperturum sperasses, puto quòd nunquam ea argumenta in publicum emisisses, quibus posteriori hâc tuâ responsione dicta mea redarguere conaris. *Psal. 10.*

CAPUT III.

Quòd eadem propositio, servatâ eâdem vocum omnium significatione, aliâ & aliâ intentione possit enuntiari.

QUis enim (non dico in re Theologica, sed in Grammatica, & Dialectica paulò instructior) non videat, quantâ absurditate, quàmque pingui rudique ingenio, sicut loqueris, seu potiùs mente amore proprii erroris excæcatâ, sic colligis: Ista enunciatio, hic ager est tuus: aut ista, tu es uxor mea; aliquando profertur intentione tantùm significandi id quod fuit, priusquam hæc oratio inciperet enuntiari: aliquando verò intentione faciendi ut ea prolata sit, quod per illam significatur. Igitur verbum substantivum, est, in illa positum bifariam accipitur; quia, ut ait Aristoteles, ea quæ sunt in voce, sunt earum quæ sunt in anima passionum notæ: quasi videlicet nulla passio, nulla intentio possit esse in anima loquentis, quin significetur vocibus ab *Lib 1. περὶ ἑρμ.*

 eo

eo prolatis. Et si quis dicat, hæc est soror mea: intentione celandi quòd sit uxor: sicut Pharaoni regi Ægypti, & Abimelech regi Geraræ de Sara dixit Abraham: & Isaac Palæstinis de Rebecca: aliud verò idem dicat intentione confitendi quod res habet, sicut ipse Abraham postea Abimelech regi Geraræ confessus est, dicens: *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ*; necessum sit ut toties varietur verbi substantivi, est, significatio, quoties aliò atque aliò refertur loquentis intentio, etiamsi hanc suam intentionem, quæ alia est, non tantùm nolit verbis aut signis indicare, sed etiam modis omnibus conetur abscondere. Videsne quàm plumbeum & obtusum sit argumentum, quod non ex Scripturis Sacris, sicut præfando quàm disputando libentiùs gloriaris, sed ex Aristotele desumptum, tibi acutulum sonabat? Quod argumentum infrà non omnino absurdè tendiculas appellasti, quibus me jactas indutum, quia insidias habent; sicut laqueus, quo improvidi capiuntur. Sed non minori negotio potuit dissolvi ac conteri, quàm à muscis majoribus solent aranearum telæ disrumpi. Sicut igitur priori tuâ responsione non rectè objecicisti, verbi substantivi (est) in aliqua enuntiatione positi, non posse unam & eandem esse significationem, si ea sententia aliâ & aliâ intentione proferatur: sic nec in hac responsione ex verbis Aristotelis rectè collegisti, quòd dicere enuntiationem aliquam, manente eâdem vocum omnium significatione, posse aliâ & aliâ intentione dici, nihil aliud sit, quàm dicere enuntiationem aliquam, idem significando non idem significare: quia quando una & eadem propositio aliâ & aliâ intentione profertur, non oportet eam intentionem, quæ alia & alia est, illâ enuntiatione significari, sed eam tantùm passionem quæ utrobique est eadem, ad quam significandam voces in propositione positæ sunt institutæ: quæ eadem passio potest apud utrumque enunciantem integra consistere, etiamsi ipsa enuntiationis pronuntiatio, à pronuntiante ad aliam atque aliam intentionem referatur. Quamobrem non rectè asseris, me aut prævaricatum esse, aut destruxisse quod asserui, aut simulasse me velle destruere quod affirmasti: videlicet, hæc duo inter se discrepare, nec conciliari posse: verbum substantivum (est) propriè significat substantialitatem; & propositio in qua idem verbum ponitur, aliquando enuntiatur intentione asserendi quod fuit, priusquam inciperet efferri: aliquando verò intentione faciendi, quod eâ propositione significatur. Nam ostendi hæc duo optimè inter se convenire, atque hanc Christi orationem: *hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*; proferri posse, & intentione asserendi quod priùs fuit quàm inciperet proferri, & intentione faciendi quod non fuit priùs, sed quod futurum expectatur, ubi enuntiata fuerit, absque ulla mutatione significationis verbi substantivi (est:) quia (ut dixi) ipsa passio, quæ vocibus propriè significatur, potest apud utrumque enuntiantem eadem consistere; etiamsi ipsorum enuntiantium alia atque alia sit enuntiandi loquendique ratio & intentio.

Genes. 12. & 20. Genes. 26.

CAPUT IV.

Quòd virtute hujus propositionis, hoc est corpus meum, *possit fieri, quòd per eam non significatur fieri, sed tantùm significatur esse.*

POtestque virtute hujus enuntiationis: Hoc est corpus meum: &, hic est sanguis meus: effici quòd per eam non significatur fieri, sed tantùm significatur esse. Si enim, sicut refert B. Joannes, ut Christus dixit: *Ego sum*, videlicet Jesus Nazarenus; Judas & qui cum eo erant abierunt retrorsum & ceciderunt in terram, prostrati verbis Christi nihil ejusmodi significantibus: quantò magis credendum est, verbis Christi effectum, quod, cùm priùs non esset, ipse verbis suis non quidem fieri (sicut debere prætendis) sed esse significavit, dicens: *Hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*; juxta illud Psalmistæ: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Nam dicere, est enuntiare: mandare verò, est imperare ut sit vel fiat quod dicitur aut mandatur. Christum autem dicendo efficere posse quicquid volebat, credidit Centurio, cùm ait: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Credidit & diabolus dicens: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*; quo non decet Christianum ad credendum Christi verbis esse tardiorem. Miror te non attigisse similitudinem, quàm in responsione mea his verbis posueram: Sicut Christus mandando multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eâdem significatione acceptis, tantùm præcipere solemus ut per alios fiant: ut, *surge, tolle grabatum tuum, & ambula: Lazare, veni foras: Respice*, &c. sic etiam per præsens enuntiando multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eâdem significatione acceptis, tantùm esse significamus. Sed fortè non invenisti quomodo verisimiliter assereres, aut in imperativis orationibus cum intentione imperantis, vocum significationem debere mutari, aut inter orationes imperativas & indicativas hanc diversitatem debere poni, quòd oratio imperativa possit aliâ & aliâ intentione efferri sine significationis vocum mutatione: enuntiativa verò minimè. Et ideò prudenter hoc argumentum, cui rationabiliter respondere non poteras, dissimulasti.

Joan. 18. Psal. 32. Matt. 8. Matt. 4.

CAPUT V.

Quòd Christus non tantùm mandando, sed etiam enuntiando, multa operatus esse legitur.

SEd ais te non diffiteri, Christum mandando multa fecisse, si mandatum referatur ad mentem ac voluntatem, & non ad magicam vim verborum, quæ tantummodò ad illam explicandam adhibentur: sed elumbe esse argumentum, à verbis mandandi, ad enuntiandi voces traductum. Sanè si Christus

ſtus mandando duntaxat, & non etiam dicendo ſeu enuntiando explicuiſſet voluntatem ſuam, quâ aliquid facere voluit & fecit, poſſes forſitan cuipiam videri aliquid dicere, præſertim non attendenti Pſalmiſtam iſta duo æquiparare,
Pſal. 32. dicere & mandare, cùm ait: *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Sed quia manifeſtiſſimum eſt, Chriſtum utroque modo voluntatem ſuam, quâ aliquid fecit, explicuiſſe, nempe dicendo ſeu enuntiando, & mandando: ideò: non tantùm in imperativis orationibus, ſed etiam in enuntiativis tibi agnoſcenda eſt Chriſti operatio. Sicuti enim cæco dixit,
Luc. 18. *Reſpice*; & hoc imperando viſum ei reſtituit: ſic etiam mulieri, & paralytico
Luc. 7. dixit: *Dimittuntur tibi peccata tua*; & hoc dicendo, ſuamque voluntatem e-
Matt. 9. nuntiandi voce explicando, peccata eis dimiſit. Sicut etiam intellexerunt increduli Phariſæi, dicentes: *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Et quem-
Joan. 11. admodum Chriſtus reſuſcitavit Lazarum imperando: *Lazare, veni foras*; Sic
Joan. 4. etiam dicendo regulo, *Filius tuus vivit*; & voluntatem ſuam enuntiativâ voce explicando, ſanavit filium ejus. Sicut ipſe fateris, dicens, quòd eo momento quo Chriſtus proferre incipiebat, filium ejus ſanavit virtute ſuâ divinâ, quâ voluerat filium reguli convaleſcere: ſive enim primo momento, ſive ultimo, quo hæc dicebat, filium reguli ſanaverit; attamen fateris, quòd ipſum ſanaverit divinâ ſuâ voluntate: quam voluntatem indicativâ voce regulo aperuit, dicens, *Filius tuus vivit:* ſicut intellexit, & credidit regulus, vadens domum, & à ſervis interrogans, quando meliùs habuiſſet. Nec huic veritati obſiſtit, quòd ſupra alio loco reſponſionis tuæ dicis, filium reguli, non vi illorum verborum, quæ merè indicativa ſunt, fuiſſe ſanatum, ſed virtute divinâ: quia licèt iſto alio loco videaris inter verba imperativa & indicativa diverſitatem ponere, quòd Chriſtus nihil operatus ſit vi verborum indicativorum, ſed tantùm vi imperativorum: attamen poſteriori loco reſponſionis tuæ, priùs à me citato, tui oblitus, ut apparet, idem dicis de verbis imperativi modi, quod priùs dixiſti de verbis indicativis, nempe quòd Chriſtus mandando multa fecit, ſi mandatum referas ad mentem & voluntatem, & non ad magicam vim verborum quæ ad illam explicandam adhibentur. Cùm igitur Chriſtus, ad explicandam voluntatem ſuam quâ aliquid fecit, non tantùm adhibuerit verba imperativi modi, ſed etiam indicativi, ſicut ſtatim oſtendimus; velis nolis, omnino tibi fatendum eſt, eum non tantùm verbis imperativis, ſed etiam indicativis multa feciſſe, ſaltem operationem tribuendo, non magicæ vi verborum (ſicut blaſphemans loqueris) ſed divinæ voluntati quæ Chriſti verbis indicatur.

CAPUT VI.

Quòd non ſit magica, ſed divina vis, quam Chriſtus verbis ſuis impertivit.

CÆterùm valde mirandum eſt, quâ fronte audeas aſſerere, magicum & Cabaliſticum eſſe commentum dicere, quòd Chriſtus verbis ſuis tribuerit vim operandi, mutandique elementa: cùm ex Scripturis ſacris manifeſtiſſi-

mum

mum sit, Dominum Moysi & Aaron mandasse, ut coram filiis Israël loquerentur ad petram; ac promisisse, quòd loquendo aquas de petra educerent; sicut de promissione Domini diffidentes, eduxerunt bis virgâ percutientes. Quin & ipse Christus in Evangelio, non tantùm tactu corporis aut vestis multos curasse legitur, sed etiam solis verbis: sicut ab eo petivit Centurio, cùm ait; *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* An potuit umbræ Petri, & sudariis à Pauli corpore delatis, vim sanandi tribuere; & non potuit verbis suis dare virtutem mutandi elementa, præsertim docente Scripturâ sacrâ, quòd in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo, & omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei: sicut etiam audivit Lazarus dicentem: *Lazare, veni foras?* Et quid ad D. Ambrosium de initiandis, & ad Scripturas sanctas ab eo productas respondebis? Qui ut ostenderet in hoc sacramento non esse quod natura formavit, sed quòd benedictio consecravit, quia *benedictione*, inquit, *etiam natura ipsa mutatur;* ex Veteri Testamento plurima adfert exempla, in quibus Deus variis actionibus vim tribuit mutandi elementa & substantias: *Virgam tenebat Moyses*, inquit, *projecit eam, & facta est serpens.* Rursus: *Apprehendit caudam serpentis, & in virga naturam revertitur. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu; subitò de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis cursus esse mutatam?* Et infrà: *Quòd si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantùm valuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti:* Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat; non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare quàm mutare naturas.* Audisne, Sanct-Aldegonde frater, quomodo D. Ambrosius dicens quòd verba Salvatoris operantur, quòd Sacramentum istud Christi sermone conficitur, quòd sermo Christi mutet species elementorum, & quòd ea quæ sunt mutet in id quod non erant, tuæ doctrinæ consentiat, quâ dicis, magicum esse commentum dicere, quòd Christus verbis suis tribuerit vim operandi, atque in sacramento Eucharistiæ nullam fieri naturarum mutationem, ipsumque panem ex hoc duntaxat fieri Sacramentum, quòd absque omni mutatione assumatur ad significandum Christi corpus; eo modo quo à mercatoribus adhibetur stramen, & vasi imponitur, ut vas significetur esse venale, quòdque peracto significandi usu, quod reliquum est panis, non sit ampliùs sacramentum, sed tantùm cibus restinguendæ fami idoneus: sicut stramen à vase venali sublatum non ampliùs est signum, sed tantùm substantia igni incendendo idonea & accommoda, sicut priùs fuit: nec istud tantùm asseris, sed etiam hoc doctrinæ tuæ mysterio, nullâ Scripturâ sacrâ productâ, contendis omnia disputationis meæ firmamenta corruisse.

Num. 20.
Matt. 8.
Actor. 5. & 19.
Joan. 11.

CAPUT VI.

Quòd enuntiationes quibus aliquid efficitur, non ipso momento quo pronuntiari incipiunt, sed eo quo pronuntiatæ sunt, suum effectum consequantur.

SUbdis in tua responsione: exempla Scripturæ sacræ per me proposita, ut ostenderem unam & eandem enuntiationem, servatâ eâdem vocum significatione, posse aliâ & aliâ intentione efferri, videlicet: *Filius tuus vivit:* &, *mulier, ecce filius tuus*; cum nostro argumento nihil habere commune, eo quòd nullam significent transmigrationem substantiæ in substantiam, sed tantùm accidentis in accidens: quæ ratio videtur veluti à somniante omnino extra causam adducta. Quia ut eadem oratio, servatâ eâdem vocum significatione, aliâ & aliâ intentione dicatur, non est opus ut aliquam mutationem significet, sive substantiæ in substantiam, sive accidentis in accidens, sed tantùm requiritur, ut alio atque alio fine efferatur. Cæterùm quo argumento movearis, ut
Joan. 4. contendas Christum dicendo regulo: *filius tuus vivit*; non eo momento quo orationem suam complevit, sed primo momento quo eam pronuntiare incœpit, filium reguli curasse in scriptis tuis non reperi. Si vir animo ducendi uxorem, mulieri dicat, Tu es uxor mea: & illa vicissim viro dicat, Tu es vir meus; secundùm Jurisconsultos, non eo momento quo vir & mulier loqui incœpissent, sed quo sermonem complevissent, facti essent conjuges. Nam si ambo supradictum suum sermonem inchoassent, & non complevissent, non fuissent facti conjuges. Sicut etiam Judas cum suis, non ipso momento quo Christus cœpit dicere: *Ego sum*; sed eo quo complevit sermonem suum, verbis Christi in terram prostratus esse legitur. Ex quibus sequi videtur, quòd orationes quibus aliquid efficitur, non ipso momento quo pronuntiari incipiunt, sed eo quo pronuntiatæ sunt, suum effectum consequantur. Sed esto, ut eo momento quo Christus hæc verba pronuntiare incipiebat; *filius tuus vivit*; sanus factus sit reguli filius, sicut tu prætendis: cur non similiter fateris, eo ipso momento, quo Christus verba ista proferre incipiebat: *Hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*; panem & vinum, quæ cùm accipiebat nondum mutata erant, tunc cùm hæc diceret in corpus & sanguinem Christi fuisse conversa, non vi verborum quæ Christus protulit, sed occultâ voluntate divinâ, quam verbis istis indicavit, & sic veritatem accepisse Christi verbum, quo dixit: *Hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*; sicut veritatem accepisse prætendis quod dixit regulo: *filius tuus vivit*? An quia oculis cernebatur, quòd Christo dicente: *filius tuus vivit*; ipse reguli filius ex ægro sanus efficiebatur: quòd verò Christo dicente, *hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*, nullo sensu percipiebatur, quòd panis & vinum in corpus & sanguinem Christi convertebantur, ideò illud credis, istud verò non credis? Si tibi visum fuerit, veritatem & verborum Christi intelligentiam corporeis sensibus metiri, noli igitur credere, quòd dicente Christo mulieri & paralytico: *Dimittuntur*

tibi

tibi peccata tua, verè remiſſa ſunt eis peccata: ſicuti nec crediderunt Judæi, dicentes: *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* quia nec hoc ſenſu aliquo corporeo poterat dijudicari. Noli etiam nobis improperare, quòd univerſam tranſſubſtantiationis molem, ſoli externorum ſenſuum judicio ſuperſtruimus, cùm relictis corporeis ſenſibus, ipſam ex ſolis Chriſti verbis aſtruimus: ſed fatere, quòd habet rei veritas, univerſam tuam infidelitatem, quâ corpus & ſanguinem Chriſti negas tremendo Altaris ſacrificio contineri, ex eo provenire, quòd magis fidas & inhæreas phantaſiæ, quam ex ſenſuum exteriorum judicio concipis, nempe quòd in pane & vino, per Chriſti benedictionem, nulla ſit facta mutatio; quàm credas verbis Chriſti in ſacra Scriptura manifeſtiſſimè contentis, quibus ait: *Hoc eſt corpus meum*, &, *hic eſt ſanguis meus*. Nam alicubi objicis contra tranſſubſtantiationem, non oculos tantùm, ſed manus, linguam, palatum, & denique ventriculum ipſum meris præſtigiis deludi. Alibi verò dicis, quòd panem eſſe omnes ſenſus judicent, natura doceat, ortus convincat, forma teſtetur, color, figura guſtus, omnes denique circumſtantiæ, atque omnia planè accidentia manifeſtè produnt. An non hîc manifeſtiſſimè omnium ſenſuum exteriorum imploras judicium, quo errorem tuum contra Chriſti verba confirmes: & interim nobis improperas quòd tranſſubſtantiationem ſoli externorum ſenſuum judicio ſuperſtruimus? Sed hoc tibi familiare eſt, aliis impingere & improperare, quod ipſe machinaris & facis, ut ſub accuſatione aliorum poſſis artes tuas abſcondere.

C A P U T VIII.

Quòd Chriſtus dicens matri ſuæ de Joanne: hic eſt filius tuus; *Joannem verè adoptaverit in Mariæ filium.*

CIrca alterum exemplum Scripturæ ſacræ à me productum: *Mulier, ecce filius tuus*; ut refellas, quod dixi, Chriſtum verbis ſuis adoptaſſe Joannem in Mariæ filium, ſic ratiocinaris: Chriſtus non agebat Juriſconſultum, cùm hæc diceret: igitur non adoptabat Joannem in Mariæ filium: ſed mœrentem matrem, Joannis præſentiâ, quaſi quâdam ſui abſentis imagine ſolabatur, planè quemadmodum ſacramentum ſui corporis in cœlum aſſumpti, vult haberi à nobis. Ubi nimis manifeſtum eſt, te eâdem licentiâ, quâ in aliis Chriſti verbis, per corpus & ſanguinem Chriſti, ſiniſtrâ interpretatione intelligis corporis & ſanguinis Chriſti ſignum, ut veritatem ſupprimas: ſic etiam in iſtis per matrem & filium, velle intelligi matris & filii ſymbolum, idque tam ridiculo argumento ut pudeat referre. Sic enim colligis: Chriſtus non agebat Juriſconſultum, cùm hoc diceret; igitur non adoptabat Joannem in Mariæ filium, ſed illum tantùm conſtituebat ſui abſentis ſymbolum. Obſecro te, an Jacob Juriſconſultum agebat, quando dicebat filio ſuo Joſeph: *Duo filii tui qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt, Ephraim & Manaſſes; ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi: reliqui autem quos genueris poſt eos, tui erunt, & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis?* An Chriſtus Juriſconſultum agebat, quando nos in filios adoptabat, ut confidenter Gen. 48.

ter

ter dicamus: *Pater noster, qui es in cælis?* An verò solùm constituebat nos,
Joan.1. unigeniti filii sui symbolum, ut non veritate, sed tantùm imagine & nomine simus filii & hæredes Dei, cohæredesque Christi? Et quando potentes aut Principes legitimo hærede destituti, quempiam adoptant in filium, ut futurum hæredem videant & instituant, nunquid ipsi Jurisconsultos agunt? an tantùm aliquid faciunt, de quo cognoscit Jurisconsultus, rectè ne an secus factum sit? Sicut & ipsi mercatores, quando emendo aut vendendo contractus ineunt, de quibus an justi sint ac rati disputant Jurisconsulti, non usurpant sibi quod est Jurisperitorum, sed tantùm excercent quod est mercatorum. Miror an nondum videas, quàm ridiculis argumentis movearis, ut Scripturas sacras pro tuo arbitratu, contra propriam verborum significationem, in sensum sibi placentem transformes, dicendo Joannem non factum esse Mariæ virginis filium, quando Christus dixit: *hic est filius tuus*; sed tantùm filii symbolum, quia Christus tunc non agebat Jurisconsultum.

CAPUT IX.

Quòd verbum substantivum, est, etiam juxta Sanct-Aldegondum, propriâ & genuinâ significatione designet substantiam.

SUbdis te haud intelligere, unde suspicari potuerim, nos in eo consentire, quòd verbo (est) utrique tribuamus substantialitatis significationem, cùm tu scripseris ejus unam & simplicem esse significationem, nec semper significare substantiam, sed aliquando qualitatem, aliquando quantitatem, aliquando relationem. Si attendisses quid ego sextæ tuæ objectioni responderim, proculdubio intellexisses & in his tuis verbis quibus ais, verbi (est) unam & simplicem esse significationem, & aliquando significare substantiam, aliquando qualitatem, aliquando quantitatem, te tibi ipsi apertè contradicere, quia non potest ejus vocis simplex & una esse significatio, quæ aliquando significet substantiam, aliquando quantitatem, &c. sed multiplex. Et etiam intellexisses, quare suspicatus sum te mecum sentire, propriam & genuinam verbi (est) significationem esse, ut substantiam designet: Videbam ex verbis tuis te velle sequi Aristotelem lib. 4 Metaph. cap. 1. ubi docet id quod est, multipliciter quidem dici, eo modo quo verbis tuis explicas, sed ad unam quandam naturam, sicuti omne sanum ad sanitatem dicitur, inquit. Ex quo collegi, quòd quemadmodum sanum propriâ & genuinâ significatione designat id quod habet in se sanitatem, analogicè verò id quod significat aut quod efficit sanitatem: sic etiam quòd verbum (est) secundùm tuam sententiam, propriâ & genuinâ significatione designet substantiam, analogicè verò quantitatem, qualitatem, & cætera suprema rerum genera; licèt per inanimadvertentiam & propriam sententiam non considerans, adjunxeris, verbi (est) unam & simplicem esse significationem. Deinde considerabam te mecum dissentire de verbo (est) posito in hac oratione: *Hoc est corpus meum*, &, *hic est*

sanguis

sanguis meus; in qua attributum, *corpus meum*, &, *sanguis meus*, substantiam significat. Jam verò (sicut etiam in hac tua responsione asseris) explicatio seu significatio verbi substantivi (est) sumenda est ex natura & ratione attributi. Cùm itaque attributum ejus sententiæ de qua differebamus, propriissimè substantiam significet, nec alicubi, quantùm meminisse possum, inveniatur significare accidens, quod prætendis; quid aliud suspicari poteram, quàm te juxta tuum Aristotelem mecum sentire, verbum substantivum, est, propriè & in ea sententia de qua differebamus, significare substantialitatem? Sed tandem in hac tua responsione confiteris, quòd hactenus ex labiis tuis extorquere non potui, nihil planè interesse, utrùm interpreteris, hoc est corpus meum, id est, hoc est signum corporis mei, posito nimirum tropo in voce, corpus, ut non significet substantiam, sicut priùs intelligebas, sed ad aliquid: an potiùs, hoc representat corpus meum, posito tropo in verbo, est. Id quod si priùs dixisses, non à te petiissem Scripturam sacram, quâ doceres, verbum substantivum (est) tropo novo accipi pro esse sacramentaliter, præsertim cùm simul diceres, ejus simplicem & unam esse significationem: sed tantùm postulassem Scripturam sacram, in qua nomen, corpus meum, tropo significet signum corporis Christi: quod quia non magis invenire potes, quàm ubi verbum substantivum (est) tropo novo ponitur pro esse sacramentaliter, aut pro significat; ideò adhuc in luto hæres, sicut ibi sum prosecutus.

CAPUT X.

Quòd Sanct-Aldegondus non de hoc attributo, corpus meum; sed de verbo substantivo, est, quæstionem proposuerit, An significaret substantialitatem, ut obscuritate quæstionis suam sententiam tegeret.

CÆterùm cùm nihil intersit, sive vos pro vestro arbitratu, citra omnem Scripturam sacram, & contra omnium rectè sentientium intelligentiam, tropum constituatis in verbo, est, ut accipiatur pro esse sacramentaliter; sive in nomine (corpus meum) ut significet tantùm corporis Christi signum: quid est, quòd quæstionem tuam tam studiosè, seu potiùs tam insidiosè proposuisti, interrogans quo argumento doceatur, in hac circumstantia sermonis, *hoc est corpus meum*, verbum (est) significare substantialitatem: & de nomine (corpus meum) nihil omnino quæsisti, an significaret substantiam, an verò ad aliquid? cùm non ignorares, sicut hac responsione ostendis, significationem verbi substantivi, est, ex attributo esse desumendam; & quòd, si constaret an attributum substantiam significaret, an verò aliud quippiam, tunc nulla omnino restaret quæstio, quid ipsum verbum, est; significaret? Quid est, inquam, quòd me tam abstrusâ quæstione aggressus es, pro substantia ponens substantialitatem; & de verbo proponens, quod non solet nisi de attributo differi; nisi ut me insolitâ & hactenus inauditâ quæstione turbares,

ac sententiæ tuæ venenum absconderes? Quam vulpis astutiam, ut in quæstionibus tuis minùs attenderetur, tu tibi tui facti conscius, in meam responsionem derivare conaris, dicens, quòd secundo capite responsionis meæ, vitium argumentationis ambiguitate verborum, panis consecrati & benedicti, conatus sum involvere: & infrà: *Video te* (inquis) *propterea quòd verearis dicere id quod sentis, nimirum antea fuisse panem, postea non panem, pro corpore succenturiare panem consecratum.* Et rursus: *Quæsivi*, ais, *an verbum*, comedite, *construatur cum substantia panis, an cum substantia corporis. Hic tu mihi candidè respondisse debuisses.* Respondeo: Relege verba mea quibus principio respondi ad quæstionem quâ quærebas, An pronomen, hoc, (in hac oratione, *hoc est enim corpus meum*) aliud significet quàm idipsum quod uno ore omnes Evangelistæ testantur: & alia, quibus, respondens objectionibus tuis, ostendi secundam contradictionem per te in mea responsione prætensam, non esse contradictionem, sed claræ & irrefragabilis veritatis assertionem; & invenies non tantùm candidam & apertam responsionem ad quæsita tua, sed etiam manifestam vanitatem, & falsitatem eorum quæ mihi hîc impingenda putasti. Verba quibus initio respondi quæstionibus tuis, sic habent: „His, inquam,
Cap. 26. „quæstionibus facile est ex dictis respondere: Nam *cœnantibus Apostolis* (in„quit Matth.) *accepit Jesus panem*, usitatum videlicet, quia ibi alius panis non „erat, & eundem panem benedixit: sed quod fregit, deditque discipulis suis „dicens, *Accipite & manducate*; non fuit panis usitatus, sed benedictus, & „benedictione in corpus ejus mutatus, sicut ipsemet Christus testatur dicens: „*Accipite, & manducate, hoc est corpus meum.* Non enim ait, accipite panem, „& comedite panem, sicuti priùs de ipso ait Evangelista, *Accepit Jesus panem:* „sed ait, *accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Jussit ergo ut acciperent, „& comederent, non panem usitatum, de quo priùs locutus est Evangelista, „dicens: *Accepit Jesus panem*; sed panem benedictum, de quo ait, *hoc est cor„pus meum:* jam videlicet ex pane, benedicendo confectum. Non minùs manifesta sunt verba mea quæ sequuntur in eadem responsione, & quæ postea disserui circa tuam secundam objectionem: quæ verba si velim repetere, & veluti novâ disputatione illustrare, ut omnibus sit manifestum me clarissimè respondisse, verbum Christi, *comedite*, non construi cum nomine panem, quod præcesserat, ubi ait Evangelista: *Accepit Jesus panem*; quodque significat veram panis substantiam; sed cum nomine, *corpus meum*, seu cum nomine subintellecto, panem benedictum, quod non panis usitati, sed Christi corporis substantiam significat; quis non existimabit me insanire, cùm manifestiora sint quæ tunc dixi, quàm quæcunque adducere possim? Non miror quòd perfrictâ fronte Scripturas sacras & Patrum dicta tibi repugnantia, à parte tua stare jactites, quando me viventem, loquentem, & quibus possum verbis, servatâ Christianâ modestiâ, tuis erroribus resistentem, non erubescis asserere, aut simulare, aut sententiam meam velut in nebula velle abscondere, eo quòd alludens ad verba Scripturæ sacræ, panem benedictum semel atque iterum nuncupaverim, &, sicut loqueris, tanquam crambem bis positam fastidiosè inculcaverim. Miror tamen tibi tam fastidiosum esse, audire verba Christi & Apostolorum in Scripturis sacris expressa, quibus ajunt Christum

ſtum benedixiſſe panem; ex quibus ſolis te diſſerere velle præfaris; cùm neque tædioſum, neque faſtidioſum tibi eſſe videatur, reſponſionem tuam ſuffarcire verbis Ariſtotelis, primùm quidem Græcè poſitis, ac deinde etiam in linguam Latinam converſis. Nec eſt quòd calumnieris, me horum verborum obſcuritate voluiſſe abuti, cùm apertiſſimè expoſuerim, quid per panem benedictum intelligerem; bis interpretans, panem benedictum eſſe corpus Chriſti, benedicendo ex pane confectum. Et in reſponſione ad objectiones tuas dixi panem benedictum ampliùs panem non eſſe, ſed in corpus Chriſti eſſe mutatum; ſicut aqua in vinum mutata, non ampliùs eſt aqua, ſed vinum. Quid vis apertiùs dici, ut non ſit tibi faſtidio quod profertur ex Dei verbo? Sed forſitan tibi faſtidioſum eſt audire quòd Chriſtus panem benedixerit; quia omnibus aliquid Chriſtiani ſenſus retinentibus, hoc audito, ſtatim occurrit Chriſti benedictionem non poſſe eſſe inanem, cùm Dei benedicere ſit benefacere, ſicut oſtendit Scriptura quæ ait: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Nam & ipſum Dei maledicere, magnum effectum habet, ſicut patet in terra, in ſerpente, in ficu, & aliis quibus maledixit Dominus. Tu verò Chriſti benedictioni, quâ benedixit panem, nullum omnino effectum tribuis, nec circa panem ac vinum Chriſti benedictione aut verbis ullam mutationem fieri exiſtimas; ſed tantùm doceri quòd quemadmodum quiſpiam forum prætereiens, cernenſque ſtramen vaſi impoſitum, poteſt abſque omni mutatione ſtraminis dicere: Hoc ſtramen vaſi impoſitum ſignificat hoc vas eſſe venale, quamdiu ibi relinquitur: ubi verò ſublatum fuerit, ampliùs ſignum non erit: Sic etiam Chriſtus panem diſcipulis ſuis diſtribuens, dixerit: hic panis eſt corporis mei crucifixi ſignum, quamdiu ad hoc ſignificandum diſtribuitur; ſed hâc diſtributione completâ, ſi quid ex illo ſuperſit, non ampliùs erit alicujus rei ſignum, ſed tantùm ſubſtantia reſtringendæ fami idonea. Saltem id Chriſti benedictioni tribueres, quod benedictioni cibi, qui fidelibus cum gratiarum actione percipitur, tribuit Apoſtolus dicens: *Quod ſanctificatur per verbum Dei & orationem.* Nam hæc ſanctificatio abſque omni mutatione non fit, & non ſtatim deſinit, ubi deſinit cibi perceptio. Nec benedictionis Chriſti verba ſic in ventum doceres effluere, ut nullum omnino effectum circa panem eis tribueres, ſed tantùm circa aures ac mentem audientis, ut credat Chriſtum circa panem ſuâ benedictione ac verbis nihil efficere, ſed tantùm præſentibus diſcipulis id dicere, quod ſine Chriſti præſidio aut mandato, à quovis alio æquè fieri poterat, nempe ut panis uſitatus diſtribueretur fidelibus, ad ſignificandum & in memoriam revocandum, quòd Chriſtus pro noſtra ſalute eſſet crucifixus.

Chriſti benedictio non eſt inanis. Galat. 3. *1 Tim. 4.*

Hæc ſunt tuæ ſapientiæ myſteria, ſeu potiùs incredulitatis tuæ præſtigia, quibus non meæ diſputationis firmamenta (ſicut gloriaris) ſed fidei ac ſalutis tuæ fundamenta ſubvertis, & Manichæorum errorem adjuvas, dicentium quæcunque de corporis Domini veritate dicuntur, ad phantaſiam & ſimilitudinem eſſe referenda; ſicut ad octavam tuam objectionem, priori reſponſione tibi objeci, ad quod ne verbum quidem reſpondiſti.

CAPUT XI.

Quòd Christus præcipiens venerabilis sacramenti dispensationem fieri in sui memoriam, non negavit sui corporis & sanguinis præsentiam.

Objectio. POst hæc sic argumentaris: Christus præcepit, ut quotiescunque id fecerimus, in sui memoriam faciamus: igitur in sacramento eucharistiæ non est *Solutio.* Christi præsentia, sed memoria. Respondeo Christum jussisse benedictionem, fractionem & sumptionem hujus Sacramenti, in sui memoriam fieri: Sed numquid negavit præsentiam, cùm dixit: *hoc est corpus meum*, &c, *hic est sanguis meus?* Ad id verò quod ex sexto capite Evangelii Joannis & commentario D. Augustini objicis, sicut ad octavam tuam objectionem priùs respondi, nihil aliud dico, quàm D. Joannem ejusque commentatorem D. Augustinum, eo capite non agere neque de signis hujus Sacramenti, neque de iis quæ sub signis continentur, sed tantùm de Christi incarnatione & morte, quæ ab initio mundi omnium electorum salutem & vitam est operata: ad quam mortem significandam & commemorandam, in novissima cœna institutum est sacræ Eucharistiæ mysterium: & ideò ubi de signis hujus Sacramenti agitur, aut de iis quæ sub signis contineri dicenda sunt, non est ad hoc caput recurrendum, in quo nulla fit mentio signorum hujus Sacramenti, sed tantùm ad ea Evangeliorum & Epistolarum D. Pauli loca, quibus hujus Sacramenti institutio describitur. Quòd verò jam dicto cap. 6. Joannis Christus se panem nuncupat, non ad aliquod hujus Sacramenti signaculum, aut ad panis substantiam referendum est; sed ad effectum, quo Christi incarnatio, mors & resurrectio ab initio mundi vitam credentibus tribuit: ob quem effectum, Christi caro panis dicitur: panis enim verus est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, etiamsi hujus Sacramenti signorum nulla unquam facta esset institutio. *Joan. 6.* Juxta quem sensum etiam dicit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

CAPUT XII.

Quòd carnem Christi integram & illæsam manducare non sit facinus, sed tantùm dentibus laceratam.

UT probes verba Christi apud Joannem, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* non debere ad litteram, sed secundùm tropum accipi, dicis D. Augustinum definire facinus esse, humanam carnem, quocunque modo, sive integram, sive laceratam manducare. In his Christi verbis, *nisi manducaveritis*, &c. tropum esse, diligenter ostendimus responsione ad octavam tuam objectionem: non quidem in verbo (carnem & sanguinem filii hominis) sicut prætendis, ut in-

de

de colligas etiam in verbo, *corpus meum*, &, *sanguis meus*, tropum esse, cùm ait Christus, *hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*; sed tantùm in verbo, manducare, quod hîc non significat ore sumere & deglutire, sed tantùm significat ex vera Christi carne vitam accipere; sive id fiat per solam fidem, sicut quidam existimant Abraham aliosque Patriarchas credendo duntaxat carnem Christi manducasse, juxta illud Augustini, *Crede & manducasti*; sive ex fide offerendo sacrificium, aut suscipiendo Sacramentum, nempe circumcisionem, baptismum, aut etiam absolutionem Sacerdotis. Agit enim Christus de spirituali manducatione, sive ea fiat sine sacramentis, sive cum sacramentis; non autem de sumptione sacramenti Eucharistiæ, aut corporis Domini sub eo sacramento contenti, quod Sacramentum tunc nondum institutum fuit. Cæterùm quod assumis, D. Augustinum definire facinus esse, humanam carnem sive integram sive laceratam manducare, ut velut aliud agens, minùs attento lectori instilles & persuadeas Augustinum docere facinus esse manducare carnem Christi integram sub speciebus panis; nescio unde didiceris: cùm D. Augustinus non integræ, sed tantùm laceræ carnis mentionem faciat, quam lacerando manducare (præsertim in Christo, cujus umbram in Saul David non est ausus contingere) sine dubio facinus esset, contra præceptum: Non occides; sed integram Christi carnem sumere, non magis facinus est Christiano, quàm beatæ Virgini fuit, eam integram concipere, & in utero suo alere: quia sicut beata Virgo integram Christi carnem concipiendo, & alendo in utero, sine cujusquam injuria, vitam temporalem illi tribuit: Sic quivis fidelis, carnem Christi integram sub speciebus panis manducans, hîc vitam spiritualem, & in resurrectione etiam corporalem, absque alicujus injuria sibi acquirit, sicut testatur Cyrillus super Joan. Nihil igitur hîc attulisti, ex quo probare queas, verba, *corpus meum*, &, *sanguis meus*, secundùm tropum debere accipi, cùm ait Christus: *Hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*; sed tantùm alio verborum ordine repetivisti argumentum, cui circa octavam tuam objectionem priùs abundè responsum fuit: videlicet tropum non esse in nomine, carnem meam; sed in verbo, manducare, ut dictum est: ubi verò de sacramento Eucharistiæ aut Christi corpore sub eo contento disseritur, non sunt producenda verba Scripturæ sacræ apud Joannem capite sexto, ubi tantùm de eo effectu agitur, cujus ab initio mundi semper participes fuerunt omnes fideles, etiam priusquam aliquid nossent de hoc Sacramento; sed ea proferenda sunt, in quibus describitur ejus institutio, sive apud Evangelistas, sive apud Apostolum Paulum; nisi fortè ut probes nomina hæc, corpus meum, caro mea, sanguis meus, in Scripturis sacris secundùm tropum accipi; quod non magis hoc sexto capite Joannis, quàm alibi reperisti.

CAPUT XIII.

Quòd non sint neganda Christi verba, aut ad insusitatum & insuetum loquendi modum detorquenda, etiamsi sine miraculorum assertione defendi non possint.

Objectio. SUbdis non esse confingenda miracula, ut prætextu omnipotentiæ divinæ, absurdam metamorphosim architectemur: quam omnipotentiam postea di- *Responsio.* cis à nobis pro velo erroris obtendi. Fateor non esse confingenda miracula, ut citra doctrinam Scripturarum sacrarum, sententias à nobis excogitatas defendamus. Sed addo non esse neganda Christi verba, aut ad insolitum & inusitatum loquendi modum detorquenda, sicuti facere solent increduli, etiamsi sine miraculi confessione eorum veritatem tueri non possimus. In qua re maximè eminuit Abrahæ fides, qui fidelem credidit eum qui promiserat, etiamsi neque sine miraculo fieri posse existimaret quod promittebatur, neque tamen sciret per quod miraculum adimpleretur, quod eum promisisse & facturum *Hebr. 11.* esse non dubitabat. *Cùm enim tentaretur, unigenitum offerebat* (inquit Apostolus) *in quo susceperat promissiones, ad quem dictum est:* In Isaac vocabitur tibi semen; *arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus, & sic contra spem in* *Rom. 4.* *spem credidit*, inquit Apostolus. Si vis igitur inter filios Abrahæ computari, indubitànter crede, quod ait Christus: *hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*, etiamsi non ignores id sine miraculo esse non posse. Et noli humanis rationibus & absurditatibus conari evertere, quod neque in divina sapientia potes comprehendere: neque in humilitate & mansuetudine Christiana vis credere: sed præsuppositâ verbi Dei veritate, in quo tantopere gloriaris, consequenter rationem, ut potes, inquire quomodo effici possit quòd ex Christi *Hebr. 11.* verbis fieri oportere non licet dubitare: sicut inquisivit Abraham, cogitans quia & à mortuis suscitare potens est Deus, licèt non illo, sed alio modo impleverit Deus quod promisit. Inquisivit & beata Virgo, cùm ait. *Quomodo* *Luc. 1.* *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & noli inquirere sicut inquisivit Zacharias, metuens non futurum quod per Angelum suum promittebat Deus: quia modum quo impleretur non inveniebat. Sed sicut de salute animarum, quam futuram prævidebant, requisiverunt atque scrutati sunt Prophetæ, scrutantes in quod vel in quale tempus significaret in eis spiritus Christi, sicut 1 Petri 1. *1 Petr. 1.* dicitur. Certum est quòd cœnantibus discipulis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Sed quo ordine hæc facta sunt, quia in Scripturis sacris quædam interdum præoccupantur, quædam verò recapitulando narrantur, & quibus factis aut non factis miraculis hæc vera facta sint, quia in Scripturis sacris non exprimitur, ideò ab humilibus & mansuetis scriptoribus, sine veritatis præjudicio, ad satisfaciendum curiosis & incredulis hominibus, non immeritò ratione inquiritur. Ego ut aperiam quod mihi videtur, hunc ordinem & hanc rerum agendarum rationem servatam arbitror: accepit Jesus panem usita-

usitatum, qui mensæ appositus erat in cibum, eumdem panem benedixit, dicens: *Hoc est corpus meum*, & benedicendo in suum corpus convertit, sic ut ibi non esset ampliùs substantia panis, sed in ejus locum succederet Corporis Christi substantia. Deinde fregit, panem videlicet jam benedictum, & benedictione in corpus Christi conversum & dedit discipulis edendum.

CAPUT XIV.

Quòd Christi corpus in sacra Eucharistia, non ratione propriæ quantitatis, sed ratione quantitatis ex pane relictæ in partes frangatur.

SEd hìc insurgit difficultas, ex cujus obscuritate conaris intelligentiæ verborum Christi tenebras offundere, quid in pane per Christum benedicto frangi potuit. Nam substantia panis, quæ jam per benedictionem esse desierat, frangi non poterat, similiter nec substantia corporis Christi, ut apparet, quia facinus fuisset illam in partes dividere. Restat igitur, ut fracta & divisa sit panis magnitudo post benedictionem relicta, quæ modum & formam suam retinuit, & per se divisibilis est, sicut color visibilis. Nam quod ais colorem à substantia divulsum videri non posse, etiam tuo Aristoteli contrarium est, qui docet colorem per se visibilem, substantiam verò sub colore latentem, non nisi ratione coloris. Cùm itaque panis magnitudo post benedictionem integra permanserit, & suum modum ac formam servaverit, ipsa per se, & immediatè à Christo divisa est: ipsum verò Christi corpus sub ea contentum, per accidens divisum est, non quidem eo modo quo divisum fuisset, si ratione quantitatis propriæ divisum fuisset, quia tunc sub parte quantitatis contenta fuisset & pars substantiæ corporis ejus, & non tota corporis Christi substantia sub qualibet parte magnitudinis: sed sic divisa est, ut & sub tota panis magnitudine, & sub qualibet ejus parte fuerit tota corporis ejus substantia, & tamen eo modo fracta & divisa, ut pluribus distribueretur, & locis distinctis sub diversis quantitatis partibus esse dignosceretur. Ideò autem non dividebatur ibi Christi corpus ratione suæ magnitudinis, sibi accidentaliter inhærentis, quia hæc magnitudo ibi modum suum & formam non habebat, sine quibus non est divisionis capax. Hæc dicimus non miraculorum portenta confingentes, ad sustentandam transsubstantiationem, sicut nobis impingis; neque transubstantiationem in sensuum judicio constituentes, sicut absque omni ratione & apparentia confingis: sed ad imitationem Sanctorum, quibus Deus per angelos locutus est, primum quidem fidei nostræ fundamentum & infirmitatis subsidium, divinam omnipotentiam statuentes: deinde exquirentes modum, quo vera esse possint Christi verba, quibus accepto pane ait, *Hoc est corpus meum*; quæ dubitare non possumus esse verissima, etiamsi veritatis modum ignoremus. Sic enim credidit Abraham, quod in Isaac vocaret sibi semen (etiamsi jubente Deo illum immolaret) arbitrans quia & à mortuis potens est *Heb. 11.*
Deus suscitare: licèt hunc modum non elegit Deus, ut diximus. Credidit &

beata

Luc. 1. beata Virgo, cùm ait: *Quomodo fiet istud*, &c. Similiter & Prophetæ, scrutantes in quod vel in quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. 1 Petr. 1. Quòd si tibi alius modus occurrit, quo verum esse possit, quod ait Scriptura sacra, Christum id fregisse, de quo ipse veraciter ait, *hoc est corpus meum*; non admodum tibi reluctabimur, modò considerata divinâ omnipotentiâ, credas Christum non inusitato & contorto, sed simplici & usitato sermone veraciter dixisse: *hoc est corpus meum*, &, *hic est sanguis meus*. Nec nos movent absurditates, quas te ex verbis Christi, in proprio & usitato sensu acceptis, colligere existimas, 1 Cor. 1. quia ex Apostolo didicimus, quòd Deus elegit ea quæ sunt stulta mundi, ut confundat sapientes; & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quia mundus in Dei sapientia non cognovit per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, qui humanæ cœcitatis & ignorantiæ sibi conscii, divinis verbis tanquam vero lumini cum modestia & humilitate acquiescunt, etiamsi stultitiam & absurditatem secundùm humanæ sapientiæ fumum continere videantur, quia volens Deus humanam superbiam conterere, etiam earum rerum fidem exigit, quarum intelligentiam non tribuit. Quapropter etiamsi ego in harum difficultatum explicatione sic detinerer, ut nullum mihi pateret effugium, sicut de me gloriaris; attamen non erubescerem confiteri vera esse quæ locutus est Christus, etiamsi veritatis modum explicare non possem; eosque impiè & infideliter agere, qui veritatem verborum Christi redarguere conantur consequentium miraculorum, quam putant, absurditate, quia quibusdam ait Christus: *Si cæci essetis*, id est, si cæ- Joan. 9. citatem vestram agnosceritis, *peccatum non haberetis: nunc verò dicitis, quia videmus: Peccatum ergo vestrum manet.*

CAPUT XV.

Quòd licèt Christi corpus nullâ circumscriptum dimensione possit cum panis substantia simul consistere; attamen non est dicendum panis substantiam remanere in Altaris Sacramento.

Dicis Christi corpus nullâ circumscriptum dimensione, seu magnitudinis suæ modum & formam non habens, æquè posse sub naturali pane atque sub inanibus accidentibus delitescere: sicut Martinus Lutherus asseruit priusquam vestra hæresis emergeret, dicens propter Christi verba, quibus ait: *Hoc est corpus meum*; corpus Christi in Sacramento Altaris præsens esse; sed ta- Responsio. men panem ipsum cum Christi corpore simul permanere. Fatemur id à Deo fieri potuisse, quod à Christo factum asseruit Martinus Lutherus. Sed quia à Christo dictum legimus: *Hoc est corpus meum*, non autem, hoc simul est panis & corpus meum, ideò quod Christus hoc dicens demonstravit, fregit, deditque discipulis suis, corpus ejus fuisse credimus, panem autem sub quo corpus delitesceret, & quem propter usitatum naturæ cursum, corpus Christi penetraret,

netraret, esse non credimus; ne, sicut nobis impingis, non pro defendenda Scripturæ sacræ veritate, sed pro nostra libidine, ad sustentandas adinventiones nostras, miraculorum portenta fingere dicamur, & omnipotentiæ Dei velum, quasi quoddam somniorum tegumentum, obtendere.

CAPUT XVI.

Quòd licèt verba Christi: hoc est corpus meum, *apud Matthæum ponantur post verba,* accipite & comedite; *& apud Marcum post verbum,* dedit eis: *attamen apud Matthæum debent intelligi dicta immediatè post verbum,* benedixit; *& apud Marcum post participium,* benedicens.

SEd ais Christum nondum dixisse, *Hoc est corpus meum,* cùm panem fregit ac distribuit, quia verba hæc, *hoc est corpus meum,* apud Matthæum ponuntur post verbum, *accipite, & comedite:* Apud Marcum verò & Lucam post verbum, *dedit eis:* ex quo conaris efficere quòd Christus fregerit, dederitque discipulis eumdem panem usitatum, quem ex mensa acceperat, & nondum his verbis benedictum, *Hoc est corpus meum.* An vos in vestra communione, juxta horum trium Evangeliorum ordinem, vestri consortii hominibus priùs panem edendum detis, quàm minister dicat: *Hoc est corpus meum;* vos videritis. Certè si in communione calicis, ordinem verborum sequimini, quem in suo Evangelio servavit Marcus, necessum est ut omnes priùs bibant, quàm dicat Minister: *hic est sanguis meus:* quia apud Marcum priùs dicitur quòd *Marc. 14.* Christus accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, quàm addatur: *& ait illis: hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Si autem in vestra communione, non obstante verborum Christi ordine apud Marcum posito, priùs dicat Minister: *hic est sanguis meus;* quàm bibant omnes ex calice; facilè intelligitis, quòd quemadmodum apud Marcum, juxta sextam Ticonii regulam, quam recapitulationem vocat, ea quæ de calice à Christo priùs dicta sunt, veluti posteriùs dicta narrantur: sic etiam apud Matthæum, Marcum, & Lucam, id quod de pane dictum, *hoc est corpus meum,* posteriori loco narratur, non debere accipi, tanquam Christus hoc posteriori loco dixerit, aut dictum intellexerit, sed quod suo loco ab Evangelistis prætermissum, posteriùs recapitulando narratur, ut sensus verborum hunc ordinem habeat: benedixit, dicens, hoc est corpus meum, fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite & comedite.

CAPUT XVII.

Quòd fideles in transsubstantiatione panis, neque sensibus fallantur, neque præstigium patiantur; sed mente contemplantur quod non possunt assequi sensibus.

Objectio. POst hæc sic argumentaris: Nihil falsi putandum est esse in sacrificio: sed in transsubstantiatione non oculi tantùm, sed manus, & lingua, palatum, & denique ventriculus ipse deluditur, & præstigium patitur: igitur in Sacrificio nulla est transsubstantiatio. Responsio: Vellem etiam adjecisses, quod pro repudiando baptismo objecit quidam: proles quæ Christi baptismo baptizatur, post ablutionem omnino talis apparet qualis ante fuit: igitur si in baptismo sit innovatio mentis & peccatorum remissio, sensus ipse, qui nihil mutationis advertit, fallitur & præstigias ac ludibrium patitur. Quo argumento etiam refellere posses, quod paralytico & mulieri peccatrici ait Christus in Evangelio: *Remittuntur tibi peccata tua*; quia uterque post hæc verba

Solutio. sensibus talis apparuit, qualis ante fuit. Dico igitur sensus humanos deludi & præstigias pati, non quando Deus in substantia panis, aut mente hominis latenter operatur, quod sensibus non observatur; sed quando diaboli industriâ foris apparent qualitates sensibiles, quæ aut non sunt, aut tales non sunt, quales apparent: sicut etiam in nube luminis reverberatio sensum fallit, quando varios colores apparere facit in iride, (quæ aëris affectio est) quorum constat aërem non esse capacem: & ideò in transsubstantiatione panis, quæ verbis Christi efficitur, nulla est sensuum deceptio, quia nulla qualitatum falsarum sensibilium apparitio: Sed Christiana mens verbis Scripturæ sacræ adjuta, & fide eorum instructa, quod sensu non assequitur, hoc fide veraciter contemplatur, quod carnalis incredulitas patrocinio sensuum, quo in multis ad cognoscendam veritatem adjuvamur, frustra conatur refellere.

Objectio. Etiam sic argumentaris: Apostolus dicit Christum fregisse panem: igitur non defuit panis substantia, quando panis à Christo frangebatur. Respondeo:

Solutio. Tu contendis de panis substantia rectè à Christo dictum: *hoc est corpus meum*; tantùm quia panis adhibebatur ad significandum Christi corpus, cujus nullam præferebat imaginem: Et miraris si Apostolus imitans Scripturam Exodi 7. quæ serpentem ex virga Moysi factum adhuc virgam vocat, panem vocet Christi corpus, quod verbis Christi ex pane factum est, & adhuc integram panis figuram retinet; præsertim cùm apud Apostolum statim præcedat mentio calicis benedictionis, per quam satis manifestè significat se non loqui de pane simpliciter, sed de pane benedicto, & virtute benedictionis in Christi corpus transmutato. Et quis ignorat mortua corpora, quæ formam hominis retinent, quotidie non tantùm homines, sed etiam Petrum, Paulum, & Jacobum nuncupari? His igitur circumstantiis consideratis, Apostolus substantiam corporis Christi ex panis substantia factam, & formam panis integrè retinentem, rectè panem vocavit, dicendo, panem quem frangimus; etiamsi vos perversè do-

sè doceatis Christum de pane omnino immutato, tantùm quia ad significandum ejus corpus adhibebatur, dixisse, *hoc est corpus meum.* Defendis verbi substantivi, est, unam & simplicem esse significationem, quia semper significat esse; nec advertis quàm parum scitè idem per seipsum explices, dicendo, quòd verbum, est, semper significat esse. Non advertis etiam ipsum (esse) secundùm tuum Aristotelem esse multiplex, secundùm quod diversis attributis jungitur, atque ratione rerum significatarum, ad definitionem æquivocorum in categoriis positam pertinere: ac per hoc, dicendo quòd verbum substantivum, est, semper significat esse, non tantùm non ostendis ejus unam & simplicem esse significationem, sed tibi ipsi potiùs contradicendo, indicas ejus significationem non unam esse, sed multiplicem. Sicut etiam in eo palam testatus es, quod dixisti ipsum verbum, est, aliquando significare substantiam, aliquando verò esse sacramentaliter: Id quod tibi superiore Responsione objeci, non prætendens quòd esse sacramentaliter, non pertineret ad aliquod decem generum rerum, sicut vis videri. Sciebam enim illud pertinere ad ad aliquid, sed tantùm volens ostendere quòd simul dicendo verbi, est, unam & simplicem esse significationem; & ipsum verbum, est, aliquando significare esse substantiam, aliquando verò esse sacramentaliter: tu tibi in verbis tuis contradiceres, sicut cuivis advertenti manifestissimum est.

Valde etiam subtiliter inducis, quòd nemo reprehendat, Si quis de simulachro sancti Francisci interrogatus, è vestigio responderit, hoc est sanctus Franciscus, ac proinde usitatum esse sermonem, quo de pane, corpus Christi significante, dixerit Christus: *hoc est corpus meum:* quasi videlicet in pane mensæ apposito, reluceat ipsa corporis Christi imago, ex qua statim intelligatur analogia, secundùm quam dixerit Christus: hic panis est corpus meum: sicut in simulachro sancti Francisci, relucet imago sancti Francisci, ex qua è vestigio intelligitur analogia, secundùm quam dicitur hoc simulachrum esse sanctus Franciscus: aut quasi Christus ante hæc verba Apostolis significaverit, quòd quoties viderent panem aliquem mensæ appositum, semper de corpore ipsius cogitarent, & ipsum tanquam corporis ejus signum aspicerent, ut audientes Christum dicentem, *hoc est corpus meum,* è vestigio cogitarent ipsum hoc dicendo, nihil aliud voluisse significare, quàm panem quem in manibus habebat, esse corporis sui signum & memoriam. Non est igitur simile, quod pro simili adduxisti, videlicet quòd quemadmodum ostenso simulachro sancti Francisci, rectè & usitatè dicitur, hoc simulachrum est sanctus Franciscus: sic etiam ostenso pane mensæ apposito, Christus usitatè dixerit, hic panis est corpus meum: quia sicut dixi, in altero est manifestum analogiæ indicium; in altero verò non. Nec causam tuam juvat, quòd in Scripturis sacris multi sint tropi, quos sæpius inculcas: quia si quis inde colligat, sibi licere quæcunque voluerit pro suo arbitratu in tropum convertere, quis non videt eum sibi viam sternere, ut in Scripturis sacris id quod volet recipiat; quod verò nolit, hoc in tropum convertat? Ut igitur persuadeas, Christum non secundùm proprietatem, sed secundùm tropum & analogiam dixisse: *hoc est corpus meum,* &, *hic est sanguis meus:* peculiaris & solida tibi reddenda ratio est, cur hoc nomen, *corpus meum,* &, *sanguis meus,* in hac sermonis circumstantia non pro

substantia, sed pro signo substantiæ corporis & sanguinis Domini sumi debeat; quam quia diligenter & diu quæsitam non invenis, ideò si catholicus esse velis, necessum est ut ~~non~~ tropum, sed proprietatem sermonis amplectaris, sicut hactenus amplexi sunt, qui te & me fidem catholicam docuerunt.

CAPUT XVIII.

Quòd Scripturæ sacræ, quæ nomen, Deus, Dominus, aut Christus, aliquando significant posse rebus inanimatis attribui, non abutantur istis divinis nominibus, ad significandas rerum inanimatarum proprietates; sed tantùm significant illa in suâ propriâ significatione accepta, rectè attribui rebus per substantias inanimatas sacramentaliter significatis.

SEd nunc ad eum locum veniamus, in quo conaris refellere quod dixi in Scripturis sacris non extare exemplum, quo nomen aliquod Christi substantiam, sive divinam, sive humanam propriè significans, à sua propria significatione translatum, elemento aut inanimatæ substantiæ tribuatur, ad significandam ejus proprietatem. Ubi primùm objicis quod ait Apostolus: *Om-*
1 Cor. 10. *nes eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de consequente eos petra: petra autem erat Christus:* ac prætendis nomen, petra, propriè sumi pro eo la-
Exod. 17. pide, qui in Oreb virgâ percussus aquas fudit: Nomen verò, Christus, (quod præsupponis propriè significare Christi substantiam, de quo fortè non immeritò dubitetur) non accipi juxta suam propriam significationem pro Christi substantia, sed tantùm pro signo substantiæ Christi: quasi diceret Apostolus, quòd omnes patres nostri fideles, qui in Moyse baptizati sunt, biberint de inanimata petra consequente eos per viam deserti: quæ petra in Oreb virgâ Moysi percussa, populo sitienti aquas fuderat, eratque sacramentum ipsius Christi: ac proinde ab Apostolo diceretur, quòd petra illa erat Christus. Qui sensus verborum Apostoli omnino consistere non potest, quia licèt petra illa insensibilis, percussa in Oreb, posset intelligi spiritualis, quia rem spiritualem significabat; attamen dici non potest quòd manens in Oreb, consequebatur populum per viam deserti, quodque ei potum corporalem aut spiritalem suppeditabat: sed hoc necessariò de Christo accipiendum est, qui per fidem habitans in cordibus eorum, & ab eis non recedens, semper eos spiritali potu reficiebat, sicut Joannis sexto ait: *qui credit in me, non sitiet in æternum:* quia credendo bibit de aqua, quam se Christus daturum pollicetur. Est ergo sensus verborum Apostoli, sicut etiam docet Chrysostomus, quòd omnes patres nostri in Moysi baptizati, qui idem nobiscum crediderunt, eandem inter se & nobiscum escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem spiritualem potum biberunt, nempe carnem filii hominis & ejus sanguinem, in quibus non caro & sanguis, sed spiritus est qui vivificat; & ideò meritò vocantur esca
&

& potus spirituales, de quibus ait Christus: *Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum: caro enim mea verè est cibus* (inquit) *& sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Christus enim ratione carnis & sanguinis, in quibus pro nostra salute est passus, erat esca illa spiritualis, & potus spiritualis, de quibus loquitur Apostolus, sicut manifestè significat, cùm subdit: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Et ne quis fortè suspicaretur Apostolum loqui de potu materiali, quem in Oreb fuderat petra, vel de ipsa petra insensibili, quæ aquas ibidem fuderat, dicit quòd bibebant eundem potum, non materialem, sed spiritualem: ac subdit, non quòd bibebant de inanimata & insensibili petra, manente in Oreb, sed de spiritali, consequente eos petra, quæ erat Christus, in quem credendo carnem ejus manducabant, & sanguinem bibebant, sicut ait: *Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Unde Augustinus: *Crede*, inquit, *& manducasti*, quia manducare carnem filii hominis, & bibere ejus sanguinem, est credendo vitam in se habere. Loquitur ergo Apostolus non de signis quibus in veteri testamento usi sunt Judæi, hoc est, non de manna, neque de aqua quam fudit petra in Oreb, neque etiam de ipsa petra insensibili; sed de rebus per illas figuras sacramentaliter significatis, quæ sunt omnibus fidelibus tam Veteris quàm Novi Testamenti tempore communes, nempe de carne & sanguine Christi, quæ ipsi juxta doctrinam Christi Joannis 6. credendo manducabant & bibebant; sicut & nos manducamus & bibimus, quando credendo carnem & sanguinem Christi spiritaliter manducamus & bibimus. Similiter si arca fœderis, aut alia quævis res, quæ tempore Veteris Testamenti, divinæ aut humanæ Christi substantiæ sacramentum fuit, alicubi in Scripturis sanctis, Deus aut Dominus esse significetur; ut Numerorum 10. Ubi cùm elevaretur arca, dicebat Moyses: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*; ubi significari videtur quòd arca erat Dominus, non est intelligenda vox, Deus, seu Dominus, à sua propria significatione transferri, ut significet signum divinæ aut humanæ Christi substantiæ, seu proprietatem rei inanimatæ, quæ voce subjectâ significatur, sed intelligenda est hæc vox, Deus, seu Dominus, in propria sua significatione accipi, atque enuntiari, non de substantia inanimata, quæ subjecti voce propriè significatur, nempe de arca testamenti, sed de re sacramentaliter significata per illam rem inanimatam, quæ per vocem subjectam significatur. Miror te non adduxisse, quod aiunt Philistæi primo Regum 4. capite de arca Dei: *Venit Deus in castra*; ut ostenderes quòd arca fœderis dicta sit Deus, quia erat Dei signum: sed forsitan advertisti Philistæos nomine Dei, non signum divinæ substantiæ intellexisse per tropum; sed verum Deum, quem, juxta suum errorem, credebant arcâ contineri. Vade nunc, & profer Scripturas sacras, in quibus vox aliqua, divinam vel humanam Christi substantiam propriè significans, à sua significatione transferatur, ad significandam rei inanimatæ proprietatem, quia quas veluti de nobis triumphum agens protulisti, nihil instituto tuo serviunt, cùm in eis voces quas divinam substantiam significare prætendis, à sua propria significatione non transferantur, sed in sua propria significatione acceptæ, intelligantur de ea re.

Joan. 6.

Joan. 6.

re enuntiari, quæ sacramentaliter significatur per rem inanimatam, quæ voce subjecti significatur, ut dictum est. Omnia enim tunc in figura contingebant eis, & non tantùm vocibus, sed etiam rebus, quibus temporaliter à Deo juvabantur, spiritualiter erudiebantur: sicut etiam tempore Novi Testamenti Joannes Baptista per descensum columbæ super Christum, edoctus est quòd Spiritus sanctus super ipsum descendisset. Quamobrem si Scriptura sacra alicubi diceret illam columbam, quæ tunc super Christum descendit, fuisse Spiritum sanctum, non deberemus intelligere vocem, Spiritum sanctum, à sua propria significatione deflecti, ut significaret signum Spiritus sancti: quasi diceret, hæc columba est signum Spiritus sancti; sed considerata facti circumstantiâ, deberemus intelligere ipsam vocem, Spiritus sanctus, in propria significatione acceptam, de particulari illa re enuntiari, quæ per illam columbam sacramentaliter significabatur, nempe de persona Spiritus sancti, ut videlicet allegoria intelligeretur esse non in aliqua voce, sed tantùm in re per subjectum significata, quæ ad significandum Spiritum sanctum fuit adhibita.

1 Cor. 10.

Joan. 1.

CAPUT XIX.

Quòd corpus Christi in sacramento Eucharistiæ, res sacra sit, & nihilominus sacramentum corporis Christi in cruce oblati.

POst hoc, sicut præfando omnia te ex Scripturis demonstraturum esse profiteris, & differendo, relictis Scripturis sacris, statim te totum effundis in dicta Aristotelis & rationes frivolas potiùs quàm philosophicas: sic etiam mihi objicis quòd alto somno dormiam, quòd mihi ipsi contradicam, quòd oculos mihi adimam; & nihil dignum profers, quo id rationabiliter ostendas. Nam quod ais corpus Christi esse ipsam rem sacram, ac per hoc non posse sui esse sacramentum; sed oportere dicere panis substantiam esse Sacramentum Eucharistiæ: tritum & jamdudum detritum argumentum est. Sicut enim tu dicis quòd panis tuus, absque ulla mutatione à Christo benedictus, & absque sanctitate sanctificatus, sacramentum est Christi in cruce patientis, quem sacrificando & sumendo, elevatâ mente per fidem considerare oportet: sic etiam dicit Christi Ecclesia quòd corpus Christi contentum sub speciebus panis, ratione quarum cernitur, & ubi sit, etiam sensibus discernitur, est sacramentum corporis Christi pro nobis in cruce morientis: quo sacramento significatur quòd Christus moriendo factus sit nobis panis verus, qui de cœlo descendens dat vitam mundo. In quam morientis formam intenti sunt sacrificantes, non oculis carnis, sed memoriâ & consideratione mentis, sicut præcepit Christus dicens: *hoc facite in meam commemorationem.* Nec Ecclesiæ displicet aut contemptibilis est forma corporis Christi, secundùm quam in sacramento continetur, sicut ridens calumniaris; quia in ea quotidie (te & tibi similibus subsannantibus) Christum reverenter & suppliciter adorat. Sed quia Christi passio, nostra est redemptio, ob quam clamat Ecclesia: *O crux ave spes unica*; ideò

Matt. 26.

ideò sacrificantes oculis carnis sacramenti formam contemplantes, & humiliter adorantes, in laudem & gratiarum actionem, memoriam & contemplationem suam in eam formam transferunt, quam Christi corpus in cruce habuit, in qua sola, propter suam redemptionem gloriatur Apostolus, & omnes gloriari debemus. Galat. 6.

CAPUT XX.

Quòd hæretici contra rationem catholicos crudeliùs tractent, quàm ab eis tractentur.

HIc obiter gloriaris quòd vos de veritatis luce confisi, in locis vobis subditis, librorum nostrorum exemplaria populo permittitis. Possem hîc respondere quod ait quidam: *Docilis pravi Romana juventus*; quodque homo corruptus, longè faciliùs capiatur malis, quàm bonis emendetur. Cæterùm si tantum de veritatis vestræ luce confiditis, ut contranitentes non reformidetis, quid est quòd Anglia publico edicto prohibuit libros à Papistis linguâ vulgari scriptos in Angliam inferri? Quid est etiam quòd vos contra pacta & juramenta, quibus jurastis, Catholicos qui se vobis conjunxerunt, in sua religione defendere, templa eorum & sacramenta prophanatis, imagines conteritis, Sacerdotes, Monachos, & alios de veteri religione suspectos, quæsitis occasionibus, aut sub specie tumultus spoliatis, occiditis, ejicitis, ne plebem in antiqua religione retineant; adeò ut & Abbates, & magna pars nobilitatis à vobis priùs falsis promissis circumventæ, quorum authoritate & ductu in hanc patriam admissi estis, vestrâ perfidiâ ac perjuriis offensi, jam à vobis defecerint, & non obstantibus injuriis, quibus se ab Hispanica gente affectos existimant, ad partes Regiæ Majestatis redierint? Sed etsi Catholici principes de vobis aliquid duriùs statuerent, quàm vestri duces de Catholicis statuunt, an id præter rationem fieret? Quis enim, nisi planè barbarus & omni ratione destitutus, in communem hostem, qui tantùm ex eo hostis est, quia suo principi fideliter adhærens, id permanet quod ab infantia fuit, & à suis majoribus accepit? Quis, inquam, in hunc ita vindicandum esse censeat, sicut in perduellionem sui Principis, suæque religionis à suis majoribus acceptæ perfidum desertorem, qui non contentus suâ perfidiâ, fraudibus, perjuriis, dolis, & violentiâ, aliena tam sacra quàm prophana invadat & conterat? Nunquam enim fuimus quod estis, nec aliquid vobis promisimus, neque à vobis unquam defecimus, ut vobis hostes efficeremur; vos à nobis, nostra religione, nostroque Principe contra fidem datam, contra majorum instituta defecistis. Vos vosmetipsos Romanæ Catholicæ religioni subtraxistis, & subtractos Romanæ Catholicæ religionis desertores appellastis. Vos discedendo à nobis, hostilem erga nos animum induistis, etiamsi nostrorum plerique Christianæ fraternitatis memores, non tam irascantur vestræ malitiæ, quàm cœcitati condoleant. Ubi igitur non est paritas in causa, quid mirum si dispar esset vindicta aut disciplina? Sed qui mores & artes vestras experti sunt, probè norunt, quantùm crudelitatis erga Sacerdotes, Monachos, & alios catholicos exer-

exerceatis, ubi non timetis regni vestri diminutionem. Et interim, ut vulgus hominum Christi Ecclesiæ infensum reddatis, in hoc toti estis, ut oculos eorum convertatis in maculas, rugas, aliasque abominationes, quas in medio Ecclesiæ gemunt & dolent, qui ad decorem domûs Dei pertinent, & super
Ezech. 9. quorum frontes, apud Ezechielem, jubet Dominus signari Thau: ut hoc mo-
Matt. 13. do persuadeatis, in agro Domini non crescere simul utraque, triticum videlicet & zizania, usque ad messem, sed omnes catholicæ Ecclesiæ filios, & maximè Præfectos qui Romæ consistunt, tales esse, quales partim cernitis, partim fingitis illos esse, in quos solos vultis oculos hominum intendi, nec in agro Domini superesse triticum, in cujus medio dicit Christus superseminata esse zizania; sed sola restare zizania, etiamsi Christus in Scriptura sacra, ad quam semper provocatis, apertis verbis mandet, ut sinantur utraque crescere usque
Matt. 24. ad messem, & in tempore messis dicturus sit messoribus: *Colligite primùm zizania, triticum autem congregate in horreum meum.* Nam in adventu filii hominis, duo erunt in agro; unus assumetur, & unus relinquetur: duæ molentes in mola; una assumetur, & una relinquetur: duo in lecto; unus assumetur, & unus relinquetur. Licèt igitur in zizaniis & levibus paleis, quæ tanquam pulvis à tentationum vento huc illucque rapiuntur, à vobis blasphemetur Ecclesia, quia triticum attendere non vultis; attamen per eos qui frumentum sunt,
Psal. 34. & ad frumentum aspiciunt, impletur quod ait Psalmista: *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.*

CAPUT XXI.

Quòd de Ecclesia disserendo non sint intelligendæ duæ Ecclesiæ, sed una duntaxat.

NUnc ad illud venio, quod in extrema parte responsionis meæ graviter arguendum censuisti. Dixeras in tuis objectionibus, horrendam Gothorum vastationem, Ecclesiæ pro virtute libidinem, pro justitia tyrannidem, pro pietate superstitionem invexisse. Ego contractiori sermone repetivi te dixisse, horrendam Gothorum vastationem ecclesiam corrupisse, vitiis videlicet ac erroribus; & ostendi secundùm Scripturas sacras, Ecclesiam Christi persecutionibus, afflictionibus, & vastationibus non corrumpi, sed purgari à vitiis, quæ pacis tempore contrahit: sicut de lapsis testatur Cyprianus, dum loquens de lapsu Fidelium ait: *Cladis causa cognoscitur, quia traditam nobis disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & penè dixerim dormientem censura cœlestis erexit; & dum Domini mandata contempsimus, ad correctionem delicti, & probationem fidei, remediis severioribus venimus.* Hîc tu lectoris judicium imploras, ut me calumniæ reum agas, quòd servatâ verborum tuorum sententiâ alio sim usus sermone. Deinde petis observari cavillum plus quàm sophisticum, in ambiguitate verbi, Ecclesia, quam dicis non debuisse aliam intelligi, quàm visibilem, quæ à Christo piscium sagenæ & areæ tritici similis perhibetur. Quis significavit aut intelligere potuit, te de alia Ecclesia locutum quàm de visibili, quæ à Christo sagenæ piscium & areæ tritici comparatur? nisi fortè

qui

qui contra symbolum fidei tecum sentit, seu potiùs desipit, non unam sanctam catholicam & apostolicam esse Ecclesiam, sed duas, & corpus Christi esse bipartitum, sicut 2. suâ regulâ docuit Tyconius, quem de doctrina Christiana reprehendit Augustinus. Lege Cyprianum de unitate Ecclesiæ, & observa Scripturas sacras, quibus probat quòd in symbolo fidei canit Ecclesia unam sanctam catholicam & apostolicam esse Ecclesiam; & facilè intelliges me nec voluisse, nec debuisse dicta tua aliter intelligere, quàm de una sancta Ecclesia, à Christo in Evangelio commendata, & sagenæ piscium comparata, de qua ait in Canticis: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Sed tu fortè tibi conscius, quòd hujus unius catholicæ Ecclesiæ desertor es, aliam fingis Ecclesiam, in qua tu cum tuis contra Dei legem, contra apostolicam traditionem salvari queas. Falleris, Sanct-Aldegonde frater, falleris, & alios fallere niteris. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur, inquit Cyprianus: Nec perveniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo, caput videlicet cum corpore. Et ideò si ad unicum Christi corpus non pertinueris, donorum cœlestium particeps non eris, sed caliginis tenebrarum, quæ seductoribus reservatur in æternum. Ego igitur ex Scripturis sacris ostendens Christi Ecclesiam in persecutionibus & afflictionibus, vitiis non corrumpi, sed purgari, (sive quia palmites in Christo fructum facientes, tanquam aurum in fornace igne tribulationis expurgati, plus fructus afferunt, contemnentes quæ vobis rapientibus amiserunt: sive quia paleæ vento flante aut ab Ecclesia recedunt, aut afflictione intellectum dante, in triticum commutantur) non aliam cogitavi Ecclesiam, quàm illam quæ in Evangelio sagenæ missæ in mare, & areæ tritici comparatur. Sed non ignoravi, quod tu videris non advertisse; unius & ejusdem Ecclesiæ in Scripturis sacris duo nobis tempora commendari. Alterum in hac vita, ubi multi mali bonis sunt permisti, ratione quorum sagenæ comparatur, bonos & malos pisces congreganti, quæ ait in Canticis: *Nigra sum, sed formosa.* Nigra, propter malorum permistionem, & tribulationum multitudinem: formosa, propter sanctos, de quibus Psalmista: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ:* Qui videlicet sunt vitæ sanctitate decori, & de suo decore non in se, sed in Domino gloriantur. Alterum verò Ecclesiæ tempus est, post hanc vitam, de quo ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam suam, & tradidit seipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam,* aut aliquid hujusmodi. Nam in hac vitæ miseria, licèt Ecclesia filios Dei contineat, nondum tamen est in eis gloriosa, quia nondum apparet quid erunt; nec caret maculâ & rugâ, quia habet immundos, fornicatores, & adulteros, qui sunt ecclesiæ macula, & falsos fratres ambulantes in astutia, qui sunt duplicitatis ruga; quibus omnibus carebit, quando oves ab hœdis separatæ, possidebunt regnum sibi ab origine mundi præparatum. Hæc disputavi ut potui, non ex argutis scholasticorum quodlubetis, sed ex simplici Scripturarum veritate: quam si, relicto tuo Aristotele, tam diligenter differendo, quàm præfando & jactando, in hac tua responsione prosecutus

Cantic. 6. *Esaia 28.* *Matt. 13.* *Aug. in ps. 5. & 73.* *Cantic. 1.* *Psal. 25.* *Ephes. 5.* *1 Joan. 3.* *2 Cor. 4.* *Matt. 25.*

fuisses, forsitan apud cordatum lectorem plus solidæ laudis & existimationis consecutus fuisses. Sed dum hâc unâ responsione, tu decies plura ex Aristotele & Scholasticis Doctoribus attulisti, quàm ego hactenus in omnibus scriptis meis, & nihilominus ex sola tua præsumptione non erubescis effundere, quòd in Scholasticorum argutis quodlubetis ætatem potiùs quàm in Scripturarum simplici veritate, pro Academiæ nostræ more, triverim. Quid aliud cordatis lectoribus cogitandum relinquis, quàm te in præfando, jactando & asserendo, plus fiduciæ ponere, quàm disserendo, & ex Scripturis sacris demonstrando, quæ jactanter asseris? Forsitan non deerunt qui ex hac unica responsione judicabunt me non ita trivisse ætatem in Scholasticorum argutiis, quin Deus mihi ex Scripturis sacris apta & sufficientia sanctarum Scripturarum testimonia suggesserit, quibus & errores tuos coarguerim, & objectiones tuas ita dissolverim, ut potiùs habeas unde erubescas, quàm unde glorieris. Denique causam aggrediens, ut ostendas hostium vastationes, Ecclesiæ vitiorum corruptionem invexisse, remittis me ad locum Siloh, ad Hierusalem, ad montem Sion: item in Asiam, Græciam, Ægyptum, Africam, & antiquam Romam, cui nostram Romanam Ecclesiam brevi assimilandam auguraris, & petis ut quis illas Ecclesias vastarit atque everterit edoceam. Ac denique rogas an non videam urbium ruinas, hominum excidia, gentium ac populorum interneciones. Quasi videlicet urbium ruinæ, hominum excidia, gentium ac populorum interneciones, sint Ecclesiæ Dei in moribus & doctrina corruptiones, & non potiùs purgationes vitiorum, quæ tempore pacis, seu potiùs tempore pacatæ libidinis, solent irrepere. Video igitur non tantùm in sacris historiis quas commemoras, sed etiam in vestris moribus & injuriis, quibus quotidie infestatis & exercetis Christi Ecclesiam, domorum, templorum, ac urbium ruinas, interneciones hominum, oppressiones, spoliationes, & exilia Sacerdotum, Monachorum, Monialium, & aliorum, quos de antiqua catholica religione suspectos habetis. Sed doleo te non videre hæc quæ in sanctos impiè committitis, non esse (quam intenditis) Ecclesiæ, quæ in fide

Job 9. & moribus est, corruptionem, sed tantùm terræ & carnis vastationem. *Terra enim data est in manus impii*, inquit Job. Unde Ecclesia apud Psalmistam:

Psal. 26. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt.* Qui igitur Ecclesiam Dei persequuntur,

2 Cor. 12. carnem vastant, non spiritum, in quo Ecclesia est, nec illam infirmant. *Cùm* enim *infirmor, tunc potens sum*, inquit Apostolus; sed ipsi infirmantur & cadunt, & sine effectu malæ suæ voluntatis mercedem justam accipiunt: ipsa

Psal. 26. verò Ecclesia, in die malorum protecta in petra, super quam ædificata est, hostium suorum persecutionibus exaltatur. Primùm quidem in iis qui pro catholica religione occisi sunt, & falce passionis expurgati, calcato leone & dra-

Psal. 90. cone, in horreum Domini congregantur. Deinde in iis qui mendacibus litteris, aut calumniosis accusationibus oppressi incarcerantur, spoliantur, in exilium mittuntur, & his tribulationibus exercitati, discunt præsentia despicere,

Joan. 15. & ad eos pertinent, de quibus ait Christus: *Omnem palmitem in me ferentem fru-*

Jacob. 1. *ctum, purgabit eum, ut fructum plus afferat: patientia* enim *opus perfectum habet.* Et denique in iis qui ex conversatione vos propiùs cognoscentes, ingemiscunt,

&

& spectante mundo detestantur quòd unquam dolis ac perjuriis vestris crediderint. Et non obstantibus injuriis, quas se ab exteris passos existimant, malunt bonis temporalibus exui, & cum rubore detestari pacta, quæ decepti vobiscum inierunt, quàm diutiùs amicitiâ ullâ vobis conjungi. Qui verò amore terrenorum, aut antiquæ religionis pertæsi, ante tempus novissimæ ventilationis sese, à sanctorum societate separantes ultrò ad vos transeunt; & vobis tantò acceptiores sunt, quantò in persequendis sanctis sunt ardentiores: hi Ecclesiam Dei non maculant, sed à sordibus exonerant, quæ ad vos quotidie defluentes, societatem vestram magis magisque sordescere faciunt: sicut in Apocalypsi legimus: *Qui sordet, sordescat adhuc.* *Apoc. 22.*

CAPUT XXII.

Quòd hæretici maledictis suis Ecclesiam exaltent, & se in infernum præcipitent.

ULtimo loco nobis improperas, quòd Ecclesia Romana à veritatis doctrina, si non fœdiùs, at certè multò proterviùs & petulantiùs se averterit, quàm unquam fecerit Ecclesia Judaica, quippe quæ non ausa fuerit statuere Deum in terris. Miror te non advertere quàm ineptè argumenteris, ab Ecclesia Judaica, quæ tempore Veteris Testamenti fuit, ad eam quæ extitit tempore Novi Testamenti, quasi videlicet Deus, veniente Christo, nihil Ecclesiæ suæ contulerit, quod sibi illa potuerit statuere, quin idipsum etiam olim per Moysen Ecclesiæ Judaicæ sit impertitus. Et ubi est quod ait Propheta: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est;* de quo & Joannes in Evangelio: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis:* & rursus primâ suâ epistolâ: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis.* Sunt & alia multa, quæ Ecclesia tempore Novi Testamenti, sine mendacio sibi statuere potest, quæ non potuit sibi statuere Judaica. Sed quia video te istud ad Romanum Pontificem detorquere, quem calumniaris ab Ecclesia catholica Deum statui, paucis conabor respondere tuæ calumniæ. In primis constat apud Judæos summum Sacerdotem fuisse summum judicem, cujus sententiam sequi oportuit sub pœna mortis. Quod quia tempore Novi Testamenti recusatis agnoscere, ideò in hac parte non nos, qui hoc in Pontifice Romano agnoscimus, sed vos, qui nullum talem judicem in terris recipitis, Judæis estis deteriores. Secundò fatemur Presbyteris omnibus dictum à Christo: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Id quod Judæi nec ipsi Christo in terris concessum fuisse crediderunt, dicentes: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Quibus an vos in hac parte eis tantùm similes sitis, an verò etiam deteriores, qui credente mundo datam Sacerdotibus potestatem dimittendi peccata, id credere recusatis; ipsi videritis. Tertiò credimus omnibus Episcopis generaliter dictum: *Pascite*

Baruch. 3. *Joan. 1.* *1 Joan. 1.* *Deut. 17.* *Joan. 20.* *Luca 5.*

1 Petr. 5. *qui in vobis est gregem:* &: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Ipsique Petro & successoribus ejus Romanis Episcopis peculiariter & singulariter dictum: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solveris super terram, solutum erit in cælis:* & rursus: *Petre, diligis me plus his, pasce oves meas;* ut quod cæteris Episcopis pluraliter dictum, & communiter datum est, hoc Petro singulariter dicendo, & peculiariter commendando, eminentiùs & sublimiùs, tanquam omnium Episcoporum primati & præfecto, dictum intelligeretur. Quod quia vos nec vi, nec ratione aliquâ probabili potestis invertere, ideò ut ipse Pontifex, & alii fideles qui à vobis nondum occiduntur aut corporaliter affliguntur, non sint ejus benedictionis expertes, quam Christus iis promittit qui propter justitiam persecutionem patiuntur, sumptâ occasione unde vobis lubet, & excogitatis quotidie novis blasphemiis, diligenter adimpletis quod Christus in evangelio subjunxit: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra magna est in cælo.* Hoc solum dolendum est, quòd vestris maledictis Romanum Pontificem & alios Fideles apud Deum exaltando, vos ipsos in infernum præcipitetis, ubi aliquando obmutescetis: sicut apud Psalmistam prænunciat Ecclesia Catholica dicens: *Domine non confundar, quoniam invocavi te; erubescant impii & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia & in abusione.*

Matt. 18. Matt. 16. Joan. 21. Matth. 5. Psal. 30.

Visum est hæc pauca, ex conscientiæ meæ testimonio, objectionibus tuis respondere, Sanct-Aldegonde frater, forsitan nonnihil alio orationis vultu, quàm nuper respondi quæstionibus tuis, sed non alio animo: quia sicut tunc, ita & nunc, ex animo conatus sum tibi ostendere veritatem, & ab errore conversum ad nos revocare: aliter tamen tunc monendum judicavi quærentem veritatem, & veluti in suis erroribus dubitantem: aliter verò nunc, resolutum, & ex professo oppugnantem veritatem. Expecto nihilominus, & quotidie suppliciter oro, ut Deus aliquando tenebras tuas illuminet. Quòd si non sum dignus exaudiri, aut si Deus ita tibi offensus sit, ut nec Ecclesiam suam, idipsum quotidie pro te supplicantem, audiat; saltem spero hunc meum laborem iis profuturum, quos tuis disputationibus conaris à fide avertere, & tecum errando, aut dubitando, in æternam damnationem præcipitare.

PHILIPPI MARNIXII SANCTALDEGONDII RESPONSIO,

Ad Michaelis Baii Lovaniensis Academiæ Cancellarii, & S. Theol. Professoris Apologiam.

Libellus ille tuus postremus, mi Baii, quo ad mea scripta respondisti, superioribus nundinis Francofurtensibus in lucem editus, vix tandem mihi huc ex Anglia reverso redditus fuit. Eum tu inscribis Apologiam, quum sit atrox & convitii plena criminatio, & quasi pro tribunali promulgata sententia, quâ me impietatis, doli, perfidiæ, atque hæreseos damnatum, in infernum præcipitans, jubes obmutescere. De tua tamen hac æquitate & modestia nihil dicam. De causa ipsa respondebo, æquumque lectorem obsecrabo, ut omni deposito præjudicio, collatisque Scripturæ testimoniis, & rationibus ac firmamentis utrinque à nobis productis, semel totam rem æstimet, & quod erit veritati consentaneum, sequendum sibi statuat. Sed priorem tui libri partem, quia nescio cui Magistro Antonio Genardo inscribis, & in ea purgas te Minoritæ cuipiam Francisco, ni fallor, Horantio, de gravissimis scilicet quæ tibi impegerat criminibus (nempe, quòd & me nimiâ lenitate prioribus tuis responsionibus corripuisses, & Judicium de Ecclesia ex sola Scriptura sumendum censuisses) quia propriè ad causam nostram non pertinet, attingam quàm potero brevissimè. Reliquam vobis litem inter vos dirimendam relinquam.

Et principio quidem, quod ais, *si tibi fuissem subjectus, & in tua potestate positus, fuisse te mihi forsan cum increpatione responsurum, & minando deterriturum ne ejusmodi periculosis disputationibus incumberem: sed quia habebam te potiùs in potestate mea, quàm tu me in tua, non me putasti illâ gravitate terrendum fuisse, quam à te requirit Horantius.* Pag. 1. Næ tu prudenter & ut cautum virum decet, increpationem tuam oportunâ lenitate temperasti. Meque præclaro hoc beneficio, quod cum omnibus tibi latronibus est commune (parcunt enim iis quos non habent in potestate) vehementer obstrinxisti. At ego verò magnas Deo immortali gratias ago, qui me tam tyrannico imperio & potestate, quam in vestros exercetis, justissimis ad libertatem datis vindiciis, asseruerit. Vos enim vestris laicis,

laicis, in quibus ego meum nomen non recuſo profiteri, Sacrorum librorum lectione interdicitis, veritatem ex Dei verbo inveſtigare nefas eſſe decernitis, quicquid veſtra credit Eccleſia, id eſt, quicquid pro veſtra libidine atque authoritate credendum eſſe ſtatuitis, id omne non ſecus illos ac divina oracula & credere & venerari cogitis. De reliquo, judicium omne rerum tollitis. Ego me certè belluam propemodum eſſe mavelim, quàm alieni erroris atque libidinis tam abjectum mancipium.

Deinde quòd judicium de Eccleſia ſejungis à judicio de ejuſdem conſtitutionibus & traditionibus, facis tu quidem peracutè, ut cætera omnia, ſed quàm candidè ac ſincerè, tu ipſe videris.

Nec enim potes ignorare, duas à me tantùm quæſtiones fuiſſe de Eccleſia propoſitas: Priorem, an Eccleſia ejuſque conſtitutiones ſeu traditiones (hæc enim omnia pro eodem per Epexegeſin poſueram) nullum haberent aliud κριτήριον niſi conſuetudinem eorum qui ſe profitentur Romanam ſectari Religionem? Et ſi quod haberent aliud, quibus tandem vel ſanctionum, vel decretorum, vel dogmatum limitibus ac repagulis continerentur? Alteram verò, An Eccleſia tribuat verbo Dei authoritatem dignitatemque, an contrà verbum Dei Eccleſiæ? Hæc quidem poſterior pertinet ad judicium de Eccleſiæ corpore, ut ubinam illud ſit decerni queat. Nam ſi verbum Dei Eccleſiæ omnem tribuit dignitatem, planè efficitur ex illius decreto ſtatui debere, ubi ſit illa Dei Eccleſia.

At priori verò quæſtione, nihil poteras ſuſpicari me aliud petiiſſe, niſi ut unde tu nos velles noſtræ diſputationis de doctrinæ controverſis capitibus firmamenta depromere, ſemel & clarè explicares. An ſcilicet ex autoritate ſolius Scripturæ, an verò ex Patrum variis & ſæpè inter ſe pugnantibus interpretationibus, an ex effrenatis atque impotentibus Pontificum decretis, an ex contentioſis Synodorum ſanctionibus, an denique ex horridis ac ſpinoſis Scholaſticorum concertationibus, ut ſemel hoc fundamento conſtituto, in reliquo orationis progreſſu nulla inter nos nova ea de re controverſia moveretur, quæ curriculum diſputationis poſſet abrumpere. Tu verò peraſtutè, triplicem facis tuam reſponſionem, & meam priorem quæſtionem in duo diſpeſcis capita, in eaque judicium de Eccleſia ſecernis à judicio de Eccleſiæ conſtitutionibus. Cùm tamen de conſtitutionibus hoc tantùm dixeris, quòd ubi regnum agnoſcitur, ibi non poſſint negari conſtitutiones. Sed unde illarum fides atque authoritas depromi deberet, ne verbo quidem attigiſti. In quo quàm bonam fidem præſtiteris penes lectorem eſto judicium.

Ego certè priori meâ quæſtione neque aliud ſum percuntatus, niſi unde doctrina eorum, qui ſe Eccleſiæ nomine venditant, deberet confirmari, neque te aliud voluiſſe reſpondere ſuſpicatus.

Cùm enim vos veſtræ doctrinæ centones undequaque conſarciatis, & quæcunque adlibuerunt pro oraculo & pro Eccleſiæ traditionibus venditetis, quæ quidem nonnunquam ex contorta depravataque aliqua Scripturæ ſententia depromitis, nonnunquam ex ſynodi, neſcio cujus, ſuſpecta fide mutuamini, vel Pontificis alicujus pro arbitrio quod velit ſancientis authoritate fulcitis; ac deinde pro Patrum interpretationibus, neſcio quas, rancidas nobis

& loquaceis, vel ex epistolis Decretalibus, vel ex aliis adulterinis libris orthodoxorum Patrum nomine inscriptis næniis, & subinde etiam Monachorum delirantium visa & bonas anicularum intentiones, Pontificis bullâ comprobatas, obtrudatis: omninò erat operæpretium antè omnia decernere quid sit illud tandem, quod vos Ecclesiæ orthodoxæ doctrinam atque interpretationem nuncupatis, penes quam de fidei Christianæ dogmatibus omne arbitrium esse statuitis.

Non quærebam igitur priori quæstione simpliciter, quibus notis discernenda esset Ecclesia, sed quibus documentis aut quarum tabularum fide decerni posset, veram esse illam Doctrinam seu interpretationem quam Ecclesiæ nomine velatam nobis assiduè inculcatis. Et sanè quod tu ex Augustino produxisti, ad eandem causam referri videbatur. Nam etsi est illi etiam cum Donatistis controversia, ubi quærendum sit Ecclesiæ corpus, an in Donatistarum paucitate, an verò in multitudine orthodoxorum; tamen, quum eam ipsam controversiam nullo alio nisi Scripturarum testimonio ac decreto decidi posse arguit, an non manifestè confirmat, omnes omninò quæstiones omnesque doctrinas ad illum unicum lapidem lydium esse examinandas? Quod enim asserebant Donatistæ penes se solos esse Ecclesiam, reliquas omnes gentes à Christo capite descivisse, id maximè hoc nomine rejiciendum putat, quod Scripturæ testimonio minimè consentaneum esse demonstrari possit. Atque hoc est illud quod ait, quodque tu testimonium laudabas: *Non audiamus, Hæc dico, hæc dicis: sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certè libri dominici, quorum authoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. Ibi quæramus Ecclesiam: ibi discutiamus causam nostram.* Et mox, *Totus Christus caput & corpus est. Caput, unigenitus Dei filius, & corpus ejus Ecclesia, sponsus & sponsa duo in carne una. Quicunque de ipso capite à Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia, &c.* Ac deinceps postquam ex omnibus tum Veteris tum Novi Testamenti libris evicit, Ecclesiam per omnes gentes esse dispergendam, ac proinde vanum esse figmentum Donatistarum, qui dicerent eam esse ex Africa excitandam, ita disputationem claudit: *Restat ergò ut non ex divinis libris, sed ex vobis ista dicatis. Proinde dignissimè respondebitur: Anathema sitis. Tenent enim ecclesiæ, apostolico labore fundatæ, cum quanta cura sibi prædictum sit: si quis vobis Evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit.* Ex quo apparet, eum in quærenda Ecclesia potissimum illud quærere, an qui Ecclesiæ titulum sibi arrogant, Scripturarum testimoniis doctrinam suam fundatam habeant. Quæcunque enim illis apertè confirmari non possint, ea omnia ut hominum commenta, & verò ut anathema rejici prorsus debere asseverat. Propterea ejusdem libri capite undevicesimo, nulla utrinque vel visa vel miracula, nullaque humana testimonia producenda decernit, ut penes quem sit Ecclesia demonstretur, sed ea solùm quæ Scripturarum testimonio confirmantur. *Ipse Dominus Jesus,* inquit, *cùm resurrexisset à mortuis, discipulorumque oculis videndum manibusque tangendum corpus suum offerret; ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis legis & Prophetarum & Psalmorum confirmandos esse judicavit, ostendens ea de se impleta quæ fuerant antè prædicta. Sic & Ecclesiam suam commendavit,*

vit, dicens prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Hoc in lege & Prophetis & Psalmis esse scriptum ipse testatus est. Hoc ejus ore commendatum tenemus. Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta, &c. Quibus verbis manifestè evincitur Augustinum eo libro ad quem me remisisti, semel & generatim decernere, ut quæcunque tandem causa, sive doctrina, sive traditio venerit in controversiam, ea solâ Scripturarum authoritate decidatur. Hoc est quod ego de te quæsivi, quodque nostræ disputationi fundamentum esse substernendum putavi. Quod tu vel planè omittis, vel uno verbo leviter tantùm attingis; & alium nostræ controversiæ statum fuisse simulas. Sed cuicuimodi se res habeat, ego quia video non tam tibi mecum, quàm cum Horantio hanc esse susceptam litem, eâ omissâ ad alteram tui libelli partem quæ me propriè attingit transibo.

IN ea tu prætermissis plerisque & quidem primariis nostræ disputationis capitibus, hoc propè unum tibi sumpsisti confirmandum, *quòd eadem propositio servatâ eâdem vocum omnium significatione, possit aliâ & aliâ intentione enuntiari:* Vis enim omninò in iis verbis, *Hoc est corpus meum*, &, *hic calix est sanguis meus*, servari propriam & genuinam omnium vocum significationem; & simul tamen negas iis significari ipsum illud quod voces propriè sumptæ notant. Sed aliam eis nescio quam peregrinam intentionem, & à proprietate significationis longè alienam, (quam vobis præjudicium Ecclesiæ vestræ extorsit,) affingis. Enimverò haud potest cuiquam esse dubium, quin ea verba propriè usurpata, planissimè significent, panem illum à Christo sumptum, fractum, distributumque, esse ipsissimum ejus corpus; & calicem esse ejus sanguinem vel ipsissimum testamentum in sanguine. Sed tu quia hoc intelligis verum esse non posse, jam enim falsum esse confessus es: ideò vis & aliter explicari ea verba quàm propria significatio patiatur, & tamen propriam significationem nihilominus retineri, quæ certè manifestè inter se pugnare nemo non videt. Longè enim diversa sunt ipsum panem verè esse corpus, & quod fuit panis jam non esse panem, sed in ejus locum corpus subiisse. Hîc cùm te teneri sentis, neque patere effugium; fingis posse easdem voces, eâdem significatione ubique conservatâ, aliâ atque aliâ enuntiari intentione. Quod quidem etsi largiremur posse, non propterea tamen effeceris continuò ita esse: nam alioqui & nobis esset integrum eâdem methodo ratiocinari, quia possint enuntiationes per verbum, est, prolatæ, accipi per tropum, ideò & hæc verba de quibus est instituta quæstio, per tropum indubiè esse explicanda. Sed quis tibi non insanissimus dabit, voces quæ prorsus idem significent, si ad explicandam dicentis intentionem adhibeantur, non eodem sensu atque eadem peritus usurpari intentione? Ais tu quidem, *intentionis diversitatem haud efficere discrepantiam in vocum significatione:* Sed quid ejusmodi portento potest esse absurdius? cùm nemo non videat, certissimum esse illud quòd secundo de Doctrina Christiana libro præclarè tradit Augustinus: *Nullam esse causam nobis significandi, id est, signi dandi, nisi ad depromendum & trajiciendum in alterius animum, id quod in animo geritis*

gerit is qui signum dat. Data enim signa sunt, quæ sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos quantum possunt motus animi sui vel sensa aut intellecta quælibet. Verba autem (quod idem ait Augustinus) *obtinuerunt principatum significandi quæcunque animo concipiuntur, si ea prodere quisque velit. Innumerabilis enim multitudo signorum, quibus suas cogitationes homines exerunt, in verbis constituta est, &c.* Quod si ita est, ut certè esse, & Augustino & me tacente, veritas ipsa perspicuè evincit, sanè efficitur, verba quæ ad aliquid significandum usurpantur, mentem & cogitationem seu intentionem loquentis eodem explicare modo, quo illa verba rem significant. Quocirca si propria & genuina eorum significatio certum quidpiam & ratum designat, quicunque verbis illis propriè utitur; is, si neque mentitur, neque dissimulanter loquitur, nullam potest aliam intentionem explicare, nisi eam quam verborum propria illa significatio præ se fert, & audientium animis ingerit. Ac proinde voces quæ idem utrobique significant, necesse est vel ut eâdem utrobique usurpentur intentione, vel certè si in altera enunciationum diversa erit loquentis intentio, jam à propria & genuina sua significatione declinabunt. Portentum igitur est quod ais, intentionis diversitatem haud efficere discrepantiam in vocum significatione. Nam significare & intentionem explicare, eadem penitus esse nemo sanus potest ire inficias. Quod quidem tu videris etiam ipse advertisse; quæsivisti enim effugium, inquiens, posse verbis clarè & apertè rem aliquam significantibus, loquentis intentionem celari & omnibus modis abscondi. Sed hoc ipso effugio ex Scylla, quod aiunt, in Charybdim præceps ruis. Quum enim ais, esse nonnullos qui vel contra mentem loquantur, vel certè verbis clarè significantibus utentes, intentionem tamen haud clarè explicent, sed studiosè potiùs abscondant & celent; idque Abrahami exemplo confirmas, qui dissimulanter Pharaoni & Abimelecho dixerit, Saram esse sibi sororem, intentione celandi quòd esset uxor; quid aliud agis, nisi quòd causam ipse tuam prodis, & prævaricatorem te nobis præbes? Nam quid est aliud quod ego dixi, nempe, posse mentiendo quempiam vel dissimulando suaque animi sensa obtegendo, verbis claris atque apertis mentem tamen suam minimè explicare? Ita enim scripsi: *Nam si alia quidem atque alia est enuntiantis intentio, & tamen intentionis notæ seu voces non aliud atque aliud significant, sed unam simplicem & genuinam significationem retinent: Næ aut illæ intentionem enuntiantis nequaquam explicant* (observa quæso hæc verba, mi Baii) *aut simul eadem est & non eadem loquentis intentio verborumque significatio.* Quo cùm nihil verius nihilque planius dici posset, tu tamen contradicendi studio confidenter insultans, dum quod dico vis reprehendere, idem ipsum vehementer confirmas. *Quasi videlicet,* Pag. 22. inquis, *nulla passio, nulla intentio possit esse in animo loquentis, quin significetur vocibus ab eo prolatis. Et si quis dicat, Hæc est soror mea, intentione celandi quod sit uxor: alius verò idem dicat intentione confitendi quod res habet; necessum sit, ut toties varietur verbi substantivi, est, significatio, quoties aliò atque aliò refertur loquentis intentio: etiamsi hanc suam intentionem quæ alia est, non tantùm nolit verbis aut signis indicare, sed etiam conetur modis omnibus abscondere.* In quo quum idem dicas quod ego dixi, tamen quasi re præclarè & ex sententia confecta suavem tibi triumphum ipse accinis, glorians, *me jam posse videre, quàm plumbeum*

beum & obtusum sit argumentum, quod ex Aristotele non ex Scripturis desumptum mihi sonabat acutulum. Addis etiam facetias, ne theologiam tuam sine sale, suem videlicet sine anima, esse suspicaremur, & dicis te non secus ac majorem muscam meas aranearum telas evasisse.

Sed collige te paulisper, homo acutissime, & ipse quid dicas accuratiùs attende, senties profectò nostram à te sententiam vehementer esse confirmatam, jugulatam tuam. Est enim quod ais longè verissimum, sæpenumerò vocibus claris atque apertè ac propriè rem aliquam significantibus, loquentis intentionem non explicari, sed studiosè abscondi celarique: atque hoc est illud quod dixeram illis vocibus intentionem enunciantis nequaquam explicari. Hoc enim fit, quoties vel apertè mentimur, & aliud dicimus quàm sentiamus; vel de uno quopiam interrogati, non candidè & simpliciter de eodem respondemus, sed dissimulanter & callidè aliò contorquemus orationem; quod quidem usu venit Abrahamo à regum libidine sibi metuente. Vel certè tropum aliquem in oratione usurpamus, qualis est, vel Ironia vel, Mimesis, vel Allegoria, vel Apologus, vel alia denique ejusmodi figura, quæ non quidem ipsa verba simplicia, sed compositam orationem à propria & genuina significatione avertit.

Sed quia jam hîc planè est extra controversiam, Christum neque mentitum esse, neque mentem atque intentionem in hujus ultimi testamenti sacrosancta institutione dissimulanter celare aut abscondere voluisse: sed claram orationem usurpasse, quâ mentem illam suam atque intentionem, instituendi suæ mortis symboli, seu sanctissimi Sacramenti significantissimè explicaret; & tamen ea verba in propria sua significatione retineri nullo modo possunt, ne notent ipsissimum panem & vinum quæ tunc habebat in manibus, esse substantiale corpus ejus & sanguinem, quod vos esse falsum confitemini; ideò efficimus ejus verba non propriè ac substantialiter, sed symbolicè & per eum tropum, quem ipse Christus disertè ac significanter designavit, inquiens, *hoc facite in meam commemorationem*, esse necessariò explicanda.

Omnino enim aut propriè locutum esse Christum fatearis necesse est, aut figuratè: nullum est tertium. Si propriè locutus est, non potest ejus intentio aliò referri, quàm quò verborum proprietas nos deducit. Atqui deducit nos indubiè ad id quod ipse tu fateris esse falsum: nimirum, ipsum panem esse corpus. Restat igitur ut figuratè fuerit locutus, & corporis nomen pani per verbum, est, attributum, eodem sensu usurparit, quo in simili planè oratione nomen testamenti seu fœderis in suo sanguine, calici per idem verbum, est, tribuit. Videsne tandem jam, sapientissime Magister, te tuismet pedicis arctè irretitum teneri? Neque ut majorum gentium muscam meas aranearum telas evasisse, sed ut soricem tuo prehensum indicio, tuæque acutissimè ratiocinationis cuspide confixum jacere? Neque est hoc ex Aristotele, quemadmodum tu invidiosè objicis, desumptum, sed & verbi divini testimonio fundatum, & è primis atque à sapientissimo rerum opifice Deo insitis animo humano veritatis notionibus erutum argumentum: quas quidem Aristoteles diligentiùs observatas indicare & in lucem productas quasi digito commonstrare potuit, gignere certè non potuit, & verò ne authoritatis quidem

dem ullum majus momentum eis appendere. Veritas enim suopte pondere rata semper & constans alienæ authoritatis præsidio non eget, sed sui per omnia similis, futileis mendacii nebulas suo splendore facilè discutit. Tu verò, ut hoc veritatis jubar caligine mendacii obscurares, percallidè & veteratoriè pagina libri tui 23. argumentum meum truncasti, inquiens, *me collegisse, ex verbis Aristotelis, quòd dicere Enunciationem aliquam, manente eâdem vocum omnium significatione, posse aliâ & aliâ intentione dici, nihil sit aliud, quàm dicere enuntiationem aliquam idem significando non idem significare, &c.* quo certè nihil potest fingi vel vanius vel homine Theologo indignius. Ego enim alterutrum effeci, vel illis vocibus intentionem dicentis non explicari, quod ipse tu etiam confiteris, vel easdem certè voces idem significando non idem significare. In quo cùm tu truncatâ alterâ orationis parte alteram Sycophanticè cavilleris, quàm bonam in reliquis omnibus fidem præstes, quantumque causæ tuæ bonitate confidas prudenti lectori perspicuum facis.

CApite deinde quarto, vehementer in eo desudas, ut probes enunciante aliquâ propositione, posse quidpiam effici, quod tamen non fieri, sed esse tantùm significetur. Quod etiam si dederimus posse; non magis efficietur ideò protinus factum esse, quàm efficitur ideò verba Christi tropicè intelligenda, quia possint intelligi tropicè. Sed operæ pretium est acumen tuæ ratiocinationis paulò penitius advertere. *Si*, inquis, *ut Christus dixit, Ego sum, videlicet Jesus Nazarenus, Judæi & qui cum eo erant abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, prostrati verbis Christi, nihil ejusmodi significantibus, quantò magis credendum est, verbis Christi effectum, quod cùm priùs non esset, ipse verbis suis non quidem fieri sed esse significavit, &c.* Perbellè profectò & non illepidè: Das enim quod petimus; nimirum his Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, nequaquam significari quòd panis fiat corpus Christi. Et nihilominus, obstinatè contendis, etiamsi non significetur, tamen posse effici. De eo fortè aliàs. Nunc satis nobis est, vel, te confitente, iis verbis non illud significari, quod ita nobis importunè semper inculcatis. Quare adaptato, sodes, præclaram istam tuam similitudinem illis Christi verbis, *Ego sum*, vel, *ego sum Jesus Nazarenus*, prosternuntur Judæi, nihil tale significantibus: Ergo & his verbis: *Hoc est corpus meum*, potest mutari panis in carnem Christi, etiamsi tale nihil significent. Vides quàm elumbis sit hæc argumentatio? & tamen nisi Joannes disertè tradidisset ad illam Christi vocem Judæos prostratos concidisse; quis esset ita vecors qui hoc modo ratiocinaretur, Judæi ad verba Christi potuerunt collabi, ergo necessum est, iis auditis, pronos corruisse. Ejusmodi certè ratiocinatorem Anticyram relegandum & purgandum helleboro, ne tu quidem ipse posses ire inficias. At, idem planè nos de vestra isthac nova dialectica statuere cogit ratio.

Nam si ad illa à Christo pronunciata verba, *Hoc est corpus meum*, Evangelistæ subjunxissent, continuò inania panis accidentia, abjectâ substantiâ & formâ *vetusta* commigrasse in Christi corpus, nemo esset nostrûm qui dubitaret virtute divinâ potuisse effici, quod factum esse ipse Dei omnipotens Spiritus asseveraret.

 ret.

ret. Sed jam non agitur ut quid possit Christus doceamur, sed ut quid ejus verba significent eruamus. Quare cùm ipsi vos, extorquente id veritatis quæstione, fateamini neque his verbis significari, ex pane vel fieri vel factum esse corpus Christi, neque Evangelistarum esse quemquam, qui post eorum prolationem, ejusmodi quid factum fuisse testetur; quænam est ista tam procax intemperies, quæ hæc portentosa nobis commenta tam importunè obtrudat: hîc quum urgemini, iterum ad ipsa de quibus disceptatur verba, quasi ad Sisyphi saxum recurritis, eaque sursum deorsum rotantes clamatis esse certa, plana, indubitata. Quo quid potest esse impudentius? quid inanius? quàm actum semper agendo, & quod erat probandum, postulando auditoris patientiam in re usque adeo sacrosancta tam protervè ludificari? Sed ais, etiamsi verba propriè id non significent fieri; tamen quum vi omnipotentis Dei fieri id possit, & Christus dicat esse corpus suum quod erat panis, ideò effici necessariò factum & transsubstantiatum esse panem in corpus. Hæc verò si vobis connexio constabit, an non videtis eodem jure necessariò dandum esse, ut quotiescunque Dei Spiritus res planè disparatas alteram de altera enuntiaverit per verbum, est; cùm Deus omnia possit, continuò significetur alterum disparatorum in alterum esse commutatum seu transsubstantiatum? Omnino enim complexio singularis, ad universalem erit propositionem reducenda: ita fateamini necesse est eundem Christum in veram vitis substantiam, in agnum, in leonem, in panem, in lapidem, & è contra lapidem & panem in Christum fuisse transsubstantiata. Aut si hæc sunt & falsa & absurda; quid est causæ, cur vos in uno singulari exemplo ita fastidiosè urgetis quod in reliquis omnibus obfirmatè repudiatis? Illa enim Dei virtute ac potenti manu peræquè potuerunt effici ac panis in ejus corpus potuit transsubstantiari, & non minus de illis enunciata est clara, diserta, & indubitata propositio per verbum, est; quàm de his quæ nobis ad ravim usque assiduè inculcatis. Quare cùm ex puris singularibus quæ nectuntur complexiones non modò non necessariæ, sed planè sint futiles, & vos universalem enunciationem statuere nequeatis; desinite tandem ad inania vestra figmenta stabilienda Dei omnipotentiam nequicquam accersere. Illa enim vestram causam non magis juvat, quàm reliqua illa quæ tum hoc tum sequenti capite de mandandi verbis loquaciter & importunè disputas, dum ea non imperativo tantùm loquendi modo, sed etiam indicativo enunciari contendis: vagantur enim hæc omnia extra oleas. Nam illud erat vobis ante omnia probandum, vel Christum disertè mandasse ut panis in ejus corpus transsubstantiaretur; vel certè quoties per verbum, est, alterum alteri tribuitur, toties necessariò consequi transsubstantiationem. Horum alterutrum quia nunquam evincetis; ne nos quidem commentitiæ vestræ & fanaticæ sententiæ adstipulatores habebitis.

QUod me sexto capite traducis, quasi dixerim magicum & cabalisticum esse commentum, si quis statuat Christum verbis suis tribuisse vim operandi mutandique elementa, vel impudens est calumnia, vel putida certè oscitantia. Didicimus enim & Dei verbo & orthodoxâ universæ Ecclesiæ doctrinâ

præ-

præeunte, res eas quæ verbis efferantur, ab ipsis vocibus & verborum sonis religiosè secernere. Nam constans ac sempiterna Dei vel in pios benignitatem atque clementiam exerentis, vel severa in impios judicia exercentis voluntas ac decretum, verbum Dei nobis est, sive de cœlo illud detonet, sive characteribus consignetur, seu denique voce hominis aut spiritus sancti testimonio in cordibus fidelium obsignetur. Id nos religiosè supplices veneramur, eidemque quoties Domini jussu ac mandato hominibus denunciatur, summam atque incredibilem efficientiam constanter inesse credimus. Ita Petrus Ananiam & Sapphyram uno verbo morte affecit, Paulus Elymam cœcitate percussit, Christus ejusque Apostoli infinitos vel gravissimis morbis vel morte liberarunt. Neque hic quomodo enuncietur magnopere laboramus, modò ut de voluntate constet ejus, qui omnia suo versat nutu atque imperio. Sed interea, longissimo certè intervallo ab hoc Dei verbo inanes vocum sonos aut characterum typos, quoad quidem per se considerantur, semovemus. Nec enim quia Christus cœci oculos aperiens, hac voce usus legitur, Epphatach, id est, aperire, ideò arbitramur iisdem syllabis quoties in aërem labiorum motu, & gutturis, ac dentium adminiculo, aut linguæ ad palatum adpulsu emittuntur, singularem aliquam vim inesse, aut ea quasi ad ludibrium ad aperiendos infantium oculos, unà cum ejecta saliva, debere pronunciari. Nec quia Christus ita jussit nos orare, *Pater noster, qui es in cœlis*, &c. certamque addidit promissionem à Patre nos iri exauditum, si quid in ejus nomine poposcerimus; ideò has voces eam habere vim existimamus, ut qui easdem etiam non intellectas ad ratum enuntiet numerum, is propterea venales Pontificum indulgentias consequatur, quibus ab inferorum liberetur cruciatibus. Nec denique quia in nomine Jesu, omne genu flectitur; ideò huic voculæ seu his characteribus JESUS signa, aras, delubra, monumenta & Monachorum ordines putamus esse instituendos. Sunt enim hæc Judæorum, & impurorum Cabalistarum seu Magorum impia sacrilegia, qui Dei atque Angelorum sacris nominibus ad suas præstigias & ad evocandos dæmones flagitiosè abutuntur. Nam voces quidem & typi, nuda sunt signa, quæ per se non modò nihil possunt, sed ne significant quidem quicquam, nisi ex voluntate atque instituto hominum: Dei autem verbum est ipsa illa sacratissima & perpetua ejus voluntas ac decretum, quod vel vocibus enunciatur, vel characterum typis designatur. Quum itaque Christus dixit Panem quem acceperat esse suum corpus, haud sanè voluit istis vocibus eam vim ac facultatem tribuere, ut quotiescunque & à quocunque illæ pronunciarentur, toties miraculorum novorum nova vis ederetur, & rerum omnis subverteretur natura: sed planè ad rem ipsam signatam voluit nos attendere, ut ejus mortis, qua se in hostiam offerens Patri nos conciliavit, memoriam gratâ & piâ mente celebraremus: quam ob causam disertè etiam monuit, ut in ejus memoriam id faceremus, annunciando ejus mortem. Hinc igitur, si vel latum culmum digressi, vocibus ac syllabis vim affinxerimus, perspicuum sanè est, Magis nos ac præstigiatoribus similes, Dei beneficium sacrilegio contaminare. Hæc si tu non potuisti distinguere, mi Baii, quæ sunt ab Augustino in libris de Doctrina christiana ita luculenter atque accuratè pertractata, ut nihil ampliùs possit desiderari; stuporem certè atque osci-

oscitantiam nimis supinam prodidisti. Sin autem probè intellexisti, ut certè intellexisse te satis scio, & tamen dissimulasti; non potes profectò impudentissimæ calumniæ notam effugere.

SEquens caput ejusdem farinæ, futiles sententiæ vestræ ineptias magis etiam ac magis prodit. Pugnas enim, ut probes, Enunciationes quibus aliquid efficitur, non ipso momento, quo pronunciari incipiunt, sed eo quo pronunciatæ sunt, suum effectum consequi. At modò vidimus enunciationes quidem per se nullam habere vim aut efficientiam, sed tantùm adhiberi ad significandum. Itaque non est magnopere laborandum, quo momento vim suam exerant: nam Dei quidem voluntas ac decretum, quod verbo nobis vult consignari, eo ipso momento vim exerit quo authori Deo visum est, quod velit efficere; quæ verò inter homines enuntiantur, vim suam ante accipere non possunt, quàm ita sint enunciata ut rectè perfectèque intelligantur, neque ullus restet tergiversandi locus. Atque hinc est quod aiunt Jurisconsulti, non eo momento quo vir & mulier loqui cœperint, factos esse conjuges, sed quo sermonem compleverint.

Cùm enim hominibus negatum sit arcana mentis intueri; omninò necesse est, ut planis atque apertis vocum significationibus illa declaretur. Itaque oportet sententias quæ enuncientur, esse perfectas atque absolutas, antequam ex iis de mente pronunciantis quidquam possit statui. Hæc verò quid faciunt ad vestrorum Scholasticorum insulsissimas nugas, de ultimæ syllabæ, UM, prolatione, ad cujus sonum, universam transsubstantiationis machinam sisti volunt? & quidem usque eò, ut si quis tantùm dixerit: Hoc est corpus me, nihil ampliùs effecerit, quàm qui planè nihil dixerit. Statuitis enim pronomine, *Hoc*, non demonstrari illud quod Sacerdos manibus tenet, quia mentiretur, cùm nihil sit nisi panis, *sed demonstrari corpus Christi, ratione illius instantis in quo finitur illa oratio*. Ita ut donec planè finita sit oratio, Christus mendacii reus à vobis peragatur. Quo quid potest dici magis vel impium vel ineptum? Quid enim est hoc aliud, quàm Sacrosancto Dei verbo ad impuras & magicas abuti præstigias? Quod itaque mihi hæc impingere videris, quasi ego in momentis syllabarum vim aliquam constituerim, facis tuo more. Nec enim ejusmodi quidpiam vel per somnium mihi venit in mentem. Constitui equidem discrimen inter illas enunciationes quibus aliquid esse declaramus, & eas quibus aliquid fieri eo ipso intervallo quo verba enunciantur, volumus. Itaque affirmavi cùm Christus Regulo dixit, *Filius tuus vivit*, verum fuisse quod dicebat, & quidem eo ipso momento quo verba illa enunciabat; non quidem verborum vi, sed Christi operantis virtute.

Gloss. in lib. sententiarum dist. 8. cap. 2.

Quantopere autem ab illa discrepet hæc oratio, *Hoc est corpus meum*, ex tuis ipsius verbis perspicuum feci. Tu enim scripsisti disertissimè falsam fore orationem, si statuatur eo ipso momento quo Christus eam cœpit enunciare, panis fuisse ejus corpus; & vestri Scholastici, ut jam vidimus, asseverant mentiri sacerdotem si demonstret id quod manibus tenet, nisi habeatur ratio, ad illud instans quo finitur orationis universa circunscriptio. Ex eo effeci illius exempli

pli similitudine, quam tu tamen identidem gloriosè venditasti, tuam transsubstantiationem, vel te ipso judice, stabiliri non posse. Quod igitur hîc jam tui oblitus videris me velle cogere, ut confitear quo momento Christus ea verba proferre incipiebat, eodem ipso non verborum vi, sed voluntate divinâ panem & vinum in carnem & sanguinem fuisse commutata, non mecum tu, sed cum umbra tua ipse digladiaris. Tu enim es ille qui asseverasti falsum illud esse; & ut Christum à falsi nota vindicares, nescio quos grypos es commentus, è quibus necdum potuisti te expedire. Quanquam certè turpissima hæc falsi labes, non in Christi verbis, sed in vestra hæret interpretatione: neque potest nisi fœdiori etiam cœno abstergi. Nos contrà planissimè confitemur, quo momento hæc Christus cœpit pronunciare, & verò etiam quo panem hunc ad repræsentandam mortis suæ memoriam destinavit, eo ipso verba omnia fuisse verissima atque certissima. Ex quo enim voluit hunc sacratum ac benedictum panem in eum à nobis usum accipi, ut esset vice sui corporis, jamjam in ara crucis morituri, non fuit ille ampliùs vulgaris panis, sed ipsum ejus corpus, non quidem ullâ substantiarum commigratione aut metamorphosi, sed usu ac destinatione, quemadmodum annulus, teste Bernardo, qui ad investituram donatur, non jam ampliùs est annulus, sed ipsa illa investitura quam annulus repræsentat.

Miraris me non attendisse eam quam statuisti similitudinem, in verbis mandandi à Christo usurpatis & iis quæ per modum indicandi dicis ab eodem fuisse enunciata, ac proinde accusas quòd eandem interpretandi rationem non admittam in his verbis, *hoc est corpus meum*, quam videor admisisse in illis, *filius tuus vivit*. Sed jam ex tuis ipsius verbis declaravi quanta in his loquendi formulis esset discrepantia. Deinde, si nulla planè esset, tamen eâ re quàm longissimè certè differrent, quod in illis, Evangelistæ testantur mutationem esse subsecutam, non quidem substantiarum, sed ægri corporis in corpus sanum: quod ipsum etsi cum natura rerum minimè pugnet, tamen nisi scripto prodidissent, difficile fuisset ex Christi verbis intelligere. In his cum tu nobis nihil possis simile demonstrare, haud abs re hoc ego argumentum Augustini verbis claudam. *Restat ergo ut non ex divinis libris, sed ex vobis ista dicatis. Proinde dignissimè respondebitur: Anathema sitis.*

QUòd itaque me dicis, *sensuum implorare judicium, quo meum confirmem contra Christi verba errorem:* Primùm quidem, nullum hactenus demonstrasti errorem. Deinde si sensuum judicium implorarem, quid facerem aliud quàm quod me optimus Magister docuit Christus? qui Thomæ & reliquorum Apostolorum incredulitati hoc ipsum sensuum objecit judicium, inquiens, *Palpate & videte: Spiritus carnem & ossa non habet quemadmodum me videtis habere?* Planè veluti ego vobis optimo semper jure objiciam: *Palpate & videte:* Christi corpus neque rotundum est, neque tangi aut corrumpi, vel à vermibus corrodi potest, quemadmodum hoc vestro panis frustulo fieri videtis. Quam ego quidem rationem non Christi verbis, sed fabulosæ vestræ metamorphosi opponam. Christi enim verba supplex adoro, & certissimâ fide veneror: ve-

ſtrum autem tranſſubſtantiationis idolum cùm nullo Scripturarum nitatur fundamento, prorſus ignoro, & ut anathema rejicio. Sed quis non videt hanc eſſe meram calumniam, quâ mea iterum verba mutilè ac truncatè producens, ſenſuum me fingis judicium implorare? Mea enim verba apertè declarant me non tam ſenſuum ſtetiſſe judicio, quàm verbi Dei oraculo. Ita enim ſe habent. *Tota Chriſti oratio eò ſpectat, ut cœleſtem vitam ex ſe uno manare aſſeveret, ac proinde ait ſe eſſe panem qui de cœlo deſcendit. Deinde omnes videbant Chriſti vivum ac naturale corpus neque tum eſſe neque ante unquam fuiſſe panem. Hic verò in eo quod panis fuerit, quod panem eſſe omnes ſenſus judicent, natura doceat, ortus convincat, forma teſtetur, color, figura, guſtus, omnes denique circumſtantiæ atque omnia planè accidentia manifeſtè prodant: verbum ipſum divinum & à Spiritu ſancto dictatum oraculum iteratò ac ſæpius inculcet, velle tamen emendicato aliquo tropo quod paulò ante proprium fuerit ejus nomen ad peregrinam ſignificationem contorquere; abutentis eſt & auditoris patientia & verbi Dei dignitate, &c.* Hîc cùm ego, qui & primâ & extremâ orationis parte Chriſti authoritatem verbique divini oraculum pro ſummo argumentationis firmamento ſumſi, accuſer tamen à te quaſi contra Chriſti verba, ſenſuum tantummodò judicium implorarim, an non meritò & angelorum & hominum fidem implorem, ut mihi tam perverſæ ne dicam deploratæ tuæ malitiæ & calumniæ plus quàm ſycophanticæ velint coram Dei tribunali & judicio eſſe teſtes?

SEd nec dum facis finem. Mox enim capite octavo fingis, *uſum me eſſe hoc argumento: Chriſtus non agebat juriſconſultum, cùm Mariæ virgini diceret*, Mulier, ecce filius tuus: *igitur, non adoptabat Joannem in Mariæ filium, ſed illum tantùm conſtituebat ſui abſentis ſymbolum.* In quo cùm mihi ne in mentem quidem id veniſſe ſcias, immoraris tamen; & adducto Jacobi Patriarchæ exemplo, injectâque ſimilitudine de Adoptione, quâ nos per Chriſtum in filios Deus adoptavit, neſcio quas de Adoptionis jure perſequeris argutias. Atqui non eſt de Adoptione inſtituta nobis quæſtio, ſed de ſubſtantiarum transmutatione. Tu enim, ut aliquod promeres exemplum quo per verbum, eſt, ſignificatur tranſſubſtantiatio, produxiſti ea verba quibus Chriſtus in cruce moribundus Matrem Virginem Joanni commendavit, & è diverſo, Joannem Virgini: inquiens, *Mulier, hic eſt filius tuus:* & rurſus, *Hæc eſt mater tua.* Reſpondi, *nihil hoc ad rhombum facere, neque enim eſſe te uſque adeò tranſſubſtantiationis amore faſcinatum, ut arbitreris iis verbis voluiſſe Chriſtum ſubſtantialiter mutare Joannem in Virginis Mariæ filium, vel Virginem in illius matrem.* Ad hoc tu ne gry quidem. Aliud arripis quod arrodas: & inde in campum adoptionis expatiaris. Sed quin tu apertè fateris vel Virginem Mariam duos ex ſua ſubſtantia habuiſſe filios, alterum ortu, alterum tranſſubſtantiatione, & Joannem duas genitrices: vel certè nihil hoc exemplum ad tuum de tranſſubſtantiatione commentum ſtabiliendum facere.

Quid enim eſt cauſæ quod caput rei alto involvis ſilentio, voculam quam obiter injeceram de adoptionis juridicæ azylo, mordicus arripis, atque inde pro tua libidine ſyllogiſmos cornutos eruis, in quibus tibi delicias facias, &

argu-

argutum te esse ratiocinatorem, seu potiùs facetum scurram, prodas? Quid verò? an est ulla Adoptio quæ rerum creatarum substantias immutet? Num te hoc adoptionis azylum tueri potest? Sed tu percallidè hoc omisso in quo erat cardo disputationis, suggillas mea illa verba quibus dixi: Christum non hîc agere Jurisconsultum; & arguis, qui filios adoptent non agere Jurisconsultos, sed tantùm id facere de quo cognoscit Jurisconsultus, rectè ne an secus factum sit: interjecto simili de Mercatorum contractibus, de quibus cùm Jurisconsulti cognoscant, non tamen ab iisdem propterea ineuntur. Solicitè tu quidem caves ne quid non satis videar dixisse vel propriè, vel grammaticè, itaque exerces te magnâ & tanto Theologo ac regio professore & cancellario dignâ curâ. Sed obsecro te, gravissime Censor, cui ego ita videor perridiculus, cur non mihi liceat latâ significatione usurpare hoc verbum, agere Jurisconsultum, pro eo quod est, anxiè ac sollicitè aliquid agere quod in Jurisconsultorum disceptatione versatur, ritè ne satis ac solenniter peractum sit? Hoc enim est quod volui, Christum in crucis ara pendentem non egisse Jurisconsultum; id est, non admodum anxiè laborasse, an Joannes à Virgine matre solenniter illis verbis adoptatus censeri posset, nec ne: & tamen si in eo totus fuisset, ne hoc quidam tuæ transsubstantiationis causæ quidquam fore patrocinaturum, cùm adoptio nihil habeat commune cum sustantiarum commigratione.

DEinceps capite sequenti mira congeris sophismata: quibus contractam superioribus tuis scriptis calumniæ labem eluas. Sed veterem culpam novâ cumulas. Scripseram *verbi, est, unam & simplicem esse significationem, quatenus quidem semper significat esse, id est, quatenus ab omnibus sejunctum categoriis per se consideratur. Sed ubi conjungitur categoriis, tum accipi pro re subjecta, & significare aliquando substantiam, aliquando qualitatem, aliquando quantitatem.* Inde collegisti, me verbo, est, unam & propriam substantialitatis significationem tribuisse: quo certè quid queat esse impudentius, quum ex iis quæ dixi non possit significatio substantialitatis nisi ad substantiæ categoriam referri? Itaque cùm dico quid esse magnum aut parvum, album aut nigrum, patrem aut filium & infinita alia; verbum certè, est, non significat substantialitatem, sed ea quæ vocibus adjunctis designantur. Tu hîc multis ambagibus conaris te purgare à tam manifesta calumnia, & ais te suspicatum fuisse me tecum sentire, propterea quòd cùm verbum, est, extra categorias consideratum, sit πολύσημον seu varia significans; ego tamen unam illi & simplicem significationem tribuerim: ac proinde non aliter te potuisse judicare, nisi quòd sentirem propriam illam & simplicem ejus significationem referri ad substantialitatem debere. Hoc tu identidem inculcas, & quasi trophæum hic tibi statuis. Sed quo jure id facias, quæso, adverte. Tu magno studio voluisti verbi, est, significationem traducere ad, Fieri, ut scilicet persuaderes, hoc est corpus meum, idem significare, atque hoc fit vel hoc factum est corpus meum. Ego, ut commentum tam absurdum refellerem, ostendi variam quidem esse & multiplicem verbi, est, significationem, prout categoriis omnibus potest accommodari;

 sed

ſed interea per ſe conſideratum, nihil aliud ſignificare niſi, eſſe: nunquam autem, fieri vel factum eſſe. Eſſe itaque magnum aut parvum, album aut nigrum, ſignificat quidem quantitatem aut qualitatem, non ſubſtantialitatem. Et tamen nihilominus omnino ſignificat eſſe, & non fieri; ac proinde cum à categoriis ſevocatum per ſe conſideratur, habet generalem quandam ſignificationem, ſed eam perpetuam ac ſibi peculiarem, quâ ſeparatur ab omnibus aliis verbis quæ non ſignificant, eſſe, ſed fieri, aut aliud ſimile. Quare veriſſimè à me dictum eſt unam & ſimplicem, id eſt, propriam ſibi ac peculiarem habere ſignificationem, quâ ſemper ſignificet eſſe, etiamſi non ſignificet eſſe ſubſtantialiter. Quemadmodum in noſtra quæſtione, panis eſt quidem corpus, etſi non ſubſtantialiter, ſed tantùm Sacramentaliter, id eſt, ratione Sacramenti & ſigni, quod quidem non ad ſubſtantiæ, ſed ad πρός τι categoriam referri debet. Sed ais, differere nos de verbo, eſt, in ea ratione, quâ attributum ſententiæ de qua diſceptatur ſignificet ſubſtantiam, nempe corpus Chriſti; ac proinde non poſſe verbum, eſt, aliud quicquam præter ſubſtantialitatem deſignare. Quaſi verò ſolius vocis attributæ natura, orationem ſemper afficiat, & non ipſa potiùs attributi cum ſubjecto copulatio. Verum enim & falſum in conjunctione & disjunctione rerum omne conſiſtit. Alioqui, cùm ſe veram eſſe vitem Chriſtus pronunciat, quis ex eo effecerit quia vox attributa, nempe, vitis, ſignificet ſubſtantiam, ideo totum orationis ambitum ſubſtantialitatem ſignificare, ac propterea Chriſtum contenderit in veram vitis ſubſtantiam eſſe tranſmutatum. Quid verò? in hac oratione, *Petra erat Chriſtus*, an non & ſubjecta vox & quæ illi attribuitur utræque ſubſtantiam ſignificant? Cur igitur non credimus Petram ſubſtantialiter fuiſſe in Chriſtum transformatam. Apage igitur cum rancidis iſtis tuis & putidis ſophiſmatibus.

Circa finem cap. 9. & init. 10. POſtea iterum variis me criminationibus aſpergis, quas ſi ſigillatim coner refutare, actum egerim. Nullo enim negotio de rei veritate prudens judicabit lector, qui mea quidem ſcripta ad tuas accuſationes examinaverit. Quocirca prudenter ſanè & circumſpectè caviſti ne iſthic in lucem prodirent, non modò veritus, quod tu priori parte libelli tui confeſſus es, ut quos tu ſimpliciores vocas quique in ignorantiæ gurguſtio à vobis per vim retinentur, meis argumentis, quæ tu dicis plauſibiliter fuiſſe propoſita, commoverentur; ſed etiam ut quicquid adlibuiſſet, impunè mihi poſſes adfingere, meaſque ſententias & verba quocunque velles impunè detorquere. Diſputationes tuæ de benedictione & maledictione, deque ſtraminis vaſi impoſiti ſimilitudine, aliaque ejuſdem generis permulta, quia neque quicquam ad rem faciunt, neque tantillum roboris aut nervorum habent, prudens tranſeo, ne confutandis tuis ineptiis ipſe me ineptum præbeam.

CApite undecimo iterum tuo more ſyllogiſmum mihi adfingis, cujus ego nihil unquam ſimile cogitavi. Ais me ſic eſſe argumentatum: *Chriſtus præcepit ut quotieſcunque id fecerimus, in ſui memoriam faciamus: igitur in Sacramento Eucha-*

Eucharistiæ non est Christi præsentia sed memoria. In quo certè versutè ac veteratoriè Christi præsentiam pro transsubstantiatione panis substituisti, quod quidem ipsum in libri tui titulo fecisti sanè quàm impudenter. Atqui, quis est nostrum qui præsentiam Christi in cœnæ Sacramento pernegarit, quippe qui cum Augustino constanter profiteamur. *Unam illam personam quæ Deus & homo est, & utrumque unus Christus Jesus, ubique esse per id quod Deus est, etiamsi sit in cœlo per id quod homo.* *Ac proinde*, ut idem ait Augustinus, *etsi secundùm præsentiam carnis illum Ecclesia paucis habuit diebus, modò fide tenet, oculis non videt, tamen secundùm præsentiam majestatis semper habemus Christum præsentem. Nam secundùm majestatem suam, secundùm providentiam, secundùm ineffabilem & invisibilem gratiam, impletur ab eo quod dictum est, Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi, &c.* Impudens igitur est calumnia quod ais nos negare Christi præsentiam in cœna. Sed cùm intelligatis multum distare doctrinam de Christi præsentia à doctrina de transsubstantiatione; & præsentiam corporis aut carnis Christi, multum differre à præsentia Christi, quatenus est Christus Deus & homo; tamen ejusmodi strophis, auram captatis popularem, & nos apud ignaram plebem, cui nostris libris graviter interdicitis, vocatis in invidiam, criminantes nos Christi præsentiam in sacrosancta cœna penitus pernegare. At ego certè transsubstantiationis quidem dogma oppugnavi, de præsentia Christi ne verbum quidem tecum commutavi, tantùm abest ut eo sim argumento usus, quod tu mihi hîc adfingis. Et verò etiam non dubitem, ratione Fidelium qui Christi corporis & sanguinis fiunt in cœna participes, ipsam carnis præsentiam, modò ut sanè intelligatur, in Sacramento Eucharistiæ admittere: non quidem, ut eam cœlo detractam, in terra præsentem statuamus, vel surdo panis elemento ejusve accidentibus copulemus, sed quia in cœlo manens Christus, vi Spiritus Sancti nos in cœlum fide evectos, ita arctà unione secum nectit & copulat, ut non possit ullus neque capitis humani cum reliquis corporis membris, neque vitis cum palmitibus, nec radicis cum ramis arctior nexus cogitari. Quâ igitur loquendi ratione arboris radicem quamvis profundè in solo defixam, ramis, etiamsi cœlum vertice attingant, adesse & præsentem esse rectè dicimus, vel caput adesse suis omnibus membris quamvis longiusculè dissitis: eâdem haud erit absonum Christi corpus quod est in cœlo, ejus necessitudinis ratione, quæ cum membris illi arctissima intercedit, Fidelibus omnibus, in Cœnæ mysterio, præsens esse censeri. Itaque cum argumento à te conficto non mecum, sed cum tua ipse umbra dimices, non est quòd hîc insistam pluribus. Nam quod ad sextum Joannis caput attinet, quod magnopere videris reformidare, ne machinam vestræ transsubstantiationis demoliatur, si ad doctrinam de Sacramento Eucharistiæ traducatur; non tam hîc mecum dissentis, quàm cum omnibus illius vestræ machinæ architectis. Illi enim in eo capite doctrinæ suæ vel præcipuum statuunt fundamentum, ut ex Magistro sententiarum, Thoma Aquinate, aliisque qui in eas commentati sunt, videre licet. Itaque penes vos sit hæc controversia. Mihi satis sit dixisse, quanquam illo capite de Sacramento nihil agatur ex professo, dubitari tamen non posse, quin de re Sacramenti, id est, de salutari ac vivifica corporis Christi manducatione, deque sacratissima illa simul & arctissima Christi cum

Epistola ad Dardanum 57.
Tract. in Joan. 50.

cum Fidelibus unione, cujus mysterium & Sacramentum in sacra cœna proponitur, omnis Christi sermo sit institutus: quod certè Patres orthodoxi & inter cæteros luculentissimè Cyrillus, qui hoc argumentum ex professo persecutus est, uno ore omnes testantur. Quod autem argutulè cavillaris, haud esse facinus deglutire integram Christi carnem, modò non frangatur aut laceretur, & illam corporis devorationem audes comparare cum Christi in utero virginis conceptione, ita est & impium & ridiculum, ut nullâ indigeat confutatione. Nec enim quisquam ita est amens, ut non intelligat æquè facinorosum esse vivum hominem balænæ ritu deglutire, atque eundem in frusta minutatim discerptum dentibus terere: etsi non potes ignorare, Concilio Lateranensi, quod est unum vestræ hujus doctrinæ fundamentum, planissimè decerni, verum Christi corpus in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dentibus atteri: quemadmodum disertis verbis in Decretorum libros vestri legislatores retulerunt. Ita ut nihil vos istud de laceræ aut fractæ carnis discrimine, aut de macello nescio quo effugium, in quo tamen mirificè vobis placetis, juvare possit. Quanquam quod tibi, hîc sumis Augustinum, non integræ sed laceræ tantùm carnis facere mentionem, futile commentum est. Augustinus enim simpliciter asseverat, quum ait Christus, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videri eum jubere.* Ac proinde necessariò concludit, inquiens: *Figura est ergo præcipiens, passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.* Et quod alibi ait: *Spiritualiter intelligite quæ locutus sum, Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendavi. Spiritualiter intellectum vivificabit vos, &c.* Non in modo edendi aut bibendi sive visibili sive invisibili, neque in laceratione discrimen statuit, uti vos fingitis: sed in re ipsa quæ comeditur & bibitur diversitatem omnem collocat, inquiens, non illud ipsum fore corpus, illumve sanguinem quem nos sumpturi sumus, sed eorum tantùm Sacramentum. Etsi vel hoc uno potest stultitia vestra retegi, quod hanc vestram lacerationem & macellum non potestis nisi carni tribuere: Augustinus autem cum æquè magnum statuat flagitium in bibendo hominis sanguine (quod quidem nisi integrum bibi non potest) atque in edenda carne, vestras istas nugas, nobis esse exibilandas perspicuum facit.

Ca. Ego Berengarius. De consecra. dist. 2.

Hic consule magistrum sententiarum, Thomam Aquinatem, reliquosque omnes universim Scholasticos.

Fateris deinde, non esse quidem confingenda miracula, ut citra doctrinam Scripturarum sacrarum sententias à vobis excogitatas defendatis. Sed addis neque esse neganda Christi verba, aut ad insolitum & inusitatum loquendi modum detorquenda, atque inde porrò in latissimos de fide Abrahami & Mariæ Virginis, aliorumque fidelium campos digrederis, quasi victor ex arena lauream reportaris. Sed cùm ipse satis scias neminem unquam nostrûm verba Christi pernegasse, quæ nos quidem religiosissimè colimus, & in ecclesiis nostris si quicquam aliud, assiduè inculcamus; insolitum certè & inusitatum loquendi aut interpretandi modum quum nobis objicis, quid aliud agis nisi quòd crimen ipse tuum in nos nequicquam conaris derivare?

Pri-

Primùm enim, quid potest esse magis vel insolitum vel novum atque inusitatum, quàm ex iis verbis quibus Sacramentum instituitur, fabricare transsubstantiationem? ita ut, *hoc est corpus meum*, tantundem significet, atque Hoc cujus substantia jam evanescit mutatur, vel transsubstantiatur in meum corpus: Quæ certè loquendi ratio, nullo neque Scripturarum, neque communis sermonis exemplo unquam confirmabitur. Deinde, an potest quicquam fingi magis vel insolitum vel inusitatum, quàm uni Sacramento eam transsubstantiandi rationem adfingere, quam in reliquis omnibus tum Veteris tum Novi Testamenti signis & Sacramentis vos ipsi constanter repudiatis? Ita ut Thomas ille vestræ disciplinæ scholasticæ facilè princeps, quum hanc objectionem proposuisset, *quòd in aliis omnibus Sacramentis substantia materiæ maneat, ut in baptismo & confirmatione liquet, ac proinde cum in Sacramentis debeat esse conformitas, videatur & in hoc Sacramento debere panis & vini substantia remanere*, nihil potuit aliud invenire quo nodum hunc dissolveret, nisi quod idem per idem confirmando, & contra disputationis leges, quod erat unum in controversia, id unum quasi confessum postulando, inquit: *Ad secundum dicendum est, quòd in aliis Sacramentis non est ipse Christus realiter, sicut in hoc Sacramento: & ideò in aliis Sacramentis manet substantia materiæ, non autem in isto.* Quid? quod illi ipsi qui hanc transsubstantiationis Pandoram in arce fidei collocarunt, eam tamen apertè confitentur esse novitatem, & quidem novitatem sæpius geminatam? Ita enim in Thomam disertis verbis scribit vester Cajetanus: *Et quoniam variæ fuerunt opiniones, multiformiaque fiunt argumenta circa hæc, implicantia mentes etiam eruditorum, prænotandum est & ante oculos semper habendum, intervenire hic non unam sed duas novitates valde mirabiles, &c.* Et mox: *Quapropter conformiter ad sacros canones loquendo, vocetur ista Novitas, Novitas continentiæ, quoniam verè secundùm hanc corpus Christi continetur, & hostia continet corpus Christi, quamvis non continentia locali. Altera autem novitas vocetur novitas conversionis, quoniam secundùm illam panis verè convertitur in corpus Christi. In hac igitur conversionis novitate, manifesta mutatio intervenit, quâ ex pane fit corpus Christi: sed mutatio ista absque subjecto invenitur, habens pro termino à quo, panem, & pro termino ad quem, corpus Christi. Et scito, quòd tanta est utilitas discernendi inter has novitates & inter has mutationes, ut inde pendeat & intelligere tam varias objectiones, & scire formaliter respondere, & scire quid scias vel nescias, &c.* Hæc est vestrorum Doctorum de his novitatibus tam admirabilibus confessio, quæ certè sunt ejusmodi, ut in infinita illa Scholasticorum vestrorum caterva, haud facilè duos reperias, qui de verborum Christi explicatione inter se consentiant. Cùm enim ea velint omnes ad transsubstantiationem contorquere, & tamen sentiant non congruere, nemo est qui non sibi novum aliquem atque insolitum interpretandi modum comminiscatur, & quasi novum fabricet cothurnum, quem novo huic pedi possit induere. Hinc variæ illæ opiniones & multiformia argumenta, de quibus ait Cajetanus, orta sunt, quæ ne intelligi quidem nisi confictis novitatibus posse tradit. Sed quid ego ista commemoro? vos ipsi an non uno ore omnes traditis, ita novam atque insolitam esse istam transsubstantiationem, ut nullius unquam alterius rei vel creatæ vel increatæ exemplo visa auditave sit? Eò enim detorquetis illam Christi orationem, *verba quæ ego lo-*

Hæc sunt verba Thomæ quæst. 76. art. 4.

quot vobis spiritus & vita sunt, id est, ut vestri Doctores interpretantur, *spiritualia sunt, nihil habentia carnale, neque consequentiam naturalem: sed eruta sunt ab omni tali necessitate quæ in terra est, & à legibus rerum creatarum.* Ac proinde docetis nullam hîc vel formalem vel materialem esse mutationem conversionemve, ut in cæteris omnibus rebus quæcunque aliæ in aliam convertuntur, usuvenit. Sed novo, atque omnibus sæculis, omnibusque qui unquam fuerunt hominibus inaudito atque inusitato modo, neque formam transire in formam, nec materiam in materiam, sed totam unius substantiam mutari in totam substantiam alterius: manentibus nihilominus illius & omnibus accidentibus & ipsâ visibili atque omnibus sensibus objectâ specie: quod quidem novâ & creatis omnibus rebus insolitâ virtute agentis infiniti contra omnes naturæ leges fieri magistraliter decernitis. Quæ res cùm ita sit prorsus nova atque insolens, ut necesse vobis fuerit ad eam explicandam etiam nova comminisci rerum vocabula; quis non videt vos esse illos, qui verba Christi ad novum insolitum atque inusitatum loquendi modum detorquetis? & quidem usque eò ut etiam si vobis largiremur, iis quæ soletis producere exemplis rerum transmutationem significari; nullam tamen habere possent illa cum vestra isthac transsubstantiatione societatem, nullam cognationem. Nam etiamsi Christus in Cana Galileæ ejusmodi prolatis verbis, *Hoc est vinum*, aquam in vinum convertisset; illa tamen conversionis ratio ab hac vestra toto, quòd aiunt, cœlo discreparet.

Postremò ad novam hanc & inauditam atque insolitam fabricam nova etiam & nunquam antehac non modo visa, sed neque cujusquam vel sermone explicata, vel cogitatione comprehensa miracula substruxistis, ut videlicet novam vestram Pandoram novis fucis ac pigmentis exornaretis. Et interea non veremini ad hæc omnia frontem impudenter perfricare, & nobis novum, insolitum atque inusitatum loquendi atque interpretandi modum apud ignaram plebeculam objicere. Quum nihil possit esse usitatius, nihil planius, quàm uni cuipiam sacramento tribuere, id quod omnibus esse sacramentis commune vos ipsi non audetis inficiari; & Augustinus certè atque omnes orthodoxi Patres manifestè tradiderunt. Omninò enim vel Eucharistiam negetis esse Sacramentum necesse est; vel si est Sacramentum, id est, ut ipsi vos ex Augustino definitis, sacræ rei signum, & habet quandam similitudinem cum ea re cujus est Sacramentum; fateamini neque novum neque inusitatum esse, ut ejusdem illius rei signatæ nomen accipiat, quum id omnium universim sacramentorum ratio, natura, analogia, & veritas denique postulet. Quod quia superiori nostrâ disputatione variis exemplis & rationibus manifestum fecimus à nobis hîc non repetetur pluribus. Id unum ex te sciscitabimur, qui ab hac interpretatione tanquam à scopulo refugere videris, quid est illud tandem quod te hîc offendat aut novum aut insolitum? Nova certè vocabula nulla exquirimus, quibus nostram sententiam explicemus: rerum naturas minimè invertimus: substantiarum inauditam commigrationem non agnoscimus; neque à verborum usitata significatione, neque à Sacramentorum analogia vel tantillum recedimus: rerum diversissimarum novas concomitantias ignoramus: vero Christi corpori incorporeas atque immensas proprietates minimè tribuimus:

man-

manducationes quæ stomachi regionibus finiantur, de reliquo penitus evanescant, penitus ignoramus: Murium ac vermium de nihilo nutritiones non admittimus. Accidentia sine substantiarum fulcro rejicimus. Infinita denique confictorum à vobis miraculorum portenta repudiamus. Nec denique quicquam huc adferimus, nisi quod est planum, perspicuum, usitatum, & cum ipsa sacramenti de quo agimus natura & analogia ubique consentaneum.

At vos econtra ad fulciendam istam vestram novam, vagam atque instabilem transsubstantiationem, Deus bone, quas machinas, quos vectes, quæ fulcra adhibetis! quas metamorphoseis, quæ monstra, quæ portenta quàm licenter comminiscimini! quàm importunè Dei potentiam, quoties rationibus & argumentis urgemini quasi ἀπὸ μηχανῆς ad auxilium evocatis! & adhuc audetis inusitatam interpretationis novitatem à vestris cervicibus in nos invidiosè derivare! Quum tu hoc ipso capite fateare non vestræ interpraetationis veritatem sine miraculo tueri.

Sed quæ tandem est ista vis ac necessitas tam fatalis, quæ in eas vos cogat angustias, & eversis rerum creatarum legibus quas quidem ratas & perenneis esse Deus voluit, quasi ad nova Epicuri intermundia, novasque universæ naturæ metamorphoses ableget? Ais quidem exquirere vos modum quo vera esse possint Christi verba, quibus accepto pane dixit, *hoc est corpus meum*, quæ dubitare non potestis esse verissima, etiamsi veritatis modum ignoretis. Hoc unum igitur vos urget, ut verborum Christi veritatem conservetis. Atqui, non potestis negare quin & nos verba Christi longè verissima esse profiteamur. Quid est igitur causæ quamobrem interpretationem nostram, in qua nihil est hiulcum, nihil protuberans, nihil absonum, nihil vel à sacramentorum natura alienum, vel à fidei Christianæ articulis dissentaneum, vel denique cum Christi corporis natura seu proprietatibus naturalibus pugnans, tantopere exhorrescatis? Valet scilicet apud vos opinio præjudicata, propterea quod à Magistrorum vestigiis quos Ecclesiæ nomine semel ornastis, recedere vobis nefas putatis: & evertendam rerum omnium universitatem, ac de vita potiùs, quàm de sententia decedendum arbitramini. Quod quidem an ita se habeat, Cajetanus vester, & Cardinalis & summâ inter vestros eruditione atque indubitatâ fide vir, testis esto. Is in Thomam, ubi ait Magistrum Sententiarum nostram sententiam improbare, ita disertè scribit.

Circa præsentis & sequentium articulorum doctrinam ac materiam, pro claritate & ampliori intellectu difficultatum sciendum est, ex authoritate sacræ Scripturæ, de existentia corporis Christi in sacramento Eucharistiæ, nihil aliud haberi expressè, nisi verbum Salvatoris dicentis, Hoc est corpus meum: *Oportet enim verba hæc vera esse. Et quoniam verba sacræ Scripturæ exponuntur dupliciter, vel propriè vel metaphoricè: primus error circa hoc fuit interpretantium hæc Domini verba metaphoricè, quem Magister Sententiarum in distinct.* 10 *libro* 4. *tractat, qui & in hoc articulo reprobatur. Et consistit vis reprobationis in hoc, quod verba Domini intellecta sunt ab Ecclesia propriè. Et propterea oportet illa verificari propriè. Dico autem ab Ecclesia, quoniam non apparet ex Evangelio coactivum aliquod ad intelligendum hæc verba propriè, &c.* Hactenus ille. Ex quibus certè verbis vel meridianâ luce clarius apparet, nihil esse penitus in sacra Scriptura quod vos in istas proprietatis verbo-

Thomas à vio Cajet. titulo 5. Sixti presbyter. Cardinal. sup. 3. partem S. Thomæ super q. 75. art. 1.

verborum adigat angustias; sed quidquid illud tandem sit, id omne ex præjudicata vestræ romanensis Ecclesiæ sententia proficisci. Quanquam ne ex hac ipsa quidem verborum proprietate, transsubstantiationis doctrina, de qua nobis est omnis disputatio, potest esse consectanea, sed tantùm præsentia corporis Christi in sacramento Eucharistiæ, de qua paulò ante sententiam nostram explicavimus. Nam quod ad transsubstantiationem attinet, vide quæso quale sit ejusdem Cajetani judicium. Paulò enim post, *Habemus igitur*, inquit, *ex veritate verborum Domini in sensu proprio, Corpus Christi veraciter esse in Eucharistia: & hoc est primum quod ex Evangelio habemus circa hoc sacramentum. Alterum autem quod Evangelium non explicavit, expressè ab Ecclesia accepimus, scilicet, conversionem panis in corpus Christi.* Quæ sit autem isthæc Ecclesia, idem disertè notat, subjungens: *Hanc enim (scilicet conversionem) non solùm à priscis doctoribus Ecclesiæ, quos habes de consecratione distinct. 2. copiosè, & à Magistro Sententiarum in tractatu de Eucharistia diffusè; sed à concilio Lateranensi sub Innocentio tertio accepimus, ut patet ex tract. de summa Tri. & fide Cathol. firmiter credimus, ubi utrumque simul dicitur, &c.* Etenim cùm illis ipsis, qui tum in Decreto, tum in libro Sententiarum, producuntur testibus planissimè appareat, veterem universam Ecclesiam aliter sensisse, & Christi verba per sacramentum explicasse; omnino liquet, hujus doctrinæ fundamentum in solius concilii Lateranensis authoritate conquiescere. Nihil est igitur ista vestra transsubstantiatio, nisi mera traditio, ac purùm putum commentum eorum, quibus vos Ecclesiæ nomen arrogatis, ex quorum authoritate haustam atque infixam animis vestris opinionem si deposueritis, ejusque loco, sacræ Scripturæ authoritati vos subjeceritis; nec ulla restabit inter nos hac de re controversia, nec erunt vobis nova miraculorum portenta confingenda, quibus veritatem verborum Christi à falsi nota vindicetis; atque ita quæcunque tu hîc importunè de fide Abrahami & Virginis Mariæ, & Zachariæ accumulas, suâ sponte corruent, neque ullâ responsione indigebunt.

EX his facilè apparet, difficultatem de fractione panis haud à me inventam productamque esse, quemadmodum tu fingis: fluxit enim illa, ut cæteræ omnes, ex illo absurditatum omnium immenso gurgite, transsubstantiationis, inquam, doctrina, quæ ut olim omnes vestros Scholasticos, ita nunc te necessum est mirificè torqueat. Nec enim potes te ex hoc cœno expedire. *Substantiam panis fateris frangi non potuisse, utpote quæ jam esse desierit: at ne Christi quidem corpus, quod est nefarium, in frusta discerpi. Efficis igitur omnino relinqui panis frangi magnitudinem, quæ post benedictionem sit relicta, modumque suum & formam retinuerit, &c.* Omitto flagitia orationis, quod ais magnitudinis quæ sit sine subjecto modum & formam retineri, quum omnis forma sit formati forma: magnitudini autem per se, quæ substantiam ipsam quodammodo informans ipsa informari non possit, formam tamen & modum tribuere, nimis certè supinæ est oscitantiæ. Sed his omissis, sententiam expendamus. Equidem cùm hæc legerem, subiit animum meum illa Senecæ increpatio de iræ impetu: *In quo etsi vanis concitati simus, nos dicit perseverare, ne videamur cœpisse sine causa:*

causa: & quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas iræ. Retinemus enim illam & augemus, quasi argumentum sit justè irascendi, graviter irasci. Quod ille de ira dicit, etiam de errore verissimum esse, tuo hîc doces exemplo. In eo enim semel suscepto perseveras, ne videaris cœpisse sine causa: ita errorem & pertinaciter retines, & vehementer etiam auges, ut justè errandi argumentum facias, errare graviter. Quis enim unquam vos vel Apostolus vel Evangelista docuit, panem quidem desiisse, magnitudinem autem panis quæ frangatur relictam esse? Quasi verò cùm Paulus disertè affirmaret, panem quem frangimus esse corporis Christi communionem; non de pane egerit, sed de visa magnitudinis specie ac simulachro, quod sine pane subsistat? Sed hæc jam satis superque repetita non est necesse pluribus inculcare. Verba Pauli & omnium Evangelistarum plana sunt, clara atque perspicua, neque possunt ejusmodi fascinis aut præstigiis obscurari. At verò, quî potest existere panis magnitudo, ubi nullus est panis? an non vides esse hæc pugnantia, frangi magnitudinem panis non panis? An tu mihi ullius rei quæ non existat, magnitudinem ullam aut formam dabis? Quid verò si fracta illa magnitudo à mure corrodatur eundemque nutriat? an vivum animal inani magnitudine nutriri contendetis? Sed relinquitis Deo hanc curam: modò ut vestrum semel susceptum errorem tueamini, de reliquo nihil vobis est pensi. *Ita enim quasi ex tripode pronuntiat vester Sententiarum Magister. Illud etiam sanè dici potest, quòd à brutis animalibus corpus Christi non sumitur etsi videatur. Quid ergo sumit mus? vel quid manducat? Deus novit hoc, &c.* Lepidam sanè & magistralem sententiam! Sed quid tandem est istud vestrum magnum, album, rotundum quod frangitur? Dicitis esse accidentia. Esto. At cui ergo accidunt? Christi ne corpori, an panis substantiæ? Planè nulli, sed hærent in aëre pendula. Ergo ne accidentia quidem sunt, cùm nulli planè rei accidant. Hîc prehensi, excurritis in campos miraculorum, & omnipotentiam Dei ad fulcienda vestra somnia è cœlo devocatis. Nam quo tandem verbo potestis docere, magnitudinem aliquam esse, ubi nihil sit magnum; rotunditatem, ubi nihil existat rotundum; frangi denique aliquid, quod omninò non existat? Reditis ad usitata illa verba: Hoc est corpus meum. Ea clamatis esse clara, perspicua, indubitata: quasi verò illa pronuntiarit Christus ad portentosa hominum fanaticorum sustentanda deliria. Et tamen utut se res habeat, utique videtis non aliter vos absurdissima quæque vestra commenta tueri posse nisi uno illo à vobis sumpto quod unum est in controversia, quodque nullo argumento potestis probare. Contendis magnitudinem per se divisibilem esse, sicut color est per se visibilis, & Aristotelem etiam hujus insaniæ testem laudas, quia videlicet tradat colorem per se visibilem; substantiam verò sub colore latentem cerni non posse, nisi ratione coloris. O præclarum Philosophum, & acutum simul Theologum! quasi verò Aristoteli vel per somnium venerit unquam in mentem, ullum posse cogitari colorem nulli planè rei quæ per se existat subnixum fulcitumque, qui perpetuò inculcat non posse extare accidentia, nisi habeant cui accidant. Ais deinde Christi corpus sub panis magnitudine contentum, per accidens divisum esse. Atqui paulò antè dixeras, solum dividi accidens seu solam magnitudinem. Illud autem accidens Christi corpori cum minimè accidat; certè eò

diviso, Christi corpus ne per accidens quidem dividi potest. Dividi enim per accidens vel pueri intelligunt, nihil esse aliud, nisi dividi ratione accidentis quod inest ipsi illi quod dividitur. Cui enim accidens aliquod non inest, ei certè ratione illius accidentis tribui nihil potest. Paulò pòst quasi ex uno delirio in aliud lapsus, inquis divisam esse ita Christi substantiam, ut & sub tota panis magnitudine, & sub qualibet ejus parte tota existat. Ergo & divisa est Christi substantia & non divisa, & fractum ejus corpus & simul non fractum, & denique integrum & non integrum. Hoc si non est delirare, ego certè nunquam ægrum delirantem vidi. Sed adjicis præclaram rationem & mysticâ isthac theologiâ perdignam. Ideò Christi corpus suæ magnitudinis ratione non fuisse divisum, quia hæc magnitudo suum modum & formam non habebat. Ergo Christi corpus & alienæ magnitudinis ratione divisum fuit, quod certè est absurdissimum: & suâ magnitudine prorsus caruit, ac proinde immensum fuit, omnique corporeâ proprietate vacans, & ita ne corpus quidem: quod est impium. Nam si est ita ut dicis, omninò necesse est vel imaginarium & phantasticum Christo corpus affingas, vel in immensam Deitatis naturam idem transfundas, quorum alterum est Marcionem ex inferis revocare; alterum, cum Swencfeldio & Anabaptistis insanire. Hîc tu tamen tanti convictus probri, non vereris pronunciare, vos ad imitationem Sanctorum divinam omnipotentiam pro fidei vestræ fundamento constituere. At oportebat meminisse fidem esse ex verbi Dei auditu; ac proinde nullam esse fidem, ubi non sit verbum. Crediderunt enim sancti Patriarchæ quibus per Angelos Deus locutus est, Christum ex semine Davidis in hunc mundum venturum & pro nostris peccatis hostiam se Deo oblaturum: & reliqua, quæ Prophetarum oraculis consignata sacræ Scripturæ paginâ continebantur. At verò ut ad vestrorum sacrificorum murmur pani insusurratum omnis rerum natura everteretur, ut quod revera existit panis subitò evanesceret, & inania ejus accidentia in aëre pendula hærerent, ut denique panis substantia in substantiam corporis Christi converteretur, id quia neque Prophetarum neque Apostolorum testimonio comprobatur, neque vobis ipsis testibus vel minimo Evangelii apice traditur; ideò nos vobis vestræque Ecclesiæ, à qua vos dicitis accepisse hoc tam portentosum mysterium, relinquimus; & uno Dei verbo cum omnibus Sanctis indubitatâ fide acquiescimus. Quòd itaque adjicis, non moveri te absurditatibus à nobis collectis, quia ex Paulo didiceris, *quòd Deus elegit ea quæ stulta sunt mundi ut confundat sapientes*, non modò ridiculum est, sed vanum etiam & impium. Nam quòd has absurditates ex verbis Christi in proprio & usitato sensu sumptis ais colligi, insignem Dei filio contumeliam inuris; cujus certè verba plana, perspicua & aperta cùm sint, nihil habent absurditatis, quia nihil habent commune cum transsubstantiatione, è qua sola tanquam ex putri sentina omne hoc absurditatum cœnum longè latèque profluxit. Quod autem ea quæ Paulus de Christo crucifixo, qui gentibus habebatur stultitia, Judæis scandalum, ad vestrum transsubstantiationis monstruosum fœtum traducis, plenum est impietate. Ridiculum etiam quod in commentitia ista transsubstantiationis fabula, stultitiæ & cæcitatis notam ipse animadvertis, quam quidem frustra Dei sapientiæ tribuis, cùm sit vestræ synagogæ fœtus, & è Jovis Romani

mani cerebro, in Lateranensi Concilio, prognata infausto partu Minerva. Ita ut manifestum sit non pro Dei verbo, sed pro vestris adinventionibus sustentandis vos velum omnipotentiæ, quasi quoddam somniorum tegumentum, obtendere.

CApite xv. manifestam iterum adhibes calumniam. Ais enim me dixisse, *Christi corpus nullâ circumscriptum dimensione, seu magnitudinis suæ modum & formam non habens, æquè posse sub naturali pane atque sub inanibus accidentibus delitescere, &c.* Ex quo facilè jam est videre, quod antè attigi, noluisse te ut mea prodiret in lucem Epistola, quo posses quidquid adlibuisset impunè mihi adfingere, neque Lectori esset integrum de rei veritate quicquam statuere. Ego enim tantùm abest ut id vel scripserim vel senserim, ut jam ante duodeviginti annos, libellum contra illam sententiam in lucem ediderim. Mea autem ex quibus te hæc hausisse possum suspicari, ita se habent paginâ libelli mei 299. *Alioqui obsecro te, vir præclare, cedo ex quibusnam tandem fontibus vel rivulis hauserint vestræ hujus præstigiosæ theologiæ antistites, præcipuum in hoc jus & singularem prærogativam accepisse nuda hæc vestra accidentia, ut hoc Christi corpus invisibile atque impalpabile nullâ corporeâ circumscriptum (ut volunt) dimensione non æquè possit sub vero naturali & vitali pane atque sub cassis & inanibus accidentibus occultatum delitescere, &c.* Videsne hæc portenta quæ tu mihi adfingis, non ex mea, sed ex vestra manare sententia? Vos enim estis ii qui quoties lubet, pernegatis Christi corpus dimensis & corporeis circumscribi finibus: & in omnes sacrificorum aras, in omnesque manducantium hunc panem stomachos sine ulla dimensione aut quantitate porrigi asseveratis. Nos verò ejusmodi blasphemias & portenta eâdem fide aversamur, quâ veritatem Evangelicam amplectimur, quæ tradit verum Christi corpus, verâ & corporeâ dimensione constans, in cœlum semel receptum, eodem contineri, donec ad rerum omnium instaurationem inde sit descensurum. Sed quàm hoc est ridiculum quòd confiteris quidem Deum potuisse efficere, ut Christi corpus sub panis substantia delitesceret; sed quia dixit Christus, *Hoc est corpus meum*, non autem, Hoc simul est & panis & corpus meum; ideò credere te id quod Christus demonstravit fuisse quidem corpus, panem verò nequaquam: quasi verò magis Christus dixerit, hoc simul est & species panis & corpus meum; quàm, hoc simul est & panis & corpus meum; ac proinde ejus oratione magis excludatur panis substantia, quàm cassa & inanis ejusdem species seu accidentia. Deinde cùm demonstratio ad externos procul dubio sensus, & ad id quod Christus in manus sumpsit, fregit, deditque discipulis, referatur, & tu panem demonstrari non velis, efficietur ejusdem tantùm speciem demonstrari, ac proinde inanem illam panis speciem ipsissimum esse Christi corpus: aut certè aliud demonstrari quàm illud quod Christus manibus sumptum, manibus ipse suis porrexit, quod certè cum manifesta Evangeliorum veritate pugnat. De ordine, utrùmne verba fractionem præcesserint, an verò consecuta sint; vester est omnis iste labor, qui voculas mordicus arripitis, & sub signo servientes, quod ait Augustinus, rem significantem veneramini, nescientes quid significet. Ac propterea nostrarum

 certè

certè Ecclesiarum consuetudo, quam tu hîc producis, causam istam vestram juvare nihil potest. Nos enim qui signa pro rebus non accipimus, sed supra creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen tollimus, ut idem ait Augustinus, de ordine verborum haud magnopere laboramus; quovis enim modo nobis nostræ constat sententiæ ratio. At vos qui vim omnem in verborum pronunciatione ponitis, si vobis ipsi constare vultis, necesse est ut fateamini, verba consecrationis fractionem præcessisse, ac proinde necdum evanuisse panis substantiam, cùm ea verba pronunciarentur. Nam si dixeritis verba fractionem fuisse consecuta, positâ certè transsubstantiatione, nulla restabit fractionis analogia, quæ à vobis non in substantia panis, sed in simulachro & inanibus ponitur accidentibus, quocirca ne usus quidem ullus ejus erit, & ita frustra dixerit & Paulus panem, quem frangimus, esse communionem Christi corporis; & ipse Christus, hoc esse suum corpus quod pro nobis frangitur, quippe quum nulla restet inter fractionem panis & corporis similitudo, nullaque analogia.

LAboras deinde non mediocriter, ut ostendas nullum à verbis hîc induci præstigium, neque sensus deludi, sumpto à similitudine Baptismi argumento, *ubi cùm sit innovatio mentis & peccatorum remissio; tamen homo qui baptizatur, post ablutionem omnino talis apparet qualis ante fuit.* Demiror equidem si cùm hæc scriberes non erubuisti. Cùm scias planè nihil habere vel mentis innovationem, vel peccatorum remissionem cum transsubstantiatione simile. Illa enim in homine fit, & quidem in ejus mente & spiritu, neque ullam substantiæ mutationem invehit: hanc vos in pane corporaliter statuitis, cujus accidentia in aëre pendula nullo substantiæ fulta adminiculo hærere vultis; & cùm omnes omninò sensus videant, odorentur, gustent, contrectent panem, vos panem esse pernegatis, eosque in nudis accidentibus falli ac deludi, quoad quidem illis subjectum substernunt, perhibetis. Quo quid potest esse præstigiosius? Quid? quod illud ipsum quod in frusta discerpitis, dente premitis, in stomachum atque inde porrò in secessum mittitis, traditis nihil habere solidi, nihil ὑγιὲς, & verò ne subsistere quidem. Deinde in ipso etiam hominis stomacho & ventre miras præstigias comminiscimini: præscribitis metam quousque sub accidentibus panis contineat se corpus Christi, inde porrò missionem illi facitis, & in cœlum relegatis, ac deperditam semel panis substantiam denuo redintegratis, & ad fulcienda iterum pristina sua accidentia remittitis: mures & vermes solis accidentibus nutritis, & etiam si aliter videatur; corpus tamen Christi ab eis minimè sumi asseveratis; ita manifestâ delusione fallitis oculos, ut videant esse quod non est. Quid? quod in ipso Christi corpore præstigias editis: vultis ibi esse corpus visibile quod non videatur, palpabile quod non palpetur, corporeum quod omni corporis dimensione careat, locatum denique neque tamen localiter. In fractione verò, Deus bone, quos ludos, quos fascinos adhibetis! frangi dicitis quæ nulla sit substantia, sed nuda & in aëre pendula, nullius rei magnitudo. Christi corpus videri quidem frangi, & tamen non frangi; & idem tamen frangi per accidens quod ei non

inhæ-

inhæreat; & rursus pluribus distribui, & tamen integrum suis omnibus partibus manere. Et hæc cùm corporaliter fieri omnia asseveretis, nullis tamen vel sensibus vel proprietatibus corporis posse percipi traditis. An fuit ullus unquam post homines natos circulator usque adeò impudens, qui miseræ plebeculæ oculos, dentes, manus, totum denique corpus ita protervè ludificaretur? sed ais: ibi tantùm censeri præstigium, ubi qualitatum falsarum est apparitio. Quid verò? cùm ex inanibus qualitatibus falsæ apparent substantiæ? cùm ipsæ qualitates quæ in re aliqua insunt, vel non apparent, vel non ita apparent ut sunt? an potest quis dubitare quin sensus corporei ludibrium aut præstigium patiantur? An non ipsi vos decernitis ibi magorum censeri præstigias, ubi delusione quâdam falluntur oculi, ut videant esse quod non est? & tamen asseveratis mures non edere Christi corpus, etiam si edere videantur: an hoc non est oculos præstigio fallere? Quanquam quis non videt infinitas à vobis qualitates sensibiles fingi apparere quæ non sunt? vultis album & rotundum apparere quod non existat, neque in aliquo insit? Panem qui revera sit, qui appareat, negatis existere. Et hæc omnia etiam ludicrâ & sophisticâ cavillatione sursum deorsum vertentes statuitis, quia substantiæ per se non sint objecta sensuum, nisi quatenus vestita sunt accidentibus; ideò ne sensus quidem falli: etiamsi nullam substantiam, sed accidentia nuda & omni subjecto vacantia percipiant. Ita ut vanissimos quosvis agyrtas & circumforaneos præstigiatores vestrâ isthac vanitate longè antecellatis. Scimus quidem nos Dei potentiam naturæ ordini non sic alligari, quin & contra & præter naturam quicquid velit, effectum reddat. Sed quia id ita est, ideò simul etiam statuimus ejus potentiam esse efficacem; & quod faciat, ita facere ut sit: & si fecit esse corporeum, simul facere ut tale appareat quale est, habeatque & naturam & proprietates corporis, neque hominum sensus temerè fallere aut ludificare, quemadmodum in hoc vestro transsubstantiationis monstro usuvenire ostendimus.

Magister Sententiarum lib. 4. dist. 12.

Postea verba Pauli de pane qui frangatur disertè pronunciata, ad inane panis simulachrum derivas, producto exemplo virgæ Mosis, quæ postquam esset in serpentem commutata, nihilominus virga dicitur. Sed non potes te expedire. Scriptura enim apertè tradit Mosis virgam verè fuisse in serpentem commutatam, & propterea illam ipsam virgam comparatam cum reliquis magorum virgis quæ revera mutatæ non erant, illas devorasse. Hîc verò, cùm de pane nihil tale dixerit Paulus, & verò constanter pronuntiet esse panem, & quidem panem qui frangatur, qui edatur, qui unionem Ecclesiæ granorum ex quibus est coagmentatus coalitione referat; omnis ejus oratio vestram transsubstantiationem juguiet necesse est. Quod autem ex benedictionis verbo vis demonstrare non loqui Paulum de pane simpliciter, sed de pane tantùm benedicto, à nobis etiam facit: ex eo enim evincimus de vero illum & substantiali pane agere, propterea quod verus sit atque ὑπαρκτὸς panis ille cui benedicatur. Benedictionis enim verbo nihil minùs quàm transsubstantiationem notari, jam satis ante demonstratum est. Ad ea quæ iterum de verbi, est, significatione, hîc injicis, nihil addam; ad superiora te remittam.

Quod autem in putribus vestris truncis & saxeis idolis, aliisque inanibus simula-

 mula-

mulachris, quæ ab homuncionis miselli & mortalis peccatrici manu nasi aut oculorum formam ad puerorum & anicularum terriculamentum acceperunt, Christi & Sanctorum agnoscis imaginem, ex qua statim intelligatur analogia: in pane autem, qui vivificâ verbi Dei virtute ac potentiâ, hominem nutriat atque sustentet, non agnoscis; perspicuum certè facis in te adimpletum esse Domini verbum, quo ait, *fiant similes illis qui faciunt ea*, &c. qui spem ponunt in eis vel ea venerantur. Prodis enim manifestè te tuis saxeis simulachris multò magis esse saxeum, qui neglectis Dei admirabilibus operibus, Christi analogiam in opere manuum hominum, quo nihil potest esse vilius, nihil abjectius, quæris. Christus autem passim se denunciat esse panem, & quidem panem vitæ, panem qui de cœlo descendit. Et ediversò panem esse suum corpus asseverat, ut illam de qua quærimus analogiam nobis repræsentet. Simulachrum autem neque pictum neque sculptum se esse unquam dixit, & verò ne ullum quidem simulachrum sui referre similitudinem, vel analogiam testatus est. Cùm contra clamet universa Scriptura quævis simulachra, quæ homines effinxerunt, & venerantur, vel tanquam Deos, vel tanquam imagines Deorum, ut præclarè annotavit Augustinus, nihil esse præter nefandas abominationes & obscœna scorta, quæ hominem à sincero & spiritali Dei cultu atque à veritatis cognitione quàm longissimè abducunt. I nunc & in his præclaram tuam quære analogiam. Nos Christi verbis insistentes & vestigiis panis sacramento nomen ejus corporis tribuemus, & in eo certam analogiam agnoscentes, vestra nefanda simulachra toto pectore aversabimur.

CApite duodevicesimo conaris locum illum Pauli, *Petra erat Christus*, argutulâ cavillatione pervertere, & non modo contra Augustini & plerorumque veterum authoritatem, sed etiam contra sententiarum Magistri fidem, non de sacramento aquæ quæ ex petra profluebat, sed de ipso Christo qui per fidem in eorum cordibus habitabat, interpretari: Sed non animadvertis tibi Pauli verba manifestè repugnare, qui disertè testatur maximam eorum, de quibus loquitur, partem fuisse infideles. Ait enim eos Deum in deserto tentavisse, scortatione & idololatriâ contaminatos diem obiisse, neque omnino Deo gratos fuisse, quod certè illis in quorum cordibus Christus per fidem habitet, tribui non posse, vel ipse tu fateberis nisi planè perfricuisti frontem. Deinde quid potest esse manifestius, quàm Paulum ib agere de Sacramentis, cùm primùm quidem baptismum, deinde cibum etiam ac potum spiritalem disertè nominet, quæ duo inter Christianos Sacramenta, orthodoxa semper agnovit Ecclesia. Et eorundem dicit Patres in deserto fuisse participes, non aliter ac nos simus, & tamen illos Deo charos propterea minimè fuisse, quia scilicet constanti fide & patientiâ in ejus verbo non acquieverint. Quare ne de nobis quidem esse temerè gloriandum, aut animos propter usum Sacramentorum efferendos. Quid? quod ipsemet ea typos nominat, quo certè vocabulo græca omnis ecclesia Sacramenta semper expressit, non minùs quàm vocabulo mysterii. Nimis itaque putidum est & scurrile etiam cavillum, in quo tibi ad eludendam tam perspicuam veritatem suaviter delitias facis:

Dum

Dum ais non posse hæc de petra intelligi, propterea quòd petra in Orebo monte suâ sede fixa populum Dei sequi in deserto non potuerit; cùm nemo sit ita impudens, qui in hac Pauli oratione metonymiam non agnoscat, fateaturque, petram pro aqua ex petra profluente (quemadmodum Christus dixit, calicem pro vino qui calice contineretur) nuncupari. Ait enim bibisse illos de petra: quo certè vocabulo non potest nisi potus intelligi, qui ex ea manans nonnullo tempore Dei populum ex historiæ seriæ secutus intelligitur. Pudeat igitur tam inanibus cavillis lectoris tentare patientiam & sacra Spiritus Sancti Oracula contra ejusdem mentem atque apertissima verba ita protervè detorquere.

Reliqua quæ produxeramus exempla, dum eâdem arte conaris eludere, planissimum facis te stimulis conscientiæ urgentibus ad veritatem Domini profitendam quamvis invitum ac reluctantem trahi. Dum enim puerili atque ineptâ cavillatione studes demonstrare, quoties nomen *JEHOVÆ* aut Domini exercituum tribuatur arcæ fœderis, vel quoties columba dicatur esse Spiritus sanctus, eâ voce, non significari sacramentum, sed rem ipsam Sacramento significatam; quid aliud, quàm nostram doctrinam verissimam esse confiteris, & simul te prodis cavillandi studio excæcatum quid ipse dicas non attendere? Quod ut cernas clariùs, agnosce hæc tua ipsius verba: *Si Scriptura diceret eam columbam fuisse Spiritum sanctum, vel arcam fuisse Dominum exercituum, non deberemus intelligere vocem, Spiritum sanctum à sua propria significatione deflecti, ut significaret signum Spiritus sancti, quasi diceret, hæc columba est signum Spiritus sancti; sed consideratâ facti circumstantiâ, deberemus intelligere ipsam vocem, Spiritus Sanctus, in propria significatione acceptam, de particulari illa re enuntiari, quæ per illam columbam sacramentaliter significabatur, nempè de persona Spiritus sancti, &c.* Accipio, mi Baii, istam tuam confessionem, & si tibi constare voles, haud me posthac fore adversarium profiteor. Nec enim est animus de voculis aut verborum ordine litigare, modo ut de re ipsa inter nos constet; placet itaque quòd non vis hanc enuntiationem, *Hæc columba quæ super Christum descendit fuit Spiritus Sanctus*, explicari per istam, *hæc columba significavit Spiritum Sanctum, seu fuit ejus signum aut Sacramentum*: Sed tantùm per hanc: *Id quod illâ columbâ sacramentaliter fuit significatum, verè fuit ipse Spiritus Sanctus.* Ne sit igitur figura in voce attributa Spiritus sanctus, neque in copula verbi, est, sed in ipsa tantùm voce subjecta; modò ut illud inter nos constet, idem valere illam orationem, ac si quis dixerit Spiritum sanctum sacramentaliter fuisse significatum per columbam. Ita certè libenter patiar (nec enim de voculis lubet contendere) ut hæc verba: *Hoc est corpus meum*, eâdem penitus ratione interpreteris, ut idem significet ac si dicas, id quod sacramentaliter significatur per hoc quod vobis demonstro, vel per hunc panem, est verè corpus meum. Quod si fateare, ut certè fateri te tua ipsius cogit ratiocinatio, jam omissâ de significatione voculæ, est, omni controversiâ, ego ne verbum quidem ampliùs posthac tecum commutabo.

Sequen-

Sequenti capite quo tradis ipsum Christi corpus, Christi corporis esse sacramentum, quia nullo neque rationis firmamento neque Scripturarum nititur testimonio; ac proinde quâ facilitate dicitur, eâdem negari potest, non attingam, cùm ex iis quæ jam abundè in hoc argumentum utrinque dicta sunt, quid verum, quid falsum sit, æquus & cordatus lector facilè possit judicare. Transeo itaque ad reliqua.

IN ultima orationis parte, tui semper es similis. Ut excuses quòd lectione nostrorum librorum ita graviter isthîc interdicitis, Angliæ nobis exemplum objicis. Deinde variis nos criminationibus perfidiæ, fraudum, perjurii, perduellionis, hæreseos & sacrilegii, pro theologica tua modestia & fraterna charitate, reos agis. Angliæ exemplum nihil ad nos attinet. Illi enim suum factum facilè tuebuntur, quanquam ego certè possum juratus affirmare, quod mecum testabuntur omnes qui Angliam viderunt, Papistarum libros infinitos in omnibus ibi bibliothecis publicè venum ire. Ego verò ipsius Edmundi Campiani, hominis seditiosissimi, seditiosissimam Epistolam cum Guilielmi Withakeri doctissima refutatione utrâque linguâ & latinâ & Anglicâ passim prostare non ita dudum vidi, & unum mihi exemplum coëmi. Tu meam epistolam à te, ut quidem gloriaris, abundè confutatam prælo isthic committere nunquam ausus es, ne censuram Inquisitionis incurreres. Quid? quòd quo tempore eram Lovanii, vidi Ruardi Tappardi theologorum vestrorum coryphæi scripta contra Calvinum & Lutheranos (ut vocatis) eo tantùm nomine vetari, quòd Calvini rationes interdum fusius & de verbo ad verbum proposuisset, quibus adjunctam confutationem quia nimis imparem esse sentiebant sapientissimi vestri Theologi, veriti sunt quod tu etiam in meis scriptis metuisti; ne qui utraque legeret, de veritate facilè posset judicare. Sed non est mirum odisse lucem veritatis eos qui in erroris & mendacii tenebris versantur. Maledictis tuis, quia morbum animi tui potiùs quàm quidquam aliud produnt, sigillatim non respondebo. Scio enim stultorum esse thesaurum maledicentiam, quem ego vobis haud invideo. Quod autem ab Hispaniarum Rege nos descivisse objicis, hujus neque temporis est neque instituti. Constat enim nobis facti nostri ratio, quam quoties ex usu erit, facilè piis omnibus & Christianis Principibus ac populis probatam reddemus. Dicam tamen, quod non potes diffiteri: si nos propterea perduelles sumus, vos sanè bis esse perduelles: qui primùm à Rege ob Hispanorum tyrannidem defecistis: mox fortunâ paulùm commutatâ, pro eorundem dominatu, nefaria in patriam tulistis arma, ut in ejus perniciem illorum tyrannidem stabiliretis. Ita vestram defectionem, duplici perduellione cumulastis. Quod autem Catholicæ Romanæ Ecclesiæ nos ais esse desertores, est verò perridiculum. Quid enim quæso est Catholica Romana, nisi universalis particularis? Catholicum enim idem esse quod universale, vel pueris notum est: quocirca Ecclesia Catholica indubiè universam omnium omninò Fidelium & Sanctorum quicunque à condito mundo ad hoc usque temporis momentum, sive in Asia, sive in Europa, seu in Africa aut

ca, aut America extiterunt, communionem complectitur. Quæ quidem non magis dici Romana potest, quàm universa orbis machina unius Romanæ urbis nomine contineri. Romana certè Ecclesia, si catholicam & apostolicam fidem tenuerit, & relictis humanis superstitionibus Deum ex verbi præscripto, non ex hominum traditionibus coluerit, catholicæ quidem Ecclesiæ particula & membrum dici poterit, catholica certè Ecclesia non dicetur, nisi quo pacto dicitur minimus digitus esse totum corpus. Sed fortè censes nos ipsam Catholicæ Ecclesiæ fidem, quam Romani retinuerint, deseruisse. Nos autem, cùm catholicam Ecclesiam, nisi eam quæ vocem unius audiat Pastoris & sponsi, quæque Apostolorum & Prophetarum doctrinâ fundetur, nullam agnoscamus; ne fidem quidem aut doctrinam catholicam, quæ uni illi Pastoris voci & Apostolorum verbo non innitatur, possumus ullam profiteri. Quare si ad hunc lapidem lydium nostra fides examinata, pulchrè ubique consenserit; perspicuum fiet catholicæ fidei desertores censeri nos nequaquam posse. Sed longum esset per singula fidei capita discurrere, eaque omnia ad Pastoris vocem & Apostolorum doctrinam sigillatim expendere: & jam sæpe hoc ab aliis ita est præstitum, ut nihil habeatis quod è verbo Dei possitis opponere. Quare cùm hujus non sit instituti singula ista persequi, relinquamus in medio ea capita quæ inter nos controvertuntur. Ex illis quæ utrinque confessa & indubitata habentur, exquiramus utri nostrûm catholicæ & orthodoxæ fidei desertores meritò habeantur. Et primùm à Dei cultu, in quo potissima consistit pietatis pars, fiat initium. Unum quidem Deum colere vos profitemini: id, si ita est, habetis nobiscum commune. Sed vos quidem infinitos adhibetis Patronos, quos Sanctos aut Divos nominatis, quasi minorum gentium Deos, à quibus opem atque auxilium difficillimis vestris temporibus imploretis. Illis vota nuncupatis: aras, fana, delubra dedicatis; Sacerdotum ac Flaminum Vestaliumque ordines consecratis. Sacrificia, libationes, thura, Missas celebratis: & verò etiam Virginem Mariam, unicam vestram spem ac misericordiæ azylum, & matrem gratiæ, quæ extremâ mortis horâ vos suscipiat, ***quæque filio Dei veroque Deo jure Matris imperet***, religiosè invocatis. Nos unum tantùm habemus Deum, quem quia solum, & arcana cordium perscrutari & in rebus afflictis auxiliari & servare posse arbitramur, ideò solum in quavis ærumna & calamitate imploramus. Non inquiro utri nostrûm faciant rectiùs, & cum Dei verbo convenientiùs: hoc solùm dari mihi postulo, quod non ibitis inficias, neque Christum neque Apostolos istum vestrum colendi Dei ritum vel præscripsisse vel planè agnovisse: ac proinde catholicam Ecclesiam, quam suâ illi Doctrinâ fundarunt, hac certè parte, non nos, sed vos potiùs deseruisse. Deinde, etsi unum Deum colitis, simulachra tamen, quæ εἴδωλα græci nominarunt, non modò ipsi huic Deo (quasi hominum digitis summum atque immensum numen exprimi queat) sed reliquis etiam omnibus vestris Sanctis ponitis, quæ magno cultu veneramini. Iis nos omnibus repudiatis, in spiritu & veritate Deum esse colendum statuimus, qui neque manibus hominum effingi, neque ullum sibi simulachrum poni velit. Non disputo utri nostrûm cum lege Dei consentiant. Id tantùm urgeo; cùm vel vobis testibus Apostoli nullis usi simulachris fuerint, non magis certè quàm ipse Christus aut Prophetæ;

 necesse

necesse esse ut confiteamini nos ne hac quidem parte à catholicæ Ecclesiæ doctrina descivisse. Præterea cùm Deum invocatis, an non infinitos, pro arbitrio quisque suo, deligitis vobis deprecatores, quorum meritis & precibus, illius gratiam vobis promereamini? nos contra unum deprecatorem unumque Mediatorem Dei & hominum agnoscimus Jesum Christum hominem, cujus unius meritum & gratia patri nos possit conciliare. Non dico vos errare, nos rectè sentire: ne quid attingam quod possit esse controversum: Tantùm dico, quod ipsi non negatis, neque Prophetas neque Apostolos ullum alium deprecatorem aut intercessorem vel nobis commonstrasse, vel sibi adhibuisse præter unum Messiam Servatorem, Davidis & Abrahami sobolem ac Dei filium: quare qui eorum certis & minimè deviis insistat vestigiis, eum defectionis à fide catholica seu apostolica reum peragi non posse. Ad hæc, invocationes & orationes reliquaque omnia sacra, fiunt à nobis linguâ vernaculâ, quæ ab omni populo intelligatur. Vestra non nisi latinè; linguâ, scilicet, vestræ plebis auribus peregrinâ. Hunc nisi vestrum ritum ab exemplo omnium & Prophetarum & Apostolorum fatebimini esse ita dissentientem, ut noster est consentaneus, eritis nimiùm impudentes, & vestro ipsi testimonio mendacii convincemini. Quando igitur & hac in parte à vobis descivimus, haud certè descivimus ab ecclesiæ Apostolicæ doctrina; sed ab illis tantummodò, qui Apostolorum institutionem ac doctrinam priores deseruerant. Veniamus ad Sacramenta. Quis quæso fuit Apostolis baptisandi ritus? Sentio quid dicturias: sanctos videlicet, qui Apostolorum ætatem consecuti sunt, Patres reliqua illa quæ vos usurpatis adjecisse. Non pugno, nec enim statui vobiscum contendere. Quod ipsi dabitis, id solum sumam, Apostolos non aliter baptisasse, nisi quemadmodum nostræ baptisant hodie ecclesiæ; neque ipsum Christum Dei filium aliter baptismum vel accepisse vel instituisse. Erraverit Christus: deliraverit Apostolorum simplicitas: vestri Pontifices pietate & sapientiâ illos anteierint: Non litigamus: illud patiamini nos extorquere quod abnuere nec voletis nec poteritis; cùm in baptisandi ritu, non ab Apostolis neque à Christo, sed ab iis qui vel meliorem vel certè splendidiorem baptismi rationem excogitarunt, defecerimus; haud posse censeri à catholica & apostolica Ecclesia nos descivisse. Quid de Eucharistiæ Sacramento dicam? An potestis negare nos ritum à Christo traditum (nihil de doctrina dico, ea enim inter nos controvertitur) ab Apostolo Paulo in Corinthiorum ecclesia revocatum, ab omni deinde primitiva Ecclesia religiosè observatum ad amussim retinere? Finxerint vobis meliora vel Gregorius, qui paulò minùs sexcentis annis est Christi ætatem consecutus, vel nescio qui alii mytrati Pontifices. Non expendimus quantò sint his illa vel probiora vel deteriora: modò non abnuatis, apostolicæ & catholicæ Ecclesiæ exemplum imitando, ejusdem desertores nos dici haud quaquam posse: Quid dicam de sumptione Eucharistiæ sub utraque specie? cùm illa ipsa vestra Pontificum & Conciliorum Decreta, quæ Calicis usu laicis interdixerunt, non dissimulanter profiteantur eundem qui à nobis usurpatur ritum & à Christo institutum, & ab Apostolis traditum & ab universa vetustiore Ecclesia multis retrò sæculis constanter fuisse observatum: Non sumus ergò, ne vestrâ quidem confessione, hac in parte Ecclesiæ apostolicæ sed apostaticæ desertores. Quid verò? quum

fatalis

fatalis illius crustuli pro Deo adorationem, pompam, lectisternia, & solemneis tum ambarvalibus, tum aliis festis diebus, praeeunte cymbalo & cereis, circumgestationes, aliaque à prophanis gentibus mutuata sacra repudiavimus, Ecclesiæne apostolicæ quæ hæc omnia ignoravit, an apostaticæ ritus & solemnia deseruimus? Visne porrò ad eandem stateram vel ciborum delectum, vel discrimina dierum, vel Sacerdotibus factum conjugii interdictum adpendamus? Quod quidem conjugium cum & Christus suâ præsentiâ & miraculo primò sanctificasset, & Apostolus in omnibus esse sanctum & venerandum pronunciasset, vestri legislatores spurcitias & coinquinationem carnalem esse pronunciarunt, in qua Deo placere nemini fas esse possit. An potestis negare in his omnibus exemplum & doctrinam Apostolorum, ut nos sequi, ita vos deseruisse, cùm ipsi illi vestri legislatores in suis sanctionum libris apertè scripserint? *Antequam Evangelium clarесceret, multa tum fuisse permissa quæ tempore perfectioris disciplinæ penitus sunt eliminata, &c.* Esto igitur vestra disciplina perfectior, at nostra certè cùm & legali & Evangelicâ seu Apostolicâ nitatur traditione atque exemplo, quod quidem ipsi vos disertè confitemini, nullo jure potest existimari ab Ecclesia catholica descivisse, nisi si quis à catholicæ Ecclesiæ fide doctrinam Evangelicam & Apostolicam penitus excluserit. Visne etiam reliqua pervestigemus, quæ primi ipsi authores atque inventores multo sæculorum intervallo post ætatem Apostolorum in Ecclesiam introducta minimè diffitentur: Qualia sunt, statarum feriarum indictio, reliquiarum veneratio, indulgentiarum nundinatio, ad Sanctorum simulachra votorum nuncupatio, & longinquæ peregrinationes; sollicita ad eorundem fana & delubra discursatio, pro demortuis deprecatio, inferiarum institutio, ignis expiatorii cruciatus, ejusdemque antidota, amuleta, atque alia omnis generis remedia, aquæ lustralis aspersio, cereorum consecratio, campanarum & æramentorum baptisatio, aquæ, salis, olei, cinerum, palmarum, aliarumque rerum sexcentarum, cum horrendis exorcismis, benedictio, libæi atque olei veneratio, Monachorum ac Vestalium infinitæ, & quidem diversissimæ atque inter se pugnantes perfectionum regulæ, cuculli, merita, opera supererogatoria, splendida denique illa vestra & Persicæ potiùs pompæ, quàm Apostolicæ simplicitati similis hierarchia: Visne, inquam, hæc omnia ad Apostolicæ Ecclesiæ exemplum & doctrinam expendamus, quæ ab Apostolis prorsus ignorata, vix multis postea sæculis fuisse inventa vestri omnes libri cumulatissimè testantur? Quare qui hæc deseruimus, à vestris fortasse institutis & Romanensis Synagogæ traditionibus defecisse existimari possumus, ab Ecclesia certè Catholica & Apostolica, quæ ista omnia portenti loco fuisset habitura, nemo nos sanus defecisse censuerit. Neque jam ego ista contendo vel impia esse, vel prophana & paganæ superstitionis plenissima. Sed quandoquidem omnino vultis, quicquid à vobis bonâ fiat intentione, id omne pro pio & sacrosancto haberi; & in accepti atque expensi codicem à Domino referri; præbeo me indulgentem adversarium, neque quod petitis abnuo. At certè id efficio, qui illis explosis, Apostolicæ doctrinæ archetypum secutus in uno Dei verbo acquieverit, eundem Apostolicæ & catholicæ Ecclesiæ non desertorem, sed instauratorem debere censeri: ac proinde impudenter te mentitum esse, qui nos à catholica Ecclesia descivisse dixeris.

Ais deinde nos à vobis discedendo hostilem animum induisse, etiamsi vestrûm plerique Christianæ fraternitatis memores, non tam irascamini nostræ, ut inquis, malitiæ quàm cæcitati condoleatis. Primùm quidem non nos à vobis, sed vos à nobis quibus eratis arctissimo juncti fœdere & sacramento, discessisse omnes vident. Deinde quæ est ista vestra condolentia, quæ Christiana fraternitas? cujus exempla si libeat ab ovo, quod aiunt, usque ad mala sigillatim percensendo commemorare, facilè demonstravero vos scythicam omnem feritatem longè exaperare. Sed nolo tam funestâ historiâ disputationem nostram commaculare. Testentur enim id nobis tacentibus, tot Regum ac Principum per fraudem extorta in nostram perniciem crudelissima edicta: testentur falsissimæ illæ criminationes, quibus ad perpetuam posteritatis memoriam eadem illa edicta aspersistis: Testentur omnes toto terrarum orbe longè latèque diffusæ regiones atque provinciæ, quæ plusquàm sexcenta nostrorum millia & bonis & patriâ ejectorum, & conjugibus ac liberis orborum, omnique calamitatis genere coopertorum, suis finibus atque hospitio exceperunt. Testentur infinitæ cædes, strages, lanienæ eorum, quos nullo neque sexus neque ætatis discrimine ferrum, aquæ, flammæ, equulei, laquei, fossæ per universam Galliam, Germaniam, Angliam, Italiam, Hispaniam, per ipsam denique terrarum extremam Indiam crudeliter absumpserunt. Testentur hæc ipsa misera & luctuosa nostra bella civilia, quibus vestri Romani Pontifices, vestrique Magistri nostri, ut suam scilicet dignitatem suasque delicias & fastum tueantur, funestas faces non desinunt submittere: quibus jam universus penè Christianus orbis in sua sæviens viscera, conflagravit. Testentur denique præclaræ illæ Philippi Regis Hispaniarum proscriptionis tabulæ: In quibus omnibus undiquaque sicariis, latronibus, veneficis, parricidis, sacrilegis, omnibus denique nefariis & facinorosis hominibus, ad cædem, ferrum, flammam, toxicum atque omnis generis veneficia in nostram perniciem signum attollitur; & scelerum non modò impunitas, sed ingens etiam præmium proponitur. Hæc si vobis est condolentia, si Christiana fraternitas; non possum equidem intelligere quid tandem erit immanis crudelitas. At quæ est hæc tanti & tam efferati odii causa, aut quodnam tandem in vos tantum crimen admisimus? Deseruimus scilicet illa vestra instituta, superstitiones, idola, ac nefandos ritus à vestris illis Patribus quos ecclesiæ nomine insignitis, extra Dei verbum & Apostolicam doctrinam excogitatos; & ex præcepti divini norma unum Deum, in spiritu & veritate, per unum intercessorem ac deprecatorem Jesum Christum, adorandum nobis decrevimus. Hinc illæ lachrymæ. Hinc omnis illa mali labes. Hinc enim & non alicunde illa vestra Christiana fraternitas & condolentia in truculentissimam ac plusquam belluinam rabiem exarsit.

Sed objicis nobis crudelitatem propterea quòd victâ tandem vestro furore nostrâ patientiâ, vestrorum carnificum sicas, gladios, igneis, venena, totis jugulis totoque corpore non diutius exceperimus: quòd vim omnium injustissimam atque immanissimam vi necessariâ patrio jure repellere coacti simus: quòd ardente bello, qui hujus miseri ac luctuosi incendii flabella semper extiterunt eos nostris excedere finibus coëgerimus. At verò tu, cedo mihi unum

aliquem

aliquem ex iis qui nostram se doctrinam amplexum profiteatur, cui vos in vestris urbibus domicilium ac sedem tranquillam & liberam permittatis: ut agnoscam hujus vestræ Christianæ fraternitatis vel tenue aliquod vestigium. Apud nos certè etiam in mediis hisce belli flammis, qui Romanam Religionem publicè profiteantur non modò sunt infiniti ex vulgo, sed etiam viri principes non pauci qui in reip. administratione vel primum locum tenent. Nemini enim qui modo pacatè se & tranquillè gerat, religionis causâ periculum à nobis creatur. Ita ut ne Sacerdotes quidem & Monachos aut Moniales expulerimus; nisi si qui vel perpetratæ sodomiæ, vel tentatæ seditionis ac defectionis crimine convicti, aut certè meritò suspecti fuere: reliquis etiam ex publico alimentum suppeditatur; ita ut metuendum potiùs sit, ne hæc nobis lenitas atque indulgentia in nervum erumpat denique. I nunc, & condolentiam nobis vestram ac fraternitatem Christianam exprobrato.


Penultimo capite magno te conatu, sed frustra, à calumniæ manifestæ nota niteris vindicare: & simul prodis te nescire quod sit inter visibilem seu aspectabilem Ecclesiam discrimen, & eam quæ solis Dei oculis conspicua electorum numero continetur. Nam quia dixeram, universæ Ecclesiæ sensum inde usque ab ætate Apostolorum ad Bertrami tempora de doctrina Eucharistiæ certum & constantem extitisse. Postquam verò Gothorum vastatio in ecclesiam infinita scelera & flagitia invexerat, Pontifices Romanos ambitione & avaritiâ ardentes hanc de transsubstantiatione doctrinam ignoranti populo facilè obtrusisse: tu priori tuo scripto ostentandi fortè ingenii causâ, graviter me & acerbè reprehendisti, quòd existimarem Ecclesiam persecutionibus corrumpi posse: atque inde in campum doctrinæ de Domini castigationibus digressus, ipse tibi trophæum quasi de hoste victo excitasti. Jam ubi persentiscis calumniam retectam esse, in aliam etiam fœdiorem impingis, & ais me contra fidei symbolum sentire non unam sanctam catholicam & Apostolicam esse ecclesiam; sed duas, & corpus Christi esse bipartitum. Quo quidem mendacio quid potest esse turpius? quid tanto Theologo indignius? quasi verò non vel pueris in schola tritum sit, unam tantùm esse Ecclesiam catholicam, quæ verè sit Sanctorum seu electorum omnium communio. Quo nomine nemo nisi qui verè sit membrum Christi, caro ex carne ejus & os ex ossibus ejus censeri potest: ac proinde de hac Ecclesia ait Paulus, Dei firmum ac ratum existere fundamentum, Dominum nosse qui sui sint. Et nihilominus tamen, cùm sint multi vocati, pauci electi, non sit ipsâ meridianâ luce clarius, Ecclesiæ nomen esse polysemum: aliquando enim pro illa quam diximus Sanctorum communione poni; aliquando pro quovis eorum cœtu qui nomen Christi externo ritu profiteantur, inter quos cum innumeri sæpè delitescant hypocritæ, neque pauci impii, non rarò fit ut Dominus pro sua justitia quasi larvam detrahens, patiatur eos vel tumultibus bellorum, vel barbararum gentium incursionibus & vastationibus, vel aliis cladibus ita imminui, atque omnibus scelerum, flagitiorum, atque impietatum generibus cooperiri, ut præter solum nomen vix ullum ecclesiæ restet vestigium. Atque hoc est quod ait Isaias. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, omnes sicut Sodoma fuissemus, & sicut Gomorra periissemus.* Quod certè Israëliticæ ecclesiæ suo tempore usu venisse gravissimâ disputatione ad

ad Romanos cap. 9. 10. atque 11. Paulus demonstrat, qui nihilominus constanter asseverat haud propterea repulsum esse Dei populum quem elegerat; sed uti multò antè, temporibus Heliæ, usuvenerat, cùm ille se solum esse relictum arbitraretur, qui nomen Domini invocaret; ita & suo tempore asseverat conservata esse septem millia eorum qui Baäli seu idolis genu non flexerint. Hoc idem nos præeunte nobis Paulo, qui Antichristum in Dei templo sessurum esse prædixit, Romanæ isti vestræ ecclesiæ jampridem contigisse asseveramus. Quum enim Christi nomen, & baptismi Sacramentum, etsi variis hominum corruptelis adulteratum, retinueritis; non diffitemur quin etiamnum sitis Ecclesia & templum Domini. Sed illud certè templum estis, in quo sedet Antichristus, quem vos in ea ipsa urbe, quæ Joannis ætate septem montibus ceu cornibus insignis in Reges terræ imperium exercebat, cujusque nomen Hebraicè est Geddon harma, i. excisio Romæ, in Dei terrestris, & Christi Vicarii throno venerandum collocastis. Ac proinde cum vestra Romana ecclesia, illa ipsa proculdubio sit Babylon, è qua nos jubet Dominus excedere, ne abominationum ejus fiamus participes; haud est mirandum, si vestri Pontifices à doctrina Apostolorum ad impietatem ac tyrannidem aversi, tam impia dogmatum portenta, quale est hoc nefandum transsubstantiationis idolum, in Dei populum tot cladibus affectum, & altissimâ ignorantiæ & caliginis voragine obrutum, fidenter invexerunt. Quod mihi Aristotelem invidiosè objicis, fucum facis. Ais me plura ex Aristotele in una mea responsione attulisse, quam tu in omnibus tuis scriptis. Quid hoc ad rem? quasi propterea minus omnes sentiant, videant, intelligant vos in Aristotele potiùs ætatem, quàm in sacra Scriptura terere? & ad vestram stabiliendam doctrinam, infinita ex eodem conquirere fundamenta? Quid verò? an potes diffiteri neminem à vobis in Artium Magistrum adsciscí, ac proinde ne in Theologorum quidem collegium cooptari, nisi qui disertè in Aristotelis verba juraverit? Ex eo fit, ut pleni sint Scholasticorum vestrorum libri argutiis ex illius Philosophia haustis, quibus contra manifestam Scripturarum doctrinam liberum hominis arbitrium seu τὸ αὐτεξούσιον & alia impia dogmata stabilitis. Ego verò si produxi Aristotelem, non in confirmando doctrinæ aliquo capite produxi, sed tum solùm, cùm de enuntiationum ratione ageretur, quæ omnis tractatio propriè ad logicam pertinet, Theologiæ propria non est; ac proinde cùm nemo existat scriptor, qui hanc disserendi rationem Aristotele meliùs aut accuratiùs tradiderit: & si quis esset, ego tamen alium producere non debuerim adversus te, qui in ejus verba juratum te esse non potes diffiteri; nihil erat causæ cur me reprehenderes.

Postremò pueriliter cavillaris in discrimine ecclesiæ Judaicæ & Christianæ. Ego verò nunquam statui, veniente Christo nihil fuisse in Ecclesiam Christianam collatum, quod antea Dominus pro sua infinita sapientia necdum erat largitus: sed asseveravi, quod & nunc aio, Deum non minùs severa hodie in Ecclesiam Christianam judicia posse exercere, quàm olim fecerit in populum Israëliticum: & verò nisi vestra illa Romana meretrix seu Babylon à tam nefandis abominationibus se converterit, multò etiam animadversurum graviùs. Quod quidem non ego, sed ipse Dei spiritus per Pauli os disertè pronunciat, inquiens: *Siquidem Deus naturalibus oleæ ramis non pepercit, haud certè tibi parcet,*

qui


qui præter naturam ex oleastro es in oleam insitus. Etenim & tu excidêris, nisi Dei clementiæ ac benignitati per fidem constanter adhæseris. Non est itaque quòd Ecclesiæ tuæ Romanæ ita suaviter ac blandè palpêre, mi Baii, ejusque cervicibus & aliis tam molles, ut ait Propheta, pulvillos substernas. Adest enim, ut dixi, adest jam tempus, quo Dominus sedem illam magnæ meretricis funditùs evertat, & suam Ecclesiam ab immani ejus tyrannide vindicet. Quod in extrema calce adjicis de Romani Pontificis potestate, ita est puerile ut non egeat confutatione. Postea quàm enim ex Scriptura probaveris, Romæ sedem Episcopi positam esse, quæ cæteris omnibus præesse ac dominari debeat, quemadmodum ego tibi disertè possum probare in ea sedem esse Antichristi & magnæ illius meretricis, quæ venefico suo poculo reges terræ inebriarit, tum demum nos ad responsionem accingemur. Interea quod nos in infernum præcipitas, nihil movet: & verò etiam magnopere juvat & recreat propter Domini nomen & Evangelii veritatem, ab illis, qui blasphemiæ atque impietatis Antichristianæ se Doctores & antesignanos profitentur, condemnari. Scimus enim non tuo nos, sed Domini justo stare aut cadere judicio; qui non ex Regii edicti neque ex decreti Pontificii formula, sed ex sui verbi præscripto, & secundùm Evangelii doctrinam, orbem terrarum est judicaturus. Vale.



APOLOGIÆ MICHAELIS BAII, ADVERSUS MARNIXII RESPONSIONEM DE SACRAMENTO ALTARIS, DEFENSIO.

CAPUT PRIMUM.

Quòd responsio ad Apologiam, multa πάρεργα contineat.



Ecto nuper Catalogo, seu indiculo librorum, qui nundinis Franckfordiensibus circa Septembr. anni 82. venales expositi fuerunt, mi Sanct-Aldegonde, comperi te Antuerpiæ edidisse responsionem ad Apologiam, quam pro responsionibus ad quæstiones tuas de Sacramento Altaris, anno 1581. Lovanii emiseram, cujus responsionis exemplar cum diu & frustrà ex Colonia expectassem (neque enim aliâ expeditiori viâ, cessantibusjam dudum propter bellorum dissidia inter nos & Antuerpienses consuetis commerciis, acquiri posse existimabam) tandem post multum circuitum 10. Martii anni 83. ad me ex Antuerpia perlatum est. Hanc igitur responsionem tuam percurrendo, reperi multis longissimis parergis ad rem nihil pertinentibus suffultam: ut videlicet partim omissis, partim obiter duntaxat commemoratis plerisque, iisque præcipuis, nostræ disputationis captibus, parum ad rem dicendo, aliquid dixisse & libello meo respondisse videreris. Quorsum enim alioqui pertinebat, tam multa commemorare, & quæsitis verborum campis, tam mordaci & odiosâ oratione, per multas paginas refellere,

quæ

quæ à Concilio Lateranensi, à D. Thoma Aquinate, à Cajetano, aliisque doctoribus scholasticis, de transsubstantiatione quoquo modo dicta prætendis? Cùm ego neque Concilium Lateranense commemoraverim, sciens modestiam tuam Conciliorum authoritate non detineri, neque testimonium ullum produxerim ex Doctoribus Scholasticis, quos tu tantâ loquacitate refellere, & in contemptum adducere conaris. Eodem spectare videtur sequens disputatio, in qua Scripturæ sacræ veritatem, quæ de Christo ait, quòd *accepit panem, & benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum*, obnubilare conaris, volvendo te in philosophicæ quæstionis obscuritate, quæ in Categoriis Aristotelis solet inquiri, quid sit per se & immediatè divisibile; substantiane corporea, quæ accidentibus omnibus subjicitur, an magnitudo, seu quantitas continua quæ in illa excipitur. Nec ab hac intentione dissentit ea narratio, quâ per multas paginas persuadere niteris, Romanam Ecclesiam humanis & superstitiosis traditionibus Deum colere; vestram autem societatem, non nisi ex Dei verbi præscripto. Et tamen quasi verbum Dei non sit quod Christus cuidam adolescenti consulens dixit: *Vade; vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me:* & alibi: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat*; à vobis tam insana & à cultu Dei aliena reputantur Christi consilia, ut si quis communem Fidelium infirmitatem, eminentiore virtute supergressus, ea complexus fuerit, & in his, jejuniis & orationibus, nocte & die Deum colere decreverit, ut ejus præcepta puriùs & sinceriùs impleat, non priùs ad vestram societatem recipiatur, quàm per apostasiam, universorum Christi consiliorum observationem abjecerit. Unde etiam sectæ vestræ protector & Coriphæus Princeps Auriacus, non aliâ ratione meliùs se vestræ conspirationi probari posse putavit, ut manus vestræ cum eo roborarentur, quàm si imitaretur Absalonem, patrem suum fœdantem, ut quemadmodum ille, consulente Achitophel, ingressus est ad concubinas patris sui coram universo Israël, sic etiam ipse Auriacus, vivente adhuc uxore propriâ, spectante orbe, sub nomine conjugii (te authore, ut multi autumant) sociarit sibi Christi sponsam consilia Evangelica professam, tantùm ut hac ratione vestra societas, quæ illa extremè odit, & contemni ac violari gaudet, illi arctiùs copularetur. Sed nunc ad ea redeo, quæ ordine in tua responsione continentur.

CAPUT II.

Quòd Apologia fuerit fraterna correptio, non convitii criminatio.

DIcis me postremum meum libellum inscripsisse, Apologiam, cùm sit atrox & convitii plena criminatio: nec tamen ullum convitium profers à me in illo libello positum, de quo me accusandum putes. Dico igitur me mihi conscium non esse, quòd ullum in te convitium dixerim: sed fortè convitium interpretaris, quòd tibi duo crimina objecerim; alterum quòd palam sequaris damnatum Calvini dogma de Christi corpore in sacramento Altaris; alterum

quod in eorum communione permaneas, qui se palam in edictis publicis profitentur & nominant desertores Romanæ Catholicæ religionis: quod nomen à nulla hactenus secta, quod sciam, assumptum est. Ad quod posterius ne verbum quidem respondisti. Sed hæc mea objectio non est convitium, sicut videri vis, vocans eam criminationem, id est, falsam & contumeliosam accusationem: sed est fraterna correptio & charitatis officium, quo te tuosque conatus sum à tam gravi scelere revocare, & eos qui per te seduci possent ne tibi acquiescant impedire, sicut conabatur Joannes Baptista cùm ait: Serpentes, *genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Et Apostolus dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?*

CAPUT III.

Quòd terrere subditos, ut emendentur, non sit tyrannicum, sed æqui juris imperium.

DEinde transiens ad ea quæ in Epistola ad D. Ghennart respondendo objectionibus R. Patris Horantii dixeram, quòd si tu mihi subjectus fuisses & in mea potestate positus, potuissem tibi cum increpatione respondere, & minando deterrere, ne periculosis, ne dicam pernitiosis disputationibus incumberes, (sicut à me in suis objectionibus requirebat Horantius.) Hæc igitur pertractans, magno fremitu adversùm me insurgis, & magnas Deo immortali gratias agis, qui te à tam tyrannico imperio & potestate asseruerit; quasi tyrannicum sit imperium, si præfectus subditum instruens, cum increpatione & minis eúm deterreat, ne periculosis & pernitiosis disputationibus incumbat. Ego de moribus vestris non disputo, nec quàm modestè imperetis inquiro, quia utinam nihil præter timorem inferretis: hoc solùm te rogo, an Apostolus
Rom. 13. tyrannicum imperium doceat, cùm ait; *Principes non sunt timori boni operis, sed*
1 Tim. 5. *mali.* Et rursus, *Si malum feceris*, time; *non enim sine causa gladium portat.* Et
Luc. 14. ad Timotheum, qui tantùm Ecclesiasticâ potestate fungebatur; *Peccantes* (inquit) *coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Et Christus in Evangelio, servo, quem ad vocandum invitatos misit, *Compelle*, inquit, *intrare, ut impleatur domus mea:* plus enim est compellere quàm terrere. Quæro igitur in his divinæ Scripturæ testimoniis, quibus præfecti jubentur subditis timorem incutere, ut errantes in viam reducant, an doceatur tyrannicum imperium, an potiùs æquum jus dominandi, quo is qui præest, unicuique subditorum, prout illis expedit, sincerâ charitate ad Deum promerendum consulit? Aliter enim regendi sunt servi pigri, qui verbis non emendantur, aliter liberi, aliter contumaces, aliter infirmi. Lege Augustinum Epist. 48. hanc quæstionem ex Scripturis sacris diligenter pertractantem, & videbis quàm præter rationem, hoc loco animi tui acerbitatem, ex apertissimo errore, huic tuæ responsioni infarcias.

CAPUT IV.

Quòd ad quæstiones plures, plures dandæ sunt responsiones.

EJusdem planè absurditatis est querela sequens, quòd ad quæstionem tuam plura continentem, non unam, sed plures dederim responsiones. Interrogasti enim *quod κριτήριον haberet Ecclesia, ejusque Constitutiones seu Traditiones?* Ac deinde adjecisti: *An hoc κριτήριον constet pagina Sacræ Scripturæ?* Quas quæstiones in duas dividens partes, respondi ex D. Augustino de unitate Ecclesiæ, Judicium de Ecclesia, ex Scripturis sacris esse petendum: & quia non simul dixi, etiam Constitutiones seu Traditiones ex Scripturis sacris dijudicandas; clamitas me quæstionem tuam dividendo, peracutè quidem id fecisse, sed parùm candidè ac sincerè. Miror te hîc tuum Aristotelem non esse recordatum, tam in Topicis docentem quomodo terminari debeat problema multiplex, quàm in Elenchis, ubi explicat quomodo dissolvi debeat sophisma, ex eo proveniens quod interrogans plures interrogationes ut unam facit, sicut tu in hac tua quæstione fecisti. Ex eo enim accidit sophisma, quòd respondendo non dividitur ejusmodi propositionis ratio. Tu igitur ad quæstiones plures, responsionem unam absque divisione postulans, non sinceram & candidam, (sicut videri vis) sed obscuram & tenebris involutam responsionem extorquere conaris, ut sit locus sophismati: à quo remotissimus esse debet simplicitatis sacræ Scripturæ pertractator. Quia *qui sophisticè loquitur* (inquit Sapiens) *odibilis est: in omni re defraudabitur, non est enim illi à Domino data gratia: omni enim sapientiâ defraudatus est.* Sed forsitan facilè passus fuisses, me quæstionem tuam plura continentem, juxta regulas dialectices, in duas partiri, & utrique quæstioni seorsum suam assignare responsionem, si modò generaliter fateri voluissem, Constitutiones Ecclesiasticas ex sola Scripturâ sacra dijudicandas. Sed ego id dicere nolebam. Primò quidem, quia (sicut ex epistola ad D. Ghennart satis intelligere potuisti) mihi omnino propositum erat, dissimulatis aliis quæstionibus, ante omnia tecum de sola Ecclesia disserere: in quam disputationem etiam pluribus modis provocatus, hactenus descendere noluisti. Deinde, tanta est ecclesiasticarum Constitutionum varietas, ut non videantur omnes ex eodem capite dijudicandæ, aliæ enim desumptæ sunt ex Scripturis sacris, ut quæ certò & in divinis litteris sacrato dierum numero jejunia præscribunt: aliæ verò ex Traditione Apostolica: aliæ verò ex recta ratione, ut quod librorum hæreticorum lectio indoctis & idiotis non permittatur. Lectio enim legentis est cibus, qui si sit veneno permistus, opus est solertiâ, quæ in idiotis non est, ut prudenter dijudicetur. Et cùm prohibeat Johannes, ne is qui alienam doctrinam affert, in domum recipiatur; quantò magis prohibendum est, ne ejusmodi doctrina in animum rudioris lectoris admittatur: præsertim cùm omnes naturâ mali sumus, & ad tenebras, in quibus nati sumus, quàm ad lucem, in qua per Christum reformamur, multò propensiores. Unde etiam sacrarum litterarum indagatorem monet Augustinus, ut

Eccles. 17.

De doctri-na Christi. lib. 2. c. 8. in initio studii litteras apocryphas vitet, ne præoccupent imbecillum animum, & periculosis mendaciis atque fantasmatibus eludentes, præjudicent aliquid contra sanam intelligentiam. Cæterùm ut Constitutiones Ecclesiæ ex solis Scripturis sacris dijudicandas esse concludas; cætera pene omnia, quæ ad illarum comprobationem existimasti potuisse videri oportuna, veluti pertransiens canino dente perstrinxisti, dicens: *me non potuisse suspicari te aliud petivisse, nisi ut semel & clarè explicarem, an Constitutiones Ecclesiæ, ex autoritate solius Scripturæ censendæ essent? an verò ex Patrum variis & sæpè inter se pugnantibus interpretationibus? an ex effrænatis atque impotentibus Pontificum decretis? an ex contentiosis Synodorum sanctionibus? an denique ex horridis & spinosis Scholasticorum concertationibus?* Benè habet, quòd dum salutaris doctrinæ fulcimenta tuo stylo velut aliud agens conatus es jugulare, saltem Apostolicas Traditiones,
2 Thess. 2. de quibus ait Apostolus: *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive*
1 Tim. 3. *per epistolam nostram:* & judicium Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum
Matt. 18. veritatis, quam qui *audierit, sit tibi* (inquit Christus) *sicut Ethnicus & Publicanus:* bene, inquam, habet, quòd hæc duo nobis integra & intacta relinqueris, ut ex iis etiam Constitutiones Ecclesiæ possimus non tam dijudicare, quàm defendere. Tunc enim dijudicandæ, cùm statuuntur: ubi autem statutæ sunt, tunc sunt observandæ. Et simul cum his duobus fundamentis ipsam rectam rationem admittis, ex qua puto te velle defendere constitutiones vestras, quibus per magistratus seculares, nunc à Clero & Monachis, nunc ab universis civitatum per vos occupatarum incolis, exigitis absurda & inter Fideles hactenus inaudita juramenta, quibus bonas conscientias aut sceleribus vestris implicetis, aut sua omnia deserere cogatis: quia horum juramentorum, neque in Scripturis sacris, neque in aliis salutaris doctrinæ fundamentis, ulla fit mentio. Hîc prudens pertranseo ridiculum argumentum quo vis ex D. Augustino colligere omnes omninò quæstiones ad Scripturas sacras esse examinandas; quia id dixit de quæstione, quâ quærebatur, Ubinam esset Ecclesiæ corpus: quia non videtur responsione dignum.

CAPUT V.

Quòd alia sit intentio per propositionem significata; alia finalis, quæ priori frequenter adjicitur.

CApite secundo libri tui, multa sophisticè congeris, ut redarguas quod dixi, & manifestissimis Scripturis comprobavi, quòd eadem propositio servatâ eâdem vocum significatione, possit aliâ & aliâ intentione enunciari.
Joan. 4. Nam licèt Christus & servi reguli in Evangelio, eâdem omnium vocum significatione, eâdemque intentione per voces ipsas significatâ, regulo dixerint, *filius tuus vivit:* attamen Christus hanc enunciationem aliâ finali intentione protulit, quàm ipsi servi; nempe intentione faciendi quod dicebat, videlicet, sanandi filium ejus. Quam intentionem neque enunciatio ipsa significat, neque servi habebant cùm dicerent: *filius tuus vivit;* neque etiam omnes intelligebant, qui audiebant Christum dicentem, *filius tuus vivit:* sed hi soli, qui filium

filium usque ad id momentum ægrotasse noverunt, & simul credebant Christum verbis suis efficere velle quod dicebat: sicut credidit Centurio, confidenter domum abiens, & de filii sui sanitate non dubitans. Sed hanc loquentium intentionem, quæ extra significationem verborum frequenter concipitur, tu peregrinam vocas: ut sophisticando, & de duabus intentionibus, alterâ per voces significatâ, alterâ per loquentem cogitatâ, tanquam de una loquendo incurioso lectori nebulam suffundas; nec permittas eum intelligere, quod clausis oculis viderîs non velle attendere. Quis enim ignorat Abraham duobus regibus dixisse de uxore sua, *Soror mea est:* & hoc dicendo, non tantùm intendisse significare quod verba ipsa significant; sed etiam occupando eos circa hanc intentionem per verba significatam, voluisse impedire, ne cogitarent eam esse ipsius uxorem? quæ fuit altera intentio extra verborum significationem ab eo cogitata. Quod igitur ais me dicere in his verbis, *Hoc est corpus meum*, servari propriam & genuinam omnium vocum significationem, verum dicis; sed quod addis, me simul negare iis significari ipsum illud quod voces propriè sumptæ notant, hoc dicendo aut calumniaris, aut falleris. Utrumque enim dico, videlicet, in his verbis, *hoc est corpus meum*, servari propriam & genuinam omnium vocum significationem; & his verbis significari ipsum illud quod voces propriè sumptæ notant. Sed addo Christum simul intendisse facere quod verbis illis non quidem fieri sed esse designatur: quam intentionem faciendi, verba ipsa non significant. Quod autem ais haud posse cuipiam esse dubium quin ea verba propriè usurpata planissimè significent panem illum, à Christo sumptum, esse ipsius (scilicet Christi) corpus, procul dubio non diceres, si ex Dialectica didicisses propriam demonstrativorum pronominum significationem esse ipsam demonstrationem. Et ideò cùm dicitur; *Hoc est corpus meum*, si per pronomen (hoc) demonstrasset Christus panem quem manu tenebat, sicut vos prætenditis, tunc propria hujus pronominis significatio, fuisset hic panis; sed quia non demonstrabat panem, sed corpus suum, quod ex pane verbis suis facere intendebat & discipulis distribuere manducandum, ideò propria hujus pronominis significatio in ea oratione non est panis quem Christus acceperat, sed corpus quod facere intendebat, ut diximus. Ex iis facilè intelligitur, quàm certum sit & evidens quod dixi capite tertio libri mei, enunciationem aliquam, manente eâdem vocum omnium significatione, posse aliâ & aliâ intentione dici; cujus rationem subjeci his verbis: *quia quando una & eadem propositio aliâ & aliâ intentione profertur, non oportet eam intentionem, quæ alia & alia est, illâ enunciatione significari; sed eam tantùm passionem quæ utrobique est eadem, ad quam significandam voces in propositione positæ sunt institutæ: quæ eadem passio potest apud utrumque enunciantem eadem consistere, etiamsi ipsa enunciationis pronunciatio à pronunciante ad aliam atque aliam intentionem, finalem videlicet, referatur.* Hactenus verba mea: quæ cùm apertissima sint & indubitata, non est portentum quod dixi, sicut mihi objicis, sed potiùs est portentum, quòd certissimam veritatem tam clarè expressam non intellexeris, aut etiam non satis lectam redarguere conaris. Neque enim adduci possum, ut credam te tam stupidum, ut si paulò consideratiùs legeris verba mea, non attenderis me de duplici intentione loquutum: alterâ quæ per verba signi-

Mat. 8.
Gen. 12. & 20.

significatur, alterâ verò finali, quæ à loquente, extra verborum significationem, cogitatur; & non ex verborum significatione, sed ex aliis circumstantiis intelligitur, sicut suprà ostendi in hac enunciatione à Christo & servis reguli dicta: *Filius tuus vivit.* Sed sicut suprà ex duabus quæstionibus conatus es unam facere, unamque responsionem extorquere, ut esset locus sophisticæ; sic & hoc loco libenter confunderes duas intentiones, quas dixi Abraham habuisse quando dixit de sua uxore, *Soror mea est*; alteram quæ verbis illis significatur; alteram verò finalem, quâ intendebat avertere suspicionem seu cogitationem Ægyptiorum, quòd esset ejus uxor, ne propter illam occideretur: ut te in hac confusionis obscuritate volutares, & sublatâ distinctione, quæ veritatem manifestat, tuo more sophisticæ apparentiæ, verbis ad eam rem ingeniosè compositis, incumberes. Dicis eadem esse, significare, & intentionem explicare: sed non attendis me toties inculcasse, quòd sicut Christus dicens: *Filius tuus vivit*, nec dixit, nec verbis significavit intentionem, quâ filium sanabat, sed illam regulo credendam reliquit: sic etiam dicens, *Hoc est corpus meum*, nec dixit nec verbis explicavit intentionem faciendi quod verbis illis significabatur; sed consideratâ ejus omnipotentiâ & veritate, illam discipulis credendam reliquit: quam quia tu non vis credere, ideò nec eam potes intelligere. *Nisi enim credideretis* (inquit Propheta) *non intelligetis.*

CAPUT VI.

Quòd obtegere finalem sui sermonis intentionem non sit mendacium.

QUòd autem illos mendacii arguis, qui loquendo animi sui sensa obtegunt, hoc est, qui finalem intentionem reticent, propter quam enunciant quod dicunt, sicut fecit Abraham cùm de uxore sua dixit, *Soror mea est*, ut nemo uxorem esse suspicaretur, perridiculum est. Id enim dixit quod & veritas habuit, & sensit, sicut ipsi Abimelech postea aperuit dicens, *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Sed hoc dicens, absque omni mendacio aliquid reticuit, quod justissimâ ratione intendit; nempe, ut nemo cogitaret ipsam illi esse uxorem, ne propter illam occideretur, sicut Gen. 20. apertissimè declaratur.

Denique capitis hujus epilogum faciens, ut concludas verba Christi quibus ait: *Hoc est corpus meum*, &: *Hic est sanguis meus*, non propriè ac substantialiter, sed symbolicè & per tropum esse necessariò explicanda, dicis: Christum neque mentiri posse, quod verum est: neque mentem atque intentionem dissimulanter celare, aut abscondere voluisse; id quod etiam verum est de intentione verbis significata: sed intentionem conficiendi quod esse dicebat, ex aliis circumstantiis intelligendam reliquit, ipsum omnipotentem atque veracem esse fideliter credentibus: à quibus quia recessistis, ideò nec hanc posteriorem Christi intentionem intelligitis, sed illam quibus potestis argumentis impugnatis.

Addis hæc verba: *Hoc est corpus meum*, in propria sua significatione retineri nullo modo posse. Id quod suprà falsum esse ostendimus, quia sive pronomen (hoc) demonstret panem, quem Christus in manibus acceperat, sicut absurdè dicitis; sive corpus Christi, quod verbis suis ex pane conficiebat; semper est propria loquutio, quia propria significatio pronominis, est ipsa demonstratio, ut diximus.

Jam puto vides, mi Sanct-Aldegonde, me non meis pedicis impeditum, sicut gloriaris, ut cogar fateri toties mutari enunciationis significationem, quoties mutatur qualiscunque intentio loquentis, verbi gratiâ finalis, (de hac enim manifestè sum locutus;) sed potiùs me vides sophisticis tuis ratiocinationibus ita expeditum, ut cuivis facilè pateat vanum esse quod tanto molimine conaris ostendere, non posse aliam & aliam esse enunciantis intentionem, etiam finalem, de qua manifestè locutus sum, nisi sit alia & alia enunciationis significatio. Quod ais me, ut veritatis jubar caligine mendacii obscurarem, veteratoriè argumentum tuum truncasse, in quo dicis te alterutrum effecisse, nempe vel illis vocibus intentionem dicentis non explicari: vel easdem certè voces, idem significando non idem significare: vel non recordans verba tua, multùm falleris; vel ad alia verba tua respicis, quàm ego: Sic enim habent verba tua, à me commemorata: Cùm ais, *Enunciationes manente eâdem usitatâ, & genuinâ omnium vocum significatione aliâ & aliâ intentione dici, quid aliud designas nisi easdem illas enunciationes, idem significando non idem significare?* Ostende hîc distinctionem ex qua te alterutram partem effecisse contendis; & considera an ne his tuis verbis apertè significaveris, quod asseruisse retuli; nempe quòd dicere enunciationem aliquam, manente eâdem vocum omnium significatione, posse aliâ & aliâ intentione dici, nihil aliud sit quàm dicere enunciationem aliquam idem significando non idem significare. Hac tuâ tamen objectione admonitus reperi te postea repetendo supradicta verba tua, aliquid eis adjecisse, quod aliquid habet disjunctionis: sed ego tantùm priora tua verba citavi, & quàm absurdum sensum contineant ostendi. Quòd verò postea adjecisti, illis vocibus intentionem dicentis non explicari, verum est de intentione finali loquentis, sicut sæpius dixi; non autem de ea, quam verba ipsa significant.

CAPUT VII.

Quòd licèt Deus faciat quod dicit, attamen id non debet de iis propositionibus intelligi, quarum res significatæ priùs extiterunt, quàm in Scripturis sacris dicerentur.

QUia in Thesibus tuis Theologicis confessus eras Christum mandando multa fecisse: sed addideras argumentum à verbis mandandi, ad enunciandi voces traductum elumbe esse; per quod significaveras te quidem credere Christum mandando multa effecisse, sed non enunciando: sicut cùm dixit: *Hoc est*

est corpus meum. Dixi virtute hujus enunciationis, *Hoc est corpus meum*, effici quòd per eam non significatur mandando fieri, sed tantùm significatur esse enunciando, sicut per hanc enunciationem: *In dolore paries filios tuos*, effecit Deus non quòd illa oratio significabat, fieri, sed quòd tantùm significabat futurum esse. Adhibui tunc quidem aliud exemplum ex Scripturis sacris quod ex tempore occurrebat, sed ad eandem rem pertinens. Si igitur Deus in futuro effecit, non quod jussit fieri mandando, sed quod maledicendo futurum enunciavit, dicens: *In dolore paries filios tuos:* quid mirum si etiam credatur fecisse, quod benedicendo esse enunciavit, dicens: *Hoc est corpus meum?* cùm enim benedicit Deus (inquit Prosper in Psal. 108.) facit quod dicit; & quia Deus facit quod dicit, ideò Psalmista tantùm à Domino petit: Dic animæ meæ, salus tua ego sum. Sed contra hæc sic argumentaris. *Si Deus facit quod dicit, quotiescunque spiritus ejus res planè disparatas, alteram de altera enunciaverit per verbum est, cùm Deus omnia possit, fateamini necesse est eundem Christum in veram vitis substantiam, in agnum, in leonem, in panem, in lapidem; & contrà, lapidem & panem in Christum fuisse transmutata: aut si hæc sunt & falsa & absurda, quid est causæ cur vos in singulari exemplo ita fastidiosè urgeatis, quod in reliquis omnibus obstinatè repudiatis?* Respondeo quòd quando Deus aut spiritus ejus res disparatas alteram de altera per verbum (est) enunciat; facit quod dicit, quando id quod dicit non priùs fuit quàm illud enunciat; ut, *filius tuus*, videlicet æger, *vivit: mulier*, scilicet ægra, *dimissa es ab infirmitate tua: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* In his enim enunciationibus locum habet quod ait Psalmista: *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Sed quando Deus id dicit quod priùs fuit, tunc hoc dicendo, non facit quod dicit, sed tantùm enunciat quod priùs & dixit & fecit: ut cùm Christus: *Tu es Simon filius Jona.* In his autem enunciationibus quas ex Scripturis sacris protulisti, res significata non tunc esse cœpit, quando Christus aut spiritus ejus illas in Scripturis sacris enunciavit, sed longo antè tempore fuit. Christus enim priùs fuit vitis, agnus, leo, panis, petra, quàm diceret: *ego sum vitis, ego sum panis*; item quàm in Scriptura sacra diceretur; *Ecce agnus Dei, Petra erat Christus, Vicit leo de tribu Juda:* & ideò nihil mirum, si Christus aut spiritus ejus, his enunciationibus in Scriptura sacra positis, nullam transmutationem fecerit; sed tantùm id esse significaverit, quod antè cœpit esse quàm hæc diceret. Id autem quod hac enunciatione significatur, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, non priùs fuit, quàm hoc à Christo diceretur. Nam si res illa significata priùs extitisset, quàm Christus hæc enunciaret; tunc Christo adhuc tacente, aut panem nondum accipiente, potuisset sanctus Petrus, & alius quivis, iisdem rebus demonstratis Christo veraciter dicere: Hoc est corpus tuum, Hic est sanguis tuus: quod credo nec vos esse concessuros. Ut autem intelligatur, quomodo harum enunciationum, *Ego sum vitis vera, Ecce agnus Dei, vicit Leo de tribu Juda, Ego sum panis vivus, Petra erat Christus:* quibus similes sunt, Pascha seu agnus paschalis est Christus, Sapientia est lignum vitæ omnibus amplectentibus eam: ut, inquam intelligatur, quomodo harum enunciationum res significata priùs extiterit, quàm à Spiritu Sancto in Scripturis sacris enunciaretur; sciendum est has universales voces, vitis, agnus,

Marginalia: *Gen. 3.* — *Prosper.* — *Psal. 34.* — *Object.* — *Solutio.* — *Johan. 4.* — *Luc. 13.* — *Psal. 109.* — *Psal. 148.* — *Johan. 1.* — *Joan. 16.* — *Joan. 6.* — *Joan. 1.* — *1 Cor. 10.* — *Apoc. 5.*

agnus, leo, panis, propter aliquam significatæ rei similitudinem, Christo figuratè attribui: vitis propter nutrimentum quod palmitibus suppeditat: (agnus propter innocentiam: leo propter fortitudinem; panis propter vitæ subsidium, quæ res priùs Christo inerant, quàm hæ orationes Scripturis sacris enunciarentur.

CAPUT VIII.

Quòd Christus non dicatur metaphoricè Agnus Paschalis, aut Petra in Oreb percussa: sed quia per eas res sacramentaliter significatur.

HÆ verò tres voces, Agnus Paschalis, Petra, & Lignum vitæ, non metaphoricè Christo & sapientiæ tribuuntur. Nam sumuntur in propria sua significatione; nempe Petra, ut lapidem significet virgâ Moysi in Oreb percussum; Agnus Paschalis, ut significet animal, quod à Judæis in paschate immolabatur in phase; & Lignum vitæ, ut significet certam arborem Paradisi. Unde D. Augustinus de Gen. ad litteram libr. 8. cap. 4. *quando hæc commemorata sunt*, inquit: sapientia est lignum vitæ omnibus amplectentibus eam, & Petra erat Christus, *non erat illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat figurata præcessio.* Et infrà: *Rectè quippe appellatur quod ad eam significandam præcessit.* Igitur hæ duæ voces, videlicet (Petra) & (Agnus Paschalis) non metaphoricè Christo tribuuntur, sicut nec vox (Lignum vitæ) tribuitur ipsi sapientiæ; sed tantùm ratione rei significatæ, quæ priùs sacramentaliter instituta fuit, ad id significandum, cui vox ipsa tribuitur, quàm Christus in Scripturis sacris diceretur esse Petra in Oreb percussa, Agnusque Paschalis, & quàm sapientia diceretur lignum vitæ. Nam Petra in Oreb virgâ Moysi percussa, tunc ad significandum Christum in cruce propter scelus populi Domini percussum, sacramentaliter est instituta, quando virga Moysi percussa aquas fudit: & Agnus Paschalis, quando ad immolandum jussu Domini deputatus est: & lignum vitæ tunc institutum est ad sacramentaliter significandam sapientiam, quando in Paradiso est plantatum. Sicut enim dicitur: Hæc statua est sanctus Franciscus, non quia vox ista (statua) propriè aut metaphoricè significat sanctum Franciscum; sed quia lapis ipse demonstratus, aut lignum exsculptum (quod propriè non metaphoricè per statuam significatur) sanctum Franciscum repræsentat: sic etiam dicitur, quòd Petra, videlicet in monte Oreb percussa, erat Christus, non quòd vox, Petra, in illa oratione propriè vel metaphoricè Christum significet, sed quia lapis ille quem vox (Petra) propriè significat, dum percutiebatur, sacramentaliter institutus est ad significandum Christum.

Augus.

CAPUT IX.

Quòd in hac oratione: Hoc est corpus meum, *pronomen (hoc) nec metaphoricè sumatur, nec demonstret rem quæ corpus Christi priùs sacramentaliter significabat.*

POrrò in hac enunciatione quam Christus in cœna novissima protulit: *Hoc est corpus meum*, pronomen (hoc) neque metaphoricè sumi potest, ut Christi corpus tropicè significet, quia ejusmodi pronomina, metaphoram non admittunt, sed demonstratio rei de qua agitur, est tota pronominis demonstrativi significatio. Et licèt vocabulum panis, dum indefinitè dicitur, admittat metaphoram, ut cùm ait Christus, *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi:* attamen, quia in hac enunciatione non dicitur: panis est corpus meum: sed loco subjecti tantùm ponitur pronomen (hoc) quod individuum significat. Ideò non potest hujus metaphoræ hìc haberi ratio. Insuper pronomen (hoc) non demonstrat rem aliquam, quæ priùs sacramentaliter instituta fuerit ad significandum Christi corpus. Nam secundùm vos demonstrat panem illum, quem Christus tenebat in manibus, qui, priusquam Christus hoc diceret, non magis institutus fuerat in sacramentum corporis Christi, quàm quivis alius panis: Igitur cùm Christus dixit: *Hoc est corpus meum*, si pronomen (hoc) demonstret panem, sicut vos dicitis, nulla potest esse alia istius sermonis intelligentia, quàm quòd hæc individua panis substantia sit Christi corpus, quo nihil est absurdius: quia, ut jam ostensum est, neque per metaphoram id dici potest, neque etiam ratione rei, ad quam significandam panis ille priùs institutus erat: quia panis quem Christus tunc secundùm vos demonstrabat, nihil sacramentaliter significabat, ad quod respectus haberi potuisset, cùm diceret: *Hoc est corpus meum.* Accipe simile, cujus etiam suprà meminimus: Si quis de lapide in imaginem sancti Francisci exsculpto dicat: Hic lapis est sanctus Franciscus; verum dicit propter rem quam lapis exsculptus significat: sed si quis idipsum de lapide adhuc rudi enunciaret, omninò absurdè loqueretur, quia non posset haberi respectus ad rem significatam per lapidem qui adhuc rudis nihil significat, sed tantùm ad ipsam lapidis substantiam, quæ sine aperta absurditate dici non potest esse sanctus Franciscus. Idipsum autem & in vocibus, quæ inter homines significandi principatum obtinent, manifestissimè ostenditur. Priusquam enim vox (homo) quæ sensibilis qualitas est, ad significandam creaturam rationalem institueretur & usurparetur, non minùs absurdum fuisset dicere: homo est substantia, quàm nunc absurdum esset, si quis prolatâ voce nullius rei significativâ diceret, bû est substantia. Sed postquàm vox (homo) hanc accepit significationem, tunc nemo miratur, cùm dicitur quòd homo sit substantia: quia audito hoc sermone, statim intelligitur debere accipi, non de illa voce quod sit substantia, sed re per vocem significatâ. Eodem modo cùm secundùm vos dixerit Christus: Hic panis est corpus meum; si hic inveniretur præ cæteris panibus priùs institutus fuisse in sacramen-

men-

mentum corporis Christi, quàm hoc diceretur, nemo sermonem illum deberet admirari: sed quia nec vos dicitis hunc panem priùs fuisse institutum in sacramentum corporis Christi, quàm hoc diceretur, sed vultis id tropo dici: ideò absurda est vestra intelligentia, quâ dicitis per pronomen (hoc) demonstrari hunc panem. Quibus omnibus consideratis manifestè efficitur aliter dici non posse, quàm quòd Christus dicens: *Hoc est corpus meum*, pronomine (hoc) demonstraverit non panem, quem manu tenebat, sed corpus suum, quod verbis suis efficiebat: ut diximus.

Jam puto vides, Sanct-Aldegonde frater, quòd quemadmodum priùs in verbo substantivo (est) quod pro (significat) positum voluisti, deindè in attributo (corpus meum) per quod corporis Christi signum intelligendum putasti, secundùm Scripturas sacras, non invenisti tropum, quem tantâ instantiâ quæsivisti; sic & nunc in pronomine (hoc) non potuisti invenire quod putasti, nempè quòd pronomen (hoc) aut per metaphoram corpus Christi significaret, aut rem aliquam demonstraret, quæ priùs instituta fuisset in sacramentum corporis Christi. Obsecro te, jam satis diu cum impiis circumivisti: (In circuitu enim impii ambulant) regredere aliquando in rectam simplicis veritatis semitam, & veræ fidei lumen aspice, ut possis aliquando fœliciter intueri, quod nunc infideliter credere recusas, nempè, quòd Christus dicendo: *Hoc est corpus meum*, ex pane, quem manibus tenebat, verè corpus suum effecerit: quia *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Et quia Christus etiam Apostolis eorumque successoribus præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ideò etiam Sacerdotes in persona Christi dicentes: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, idipsum faciunt, quod Christus in novissima cœna fecit.

Psal. 11. *Psal. 148.*

CAPUT X.

Quòd Christus prætendatur vocibus & tactu non fecisse miracula, ad hoc videtur referri, ne ipsius sacramentis vis aliqua operandi tribuatur.

IN responsione ad objectiones tuas contra meam responsionem ad posteriores quæstiones, per te mihi propositas, dixeram, quòd sicut Christus mandando multa effecit, quæ nos iidem verbis, eâdem significatione acceptis, tantùm præcipere solemus ut per alios fiant, ut, *surge, tolle grabatum tuum & ambula:* &, *Lazare, veni foras: Extende manum tuam: Respice*, &c. Sic etiam per præsens multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eâdem significatione acceptis, priùs fuisse significamus: ut, *Filius tuus vivit*, cui in Thesibus tuis, more tuo dissimulatis sacræ Scripturæ testimoniis, quibus dicta mea confirmavi, Respondes *te non inficiari Christum mandando multa fecisse, si mandatum referas ad mentem, ac voluntatem; & non ad magicam vim verborum, quæ tantummodò ad illam explicandam indicandamque adhibentur.* Quibus verbis tuis intellexi, sicut quivis alius intelligeret, te sentire curationem paralytici, resuscitationem Lazari, aliaſ-

Joan. 5. *Joan. 11.* *Matt. 12.* *Luc. 18.* *Joan. 4.*

aliasque sanitates supra commemoratas, divinâ quidem mente ac voluntate factas, sed non vocalibus Christi verbis, quæ tantummodò (ut ais) ad explicandam indicandamque divinam voluntatem sunt adhibita, & non ad aliquid operandum: & quod tribuere dictis Christi vocibus, aliquam operandi vim, sit magicum, id est, fallax curiosorum hominum præsumptio, cui se solet diabolus insinuare, occultâ suâ potestate faciens, aut simulans facere, quod homines errando, verbis aut signis magicis ascribunt. Hanc eandem verborum tuorum intelligentiam, tuâ hac responsione repetis, dicens: *Verbum Dei vobis esse Dei voluntatem, ac decretum, cui summam efficientiam inesse creditis: sed voces & typos, esse nuda signa.* Quæ cùm apertissima sint, attamen ut increpationibus & verborum involucris sententiam tuam obnubiles, non erubescis perfrictâ fronte supradictam meam, imò potiùs tuam, intelligentiam appellare impudentem calumniam, vel putidam oscitantiam: Addisque me *meum stuporem prodidisse, quòd æternam Dei voluntatem, à verbis Christi vocalibus, & ad significandum adhibitis, distinguere non potui.* Quasi videlicet ego æternam Dei voluntatem, quæ rerum omnium prima & radicalis causa est, à verbis Christi vocalibus, quibus tanquam instrumentis usus est, ad illuminandum cæcum, ad suscitandum Lazarum, aliasque sanitates perficiendas, distinguere non potuerim, quia contra apertissima Sacræ Scripturæ ver-
4 Reg. 13. ba, quæ non tantùm tactu ossium Elizæi, sed etiam magno Christi clamore
Joan. 11. mortuum suscitatum ostendunt, nolui fateri, non fuisse veram vocis Christi operationem, quâ Lazarum suscitavit; sed magicam, sed cabalisticam, sed diabolicam: sicut etiam de Christo commenti sunt Pharisæi, quòd in Beelsebut principe dæmoniorum ejiciebat dæmones. Ego igitur, mi Philippe, non tantùm æternum Dei verbum, quod rerum omnium prima causa est, à temporali & à vocali verbo, quo & ad significandum & ad operandum tanquam instrumento usus est Christus quando voluit, distinguere potui; sed etiam tuam absurditatem redargui, quâ negas Christum verbo suo vocali operatum,
Marc. 2. cùm paralyticum sanavit dicens: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*; cùm
Joan. 11. Lazarum resuscitavit clamans voce magnâ, *Lazare, veni foras:* sicut suo ta-
Luc. 22. ctu auriculam Malco restituit. Quid autem te moveat, ut contendas magicum esse, dicere Christum esse usum verbis suis vocalibus, tanquam instru-
Luc. 8. mentis, ut sanitates perficeret: ex quo sequitur, quòd nec tactu vestis sana-
Matt. 8. verit mulierem patientem fluxum sanguinis, nec tactu manuum curaverit leprosum, aut auriculam Malco restituerit: sed quòd id dicere sit magicum, quia non est alia de vocibus quàm de tactu ratio: quid, inquam, te moverit, ut contra omnium intelligentiam hæc diceres, paucis verbis indicasti, dicens: *Cùm Christus dixit panem quem acceperat esse suum corpus, haud sanè voluit istis vocibus vim ac facultatem tribuere, ut quotiescunque, & à quocunque illæ pronunciarentur, toties miraculorum nova vis ederetur.* Non quidem hoc dixit Christus quod illi fallaciter imponis, videlicet panem quem acceperat esse suum corpus, sed dixit: *Hoc est corpus meum:* sed de hoc aliàs. Nunc illud considerandum est, te fateri nolle Christum verbis suis vocalibus Lazarum quando voluit resuscitasse, ne quis fortè inde colligat absurdum non esse si quis dicat, etiam Christum verbis suis ex pane corpus suum confecisse, ipsosque Sacerdotes,

tes, qui ad hoc consecrati sunt, ut Christum repræsentantes in ejus persona hoc etiam dicerent, idem facere. Sicut enim ex vestra conspiratione prorsus exibilastis Christi consilia, de quibus principio hujus defensionis; sic etiam abjecistis universa ejus sacramenta: sed in hoc differentiam posuistis, quòd in Christi consiliis nullam retinuistis speciem aut umbram, quâ rudioribus illuderetis, & simularetis vos observare quod non observatis. Nam licèt conquereris apud nos esse infinitas Monachorum formas, quæ Christi consilia profitentur: attamen neque ex eis aliqua vobis placet, neque alia per vos excogitata est, in qua aliqui ex vobis profiterentur se Christi consilia conservare velle. In Sacramentis verò invenistis fucum, quo simularetis vos servare quod non servatis: explosâ enim omni verborum vi, quibus Christus baptismum & sacram Eucharistiam perfici mandavit (quam vim dicitis esse magicam) solam verborum factorumque significationem & doctrinam reservastis, ut rudioribus, qui artem vestram non observant, illudatis. Hæc sunt non sacramentorum, sed præstigiorum vestrorum mysteria, quæ apud fideles tantæ sunt absurditatis, ut ea Christianis auribus aperuisse, satis sit redarguisse. Quod autem ais, *istis vocibus*, Hoc est corpus meum, *non esse eam vim inditam, ut à quocunque pronuncientur, id efficiant quod esse significant*, verum dicis: quia sicut non cuivis Angelo commissum fuit, ut diceret: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*, sed illi duntaxat qui ad hoc à Deo deputatus fuit, ut divinam personam repræsentans diceret, non quod sibi, sed quod illi personæ congrueret, quæ per ipsum significabatur: sic etiam non cuivis homini commissum est, ut personam Christi repræsentet, & in ejus persona efficaciter dicat, quod non personæ loquenti, sed Christo significato congruit, *Hoc est corpus meum*, sed solis Apostolis, eorumque in ea re successoribus Sacerdotibus, quibus à Christo mandatum est: *Hoc facite in meam commemorationem*. Nam si quis alius ad hoc per consecrationem non deputatus, id attentet dicere (sicut apud vos quotidie faciunt sutores & calcifices) non tantùm nihil operatur, sed etiam perniciosè mentitur, significans absque legitima commissione, se Christi personam gerere: sicut absque dubio mentiretur, quisquis absque legitima commissione diceret: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*: quia cùm is Deus non esset, neque Deum significando repræsentaret, ut ratione rei significatæ posset verè dicere: *Ego sum Deus*, palàm mentiretur, asserendo quod verum esse non posset.

Exod. 3.

CAPUT XI.

Quòd hæc Christi enunciatio, Hoc est corpus meum, *semper vera fuit; etiamsi Christi corpus non nisi ultimo ejus momento ibi esse cœperit.*

CApite tuo quinto ais, caput Apologiæ meæ sequens, quod in ea septimum est, sententiæ meæ ineptias magis ac magis prodere: nempe quia contra id quod dixisti, *quod eo ipso momento, quo Christus hæc verba proferre incipiebat, vide-*

videlicet, Filius tuus vivit, *jam sanus erat reguli filius:* tantâ manifestatione ostendi orationes quibus aliquid efficitur, non eo momento quo pronunciari incipiunt, sed eo quo pronunciatæ sunt, suum effectum consequi, ut modò nolens volens idipsum fatearis. Addis tamen *te in momentis syllabarum, nullam vim constituisse, nec ejusmodi quippiam vel per somnium tibi in mentem venisse.* Quid tibi in mentem venerit, nescio: sed quid à calamo tuo processerit, hoc in scriptis tuis lego, hoc redarguo, & nihilominus quasi te pœnituerit approbasse quod dixi: Si vir animo ducendi uxorem mulieri dicat, Tu es uxor mea: & illa vicissim viro dicat, Tu es vir meus, secundùm Jurisconsultos non eo momento, quo vir & mulier loqui incepissent, sed quo sermonem complevissent, factos esse conjuges: atque ex eo conclusi, orationes quibus aliquid efficitur, non ipso momento quo pronunciari incipiunt, sed eo quo pronunciatæ sunt, suum effectum consequi, argutaris, dicens; *Quod si per pronomen (hoc) dicente Christo*, Hoc est corpus meum, *demonstretur corpus Christi, ratione illius instantis in quo finitur oratio, igitur donec planè finita sit oratio, Christus mendacii reus à vobis peragitur.* Visne similiter ex dictis tuis colligamus: quòd si vir & mulier, non eo momento quo loqui cœperint facti sunt conjuges, sicut ipse fatêris, sed quo sermonem compleverint: Igitur donec planè finita sit oratio, mendacii rei sunt, dicentes: Tu es uxor mea, Tu es vir meus: Si autem hæ duæ orationes, ideò semper veræ sunt, quia non referuntur ad momentum quo pronunciari incipiunt, sed ad illud quo pronunciatæ sunt: similiter intellige quòd licèt per pronomen (hoc) demonstretur Christi corpus sub specie panis, eo momento futurum, quo hæc oratio completa fuerit, *Hoc est corpus meum:* attamen semper vera est oratio, quia non refertur nisi ad illud tempus, quo res se habet, sicut ipsa enunciatio significat. Puerilia sunt quæ hîc argutaris & Sacrarum litterarum pertractatore indigna: sed quia forsitan eos movere possent, qui in Dialecticis, imò & Sophisticis minùs sunt exercitati; ideò tuo sophismati respondendum esse putavi, quo niteris ostendere, non quidem in Christi verbis, ut ais, sed in nostra interpretatione turpissimam falsi labem esse: quam non video quomodo deterges à tua interpretatione, quâ ais per pronomen (hoc) panem demonstrari, ipsamque enunciationem ad illud tempus esse referendam, quo pronunciari incipit. Quia panis quem pronomen (hoc) secundùm vos demonstrat, primo orationis momento, nihil ulteriùs significat, ratione cujus possit dici esse corpus Christi: ac proindè secundùm vos, nulla potest esse hujus enunciationis intelligentia, nisi quòd hæc panis substantia sit Christi corpus: à qua intelligentia, si falsi labem absterseris, eris mihi magnus Apollo. Si verò (non ex Scriptura sacra, sed ex tua præsumptione & sapientia) dixeris quòd ante Christi verba, quibus ait, *Hoc est corpus meum;* panis hic in sacramentum transierit, ut ratione rei significatæ per hunc panem à Christo acceptum in manus, verè dixerit Christus: *Hoc est corpus meum.* Igitur & quivis alius, ante Christi verba ipsi Christo potuit veraciter dicere: *Hoc est corpus tuum.* Nec in hujus sacramenti distributione opus erit ullis verbis: sed sicut stramen vasi absque ullis verbis imponitur, nihilominus à transeuntibus tantisper intelligitur significare vas esse venale, donec à vase deponitur: sic etiam panis vester absque omni sermone, per hoc quòd vice corporis Chri-

sti

sti distribuitur, tantisper intelligetur, usu esse ipsum Christi corpus, donec hic usus cessaverit, sicut etiam suprà attigimus. Quod autem te planissima omnia facere jactas, dicens; *Quòd ex quo Christus voluit hunc sacratum ac benedictum panem, in eum à nobis usum accipi, ut esset vice sui corporis, jamjam in ara crucis morituri: non fuit ampliùs vulgaris panis, sed ipsum ejus corpus, non quidem ullâ substantiarum commigratione, sed usu & destinatione:* Quid aliud, quàm nos verborum involucris, & sermonis ambiguitate ludificas. Incertum enim est, quod tempus designes: dicens: *Ex quo Christus voluit hunc panem à nobis accipi,* an æternum, (voluntas enim Christi æterna est,) an temporale, quando videlicet à nobis accipitur, juxta illud: *Accipite & manducate.* Deindè hunc panem vocas sacratum & benedictum, sed non explicas quando, & quibus verbis sit sacratus & benedictus: an his, *Hoc est corpus meum*, an aliis, an nullis: & quem effectum habuerit ea benedictio. Quòd si fortè dicas, non esse verbis vocalibus benedictum (id enim magicum esse contendis) sed tantùm æternâ Dei voluntate: adhuc restat explicare, quando sit æternâ Dei voluntate benedictus, & sacratus: an quando Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, an quando illum manducandum tradidit, dicens: *Accipite & manducate.* Satis sentio te non libenter confiteri quòd hic panis eo tempore versus sit in sacramentum, quo Christus dixit: *hoc est corpus meum*, ne cogaris fateri hunc panem, primo momento quo Christus hanc orationem inchoabat, *Hoc est corpus meum*, nondum fuisse sacramentum corporis Christi; ac proindè non posse veram esse vestram intelligentiam, quâ per hanc enunciationem: *Hoc est corpus meum*, significatum esse contenditis, quòd hic panis sit corpus Christi. Explica tandem quid velis, & sermones indefinitos de medio tolle, ut possimus certâ & definitâ oratione, tecum ex præsuppositis, de quæstionis tuæ capite disserere. Laus tamen Superis, quòd nunc ex Scripturis sacris didiceris, non debuisse nuper tibi fastidiosum fuisse, quòd ego panem, quem Christus fregerat dederatque Discipulis, semel atque iterum benedictum nuncupaverim, quia hunc eundem panem nunc & sacratum & benedictum nuncupasti. Sed tamen doleo, quòd ita vocem agnoscas, ut rem voce significatam obstinatè pernegas, contendens Christi benedictione nullam panis factam esse mutationem. *Quando* enim *Deus benedicit* (inquit Prosper) *facit quod dicit:* sicut etiam patet in maledictione, quâ mulieri maledixit, dicens: *In dolore paries filios tuos.* Insuper in tua declaratione, quâ te existimas omnia planissima facere, addis, *hunc panem fieri Christi corpus, non metamorphosi, sed usu ac destinatione.* Quibus verbis rursus per circuitum ad illud redis quod tibi priùs extortum est, nempe hujus enunciationis attributum, *Hoc est corpus meum*, non sumi propriè pro vero Christi corpore, sed figuratè, pro signo corporis Christi. Hoc enim significant verba tua, quibus ais panem hunc fieri corpus, non metamorphosi, sed usu & destinatione, hoc est, figurâ, non rei veritate. Denique addis, similitudinem annuli, quo Episcopus aut Abbas investitur. Sed longè exactiùs vestro sacramento correspondet similitudo straminis vasi impositi, quia annulus post investionem diligenter & honorificè conservatur, ac in rei memoriam publicè ostentatur; vestrum autem sacramentum nec conservatur, nec ostentatur: sed aut usu consumitur, aut cessante usu ad pristi-

Prosper super Psal. 108.

pristinum suum statum revertitur; sicut stramen vasi impositum, si in sua significatione non sit consumptum, cum à vase detrahitur, omninò tale evadit, quale erat priusquam vasi ad significandum imponeretur.

CAPUT XII.

Quòd responsio de transsubstantiatione ad testimonia, Filius tuus vivit; *&*, Mulier, ecce filius tuus, *sit omnino extra causam.*

CApite septimo Apologiæ meæ improbaveram, quod videris mihi veritatem & verborum Christi intelligentiam corporeis sensibus metiri, & magis fidere & inhærere phantasiæ, quam ex sensuum exteriorum judicio concipis, nempe quod in pane & vino per Christi benedictionem nulla sit facta mutatio; quàm credere verbis Christi, in Scriptura sacra manifestissimè contentis, quibus ait: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*. Et tamen nobis absque ulla apparentia improperas, quòd transsubstantiationem soli externorum sensuum judicio superstruimus. Contra quæ quid capite quinto responsionis tuæ dicas, non est opus hîc explicare; videat lector, & judicet: quia sentio tibi cerebrum commoveri, si quid per te dictum exactiùs discutiam, quod existimas ex propinquo non contingere caput disputationis nostræ, quam facere vis de transsubstantiatione. Ut igitur ostenderem eandem enunciationem, aliâ & aliâ intentione posse proferri, dixeram Christum aliâ intentione, scilicet finali, dixisse regulo: *Filius tuus vivit*; nempe intentione sanandi filium ejus; aliâ servos, nempe intentione lætificandi Dominum suum de sanitate filii: Hîc tu respondisti in curatione filii reguli, *nullam significari transmigrationem substantiæ in substantiam*. Ad quod dixi, rationem per te datam, veluti à somniante, omninò extra causam adductam, quia non agebamus de transsubstantiatione, sed an eadem enunciatio, servatâ eadem significatione, posset aliâ & aliâ intentione proferri. Atque ut ostenderem, posse aliâ atque aliâ intentione, videlicet finali, proferri, illam Scripturam adduxi, non tanquam exemplum aliquod, quo per verbum (est) significatur transsubstantiatio, sicut tu contra tua & mea expressa verba tibi confingis. Sic enim habet initium capitis septimi in Apologia mea. *Subdis in tua responsione, exempla Scripturæ sacræ per me proposita, ut ostenderem unam & eandem enunciationem, servatâ eadem vocum significatione, posse aliâ & aliâ intentione proferri: videlicet*; Filius tuus vivit: *&*, Mulier ecce filius, *cum nostro argumento nihil habere commune, eò quòd nullam significent transmigrationem substantiæ in substantiam; sed tantùm accidentis in accidens.* An non hîc manifestè vides, ad quid probandum adduxerim illa duo Scripturæ sacræ testimonia: *Vade, Filius tuus vivit:* &, *Mulier, ecce filius tuus?* Et hîc adhuc conquereris, quòd ad tuam transsubstantiationem, in his testimoniis per te allegatam, ne gry quidem responderim. Obsecro an non satis magnum gry fuit, quòd te dixi in prima responsione ad dicta testimonia veluti somniantem respondisse, & quòd nunc adhuc

adhuc dico, te in eodem somnio perseverare, quando à me petis ut apertè fatear, Beatam Virginem duos ex sua substantia habuisse filios, alterum ortu, alterum transsubstantiatione; cùm in productione dictorum testimoniorum nullam omnino transsubstantiationis mentionem fecerim: sed tantùm conatus sum ostendere eandem orationem aliâ & aliâ finali intentione dici? Nam Christus in cruce dicens matri de Johanne: *Hic est filius tuus*, finaliter intendit his verbis, Johannem in Mariæ filium adoptare. Si autem S. Petrus posteà hoc idem Beatæ Mariæ dixisset, tunc tantùm intendisset id significare quod à Christo factum erat in cruce, nempè significare quòd Johannes esset Filius Mariæ adoptivus.

Hîc præterire non possum id de quo & mihi congratulor, & tibi condoleo, nempè quòd me facetum scurram vocas: gaudeo enim quòd à Domino judicatus sum dignus, qui pro veritatis defensione contumeliam sustinerem: Nam *beati estis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*, inquit Christus. Sed me contristat, quòd cùm hactenus gloriatus sim de te, quòd licèt pro defensione causæ quam sustines multa diceres, quæ mihi non placerent; attamen à conviciis & contumeliis abstineres. Nunc autem, non video quo modo hoc verbum, quod tibi hîc excidit, referre queam ad defensionem causæ quam suscepisti, & non potiùs ad studium lædendæ & inhonorandæ personæ meæ, quod est convicii & contumeliæ proprium. Potest quidem à furore oculus meus conturbari, ut alicui inferam judicium contumeliæ, sicut mihi principio tuæ responsionis objecisti, sed sincerè dico, si quid à me prodiit, quod tale quippiam tibi sonare videtur (cujus non sum mihi conscius) non intendi id quod mihi impingis. Si quid autem interdum disserendo conatus sum lepidiùs dicere, id non feci animo irritandi quempiam, aut vanè delectandi, sicut solent faceti scurræ, sed studio consulendi Fidelibus, ut ab erroribus revocarentur: sicut Heliam fecisse arbitror, quando sacerdotibus Baal illudebat, dicens: *Clamate voce majore, Deus enim est, &* 3 Reg. 18.
forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.

CAPUT XIII.

Quòd hac oratione, Petra erat Christus, *nulla efficitur transmutatio; quia tantùm significatur quod antè fuit, quàm hæc oratio pronunciaretur.*

CApite octavo refricas verbi (est) unam & simplicem esse significationem; sed ubi conjungitur Categoriis tum accipi pro re subjecta: de qua re satis dixi in Apologia; sed cum eo quod addis, *me magno studio voluisse verbi (est) significationem introducere ad fieri, ut persuaderem*, Hoc est corpus meum, *idem significare, atque hoc fit, vel hoc factum est corpus meum*; vellem adjungeres quo loco, aut quibus verbis conatus sum hanc verbi (est) significationem intro-

 duce-

ducere, ut appareret quàm sit verum quod dicis. Dixi capite quarto Apologiæ meæ, virtute hujus propositionis, *Hoc est corpus meum*, posse fieri quòd per eam non significatur fieri, sed tantùm significatur esse: ubi satis apertè significavi verbum (est) in propria significatione, & non pro (fieri) accipi: sed ubi diversum asseruerim, non invenio. Proinde observa, ne fortè in libro meo non inveneris quod mihi scribis, nempè quod magno studio voluerim verbi (est) significationem introducere ad (fieri,) ut persuaderem, *Hoc est corpus meum*, idem significare, atque hoc fit vel hoc factum est corpus meum; sed te potiùs hoc, aut dormiendo somniasse, aut vigilando confinxisse.

Dicis *in hac oratione:* Petra erat Christus, *& subjectam vocem, & quæ illi attribuitur, justitiam significare:* & verum dicis. Ac deinde rogas, *cur non credimus Petram substantialiter fuisse in Christum transformatam?* Respondeo, quòd sicut Petra, quæ est vox subjecta, lapidem significat, sic & ipse idem lapis significatus, ulteriùs sacramentaliter Christum repræsentat, de quo dicitur *Petra autem erat Christus*, id est, res significata per illum lapidem virgâ Moysi percussum, erat Christus: quod quia sine ulla transmutatione verum invenitur, ideò in hac oratione, *Petra erat Christus*, nulla transmutatio quæritur, ut vera esse inveniatur: sicut nec in hac; Hæc statua est sanctus Franciscus, homo est substantia: quia cùm dicitur, *Petra erat Christus*, non ad signum, sed ad rem significatam respicitur, quæ longo tempore priùs fuit quàm hoc ab Apostolo diceretur. In hac autem oratione, *Hoc est corpus meum*, nihil potest intelligi demonstratum, quod tunc fuerit Christi sacramentum cùm hoc dici inciperet, ut intelligi queat sermo esse, non de re per pronomen (hoc) demonstrata, sed de re sacramentaliter per rem illam demonstratam ulteriùs significata: sicut de Petra diximus. Et ideò in hac oratione, *Hoc est corpus meum*, necessum est ad id venire quod suprà diximus, ut per pronomen (hoc) demonstretur Christi corpus, quod his verbis efficiebatur. Nam alioqui verum esse non potest quod ait Christus, *Hoc est corpus meum.* In hac autem oratione, *Petra erat Christus*, nullâ transmutatione opus est ut vera sit oratio, quia per eam nihil aliud significatur, quàm quod res sacramentaliter significata per Petram, in monte Oreb virga Moysi percussam, sit Christus; quod sermone simplicissimo verum est. Sed de his plura diximus superiùs.

CAPUT XIV.

Quòd præsentia Christi in sacramento Altaris (quam populus Christianus semper intellexit secundùm corpus & sanguinem) versutè transfertur ad præsentiam secundùm Divinitatem.

Capite tuo nono gloriaris, quòd cùm scripta tua cum mea Apologia non ediderim, (malui enim venenatum cibum peritis medicis judicandum relinquere, quàm rudi plebi manducandum propinare) tu tamen Apologiam meam cum tua responsione curaveris excudi, nempè ut eos nostræ disputationis

tionis judices constituas, eorumque judicio victor evadas, de quibus ait Apostolus, *Quòd erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus; & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Cæterùm si quis vestrorum, meis verbis, quæ tu venenata reputas, incantetur: nonne tibi imputabitur quòd absque necessitate venenum ab alio confectum propinaveris, tantùm ut experiaris, anne per te sufficiens & oportunum contra illud sit adhibitum remedium? Addis etiam, *te prudentem pertransire disputationes meas de benedictione & maledictione, deque straminis vasi impositi similitudine, aliaque ejus generis permulta: ne confutandis meis ineptiis, ipse te ineptum præbeas.* Respondeo, non exiguam esse prudentiam, ea quasi contemnendo præterire, quæ propter nimiam evidentiam, neque argumentis refelli, neque verborum involucris possunt obscurari. Ad illud transeo, quod capite sequenti tam acerbis verbis exaggeras, *me versutè ac veteratoriè & Christi præsentiam pro transsubstantiatione panis substituisse. Quod quidem ipsum (inquis) in libri titulo fecisti, sanè quàm impudenter.* Capite undecimo Apologiæ meæ sic breviter argumentum tuum retuli: *Christus præcepit, ut quotiescunque id fecerimus, in sui memoriam faciamus: igitur in sacramento Eucharistiæ non est Christi præsentia, sed memoria.* Deinde respondi; Christum jussisse benedictionem, fractionem, & sumptionem hujus Sacramenti, in sui memoriam fieri: sed nunquid negavit præsentiam, cùm dixit: *Hoc est corpus meum:* &, *Hic est sanguis meus?* Quia igitur in argumento tuo non intuli: igitur in sacramento Eucharistiæ non est Christi præsentia secundùm corpus: sed tantùm dixi, non est Christi præsentia: Ideò exclamas me veteratoriè & versutè agere, quasi non hoc ipsum satis expresserim cùm subjeci: nunquid negavit præsentiam, cùm dixit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus?* significans me loqui de Christi præsentia, non secundùm Divinitatem, de qua nemo vobiscum contendit, sed de præsentia secundùm carnem & sanguinem. Sanè si tunc advertissem, quod nunc adverto, te reformidare populi judicium, cujus animo ex antiquissima fide impressum est, Christum in sacramento Eucharistiæ semper esse præsentem, teque hujus dicti intelligentiam de veritate corporis & sanguinis Domini astutè, dolosè, veteratoriè velle transferre ad præsentiam secundùm divinitatem vel secundùm fidem, sicut ait Apostolus, Christum habitare per fidem in cordibus, ut populo illudas, qui hanc Christi præsentiam semper intellexerit secundùm corpus & sanguinem: ego potiùs ter intulissem, te velle colligere in sacramento Eucharistiæ non esse præsentiam Christi secundùm corpus & sanguinem; quàm semel omisissem, quod nunc exprimo, secundùm corpus & sanguinem, ut amputassem tibi occasionem tam multa dicendi de Christi præsentia secundùm Divinitatem & fidem; de qua nulla quæstio tibi movebatur. Sed quia tunc hoc non adverti, ideò contra sophisticam & dolosam, ne dicam veteratoriam tuam intelligentiam, minùs vigilans fui, simpliciter ponens Christi præsentiam, pro præsentia secundùm corpus & sanguinem. Quid autem in titulo libri mei dicas impudenter per me factum, non intelligo; sic enim habet titulus: *Apologia de veritate corporis Christi in sacramento Altaris.* Nullum enim locum reliqui intelligentiæ tuæ de præsentia Divinitatis. Sed fortè malè te habet, quòd non inscrip-

2 Tim. 4.

Ephes. 3.

inscripserim Apologiam de transsubstantiatione, ut relictis sacræ Scripturæ verbis, in quæstione transsubstantiationis, posses simulare cupressum, ad quam tanquam locum communem libenter, etiam sine necessitate, recurris. Addis *me argutulè cavillari, haud esse facinus, deglutire integram Christi carnem modò non frangatur aut laceretur*. Hoc dixi, nec muto, quòd Christum deglutire, imò & frangere, eo modo quo in sacramento frangitur, nec facinus nec crimen est: quia neque occisio est, neque læsio, quæ occisionis principium est. Tu autem, qui facinus esse contendis, dic cujus mandati sit transgressio deglutire aut etiam frangere Christi corpus, sine injuria & læsione: facinus enim omne contra aliquod mandatum præsumitur. Sed tibi sufficit id dicere, etiamsi neque Scripturam sacram, neque rationem possis adducere. Dicis *facinus esse deglutire ritu balanæ*. Fateor quia balæna deglutit ad interimendum, sed si sine læsione deglutiret ad transportandum, sicut navigantem deglutit navis, aut sicut cœte deglutivit Jonam, non esset facinus, sed beneficium.

CAPUT XV.

Quòd sensus præstigium non patiantur, quando substantia in substantiam insensibiliter transmutatur.

CApite tuo XI. & XII. in verborum campos excurris, & libro tuo prolixam disputationem inseris de dictis Petri Lombardi, Divi Thomæ Aquinatis, Cajetani & aliorum: Item de sensibilibus qualitatibus, quas dicis à nobis fingi apparere, quæ non sunt: velut album, rotundum: in qua re si nihil fingeres, fortè religiosior appareres. Item caput 13. consumis, negando te significasse possibilem esse Lutheranorum opinionem, de pane remanendo in sacra Eucharistia cum Christi corpore: de quibus omnibus nihil dico, quia fidei Catholicæ, non Scholasticorum doctorum suscepi defensionem.

Ad caput tuum 14. venio, in quo conaris defendere, quòd si panis per verba Christi in Christi corpus convertatur, igitur sensus, qui hoc non advertunt, præstigium patiuntur. Rogavi an etiam sensus præstigium patiantur, quando non advertunt, quòd infans in baptismo, ex filio diaboli Dei filius efficitur? sed quia existimas inter has duas transmutationes, quæ tamen ambæ insensibiles sunt, nihil esse simile, ob id (ut suspicor) quod in baptismo nulla fiat substantiæ transmutatio, quæ possit cum ea transsubstantiatione comparari, quæ videtur tibi perpetuò ob oculos versari, adferam aliam transmutationem. Rogo igitur, si quis te præsente, sed id sensu non percipiente, moriatur, an sensus tui in hac transmutatione substantiæ præstigium passi dicentur, quia non adverterunt quod aliâ ratione postea deprehenditur, nempè ex vivo homine cadaver inanime factum esse? Intellige igitur sensus præstigium pati, non quando circa substantias aliquid occultè mutatur, quod sensu non percipitur, sed quando sensibus in suo sensibili illuditur, ut aliud pro alio sentiant.

Ut ostendas apud Apostolum, cùm ait: Panis quem frangimus, non corpus Christi ex pane factum, sed verum panem esse, qui frangi dicitur: conaris ostendere serpentem, in quem virga Moysi conversa legitur, adhuc virgam nominari, non quia ex virga factus est, sed quia magorum virgis comparabatur, quas prætendis revera in serpentes mutatas non fuisse. Sed si verus serpens propter nudam comparationem ad virgas, quæ sub serpentum specie occultabantur, nomine virgæ appellatus est, quantò magis potest idem serpens virga nuncupari, propter comparationem ad virgam quæ spectantibus omnibus in illum serpentem est conversa? Et simul ad illud nihil respondes; quod tibi primo loco objeci, dicens, quòd cùm tu contendas de panis substantia rectè à Christo dictum, *Hoc est corpus meum*, tantùm quia panis adhibebatur ad significandum Christi corpus, cujus nullam præferebat imaginem: miraris tamen, si Apostolus panem vocet Christi corpus, verbis Christi ex pane factum, & adhuc integram panis figuram retinens. 1 Cor. 10.

Quia dixeram in simulachro S. Francisci, relucere imaginem ejus, ut statim intelligatur, cur hoc simulachrum sanctus Franciscus esse dicatur (quod non minùs dicere poteram de imagine Cæsaris, vel simulachro dæmonis, quàm de imagine alicujus sancti) attamen arreptâ occasione, statim excurris ad accusationem saxeorum idolorum, & sacris imaginibus maledicendo te disertum ostendis. Quasi hìc aliquid egissem de cultu imaginum, & non potiùs de sermone, quo in talibus rebus uti solemus, dicentes: Statuam Jovis esse Jovem, quia videlicet res per statuam Jovis significata Jupiter est. Sed more tuo fecisti, quòd auditâ voce imaginis, hunc locum tuum communem negligendum non putasti, ut tuæ responsionis chartas disputatione nihil ad rem pertinente adimpleres.

CAPUT XVI.

Quòd locus Apostoli: Bibebant de consequente eos petra, *à D. Augustino rectè accipiatur de Judæis spiritaliter utentibus sacramentis illius temporis.*

CApite tuo xv. quereris me locum illum Pauli; *Bibebant de consequente eos Petra, Petra autem erat Christus*, argutulâ cavillatione pervertere; & contra Augustini aliorumque veterum authoritatem de ipso Christo, qui per fidem in eorum cordibus qui bibisse dicuntur habitabat, interpretari; non autem de incredulis Judæis, qui sacramentorum duntaxat erant participes. Nisi in Apologia ostendissem, Chrysostomum id sentire quod dixi, forsitan illum etiam hìc nominasses: sed quia D. Augustinum reliquis suppressis nominasti, audi quid lib. 12. contra Fastum cap. 29. de hac re dicat. Recitatis enim verbis Apostoli ex cap. 10. prioris ad Corinth. usque ad hanc clausulam: *Petra autem erat Christus*, subjicit verba sua, quæ sic habent. *Exponendo unum, in cætera introducit intellectum. Si enim Petra Christus propter firmitatem; cur non & manna Christus, tanquam panis vivus qui de cœlo descendit? quo verò qui vescuntur.* 1 Cor. 10. Chrysost. August.

tur, spiritualiter vivunt: nam illi veterem figuram carnaliter accipientes mortui sunt. Sed cùm dicit Apostolus, eundem cibum spiritualem manducaverunt, *ostendit illud spiritualiter intelligi in Christo, sicut & potum cur spiritualem dixisset, aperuit cùm subjunxit:* Petra autem erat Christus, *quo aperto cuncta fulserunt.* Et rursus tractat. 26. super Joannem, tractans illud; *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Quare manducaverunt & mortui sunt? Quia quod videbant credebant, quod non videbant non intelligebant. Ideò patres vestri, quia similes estis illorum. Manducavit manna & Moyses, & Aaron; manducavit manna & Phinees, & mortui non sunt; quare? quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur.* Et infrà super illud: *Hic est panis qui de cœlo descendit. Hunc panem,* inquit, *significavit manna; hunc panem significavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt,*
1 Cor. 10. *sed in re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi:* Nolo enim vos, *inquit,* ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt; *spiritalem utique eandem, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud; spiritalem verò, quam nos vel patres nostri, quibus nos similes sumus, non patres illorum quibus illi similes fuerunt.* Et adjungit; *Et omnes eundem potum spiritalem biberunt; aliud illi, aliud nos; sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spiritali: Quomodo enim eundem potum?* Bibebant, *inquit,* de spiritali sequente Petra, Petra autem erat Christus. *Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo & in carne. Et quomodo biberunt? percussa est Petra de virga bis. Gemina percussio duo ligna crucis significat. Hic est ergo panis qui de cœlo descendit, sed qui pertinet ad virtutem sacramenti, non qui pertinet ad visibile sacramentum.* Hactenus Augustinus: quem manifestum est dictum Apostoli locum intellexisse de iis qui in sacramentis veteribus per fidem Christum spiritualiter manducabant. Nam cùm dicit Apostolus: *Eundem cibum spiritualem manducaverunt, ostendit illud spiritualiter intelligi, in Christo,* inquit. Sed & ipse textus Apostoli, nos cogit intelligere quod dixi: habet enim sic: *Nolumus vos ignorare fratres.* Igitur Fidelibus loquitur, qui fratres appellantur. Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt: fideles loquuntur, fidelium enim patres fuerunt Prophetæ & alii sancti, quorum conversatio in cœlis fuit. Nam fidei illorum credendo sunt imitatores. Igitur de spiritalibus Judæis loquitur; infidelium autem est dicere sibi patrem super terram, quibus ait Christus: *Patres vestri,* videlicet infideles & increduli, manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt; quia non spiritaliter fide intelligendo sacramenti rationem, sed tantùm carnaliter vitam temporalem sectando, manducaverunt. Sequitur, *bibebant autem de spirituali consequente eos Petra. Petra autem erat Christus:* qui de se ait apud Joannem: *Qui credit in me, non sitiet.* Sed ne cogaris per petram sequentem, Christum intelligere, (nam lapis ipse populum non sequebatur) dicis *Petram quidem in Oreb virgâ Moysi percussam, non esse secutam populum; sed aquam de Petra fluentem, quæ per Metonymiam nomine Petræ intelligitur.*

Sed quomodo illa aqua sit populum secuta, tu videris: Nihil enim ejusmodi in Numeris habemus. Imò populus obtulit in Idumæa pro aquis pretium dare; quod

quod non obtulisset, si aqua petræ percussa populum secuta fuisset, sicut prætendis. Quoniam igitur in D. Augustino quem nominasti, te falsum dixisse comperio; nempè quòd locum Apostoli de carnalibus Judæis acceperit; & meritò idem suspicor de pluribus aliis, quorum nomina tacuisti: ideò ad textum Apostoli te revoco, & ex illo tibi ostendo quid me moverit, & quid te movere debuerit, ut istud Apostoli testimonium acciperes, non de iis Judæis, qui carnaliter tantùm, sicut accipiunt quidam; sed de iis qui spiritualiter Veteris Testamenti sacramenta perceperunt. Non igitur ego lectoris patientiam tento, aut à proprio sensu verba Apostoli protervè detorqueo, (sicut absque omni ratione mihi improperas) sed tu, qui etiam sacris Doctoribus, contra apertissima verba textus, audes falsum imponere. Sed objicis *maximam eorum partem de quibus loquitur Apostolus, fuisse infidelem; quod illis, in quorum cordibus habitat Christus, tribui non potest.* Respondeo me fateri quod dicis, maximam partem eorum fuisse infidelem. Sed multùm miror te velle de Scripturis sanctis disserere, & tamen ignorare secundam Ticonii regulam, quæ habetur apud Augustinum de doctrina Christ. lib. 3. cap. 32. cui subdit, quòd lectorem vigilantem requirit, quando videlicet Scriptura, cùm ad alios loquitur, tanquam ad eos ipsos, ad quos loquebatur, videtur loqui: vel de ipsis, cùm de aliis jam loquitur, tanquam unum sit utrorumque corpus, propter temporalem commixtionem & communionem sacramentorum. Et adducit hujus regulæ exemplum ex Canticis Canticorum, ubi ait Ecclesia; *Fusca sum, sed formosa*, fusca in malis, formosa in bonis. Item aliud ex Isai. 42. cap. ubi de bona parte dicit: *Ducam eos in viam:* deinde de alia parte, tanquam de iisdem subdit: *Ipsi autem conversi sunt retrorsum*; quamvis alii jam significentur his verbis. Igitur si circa dictam Ticonii regulam vigilasses, facilè intellexisses objectionis tuæ solutionem, quòd Apostolus juxta morem Scripturæ sacræ, in priore quidem capitis sui parte de spiritualibus Judæis loquatur: in sequenti verò, de carnalibus in eodem populo, eorundemque sacramentorum communione existentibus.

August.

Cap. 1.

CAPUT XVII.

Quòd Petra de qua ait Apostolus: Petra erat Christus, *priùs Christi sacramentum fuit, quàm hoc diceretur; non autem panis priusquam à Christo in manus acciperetur.*

CApite XVI. multâ verborum ambitione præmissâ, acceptas meam confessionem, quâ dixi hanc sententiam, *Petra erat Christus*, vel hanc, si-usquam in Scripturis sacris reperiretur: Columba quæ super Christum descendit, fuit Spiritus sanctus: non sic explicandam: Hæc columba significavit Spiritum sanctum: vel sic, Hæc columba fuit sacramentum Spiritus sancti: sed tantùm explicandam per hanc sententiam: Id quod per illam columbam fuit sacramentaliter significatum, verè fuit Spiritus sanctus: sic, ut non sit figura

gura in voce attributa (Spiritus ſanctus) neque in copula verbi (eſt) ſed (ut ais) in ipſa voce ſubjecta. Reſpondeo juxta jam dictam explicationem hujus ſententiæ, Columba quæ ſuper Chriſtum deſcendit fuit Spiritus ſanctus: cui ſimilis eſt: Petra in Oreb percuſſa erat Chriſtus: non tantùm in voce attributa & in copula, ſed etiam in voce ſubjecta nullam omnino fuiſſe figuram. Ipſa enim ſubjecta vox, videlicet, columba, juxta ſuæ ſignificationis proprietatem, avem notam ſignificat, ſicut & Petra lapidem: ſed quia hæc avis quando ſuper Chriſtum deſcendit, ſacramentaliter Spiritum ſanctum ſignificavit: ideò ratione rei per hanc avem ſignificatæ, rectè dici potuit, quòd illa columba fuit Spiritus ſanctus. Unde Divus Auguſtinus de Geneſi ad litteram lib. 8. cap. 4. dicit, quòd in his ſententiis: Sapientia eſt lignum vitæ omnibus amplectentibus eam: &, Petra erat Chriſtus: quibus omninò ſimilis eſt hæc enunciatio: Columba illa quæ ſuper Chriſtum deſcendit fuit Spiritus ſanctus: non erat (inquit) figurata locutio, ſed earum rerum expreſſa narratio, quarum erat figurata præceſſio. Et infrà: Rectè quippe appellatur, quod ad eam ſignificandam præceſſit. Non igitur eſt in voce (lignum vitæ) neque in voce (Petra) vel (Columba) ulla figurata ſignificatio; ſed in re ſignificata (de qua in dictis ſententiis mentio eſt) præceſſit quædam ſacramentalis inſtitutio, quâ res ipſa per vocem propriè ſignificata, Sapientiam, Chriſtum, aut Spiritum ſanctum ſignificat. Quòd autem conſequenter ex dictis duabus ſententiis congruenter poſtulas, ut hæc enunciatio à Chriſto prolata: *Hoc eſt corpus meum*, non explicetur per hanc ſententiam, Hoc ſignificat corpus meum: neque per hanc, Hoc eſt ſignum corporis mei, ut ſit figura in attributo, aut verbo: ſed tantùm per hanc: Id quod ſacramentaliter ſignificatur per hoc quod vobis demonſtro, vel per hunc panem, eſt verè corpus meum: abſurda petitio eſt, quâ exigitur falſa & abſurda hujus propoſitionis explicatio. Siquidem hujus panis, quem prætendis pronomine (hoc) demonſtrari, nulla omninò præceſſit ſacramentalis inſtitutio, quâ Chriſtum aut ejus corpus ſignificaret, ſed antea tantùm res fuit, non ſignum. Quod qui attendunt facilè vident falſam & doloſam eſſe hanc explicationem à te excogitatam, videlicet; Id quod per hunc panem ſignificatur, eſt Chriſti corpus. Hîc enim præſupponitur, quòd quemadmodum Petra in Oreb percuſſa, priùs ſacramentaliter Chriſtum ſignificabat, quàm diceret Apoſtolus, Petra erat Chriſtus: ſic etiam panis, quem in noviſſima cœna accepit Chriſtus in manus ſuas ad benedicendum, priùs ſacramentaliter inſtitutus fuerit ad ſignificandum Chriſti corpus, quàm ipſe Chriſtus benedicens panem, diceret, *Hoc eſt corpus meum*. Id quod apertè falſum eſt: quia nulla præceſſit inſtitutio, quâ hic panis, quem Chriſtus in ſuas manus accepit, ſacramentaliter ſignificaret Chriſti corpus, aut ſi qua talis inſtitutio ſacramentalis præceſſit, proferatur, & ex Scripturis ſacris confirmetur.

C A-

CAPUT XVIII.

Quòd confidentia non semper sit argumentum veritatis, sed aliquando præsumptionis & impudentiæ.

CApite ultimo responsionis tuæ, refricas confidentiam tuam, quâ scripta mea cum tuis ausus sis prælo committere, ut mundus de causa judicet. An in hacre instituto tuo congruenter feceris, sicut suprà dixi, tu videris. Ego tamen considerans te eâdem fronte quâ scripta mea cum tuis edidisti, simul asserere, quòd quo tempore eras Lovanii, videris scripta Ruardi Tapperi eo tantùm nomine vetari, quòd Calvini rationes interdum fusiùs & de verbo ad verbum proposuisset: non magnifacio confidentiam tuam; quia mihi & pluribus aliis qui ejus temporis adhuc memoriam retinent, certò constat falsum esse quod de scriptis Ruardi Tapperi te vidisse scribis. Eram enim tunc non tantùm Professor sacrarum Litterarum, sed etiam de consilio Universitatis Lovaniensis, & facultatis sacræ Theologiæ: in quibus consiliis, nulla unquam facta est ejus rei mentio.

Confidentia igitur non semper est veritatis argumentum; sed frequenter præsumptionis, superbiæ & impudentiæ testimonium, quâ nonnulli, & præsertim hæretici, constantiore vultu asserunt quod nesciunt, aut etiam quod dolosè confinxerunt, quàm alii quod compertum habent. Quæ impudentia in sequentibus adhuc manifestiùs ostenditur, ubi volens verba mea refellere, quibus dixi, Quod *si Catholici Principes de vobis aliquid duriùs statuerunt, quàm vestri duces de Catholicis statuunt, id præter rationem non fore. Nunquam enim fuimus quod estis, nec aliquid vobis promisimus, neque à vobis unquam defecimus, ut vobis hostes efficeremur: vos à nobis, nostra religione, nostroque Principe, contra fidem datam, contra majorum instituta, defecistis.* Deinde adjeci: *Vos vosmetipsos Romanæ Catholicæ Religioni subtraxistis, & subtractos Romanæ Catholicæ Religionis desertores appellastis.* Respondes *nos bis esse perduelles. Primùm quòd à Rege ob Hispanorum tyrannidem defecerimus; deinde fortunâ paululum commutatâ in patriam arma tulerimus, seu,* ut infrà ais, *à vobis, quibus eramus arctissimo juncti fœdere & sacramento, discessisse omnes vident.* Deinde etiam addis, *perridiculum esse, quòd Catholicæ Romanæ ecclesiæ vos dixerim esse desertores, eò quòd Catholica Romana nihil aliud sit quàm universalis particularis.* Si apud Jurisperitos duntaxat causa hæc ageretur, facilis esset ad tuas accusationes responsio, quòd criminatio (præsertim quæ vos deficiendo à Rege saltem semel perduelles esse convincit) non sit purgatio: sed quia mundo satisfaciendum est, in quo sunt non solùm intelligentes & eruditi, sed etiam rudes & imperiti, qui inter purgationem & criminationem non distinguunt: ideò respondeo, nobis, id est, Universitati Lovaniensi, antè adventum Domini de Glabbeke, nihil unquam fuisse propositum, quod ullam à Rege Catholico defectionem portenderet. Sed cùm is aliquot diebus antè conflictum Gemblacensem venisset Lovanium, me præsente, audiente, & simul cum cæteris respondente, Universitati Lovaniensi proposuit, & ad ea responsum accepit: quæ sequenti

commentario, ex Actis Universitatis Lovaniensis ad verbum extracta, continentur.

ANNO Domini 1578. die Lunæ, 27. Januarii, horâ tertiâ post meridiem, in superiore Capitulo sancti Petri Lovaniensis, fuit sub juramento convocata, congregata Universitas, cui Magnificus dominus Rector proposuit ea quæ sequuntur. Primò, an placeat acceptare pro superintendente custodiæ & conservationis, ac inde dependentium, oppidi Lovaniensis, Maximilianum de Cottreau, Dominum temporalem de Glabbeke, &c. juxta commissionem sibi datam. Secundò, proposuit Universitati, an placeat præstare juramentum, juxta formulam ab eodem domino Maximiliano propositam, tenoris hîc inferiùs inserti. Super quibus Universitas deliberando conclusit, præfato de Glabbeke dandum esse responsum in scriptis, tenoris sequentis.

ALMA Universitas studii generalis oppidi Lovaniensis, viso exemplo commissionis, quæ sub data 17. hujus mensis Januarii, nobili viro Maximiliano Cottreau, domino de Glabbeke, &c. data est, quo ad superintendentiam custodiæ & vigiliarum oppidi Lovaniensis: auditâ quoque illius propositione, & exactione juramenti in scriptis concepti, sub formula sequenti.

Ick ghelobe ende zwere ten heyligen / den Coninckllijcken Majesteyt / als Hertoge van Brabant / Eertshertoge Mathias van Oostenrijck / Gouverneur ende Capiteyn generael van zynen Nederlanden: Mijn Heere den Prince van Oraengien / als Gouverneur particulier van Brabant / ende Lieutenant generael van den voorschreven Nederlanden: ende Maximiliaen van Cottreau / Heere van Glabbeke / Wassemont / &c. als superintendent deser Stad van Loven / van den Coninckllijcken Majesteyt / ende Staten generael daer toe specialijck gecommitteert: ghehoorsaem / goet ende getrouw te zijne: ende met raet ende daet / lyf ende goet te wederstaen de verclaerde Vyanden van onsen gemeyne Vaderlanden / ende de voorsz Stad van Loven. So helpe my Godt / ende alle zijn Heylighen / &c.

Quod Latinè ad verbum sonat.

Ego promitto & juro ad sancta, Regiæ Majestati, tanquam Duci Brabantiæ: Mathiæ Archiduci Austriæ, Gubernatori & Capitaneo generali suarum inferiorum Provinciarum: D. Principi Auraico tanquam gubernatori particulari Brabantiæ, & vicem gerenti generali prædictarum inferiorum Provinciarum: & Maximiliano van Cottreau, Domino de Glabbeke, Wassemont, &c. tanquam superintendenti hujus civitatis Lovaniensis, à Regia Majestate & Statibus generalibus ad hoc specialiter commissionem habenti, me obedientem, bonum & fidelem fore, & quod consilio & opere, vitâ & bonis resistam declaratis hostibus nostræ communis Patriæ & prædicti oppidi Lovaniensis. Sic me Deus adjuvet & omnes Sancti, &c.

Ex deliberationibus quinque Facultatum conclusit, Domino Superintendenti respondendum esse quòd, quoad receptionem suæ personæ ad dictam superintendentiam, hæc res ad Universitatem non pertineat, cùm non habeat dicti

dicti oppidi administrationem & gubernationem, quæ pertinet ad Magistratum, &c. Et quoad formulam propositi juramenti, declarat Universitas se existimare, quòd sic illud non possit nec debeat præstare: & miratur hujuscemodi juramentum ab Universitate (quod corpus est Ecclesiasticum) præter exemplum exigi.

Postridie, die Martis 28. Januarii, horâ undecimâ ante meridiem, finitâ repetitione in utroque Jure, in Scholis Mathematicorum, M. Petrus Peckius, Juris utriusque Doctor, in Universitate retulit, quomodo ipse cum eximio Domino & M. N. Roberto Malcotio, ac domino Advocato fiscali, tradiderit Domino de Cottreau instrumentum Universitatis.

Et ne dicas hæc quæ retuli, fortunâ paulum mu atâ contigisse, (sicut respondendo indicas,) advertendum est hæc contigisse diebus Lunæ & Martis 27. & 28. Januarii: Conflictum verò Gemblacensem postea fuisse commissum, die Veneris sequenti, trigesimâ primâ videlicet ejusdem mensis Januarii. Cùmque die Sabbathi, id est, primâ Februarii sequentis, præfatus Superintendens postularet consensum Universitatis, ad introducendum externum præsidium, pro civitatis custodia: conclusit Universitas respondendum, quòd ad se non pertineat ordinare de recipiendo, aut non recipiendo milite, rogans Magistratum, ut si intendat intromittere militem, priusquam id faciat, dimittat omnes de Universitate abire volentes, juxta jus commune, & privilegia ejusdem Universitatis. Et hujus conclusionis data est præfato Superintendenti copia vernaculo sermone.

Cùmque secundâ Februarii, per dictum Superintendentem & quosdam alios, sub vesperam clandestinè in oppidum Lovaniense introducta essent duo vexilla Scotorum, pro murorum custodia, Universitas postridie horâ nonâ ante meridiem congregata in magno refectorio fratrum Prædicatorum, conclusit, & eodem die in scriptis, præsente suprascripto Superintendente, Magistratui conclusionem suam exhibuit, quâ conquerebatur inter cives sparsum esse rumorem, quòd externum præsidium receptum esset de consensu Universitatis: cujus oppositum ipsis esset satis cognitum. Et quia jam admissum erat præsidium, Universitas petiit, ut juxta priorem suam petitionem, statim omnibus studiosis daretur potestas discedendi ex oppido. Ad quod respondit Superintendens, se ad hoc nihil posse respondere, absque ordinatione Statuum.

Videsne, mi Marnixi, quomodo à Rege Catholico deficientes, vobiscum perduelles effecti sumus, & quàm arcto fœdere ac sacramento vobis juncti fuerimus? Si res habet ut dicis, non debuit sine scripto perfici. Profer igitur tabulas initi vobiscum fœderis, & præstiti juramenti: ut spectante mundo, te expurges à crimine mendacii, quo penè in singulis quæ narras, scatêre deprehenderis.

Quod autem addis, *perridiculum esse quod aio, vos Romanæ Catholicæ Ecclesiæ esse desertores, eò quòd Catholica Romana, nihil aliud sit quàm universalis particularis:* quid aliud quàm impudentia est? cùm vos ipsi priores in Edicto publico, vos Romanæ Catholicæ Religionis desertores nuncupaveritis? Si enim ridiculum est, Ecclesiam aliquam dicere Romanam Catholicam, eò quòd Ro-

mana Catholica, nihil aliud sit quàm universalis particularis: igitur ridiculum fuit vestrum Edictum, quod & præconis voce publicastis, & prælo commissum in mundum universum emisistis; in quo vocastis vos Romanæ Catholicæ Religionis desertores: aut si tunc aliam Romanam Catholicam Ecclesiam cogitabatis, quam nunc Catholicam dicere non vultis, saltem explicate quam nunc velitis appellare Catholicam. Nam licèt symbolum fidei unam sanctam Catholicam agnoscat Ecclesiam, tu tamen duas describis Ecclesias: alteram visibilem; alteram quæ solis Dei oculis conspicua electorum numero contineatur: quarum discrimen me ignorare gloriaris. Id quod libenter agnosco, quia mihi verecundum non est ignorare, quod Scriptura sacra nescit, quod universa Scriptorum antiquitas ignoravit, & quod nulla ante vos hæresis somniavit. Scribit Apostolus de vocatione quâ vocati sumus, de qua
Eph. 5. alibi: *Videte vocationem vestram, fratres*, id est, de Christi Ecclesia, *unum*
1 Cor. 1. *corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & pater omnium.* Et tu non tantùm duas facis Ecclesias, alteram invisibilem solis Dei oculis conspicuam, alteram visibilem, quam definis esse quemvis eorum cœtum, qui nomen Christi externo ritu profitentur: sed penè innumeras, quæ in unum corpus coalescere non possunt. Nam nomen Christi externo ritu profitetur, non tantùm Romana Ecclesia, quam tantopere detestaris; sed etiam universæ hæreses & schismata, quæ Christianum nomen nondum abjecerunt, etiamsi diversissimis & adversissimis spiritibus inter se confli&centur, & non magis in unum coalescere possunt, quàm Christus & Belial, aut quàm templum Dei & idola. Et tamen has universas conspirationes, in tua visibili Ecclesia comprehendis: unde etiam non diffiteris quin Romana Ecclesia, licèt in ea sedeat Antichristus, attamen sit Ecclesia & templum Domini, quia Christi nomen & baptismatis sacramentum retinet, licèt variis hominum corruptelis adulteratum: hoc est, Ecclesiæ Christi tibi sunt, & Christi regnum (quod tamen sanctum esse dicit A-
2 Tim. 2. postolus) quæcunque aliquam pietatis speciem Christum nominando retinent,
Cant. 1. etiamsi in totum virtutem ejus abnegaverint; &, sicut in Canticis legimus, se quidem propter iniquitatem nigras dicere possunt, sed formosas à vera pietate non possunt. Cæterùm quod ait symbolum, unam esse sanctam Ecclesiam Catholicam, ad tuam invisibilem referendum putas, quæ verè sit sanctorum omnium communio. Quia enim Dominus novit qui sunt ejus; ideò hanc sanctorum congregationem, non re quod futurum est in judicio, sed nunc mente & cogitatione à cæteris separatam solam, absque ullo Scripturæ sacræ testimonio, dici vis Catholicam. Visibilem autem Ecclesiam non vis credi esse sanctam, & præsertim Romanam, de qua ais, *adesse jam tempus, quo Dominus sedem illam magnæ meretricis funditùs evertat, & suam Ecclesiam ab immani ejus tyrannide vindicet.* Sed hanc tuam prophetiam potes conjungere cum prophetia Martini Lutheri hoc expressa versiculo,

Pestis eram vivens, moriens tua mors ero, Papa.

Quia similis erit utriusque Prophetiæ exitus: ut videlicet in tuo desiderio maneat tua prophetia, & effectum alium non habeat: sicut nec à mille quingen-

tis annis habuerunt similes aliorum hæreticorum conatus, de quibus in persona Ecclesiæ prædixit Psalmista: *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Israel; sæpe expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam:* sed non impleverunt malitiam suam, quia firmum Ecclesiæ fundamentum stat, quod posuit Christus dicens: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

CAPUT XIX.

Quòd licèt Deus plura contulerit Ecclesiæ Christianæ, quàm Judaicæ; attamen Præfecti in utraque rectè Dii vocantur.

P*Ostremò dicis*, me pueriliter cavillari in discrimine ecclesiæ Judaicæ & Christianæ, eò quòd nunquam statueris, veniente Christo, nihil fuisse in Ecclesiam collatum, quod anteà Dominus necdum erat largitus. Respondeo, quòd oratio tua, quâ de hac re differis, redacta in formam Dialectices, hanc ratiocinationem continet: Ecclesia Judaica nunquam ausa fuit statuere Deum in terris; sed Ecclesia Romana statuit Romanum Pontificem Deum in terris: igitur Ecclesia Romana à veritatis doctrina se protervius avertit, quàm unquam fecit Ecclesia Judaica. Quâ illatione manifestè significas, Ecclesiam Romanam non posse sibi sine errore statuere, nisi quod sibi olim statuit Judaica. Non ignorabam in Scripturis sacris Ecclesiæ Judaicæ, seu potiùs Synagogæ, Præpositos sæpissimè deos nuncupari, ac deos in terris statui, ut nemo eos contemneret. De his enim scriptum est Psal. 46. *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Et 49. *Deus deorum Dominus locutus est.* Et 81. *Deus stetit in medio deorum, in medio deos dijudicat.* Et rursus: *Ego dixi dii estis.* Et Exod. 21. *Offeret eum diis.* Et 22 *Dominus domûs applicabitur ad Deos.* Et iterum; *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Et quia Scriptura sacra ministros Veteris Testamenti, id est, ministros litteræ & mortis, sæpissimè deos vocat; satis intelligebam Præfectos Eccesiæ, quos Apostolus vocat ministros spiritus, rectissimè posse statui & vocari deos. Nam si ministratio mortis fuit in gloria, inquit Apostolus, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Sed ut ostenderem quòd etiamsi vera fuissent quæ assumebas, attamen argumentando negativè ab Ecclesia Judaica ad Ecclesiam Christianam, nihil Aristotelicè concluderes; monui te ut adverteres quàm ineptè argumentareris ab ecclesia Judaica ad Christianam. Ego tamen interim satis sentiebam, te verborum tuorum circuitu velle significare, quosdam nostrûm, non tam veritate, quàm benevolentiâ aut adulatione, præeminentias quasdam Romano Pontifici tribuere, quæ in Scripturis sacris non satis clarè exprimuntur, atque eum inter ministros Novi Testamenti, eminentiorem Deum velle facere, quàm Scriptura sacra testetur. Pro quibus respondeo, si qui fortè tales sint, eos incomparabiliter minùs benevolentiâ peccare, conando eum

 majo-

majorem facere quàm est: quàm vos odio & malevolentiâ, conando id totum abolere quod est. Agnoscite igitur beatum Petrum ejusque successores Romanos Pontifices id esse quod Christus eis locutus est, & tunc de latitudine potestatis ac præeminentiarum eorum disserite: quia quamdiu in hoc toti estis, ut ejus potestatem evertatis, facilè quivis suspicabitur vos de potestatis eorum latitudine differentes, non modum potestati velle imponere: sed hoc prætextu, illam simpliciter velle abolere.

JAM secundò à me admonitus, Sanct-Aldegonde frater, magis magisque declarasti quàm obfirmato animo illis adhæreas, qui se Romanæ Catholicæ Religionis desertores nuncuparunt, & acerrimos hostes exhibent. Quò fit ut vehementer timeam, ne & mea admonitio, & totius Ecclesiæ oratio, quæ etiam pro te quotidie ad Deum funditur, tibi in peccatum convertatur. Quia tamen, sicut à principio Collationis nostræ, ita & nunc tibi ex animo benè volo, non cesso lugere, & à Deo petere, ut quod meâ industriâ non valeo, id suâ misericordiâ præstare dignetur, & meliorem mentem tibi aliquando largiatur. Cui orationi utinam tu aliquando desinas obsistere.



VER-

VERBA JURAMENTI QUOD FOEDERATI ANTVERPIÆ

Præstandum constituerant:

EX

FLANDRICO

LATINE REDDITA.

EGo N. Juro, quòd Regem Hispaniarum nec reverebor, nec agnoscam tanquam meum principem aut supremum Dominum: sed quòd ego ab eo discessi, habens me ab omni officio & obligatione liberum quibus olim ipsi veluti supremo Domino Provinciæ quocunque modo devinctus fui. Ego insuper promitto ac juro, quòd Illustris Princeps Franciscus, Filius Franciæ, frater unicus Regis, Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgii, Geldriæ, Andegavensis Provinciæ, Comes Flandriæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Zutpheni, &c. Marcgravius sacri Imperii, pro meo legitimo principe ac Domino fideliter habetur ac inauguratur. Et quòd ipsi omne auxilium & subsidium, pro posse meo, dabo contra memoratum Regem Hispaniarum & omnes ei adhærentes, nemine excepto ex hostibus suæ Altitudinis atque patriæ: præterea quòd omnia præstabo quæ boni ac fideles incolæ ac inquilini Brabantiæ præstare debent suo legitimo Domino, juxta lætum adventum: & insuper ego juro ac promitto me huic urbi Antverpiæ bonum ac fidelem esse, ac quòd ipsam juvabo & defendam, sub obedientia prædicti Nostri Clementis Domini. Sic Deus omnipotens me adjuvet. Statutum in Collegio in Domo Civica Antverpiæ, die duodecimâ Aprilis, 1582.

Argu-

Emendata ex Codice & MS. Michaelis Vosmer, vitâ functi a. 1616.

Argumenta quædam quibus utuntur Ecclesiastici quidam qui nunc sunt Antverpiæ, ut persuadeant Catholicis qui nunc sunt Antverpiæ, salvâ conscientiâ juramentum Duci Alençonio præstari ab iisdem posse.

1. NON tenentur, *inquiunt*, singuli de plebe inquirere de negotiis & regimine Reipublicæ. Debent singuli obedire Magistratibus etiam discolis, etiam Tyrannis; etiamsi novus & electus Princeps à toto & pleno Collegio statuum electus non esset: & quædam statuum membra desiderata essent: hæc enim singuli de plebe non tenentur inquirere aut considerare, sed obedire ut suprà: quia omnis potestas à Deo est, etiam Tyrannica.

2. Item vinculum obligationis, quo singuli de plebe Principi suo obstricti sunt, non tantùm est, ut in gratiam Principis, onerati uxore ac liberis sedes suas relinquere, hinc profugere, per orbem vagari, mendicare, & in miseria tabescere debeant, qui media non habent unde foris vitam sustentare valeant. * Majus esse vinculum obligationis erga uxorem & liberos & propriæ vitæ tuendæ.

* Edit. hæc omisit.

3. Non agi hîc de renuncianda Religione Catholica, sed de recuperanda ea, & exercitio ejus, medio hoc juramento.

4. Regem Hispaniæ deserere nos Catholicos; aut saltem nobis opem ferre non posse.

5. Cùm vi expugnatâ civitate, Victor victum ad præstandum fidelitatis juramentum cogit; nullum in ea re à Victo peccatum committi. Simile & hîc accidere, quantùm ad singulos de plebe, eam coactionem, si quid peccati in hoc juramento foret, omne peccatum tollere.

6. Metum perdendi bona temporalia, vel gravem in eis jacturam, sine quibus non potest quis sustentari, justum esse metum.

7. Et præterea ignorantiam & errorem, si quis esset, excusare singulos de plebe. Ignorantia enim eorum quæ quis non tenetur scire, à peccato populum excusat. *Hæc & similia multa adferunt.*

MICHAELIS BAII,
EPISTOLA,
PETRO CASTILLO,
DOCTORI.

De Fœderatorum Juramento & Argumentis quibus illud defenditur.



VT intelligatur an licitum ſit Juramentum, per te mihi cum argumentis quorumdam tranſmiſſum, quod Antverpiæ etiam à plebeiis exigi dicitur, Eruditiſſime Domine Doctor, imprimis videtur conſiderandum, an verum ſit quod in eo Juramento aſſeritur, & licitum quod promittitur. Nam jurare verum, & promiſſioni licitæ addere juramentum non eſt peccatum. Sed jurare falſum, & rei illicitæ promiſſionem, ſeu potiùs comminationem, conari juramento firmare, eſt immane ſcelus, quod proprio nomine vocatur perjurium. Qui enim jurat ſe facturum quod non poteſt licitè facere, cenſetur coram Deo jurare falſum; & ſi faciat quod ſe facturum juravit, addit perjurio alterum peccatum, ſicut docet Auguſtinus ſermone 117. inter noviter impreſſos Lovanii.

Porro in Juramento mihi tranſmiſſo prima pars quæ habet quòd Civis Antverpienſis jurabit quòd Regi Hiſpaniarum non obediet, neque eum curabit aut agnoſcet pro ſuo principe; ſed eum jam dereliquit, habens ſe pro abſoluto ab omni obligatione quâ priùs illi tanquam ſuo principi obligabatur, nihil aliud eſt quàm formalis & expreſſa rebellio, ac inobedientia erga Regem Hiſpaniarum legitimum Principem civitatis Antverpienſis: quæ inobedientia ejus incolis eſt manifeſtè illicita; & non legitimi juramenti, ſed tantùm perjurii materia. Sicut enim conjux, quæ ſine vitæ periculo viro ſuo adeſſe debitumque obſequium reddere non poteſt, durante hac neceſſitate juſtiſſimam quidem exceptionem habet cur non præſtet quæ viro ſuo præſtare tenetur: ſed tamen neque in animo ſtatuere neque ore jurare poteſt quòd deinceps illum non curabit, neque agnoſcet pro viro, ſed habebit ſe pro abſoluta ab omni obligatione, quâ priùs illi adſtringebatur ratione conjugii: quia ratione divini præcepti, quo uxor viro ſuo obligatur, etiam cùm illi adeſſe non poteſt, ſi non opere ſaltem deſiderio & animo tenetur illi adhærere, habens promptam voluntatem præſtandi quæ ſunt conjugis, mox ubi res ipſa tulerit. Sic etiam fidelis ſubditus, qui hoſtili tyrannide & timore oppreſſus à ſuo principe non de-

 fenditur

fenditur aut liberatur, habet quidem justam causam cur durante hac necessitate principi suo tributa non reddat, nec debita præstet obsequia: sed non potest in animo suo statuere aut jurare quòd ei deinceps non parebit, nec eum reverebitur, aut pro suo principe habebit, sed eum in totum ex animo suo abjecit, habens se pro absoluto ab omni obligatione, quâ priùs ei obligabatur, sicut continet propositum Juramentum. Quia quandiu talis subditus habitat in terris sui Principis, permanet ei adstrictus, nec potest se ab ejus obligatione absolvere absque Principis consensu: sed ratione hujus obligationis tenetur Principem in animo suo revereri, ac pro legitimo Principe habere, paratus etiam opere quæ sunt veri subditi præstare, mox ubi res ipsa tulerit. Et ideò qui jurant quæ prima hac Juramenti parte continentur, & jurando illicita pejerant, & præstando quæ jurant, suo perjurio aliud crimen adjiciunt, ut diximus.

Altera pars ejusdem Juramenti asserit Ducem Alençonium esse legitimum, Principem Brabantiæ & aliarum Provinciarum ibidem nominatarum: id quod est apertè falsum, aut saltem illis incertum qui hoc jurant; & ideò cum aperto perjurio aut saltem cum temeritate hoc jurant: sicut & illi qui in Anglia jurant Reginam esse Caput Ecclesiæ Anglicanæ, apertè falsum jurant. Si quis fortè prætendat hac parte Juramenti non asseri quòd Dux Alenconius sit legitimus Dux Brabantiæ; sed tantùm exigi ut jurans eum pro tali habeat; tunc adhuc illicitum est juramentum, quo jurat se eum habiturum pro legitimo Principe, quem in corde suo judicat esse tyrannum, quod sine mendacio præstare non potest.

Tertia pars Juramenti, quæ requirit à Cive Antverpiensi, vero Regis Catholici subdito, ut juret quòd ex omnibus suis viribus assistet Duci Alençonio, in bello contra Regem & alium quemcunque, &c. ex prioribus dependet. Quia si Alençonius non sit verus Princeps earum Provinciarum, quarum in Juramento fit mentio; ipse Regi Catholico injustum bellum movet, imò potiùs non movet bellum, sed sub belli nomine per homines impios exercet apertum latrocinium, in quo nemo potest ei adsistere, nisi qui velit reus esse latrocinii. Ipse enim Alençonius non est absolutus Dominus, cui competat jus movendi alicui bellum, sed tantùm fratris sui vasallus, qui rebellium & inutilium hominum conspiratione fretus, & nuper contra fratrem suum, & nunc contra Regem Catholicum, sub nomine belli exercet latrocinium, gravissimo supplicio dignum; sicut aliquando sentiet, nisi citò resipiscat, & sui sanguinis honori prudentiùs consulat.

Rationes autem quibus nonnulli conantur plebeios Antverpienses hoc Juramentum præstantes à peccato excusare, non videntur mihi aliud esse quàm verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Nam quod aiunt plebeios non debere inquirere de negotiis & regimine Reipublicæ, sed Magistratibus simpliciter obedire, ut innumera prætercam, etiam mundo manifesta, quæ de absurda & præsumptuosa Ducis Alençonii electione dicenda essent, si res ad vivum excuteretur; & de impiis novitatibus, quas quotidie introducunt Magistratus rebellium civitatum, ob quas etiam plebe iis suspecti esse debent in omnibus quæ moliuntur: quis non videt aliud esse inquirere de negotiis Reipublicæ, aliud verò inquirere de iis quæ quis jubetur jurare, ne fortè

falsa

falsa aut illicita jurando incidat in perjurium. Nam si temerarium est asserere de quo dubitas, quantò absurdius est jurare quod nescias? Deinde quod addunt, omnem potestatem etiam tyrannicam, à Deo esse: nihil ad hanc rem pertinet; quia licèt potestas imperandi quæ legitimis præfectis competit, ad licita & honesta subditos obliget: attamen potestas aliquid faciendi, quæ tyrannis & latronibus communis est, neminem adstringit ab obediendum, sed devictos & superatos tantùm vi compellit obedire: quæ compulsio ad illicita perpetranda extendi non debet.

Nec majoris momenti est quòd querulantur singulos de plebe, uxoribus & liberis oneratos non ita astringi Principi, ut in ejus gratiam cogantur foris mendicare & inediâ contabescere: quia qui oppressione hæreticorum tyrannisantium, ad hanc necessitatem rediguntur, ut vel cogantur omnia sua perdere, vel contra suum legitimum principem perpetuam rebellionem, inobedientiam, & hostilitatem jurare; non in gratiam Principis omnia sua deserunt, sed ad conservandam justitiam & bonam conscientiam, quam habere debet omnis Christi discipulus, id faciunt, quod eo casu jure divino facere tenentur, sicut docet Christus Lucæ 14. cùm ait: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & matrem & uxorem, & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam, non potest meus esse discipulus.* Et denique concludit: *Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hæc est enim crux miseris istis eo casu à Deo imposita, *ut propter justitiam cogantur sua deserere, ne jurent res illicitas*, de qua Cruce Christus ibidem ait: *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* His autem propter justitiam sua contemnentibus promittit Dominus: *Non te deseram nec te derelinquam*, sicut ad Hebræos decimo tertio legimus. Nihil etiam eos excusat quòd aiunt se jurare ad recuperandum Catholicæ Religionis exercitium: quia neque facienda sunt mala, ut inde eveniant bona; neque ad aliud servit hoc Juramentum, quàm ut longissimè ab eo dissiti, simul cum exercitio Religionis etiam fidem ipsam deserant.

Quòd autem Deus Regi Catholico non tribuit facultatem, ut omnibus oppressis statim subveniat, ex eo provenire arbitror, quòd tentat nos Dominus Deus noster, an mandata ejus divitiis nostris præferamus, an non.

Denique objiciunt, civitates vi expugnatas victori licitè præstare juramentum fidelitatis. Ex quo videntur velle colligere quòd boni cives, qui non suâ sponte in potestatem tyranni devenerunt, sed tantùm prævalente malorum conspiratione subacti sunt, licitè possint oblatum sibi præsens juramentum præstare. Ad quod breviter respondeo, quòd sicut præceptum obediendi parentibus, intelligitur in licitis & honestis; sic & juramentum fidelitatis, quod per ingenuos Principes, omissis novis titulis, hactenus à devictis hostibus tantùm in genere exactum est, non nisi in licitis & honestis debet intelligi: & ideò non in præstando juramento fidelitatis, sed fortè in observando potest esse peccati periculum, si fortè is qui fidelitatem juravit, prætextu juramenti faciat quod ei non licet. Sed in præsenti Juramento plura in particulari manifestis verbis expressa continentur, quæ sunt apertè falsa aut illicita; ad hoc videlicet ab hæreticis, diabolo suggerente, excogitata,

tata,

tata, & Fidelibus ad jurandum proposita, ut Fideles vel salute perpetuâ excidant, vel temporalibus bonis hoc prætextu possint à Sectariis spoliari.

Quod in fine additur de metu perdendi bona temporalia excusante peccatum, non videtur mihi responsione dignum: quia si non licet timere eos qui occidunt corpus; quantò minùs timere licet eos qui auferunt bona? Similiter nec illud quod de ignorantia dicitur; quia nemini licet ignorare quod ipse præsumit jurare. Igitur aut diligenter inquirat, & intelligat quod jurat; aut à jurando abstineat.

Hoc Michaëlis Baii responsum cùm legisset Joannes Lensæus, pariter Doctor Theologus Lovaniensis, ei subscripsit his verbis: Est ea quoque mea sententia, Juramentum ejusmodi præstari sine gravi scelere non posse: quia Juramento ejusmodi firmatur rebellio injusta & simul tendens ad Religionis exitium. Quare illa suprà posita declaratio iniqui Juramenti per omnia mihi probatur. Joannes Lensæus, anno 1582.



M I-

MICHAELIS BAII,

De Statuum inferioris Germaniæ unione cum iis qui præter omnium hactenus Hæreticorum morem, se desertores Romanæ Catholicæ Religionis vocant; & de juramento, quod eorum jussu à Clero & Monachis exigitur,

EPISTOLA.

Reverendo Patri Ambrosio Lootsio Abbati Parcensi, Michaël de Baii,

REverende Pater; sentio fratres vestros, & totam familiam vehementer contristari, propter longam absentiam tuam. Et quantùm mihi videtur, non immeritò contristantur: non tantùm propter detrimentum, quod ex hac absentia tua, & in spiritualibus, & in temporalibus patiuntur; sed etiam propter periculum conscientiæ tuæ, quam putant, sicut & ego puto, non posse diutius sine gravi peccato ab ovibus suis abesse. Quis enim nescit, pastorem in tantis difficultatibus & periculis debere suo gregi adesse; imò etiam pro illo animam ponere, quando non patitur peculiarem persecutionem præ fratribus suis?

Cui accedit, quòd satis intelligam te consensisse, & juramento firmasse unionem statuum, etiam cum iis, qui se Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ Desertores profitentur, sub principe Auraico tanquam Gubernatore Brabantiæ, & Vicegubernatore omnium provinciarum inferioris Germaniæ: non obstante, quòd se palam Bruxellæ Calvinistam professus sit. Id quod (pace tuâ dicam) quantùm mihi videtur, nec per te, nec per consortes tuos, sine gravi scelere fieri potuit.

Primùm quidem propter manifestum scandalum. Nam usque ad id tempus, Ordines hujus patriæ semper unanimiter jactaverunt se velle manere, non tantùm sub obedientia Regiæ majestatis, sed etiam in fide Romana Catholica: querebanturque sibi magnam injuriam fieri, quòd & summo Pontifici, & Catholicæ Majestati per quosdam intelligebant aliud suggeri. Nunc verò per hanc unionem cum subtractionis filiis in perditionem, sub homine, qui se palam hæreticum profitetur, proprioque se judicio condemnat, non tantùm Hebr. 10.

 sum-

summo Pontifici, & Regiæ Majestati, sed etiam omnibus cordatis fidelibus ingeritur manifesta suspicio, quòd ab utraque illa sua professione Ordines recesserint; aut certè ad illudendum fidelibus, non animo, sed verbis duntaxat professi sint quæ sunt professi. Eò quòd hæc unio cum iis qui se palam vocant Desertores Romanæ & Catholicæ religionis, sub homine qui se palam Calvinistam profitetur, directè tendat ad contemptum Regiæ Majestatis, subversionem Catholicæ fidei, & exterminium sacerdotii, quod Calvinistæ cane pejus & angue oderunt.

Et cùm nemo possit sibi superiorem assumere, nisi in eum finem, ut ejus vigilantiâ & solicitudine in suo sancto proposito juvetur & defendatur: (nempe Christianus catholicus, in vera Christiana religione; & monachus in professione monastica, &c.) quomodo reclamante primâ civitate Brabantiæ Lovanio, & aliis multis viris illustribus, (quorum nonnulli ob eam causam, fictis mendacibus litteris, putantur Gandavi in vincula conjecti, & adhuc detineri) potuistis & vobis & nobis hominem præficere, quem jam certò sciebatis & Catholicæ religioni, & monastico instituto vestro ex professo esse inimicum? iisque ministris potissimum utentem, qui ob hæresim sunt veræ pietatis adversarii? quique aut statim omnem pietatis speciem è templis abolent (sicut tota Hollandia & Zelandia testatur) aut tantisper dissimulando permittunt, donec quæsitis occasionibus, sine tumultu possint (sicut in Calvinismo jurarunt) ad ejus subversionem pervenire. Imitantur enim Julianum apostatam, qui initio non palam persecutionem in Christianos exercebat: sed populis, quæcunque vellent in eos committere permittebat, aut etiam clam mandabat, & maximè in clerum; ut sublatis ducibus, plebs in oblivionem religionis faciliùs deveniret. In hoc tantùm Juliano dissimiles, quòd ille nullum juramentum de conservanda religione præstitisse legitur, ut Auraicus Princeps cum asseclis suis, qui, ut Catholicis imponant, & quidvis facilè jurant, & opportunitatem nacti juramenta pro ludo habent. Hinc ad conservandas civitates, finguntur necessaria esse templorum, cœnobiorum, & aliorum locorum ad pietatem institutorum incendia; idque confractiùs prius imaginibus, & conculcatis, prôh dolor, sacramentis. Hinc à sacerdotibus & monachis exiguntur illicita juramenta; ut aut exules fiant, eosque tum bonis omnibus exuant, aut impietati consentiant. Hinc civitatibus & militibus præficiuntur hæretici, aut erga Catholicos, veterisque religionis cultores, malè affecti; ut eos onerando multitudine militum, & variis modis vexando, eò compellant, ut malint miserè in exilio vivere, quàm in paternis avitisque ædibus tot ærumnis exerceri.

Porrò sicut Princeps Auraicus suscepturus Bruxellæ gubernationem Brabantiæ, dicitur jurasse conservationem Romanæ & Catholicæ religionis in civitatibus Brabantiæ, sic etiam regressus ab expeditione Montensi in Hannonia, & proficiscens in Hollandiam, Mechliniæ (me etiam audiente) professus est, se non venisse in hanc patriam cum exercitu, ut aliquid immutaret, aut sacerdotes, monachos, & alios clericos de suo loco deturbaret; sed tantùm, ut liberaret patriam à servitute Hispanica; quam religionis conservationem etiam quibusdam civitatibus Hollandiæ juravit. Obsecro ut in Zelandia, aut Hollan-

Hollandia, vel unus pagus, qui se tunc ejus subjecit imperio, designetur, in quo servata sit supradicta professio?

Fiunt hæc quidem plerumque tumultu quodam phanatico, per homines seditiosos sive subornatos, ut multi persuasum habent, sive ultro currentes: sed quomodocunque fiant, certè imperante Principe Auraico fiunt, idque impunè, quæ illo priùs non imperante non fiebant, & postquam semel facta sunt, non emendantur. Et quantò ingeniosiùs artificiosiùsque fiunt; tantò manifestiùs produnt mysterium iniquitatis, quod nunc operari testatur Apostolus; *2 Thess. 2.* donec reveletur ille iniquus, cujus hi præcursores esse videntur, omnibus speciosè libertatem religionis promittentes, saltem donec principatum obtineant, & manifestam tyrannidem exercere queant: & illam libertatem soli impietati (hoc est, Calvinisticæ sectæ, aliisque sibi gratis hæresibus tantummodò) permittentes. Cùm enim Catholica religio hactenus libera fuerit, quid promittendo libertatem religionis, intelligere possunt, nisi tyrannidem hæreticam, quâ Catholicam religionem extinguant?

Clamat Apostolus: Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? *2 Cor. 7.* Et nos temporalem utilitatem prætexentes, ultrò nobis præficimus hominem, qui palam se hæreticum, id est, lupum profitetur: ut hæreticorum communionem semel ingressi, à Christi societate Regisque obedientia separemur; & ut ipse novâ potestate adjutus, fidem Catholicam faciliùs extirpet, & suæ tyrannidi resistentes etiam malis artibus sub prætextu justitiæ opprimat. Nam ex hac causa antiquissimo jure constitutum est, ut subditus fidelis non teneatur obedire superiori, si à fide Catholica manifestè defecerit, ne videlicet potestas, quæ fidelibus ad ædificationem datur, jam factis hæreticis, ad destructionem & subversionem fidei patrocinetur & serviat.

Cum patria hæc nuper maximo turbata dissidio, propter vim exterorum, *De pace Gandavensi & piorum subscriptione.* qui putabantur eam velle exterminare, & in extremam servitutem redigere, in maximo periculo versaretur; ne fortè Auraicus (qui cum suis tum temporis in armis erat) magnam ejus partem jam armis destitutam occuparet, & occupatam Catholicâ religione spoliaret, sicut priùs in iis Hollandiæ, Zelandiæque partibus fecerat, quæ se illi subjecerant: ad vitandum tantum malum, multis viris bonis consentientibus, inita est quædam pax statuum harum provinciarum cum illo & statibus illi subjectis. Quam pacem multi pii & eruditi viri, attento rerum statu, qui tum erat cùm iniretur, etiam postea Catholicæ fidei utilem fore putaverunt, sicut subscriptionibus suis testati sunt: tum quia Auraicus cum suis submittendo se ordinationi generalium statuum quoad exercitium religionis in Hollandia, Zelandia, & Bomelia, magnam reconciliationis spem præbebat (erant enim tum reliqui status harum provinciarum Catholici, & quâvis occasione datâ semper protestabantur, se velle retinere fidem Catholicam, & Catholicæ Majestatis obedientiam) tum etiam, quia per hoc subscribentium testimonium videbant futurum, ut D. Austriacus in Gubernatorem faciliùs susciperetur, faciliùsque sic congregatis statibus generalibus in Hollandia & Zelandia religio Catholica instauraretur. Sed sicut

Luthe-

contra Cresconium Grammaticum olim ex professo destructa; nempe quòd hæretici nullâ sint coertione puniendi, sed suo arbitrio relinquendi: eò quòd fides sit Dei donum. Nam hæresis ista continetur libello Antverpiæ edito auctoritate Illustrissimi Archiducis Austriæ, qui ex suæ receptionis formula, meritò præsumitur hanc editionem non admisisse sine consensu ordinum patriæ: qui etiam juraverunt, se modis omnibus impedituros, ne quis aut Catholicos aut hæreticos verbo aut facto, molestiâ propter suam fidem afficiat. Nam hoc juramento manifestè significant, se omnino intendere, unumquemque suo arbitrio relinquere, ut credat quod volet; sicut videtur libellus iste prætendere. Est quidem fides Dei donum, sicut & cæteræ virtutes, quibus bene vivitur, & à vitiis abstinetur; propter quod orandum est, ut Deus incredulis fidem tribuat, sicut & cætera opera virtutum, quibus benè vivitur: sed est etiam opus liberi arbitrii, propter quod & verbis & suppliciis admonendum est liberum arbitrium, ut contra Evangelii prædicationem cor suum non obduret, nec resistat verbo veritatis; quia servus verbis non potest erudiri: multò autem minùs obstinatus hæreticus. Scripsit D. Augustinus contra hunc errorem etiam libellum *de Correptione & gratia*, ostendens non propterea negligendam esse disciplinam, quia gratia & donum Dei gratuitum est, ob quod neglectum quispiam corripitur: sed & diligenter orandum esse, ut Dei donum tribuatur: & nihilominus docendum, admonendum, & corripiendum liberum arbitrium, ut opus hominis esse comprobetur, quod etiam à Deo suppliciter postulatur.

De Juramento; quod jussu ordinum inferioris Germaniæ, à Clericis & Monachis exigitur.

UT autem intelligatur, cur suprà illicitum dixerim juramentum, quod jussu ordinum patriæ, per inferiores magistratus civiles à Clero & Monachis, sine præjudicio privilegiorum & libertatis Ecclesiasticæ (sicut irridendo ecclesiasticos dicere videntur) exigere jussum est: diligenter intuendum est, quid ipsum juramentum in se contineat. Imprimis enim continet affirmationem, seu comprobationem pacis Gandavensis, cum declaratione & assecuratione subsecuta: quæ declaratio continet expressam unionem jurantium cum iis, qui se vocant Desertores Romanæ & Catholicæ religionis. Igitur qualiscunque jam habenda sit pacificatio Gandavensis: attamen quisquis hoc juramentum præstiterit, eo ipso, saltem ratione declarationis postea subsecutæ, communione jungitur cum iis, qui se vocant Desertores Romanæ Catholicæ religionis; ac per hoc recedit à communione Ecclesiæ Catholicæ, quæ cum manifestis, & suo judicio condemnatis hæreticis, communionem habere non potest, fitque schismaticus.

Secundò continet, quòd jurans ad hoc totis viribus laborabit, ut neque Catholici hæreticis, neque hæretici Catholicis, ob religionis causam, facto vel verbo ullam inferant molestiam. Quàm sollicitè huic parti satisfacere studeant

hæretici, nimis manifestè & plurimorum ingenti dolore ostenderunt Amsterdami, Harlemi, & aliis pluribus locis. Sed quisquis episcopus aut presbyter hoc juramentum præstiterit, nonne se astringit, ut non pareat Apostolo
2 Tim. 4. scribenti Timotheo: Testificor coram Deo & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus: prædica verbum; insta oportunè, importunè; argue, obsecra, increpa cum omni pa-
Titum 1. tientia, & doctrina. Et rursus ad Titum: Increpa illos durè, ut sani sint in fide. Nam hoc juramento constrictus, ne verbo quidem importunus esse poterit; aut eos increpare, qui à veritate defecerint, aut ei restiterint: aut si quid tentaverit, statim prætextu perjurii, conjicietur in vincula, aut mittetur in exilium: imò tenebitur eos contra quemcunque defendere, si fortè propter religionem hæreticam impetantur. Potest quidem episcopus, aut presbyter certis temporibus & locis veritatem reticere: sed nunquam potest jurare, vel vovere, quòd eos non docebit, neque increpabit, qui veritati restiterint; & multò minus, quòd eos contra quemcunque in sua impietate defendet: quia hoc est directè impio in sua impietate præbere auxilium.

Tertiò, decretum ordinum promissionem exigit, quod jurans corpore & bonis cooperabitur Archiduci Matthiæ, id est, Principi Auraico, qui sub ejus nomine imperat, ad ejiciendum D. Joannem Austriacum ex hac patria, cum omnibus illi cohærentibus. Hic civilem quæstionem non discutio: An ordines hujus patriæ, justas & sufficientes causas habeant insectandi Serenissimum Principem D. Joannem Austriacum, à Catholica Majestate constitutum generalem hujus patriæ Gubernatorem, & ab ipsismet ordinibus semel unanimi consensu susceptum: an potiùs quæsitas, & à Principe Auraico confictas, suggestas, & malis artibus vulgo malè persuasas; ut sub nomine Archiducis, instantibus hominibus seditiosis, toti patriæ præficeretur, & ejusdem spoliis adjutus, Catholicæ Majestatis potentiæ faciliùs resisteret: Hoc solum nunc inquiro; An Clericis & Monachis liceat militem agere, ac corpore & bonis quempiam è patria fugare. Hoc olim conatus est Julianus Apostata, cogens clericos & monachos ad militiam: sed ejus conatus ab Ecclesia damnatus est. Cùm itaque Clericis non liceat militare, manifestum est iniquam esse constitutionem, quâ jubentur promittere, se tanquam milites, corpore & bonis cooperaturos, ut D. Joannes Austriacus cum omnibus sibi cohærentibus toto Belgio exturbetur.

Sed dicet quispiam, plerisque locis, per magistratus seculares, qui adhuc fideles dici volunt, & jurandi formam, ab ordinibus patriæ clericis propositam, forsitan erubescunt, à clericis non eam jurandi formam exigi, quam ordines præscripserunt; sed aliam quamdam mitiorem. Certè qualiscunque forma exigatur, difficilè est eos, qui jurant, non ingredi communionem cum iis, qui se vocant Desertores Romanæ Catholicæ religionis, (quibuscum ordines hujus regionis arctissimis juramentis constricti sunt, quosque contra quemcunque etiam in sua hæresi defendere juraverunt) & schismate non inquinari. Sed demus, per quosdam magistratus seculares, à suæ ditionis clericis juramentum exigi, quod neque communionem cum hæreticis contineat, neque impedimentum Evangelicæ prædicationis & correptionis, quam ab Episco-

Episcopo requirit Apostolus, neque etiam promissionem cooperandi ad ejiciendum D. Joannem Austriacum cum adhærentibus, sed tantùm quòd Clerici erunt suo ministerio contenti, nec quicquam molientur adversus eos, qui communem hostem D. Joannem Austriacum cum adhærentibus propulsabunt: adhuc tamen impium est juramentum. Non quia per se impium est quod juratur; sed quia ad hoc juratur, ut impio decreto, quod plane damnandum ac fugiendum fuit, aliquo modò pareatur. Habet enim impietatis speciem, & suo exemplo ad impietatem ducit. Qui vult videri propositis contra Evangelium vel edictis, vel legibus satisfecisse, inquit Cyprianus, hoc ipso jam paruit, quòd videri paruisse se voluit. Unde nec solos thurificatos, qui sacrilegis idolothytorum contactibus manus suas atque ora maculassent, crimini dicit obnoxios: sed etiam Libellaticos, qui nefandis libellis conscientiam polluissent, dando videlicet pecuniam idololatriæ exactoribus, & litteras satisfactionis accipiendo, quibus thurificasse viderentur, & impio edicto paruisse, cùm tamen re ipsâ non thurificassent. Licèt igitur æquari non debeat, qui impium juramentum, per ordines patriæ decretum & jussum præstitit, ei, qui ut impio decreto satisfecisse videatur, connivente civili magistratu, aliud quippiam, alioqui licitum, juravit: attamen uterque lapsus est, & impio decreto consensit; alter jurando quod impium est; alter simulando, & alios suo exemplo ad impium juramentum provocando. Unde Cypr. de exhortatione martyrum cap. 11. Ne quis libelli, inquit, nec alicujus rei oblatâ sibi occasione, quâ fallat, amplectatur decipientium malum munus; nec Eleazarus tacendus est, qui cùm sibi offerretur à ministris regis facultas ut acceptâ carne, quâ liceret vesci, ad circumveniendum Regem simularet se illa edere quæ de sacrificiis atque illicitis cibis ingerebantur, consentire ad hanc falláciam noluit, dicens nec ætati suæ, nec nobilitati convenire id fingere, quo cæteri scandalizarentur, & in errorem inducerentur. Nec jurantes excusat apud exactores quævis ante juramentum præstitum facta protestatio; quia & ipsi Libellatici apud exactores idololatriæ, teste Cypriano, pulcherrimam protestationem præmittebant, & tamen non carebant crimine: tum quia volebant videri satisfecisse jussioni, quam aversari debuerant: tum etiam, quia alios ad satisfaciendum provocabant. Sic enim ait Cyprianus epist. 52. Quàm acerba duritia, Libellaticos cum iis qui sacrificaverint jungere? quando is, cui libellus acceptus est, dicat: Ego priùs legeram, & Episcopo tractante cognoveram, non sacrificandum idolis, nec simulachra servum Dei adorare debere; & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat (cùm occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio) ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam. Nunc tamen etiam iste, qui libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse; & si manus pura sit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam, flet, auditis nobis, & lamentatur. Ecce qualem protestationem, Cypriano teste, faciebat Libellaticus, priusquam satisfactionis libellum redimeret; & tamen dando pretium, ne faceret, quod

Epist. 11.

quod impiè mandabatur, recedebat mente pollutus: quia si non manifesto crimine, certè errore deceptus, id fecerat, quod non licebat: sicut etiam hoc tempore faciunt, quicunque magistratibus urgentibus quippiam jurant, ut jussioni ordinum patriæ cum hæreticis junctorum aliquo modo satisfecisse putentur, & deinceps ad jurandum non urgeantur; etiamsi alioqui licitum sit, quod juraverint. In hoc tamen differunt, qui licitum quippiam jurant, ab iis qui res jurant illicitas; quòd hi jurantes, quòd facere non possint, perjuri sint, sicut docet Aug. in ser. 117. in iis qui Lovanii recenter impressi sunt: illi verò minimè; sed tantùm in hoc peccant, quòd impio decreto aliqua ex parte consentiunt, & suo exemplo alios ad consentiendum invitant, sicut diximus. Quod superest, opto R.T.P. rectissimè valere, & salutaribus consiliis semper auscultare.

LOVANIO.


In credendi libertatem.

Libera Relligio quamprimum intravit in orbem;
Pelluntur subitò pax pietasque simul.
Libera Relligio ni mox excesserit orbe,
Asperius miseros bella futura prement.

MICHAELIS BAII TRACTATUS DE ECCLESIA.

CAPUT PRIMUM.

Quòd nostri temporis Hæretici sectas suas ex antiquarum hæresum fragmentis conflent.



INter plurimas errorum pestes quibus laborat nostra ætas, & quas spargunt nostri temporis Hæretici, si diligenter excutiantur, paucissimæ reperiuntur saltem in quas eorum factiones intendant, quæ non ex jam pridem extinctis hæresum favillis originem ducant: adeo ut non immeritò dicamus sectas Hæreticorum nostri temporis nihil aliud esse quàm perditorum hominum centones ex priorum hæresum fragmentis pro uniuscujusque arbitrio contextos. Alia enim sumunt ex Manichæo, alia ab Ærio, alia ab Ætio, alia à Joviniano, alia à Berengario & posterioribus Hæreticis: ex qua permixtione, prout visum fuerit, addito uno aut altero novo dogmate, sua conventicula faciunt. *Primùm editus ex MS.C.*

Nam, v. g. quòd ajunt omnia quæ ab hominibus fiunt, tam bona quàm mala, certâ & definitâ necessitate divinæ prædestinationis evenire, nempe ut sua facinora latenter Deo ascribant, & ipsi sine culpa sint, à Manichæo didicerunt; à quo in hoc tantùm differunt, quòd ille aliud bonorum, aliud malorum statuebat principium; hi ab uno fonte bonitatis tam bonum quàm malum miserabili quadam necessitate & absurditate incredibili extra omnem rationem derivari contendunt.

Similiter quòd prædicant pro defunctis non esse offerendum vel orandum: Ecclesiasticis Constitutionibus, quæ de jejuniis & ciborum abstinentiis præscribunt, neminem teneri: Romanum Pontificem & cæteros Episcopos ejusdem esse potestatis & dignitatis, ab Ærio mutuati sunt, quem scribit Sanctus Augustinus in Arrianam hæresim lapsum propria quoque dogmata addidisse, nempe orare vel offerre pro defunctis non oportere, nec statuta solemniter

ter esse celebranda jejunia; sed cùm quisque voluerit, esse jejunandum, ne videatur esse sub lege. Dicebat etiam, inquit Augustinus, presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ discerni.

Similiter in eo quòd bonorum operum merita tollunt, & bonis operibus adversantes in sola fide justitiam & spem salutis constituunt, Aëtium sequuntur, de quo Sanctus Augustinus inquit: *fertur etiam usque adeo fuisse bonis operibus inimicus, ut asseveraret quòd nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si ejus, quæ ab illo prædicabatur, fidei esset particeps.*

Item quòd negant Sanctos invocandos, & eorum intercessiones contemnunt, à Vigilantio didicerunt, ad quem B. Hieronimus; *Dicis in libello tuo*, inquit, *quòd dum vivimus mutuò pro nobis orare possumus, postquàm autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio; præsertim cùm Martyres ultionem sanguinis sui obsecrantes, impetrare nequiverint.* Cui breviter respondet: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, qui pro se esse debent solliciti, quantò magis post coronas, victorias & triumphos?*

Jam verò quòd cœlibem vitam Sacerdotum & Monachorum Sancti-Monialiumque virginitatem incæstis nuptiis contaminant, Jovinianum habent authorem, qui, sicut refert Sanctus Augustinus, *virginitatem Sancti-Monialium & continentiam sexûs virilis, in Sanctis eligentibus vitam cœlibem, conjugiorum castorum meritis adæquabat: ita ut quædam Virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicerentur: Non sanè iste*, inquit, *habebat vel habere volebat uxorem; quòd non propter aliquod apud Deum majus meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum; sed propter præsentem vitæ necessitatem, ne homo conjugales patiatur molestias disputabat.* Quâ Joviniani disputatione si contenti essent nostri temporis Hæretici, videri possent ratione aliqua velle Sacerdotum, Monachorum & Sancti-Monialium continentiam tolerare: sed cùm palam blasphement eam esse impium cultum & sacrificium dæmonibus oblatum; manifestè ostendunt se neminem tolerare velle nisi cubilibus & fœtandis uteris deditum, quia ita suæ libini vacet, sicut equus & mulus in quibus non est intellectus.

Ab hoc Joviniano etiam initium sumpsit plausibilis illa pax & tranquilla salutis securitas, quam suis sectatoribus in sola fide indifferenter pollicentur omnes nostri temporis Hæretici, ut carnalis & imperita hominum multitudo hâc spe inaniter delinita alacriùs eam doctrinam suscipiat, susceptamque ferventiùs defendat & pertinaciùs retineat, quæ in hac vita securam luxuriam, & in futura nihilominus expectatione certissimâ gloriam pollicetur æternam.

Docuit enim Jovinianus eos qui in fide à se traditâ præditi essent, lavacro regenerationis accepto, ampliùs peccare non posse. Quem secutus Calvinus nusquam non inculcat in bonis operibus nullam ponendam salutis fiduciam, ne si conscientia bonis operibus incumbat, propter humanæ conversationis incertitudinem, de sua futura salute aliqua ex parte fluctuet, de qua suos Sectatores certos & ex omni parte securos debere esse præcipit, etiamsi in iis sceleribus perseverent, de quibus ait Apostolus quòd *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Quid ex Berengario, Joanne Huss, Joanne Wicleff & similibus hauserint, notius est quàm ut relatione egeat.

C A-

CAPUT II.

Quòd vera Ecclesiæ Catholicæ cognitio errorum omnium nebulas facilè possit de cordibus malè credentium discutere.

QUapropter his & similibus omissis, unum tractemus quod ritè intellectum & humillimâ mente susceptum universas hujusmodi errorum nebulas facilè potest de cordibus malè credentium discutere, nempe quæ sit & ubi sit Ecclesia Dei vivi, quam Apostolus dicit columnam esse & firmamentum veritatis, quam Spiritus Sanctus inhabitans sanctificat, & omnem docet veritatem: & extra quam neque fides neque vera justitia potest consistere.

Nam quisquis illam probè noverit, & sinceram veritatem à Deo quæsiverit, facilè intelliget sibi non esse ab ejus communione & magisterio recedendum, quam noverit à veritate non posse deficere: & extra quam neque fides neque verà justitia potest existere.

Hanc Hæreticorum alii in angulo aliquo mundi ad se trahere conantur, ut Donatistæ dicentes Christi hæreditatem per Cæciliani consortium (quem de sacrorum librorum traditione accusabant, nec probabant) in toto orbe terrarum defecisse, præter quam in eo Africæ angulo in quo non reperiebatur ejus communio. Alii verò ut in errorum suorum tenebris facilius delitescerent, ne possent manifesto Ecclesiæ testimonio redargui, illam occultam & nobis ignotam prædestinatorum Universitatem seu congregationem esse prætendunt: ut Joannes Hus, & illius sequaces. Sed abscondi non potest civitas supra montem posita, Ecclesia super Christum ædificata; quia juxta prophetiam Danielis, abscissus de monte sine manibus crevit in montem magnum, & omnia regna terræ contrivit, quæ in idolis confidebant. De quo Isaias 2. *Et erit in novissimis præparatus mons domûs Domini in vertice montium*, hoc est super eminentiam omnium patriarcharum & Prophetarum, qui eum præcesserunt; *& elevabitur super colles*, quia videlicet à B. Petro & omnibus verè fidelibus Christus filius Dei vivi agnoscetur, Joanne Baptistâ, Eliâ, Jeremiâ, cæterisque prophetis longè sublimior. *Et fluent ad eum omnes gentes, & dicent: venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & Verbum de Jerusalem.* Nam quod toties ante priorem Christi adventum de regno Christi, Abrahæ, Isaac & Jacob promissum est: *in semine tuo benedicentur omnes Gentes; & dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ:* à civitate Jerusalem sumpsit initium, & in omnibus terræ finibus tantùm cepit incrementum, ut deinceps abscondi non possit: unde B. Ambrosius lib. 7. super Lucam: *illa Jerusalem quæ in cœlo est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo omnium locata monte, hoc est in Christo, non potest tenebris & ruinis hujus mundi abscondi, sed fulgens candore lucis æternæ, luce nos spiritalis gratiæ illuminat.* Et B. Chrysostomus super Isaiam hom. 4. *facilius est*, inquit, *solem extingui, quàm Eccle-*

Ecclesiam obscurari. Nam, inquit Sanctus Hilarius, lib. 7. de Trinitate, *Ecclesia lumen doctrinæ suæ etiam imprudentiæ sæculi invehit, ut licèt fidei sacramentum non suscipiat; tamen adversùs Hæreticos veritatem sacramenti à nobis intelligat. Magna enim vis est veritatis, quæ cùm per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa quæ isti adversantur, elucet, ut in natura sua immobilis manens, firmitatem naturæ suæ quotidie dum attentatur, acquirat. Obscuratur quidem*, inquit B. Augustinus epist. 48. *aliquando, & tanquam obnubilatur Ecclesia multitudine scandalorum: sed etiam tunc in firmissimis suis eminet, ut si aliqua in his verbis divinis distributio facienda est; fortasse non frustra dictum est de semine Abrahæ: sicut stellæ cæli & sicut arena quæ est ad oram maris: ut in stellis cæli, pauciores, firmiores clarioresque intelligantur; in arena autem maritimi littoris, magna multitudo infirmorum atque carnalium, quæ aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet, aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur & turbatur.*

CAPUT III.

Quòd sicut Christus ab Apostolis visus, à posteris tantùm est creditus: sic Ecclesia Christi à prioribus tantùm est credita, à posterioribus est visa.

SIcut ergo Messias ex antiquo tempore multis prophetarum testimoniis prænunciatus, multis ceremoniarum & oblationum observationibus præfiguratus, tandem in terris apparens & cum hominibus conversans visus est, ab Apostolis, & à Sancto Joanne Baptista dicente: *Ecce Agnus Dei*, digito in particulari demonstratus; & à posteris eorum creditus: sic etiam de Ecclesia seu Christi regno dicendum est, quòd ex Prophetarum & Christi verbis priùs à Prophetis & Apostolis, creditum sit, dicente Christo: *pœnitentiam agite, appropinquavit &c.* & tandem post Christi Ascensionem reipsà visum & exhibitum. Unde B. Augustinus serm. * 4. inter recenter impressos, tractans illud: *quoniam scriptum est, quia sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertiâ die: viderunt hoc Apostoli*, inquit, *viderunt patientem, viderunt pendentem; viderunt post resurrectionem, præsentem, viventem. Quid ergo non videbant? Corpus, id est, Ecclesiam: illum videbant, istam non videbant; sponsum videbant, sponsa adhuc latebat. Promittat & ipsam, sic scriptum est.* ET SIC OPORTEBAT CHRISTUM PATI, ET RESURGERE A MORTUIS TERTIO DIE. *Hoc sponsus est. Quid de sponsa?* Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum, per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem. *Hoc nondum videbant discipuli, Ecclesiam per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem nondum videbant. Caput videbant, & de corpore capiti credebant. Per hoc quod videbant, quod non videbant credebant. Similes illis sumus & nos. Videmus aliquid quod ipsi non videbant: & non videmus aliquid quod ipsi videbant. Quid nos videmus quod ipsi non videbant? Ecclesiam per omnes gentes. Quid non videmus quod ipsi videbant? Christum in carne constitutum. Quomodo illi illum, & de corpore credebant; sic nos corpus videmus, de capite credamus. Invicem adju-*

* 4. *inter 17. sermones à Parisiensibus additos.*

Luc. 24.

Ibid. *Ecclesia futura per mundum ab ipso* (Christo) *prævidebatur, à Discipulis nondum videbatur. Caput ostendebat, corpus promittebat.*

adjuvent visa nostra. Adjuvit eos visus Christi ut futuram Ecclesiam crederent: adjuvat nos visa Ecclesia, ut Christum resurrexisse credamus. Impleta est fides eorum, impletur & nostra. Impleta est illorum de capite, impletur nostra de corpore. Totus Christus & illis innotuit, & nobis innotuit. Sed totus ab eis non est visus, nec à nobis totus est visus. Ab eis Caput est visum, Corpus creditum: à nobis Corpus visum, Caput creditum. Nulli tamen deest Christus. In omnibus plenus est, & adhuc ei restat Corpus. Et Sermone * 71. tractans eandem Scripturam: *Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertiâ die; & prædicari in nomine ejus pœnitentiam in remissionem peccatorum, incipientibus à Hierusalem. Illud non vidimus*, inquit, *sed hoc videmus. Quando ista promittebantur, nondum videbantur. Apostoli Christum præsentem videbant; sed toto orbe terrarum diffusam Ecclesiam non videbant. Videbant Caput, & de Corpore credebant. Habemus vices nostras, habemus gratiam dispensationis & distributionis nostræ ad credendum certissimis documentis, tempora nobis in una fide sunt distributa. Illi videbant Caput, & credebant de Corpore: nos videmus corpus, credamus de Capite.* Hactenus Augustinus, ex cujus verbis manifestum est quòd quemadmodum Christus aliquando in carne visus est, & postea à non videntibus creditus est: sic etiam Ecclesia, quæ priùs tantùm futura credebatur; postea etiam manifestè visa est, sicut adhuc hodie videtur. Et quemadmodum post Christi adventum nunquam satis fuit in genere credere quòd aliquis venisset Messias de semine Abrahæ; sed semper credere oportuit quòd verus Messias esset Jesus Nazarenus, Mariæ Virginis filius, natus in Bethleem Judæ, passus sub Pontio Pilato: sic etiam postquam Christi Ecclesia cœpit in Hierusalem congregari, nunquam satis fuit in genere credere quòd aliqua esset in mundo Christi Ecclesia, quæcunque tandem illa esset; sed semper necessarium fuit credere quòd illa esset vera Christi Ecclesia quæ cœpta in Hierusalem per Judæam, Samariam, & reliquas orbis provincias diffusa ab Apostolis fundata est Antiochiæ, Corinthi, Ephesi, Galatiæ, Philippis, Colossis, Thessalonicæ, Romæ, & aliis nationibus, quæ jam dictis Ecclesiis communione sociantur, quæque Apostolos & eorum successores pro præfectis habent, & præsertim Romanos pontifices, qui sine ulla interruptione à B. Petro usque ad Gregorium XIII. manifestissimo ordine sibi successerunt, deficientibus cæteris. A qua Ecclesia separati sunt quicunque illam vel occultam esse contendunt, vel alio quovis modo persequendo eam manifestant, & suis inimicis non ignotam esse testantur: nisi enim eam nossent, non ita adversùs eam fremerent, sicut Psal. 2. prædicitur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Christum ejus*, eo genere sermonis quo ait Dominus in Actis: *Saule, Saule, quid me persequeris?* quia Discipulos suos usque in exteras civitates persequebatur.

Serm. 167. seu 147. de temp. in fine. Similia habet serm. 31. de Verbis Apostoli.

De his persecutoribus Ecclesiam Christi non ignorantibus, sic scribit B. Augustinus super Psal. 30. tractans illud: *Qui viderant me, foras fugerunt à me: Ignoscendum esset*, inquit, *si foras fugissent à me qui me non videbant: etiam qui me videbant, fugerunt à me: nec dicendum est, foras fugerunt, quia intùs non fuerunt. Si intùs fuissent, vidissent me: id est, cognovissent corpus Christi, cognovissent membra Christi, cognovissent unitatem Christi. Illud est magis gemendum, illud omnino*

intolerabile, quia multi qui videbant me, fugerunt à me; id est, qui cognoverant quid esset Ecclesia, exierunt foras, & hæreses & schismata contra Ecclesiam fecerunt. Illum da qui volvitur quotidie in Scripturis, qui legit, qui prædicat. Itane tandem non ibi videt: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ? *Non ibi videt:* Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium? *Si vides ibi totius orbis unitatem; quid foras fugis, ut non solùm ipse patiaris, verùm & aliis facias cæcitatem?* Qui videbant me, *id est, qui noverant quid sit Ecclesia, qui eam in Scripturis intuebantur,* foras fugerunt à me. *Putatis enim, Fratres mei, quia illi omnes qui fecerunt hæreses per loca & partes, non noverant in Scripturis Dei quia Ecclesia non est prædicata nisi toto terrarum orbe diffusa? Verè dico Charitati Vestræ, certè omnes Christiani sumus, vel Christiani omnes dicimur, & omnes Christi signo signamur. Obscuriùs dixerunt Prophetæ de Christo quàm de Ecclesia: puto propterea quia videbant in spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas, & de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideò illud unde majores lites futuræ erant, planiùs prædictum, & apertiùs prophetatum est, ut ad judicium illis valeat qui viderunt & fugerunt. Exempli gratiâ, unum commemorabo: Abraham pater noster fuit non propter propaginem carnis, sed propter imitationem fidei. Justus & placens Deo per fidem suscepit filium sibi promissum Isaac de Sara sterili uxore sua in senectute sua; jussus est immolare Deo eundem filium, nec dubitavit, nec disceptavit, nec de jussu Dei disputavit, nec malum putavit quod jubere Optimus potuit. Duxit filium suum ad immolandum, imposuit ei ligna sacrificii, pervenit ad locum, erexit dexteram ut percuteret: eo prohibente deposuit, quo jubente levaverat. Qui obtemperaverat, ut feriret; obtemperavit ut parceret: ubique obediens, nusquam timidus. Ut tamen impleretur sacrificium, & sine sanguine non discederetur, inventus est aries hærens in vepre cornibus; ipse immolatus est, peractum est sacrificium. Quære quid sit. Figura est Christi involuta sacramentis. Denique ut videatur, discutitur, ut videatur, pertractatur, ut quod involutum est, evolvatur. Isaac tanquam filius unicus dilectus figuram habens filii Dei, portans ligna sibi, quomodo Christus Crucem portavit. Ille postremò ipse aries Christum significavit. Quid est enim hærere cornibus, nisi quodammodo crucifigi? Figura est ista de Christo. Continuò prædicanda erat Ecclesia, prænunciato capite prænunciandum erat & corpus. Cœpit Spiritus Dei, cœpit Deus ab Abraham prædicare velle Ecclesiam, & tulit figuram. Christum figuratè prædicabat, Ecclesiam apertè prædicavit: ait enim ad Abraham:* Quoniam obaudisti vocem meam, & non pepercisti filio tuo dilecto propter me; benedicens benedicam te, & implendo implebo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam maris, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. *Et penè ubique Christus in aliquo involuto Sacramento prædicatus est à Prophetis, Ecclesia apertè; ut viderent illam & qui futuri erant contra illam, & impleretur in eis ista nequitia quam prædixit Psalmus:* qui videbant me, foras fugerunt à me.

Psal. 2.
Psal. 21.

CAPUT IV.

Quâ ratione Ecclesia à cæteris conventiculis dignosci queat.

POstquam monstravimus Ecclesiam Dei non occultam, sed visibilem; non solùm Fidelibus eam diligentibus, sed etiam Hæreticis & Infidelibus eam persequentibus; superest ut non ex nostris conjecturis, sed ex certissimis Scripturæ testimoniis ostendamus quâ ratione dignosci queat, & à cæteris hominum conventiculis distingui. Nam licèt à nostri temporis hæresibus & schismatibus satis ex eo discernatur, quòd illa neque templum, neque altare, neque sacrificium, neque Episcopos, Sacerdotes, Monachos aut Moniales, neque juxta clarissimum Evangelii testimonium consilia Christi complectantur; sed tantùm declamationum, seu potiùs debacchationum Synagogas, in quibus maledici homines impudenter garruli, suâ loquacitate vulgus & alios auribus prurientes insanire faciant.

Attamen ut ab iis conventiculis discernatur, quæ cum societate Fidelium templum, altare, sacramenta, & colendi ritum communem servant, cujusmodi veniente Christo, fuisse videntur Saducæi & Pharisæi: & post ejus Ascensionem, Arriani, Donatistæ & Pelagiani: Necessum est ad Sacras Scripturas habere recursum, & ex his discere quid sit veræ Ecclesiæ Christi proprium, quo à cæteris cœtibus qui se Christi Ecclesiam esse mentiuntur, distinguatur; sicut in opere imperfecto super Mathæum latè prosequitur Chrysostomus. *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, id est, „ cùm „ videritis hæresim impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis „ sanctis Ecclesiæ. In illo tempore qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; „ id est qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas. Sicut enim ve„ rus Judæus est Christianus, dicente Apostolo, *non qui in manifesto Judæus est*, „ sed qui in occulto: sic vera Judæa, Christianitas est; montes autem sunt „ Scripturæ Apostolorum aut Prophetarum, de quibus dictum est: *illuminans* „ *te mirabiliter à montibus æternis*: Et iterum de Ecclesia dicit: *Fundamenta ejus* „ *in montibus Sanctis*. Et quare jubet in hoc tempore omnes Christianos con„ ferre se ad Scripturas? Quia in hoc tempore ex quo obtinuit hæresis illas „ Ecclesias, nulla alia probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refu„ gium Christianorum aliud volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scri„ pturæ divinæ. Antea enim multis modis ostendebatur quæ esset Ecclesia „ Christi, & quæ Gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur à volenti„ bus cognoscere fidei veritatem, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantum„ modo per Scripturas. Quare? Quia omnia hæc quæ sunt propriè Christi in „ veritate, habent & hæreses illæ in Schismate, similiter Ecclesias, similiter „ & ipsas Scripturas divinas, similiter Episcopos & alios ordines Clericorum, „ similiter baptismum, similiter Eucharistiam, & cætera omnia, denique ip„ sum Christum. Antea per signa cognoscebantur qui erant veri Christiani,

„ & qui falsi: nunc autem signorum operatio levata est. Item ex moribus ip-„ sis priùs intelligebatur Ecclesia Christi, quando conversatio Christianorum „ aut omnium aut multorum erat sancta, quæ apud impios non erat: nunc au-„ tem aut tales aut pejores facti sunt Christiani, quales sunt Hæretici aut Gen-„ tiles. Qui ergo vult cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognos-„ cat nisi tantummodo per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusio-„ nem rerum in novissimis diebus esse futuram; ideò mandat ut Christiani, „ qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam „ rem fugiant nisi ad Scripturas, &c. Hactenus Chrysostomus.

Qui ergo veram Christi Ecclesiam cupit generaliter ab omnibus errorum conventiculis, & præsertim ab eo cœtu qui tempore Antichristi, pro Dei templo, id est, Ecclesia sese gesturus est, sufficienter discernere; is secundùm B. Chrysostomum non immeritò debet ad Scripturas Sacras habere recursum.

CAPUT V.

Quantùm mali sit in Ecclesia non esse.

IDeoque tantò studiosiùs atque diligentiùs ad Sacras Scripturas recurrendum, ad discernendam veram Christi Ecclesiam; quantò periculosius est aut in ea non esse, aut ab ea recedere, aut ei non obedire. Si enim quis Ecclesiam, inquit Christus, non audierit; sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. „ Hæc nos Deo servat, inquit Cyprianus: Hæc filios regno quos generavit as-„ signat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ec-„ clesiæ separatur; nec perveniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam „ Christi; alienus est, prophanus est, hostis est: habere jam non potest Deum „ Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquis extra „ arcam Noë fuit; & qui extra Ecclesiam fuerit, evadit. Monet Dominus, „ & dicit: *qui non est mecum, adversùm me est, & qui non colligit mecum, spargit.* „ Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum facit: qui ali-„ bi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit sit licèt dives, magnus, scientiâ, & dicendi docendique gratiâ spectabilis; si tamen superbiâ elatus, dominica retia scindat, non ad littus intra vasa dominica servandus colligitur, sed in mari periturus relinquitur.

L. de unitate Eccle-sia.

Nec se quidam vanâ interpretatione decipiant, quòd Dominus dixerit: *ubicunque fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum.* Non enim in nomine Domini colligunt, qui ad hoc conveniunt ut unitatem scindant, & inconsutilem Domini tunicam dissipent. Non possunt convenire cum Capite, qui ad hoc congregantur ut faciant divisionem in corpore. *Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi,* dicit Cyprianus, *quos constat à Christo & ab ejus Evangelio separari?* In nomine Christi congregari non possunt inimici fratrum, æmuli Sacerdotum, flagrantes invidiâ & supercilio pereuntes; quia ad hoc tantùm congregantur, ut Dei traditione contemptâ, fideique veritate convulsâ doctrinas à se præsumptas, & magisteria humanæ institutionis inducant;

Ibid.

cant;

cant; & quos ad errorem divisionemque propensos invenerint, ab universitate separent, & ad se in angulo aliquo pelliciant, ad quem universam Christi Ecclesiam seu hæreditatem jam tandem esse redactam contendunt.

CAPUT VI.

Quòd Ecclesia toto orbe non in angulo quærenda sit.

QUòd vera Christi Ecclesia, quæ sollicita est servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis, de qua scriptum est: *unum corpus, unus spiritus; sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Deus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium:* Quòd, inquam, hæc Ecclesia à civitate Hierusalem cœpta sit & toto orbe diffusa, nec in angulo aliquo terræ apud Confessionistas, Calvinistas aut aliud quodvis schisma, sed toto terrarum orbe quærenda sit, tam evidentibus Scripturis ostenditur, ut qui hoc non videt, meritò cæcus reputetur. Genes. 22. *Propter memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo primogenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Hoc idem testamentum juramento firmatum repetit ad Isaac Gen. 26. & ad Jacob Gen. 28. quod in Gentibus impletum esse testatur Apostolus ad Gal. 3. & 4. Hoc enim Testamentum à Deo confirmatum, quando post quadringendos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem; sicut etiam prophetavit Isaias dicens: *repleta est terra scientiâ Domini sicut aqua maris operientis:* & rursum cap. 49. *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israël convertendas. Dedi te in Lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ.* & rursum: *Redemptor tuus, Sanctus Israël, Deus universæ terræ vocabitur.* Unde & illud Psalm: *Postula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ.* Et quia hæc hæreditas in terra cum bonis malos etiam erat habitura, ideò subditur: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Nam super quæ lapis angularis ceciderit, conteret; etiam si priùs sine veste nuptiali in cœna cum cæteris invitatis recubuerit.

Quod ergo à Prophetis tanto tempore prædictum est, hoc necesse fuit impleri, sicut Lucæ 24. testatus est Christus, cùm ait: *Isti sunt sermones quos locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quia oportebat adimpleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me.* Quomodo autem implenda erant, statim exprimit dicens: Quoniam sic scriptum est: *Et sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum* IN OMNES GENTES, *incipientibus ab Hierusalem.* Quibus verbis etiam istud addidit, sicut idem Lucas testatur in Actis cap. 1. *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Judæa & Samaria &* USQUE AD EXTREMUM TERRÆ. Quòd quemadmodum cœperit, & paulatim Spiritu Sancto misso de cœlo impletum sit, etiam in Actis exprimitur; dum prædicante Petro adjectæ sunt uno die animæ credentium circiter tria millia:

 &

& Stephano lapidato omnes dispersi sunt per regiones Samariæ præter Apostolos, & transeuntes evangelizabant verbum Dei. Cùmque per regiones Judeæ & Samariæ prædicatum esset verbum Evangelii, statim describitur visio quâ Petrus instruitur jam tempus esse ut impleatur quod apud Esaiam dicitur: *Dedi te in salutem Gentium, ut sis salus mea* USQUE AD EXTREMUM TERRÆ: hoc est, ut Christus Cornelio Centurioni & cæteris Gentibus prædicaretur. Ad quod opus etiam Paulus & Barnabas segregati sunt, dicente Domino: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos:* qui licèt initio per singulas civitates in omnibus Judæorum Synagogis prædicarent; attamen turbis Judæorum nimis apertè contradicentibus his quæ à Paulo dicebantur, dixerunt Paulus & Barnabas, *vobis oportebat quidem loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & vos indignos judicatis æternæ vitæ; ecce convertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus:* posui te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. *Audientes autem Gentes gavisæ sunt, & crediderunt quotquot præordinati sunt ad vitam æternam.*

Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem, sicut ulteriùs partim in Actis Apostolorum, partim in aliis explicatur historiis. Sed quomodocunque istud impletum sit, partim impletum esse, partim omnino implendum nullo modo dubitari debet, non tantùm ob verba Apostoli Pauli, quibus scribit Romanis se ab Hierusalem per circuitum usque ad Illiricum replevisse Evangelium Christi, & proponit se in Hispaniam profecturum; sed etiam ob antiquissima Prophetarum vaticinia, quibus testantur Deum jurasse immutabiliter & sine pœnitentia proposuisse se hoc impleturum; & ob certissimam Christi promissionem, quâ testatus est Matth. 24. quòd prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio sæculi.

CAPUT VII.

Ecclesiam per totum orbem diffusam usque ad consummationem sæculi permansuram.

CÆterùm sicut Donatistæ suo tempore; sic etiam nostri temporis Hæretici, non valentes negare quòd in Lege, Prophetis & Psalmis, imò & in Evangelio promissum, & in Actis Apostolorum adimpletum esse describitur: nempe conversos esse ad Dominum universos fines terræ; hoc quidem semel fatentur impletum: sed sicut Enoch solus translatus est; Noë cum conjuge, filiis, & nuribus, solus in Arca meruit liberari; Loth cum solis filiabus meruit de Sodomis educi; & populo Israël multiplicato, ex Tribubus quibus David & Salomon præfuerunt, duæ tantùm meruerunt conservari, reliquis à vera religione deficientibus: sic etiam nunc totum mundum à fide semel suscepta defecisse contendunt, & se solos in ea fide prima stetisse quæ ab Apostolis tradita est Ecclesiæ.

Responsio: Si quemadmodum de Enoch, Noë, Loth, in Scripturis Sanctis legimus quòd cæteris pereuntibus ipsi liberati sunt, sic etiam de Donatistis, Hussitis, Lutheranis & Calvinistis legeremus quòd cæteris deficientibus, ipsi soli

ſoli in fide catholicâ perſtitiſſent; ſicut illud credimus, ſic & iſtud crederemus. Sed quia prius in Scripturis Sacris manifeſtè legimus, & de poſteriori nihil prorſus ſcriptum invenimus, niſi quod partem appoſitam manifeſtè convincit; ideò prius firmiter credimus, & poſterius cum magna fiducia rejicimus. Oportet enim Evangelii prædicationem non aliquo ſchiſmatis aut hæreſis angulo concludi, ſed toto terrarum orbe compleri, & tunc veniet conſummatio, inquit Chriſtus. Id quod etiam comprobat parabola, quam de zizaniis in medio tritici ſuperſeminatis propoſuit & expoſuit, dicens agrum eſſe mundum in quo diabolus ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & mandat ſervis ut ſinant utraque creſcere uſque ad meſſem, id eſt, uſque ad mundi conſummationem.

Igitur uſque ad conſummationem ſæculi in agro Domini, id eſt, in toto mundo non tantùm creſcunt zizania ſed etiam triticum, per quod boni Fideles intelligendi ſunt, qui etiamſi propter ſcandalorum & perſecutionum abeuntium, pleriſque locis non tantùm Hæreticis, quibus præpoſterum eſt bonos Fideles malorum criminibus deteſtando errore infamare, ſed etiam Fidelibus non ſemper appareant; ſicut Eliæ ſuo tempore in decem Tribubus non apparebant ſeptem millia virorum quos Dominus ſibi reliquerat, qui non curvaverunt genua ſua ante Baal. Attamen ſicut & vento perſecutionis reflante diſtinguntur à paleis, & ſic impletur quod ſervis à patre familias mandatum eſt: *ſinite utraque creſcere*, videlicet zizania & triticum, *uſque ad meſſem*, id eſt ſæculi conſummationem, quando non Hæretici hujus temporis, qui ſe velut triticum à toto mundo, tanquam à paleis ſegregare præſumunt; ſed meſſores Angeli colligent de regno Domini toto orbe diſperſo omnia ſcandala & eos qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Nam & Anti-Chriſto veniente, juxta Apocalypſim, Gog & Mogog caſtra Sanctorum & civitatem dilectam non in uno concluſam loco, ſed ſuper terræ latitudinem, id eſt, toto orbe diffuſam coanguſtiaturi ſunt, ſicut l. 20. *de Civit.* Dei c. 7. interpretatur D. Auguſtinus.

Igitur non tantùm credendum eſt Eccleſiam Chriſti ſucceſſione temporis toto orbe diffundendam; ſed etiam Chriſto veniente toto terrarum orbe adhuc triticum cum zizaniis fore permixtum; & ultimâ ventilatione per Angelos meſſores ſeparandum. Illud tamen quod ultimo loco aſſumebatur de decem Tribubus Iſraël ſtatim poſt mortem Salomonis ſub filio ejus Roboam à vera religione lapſis, ex eo falſum eſſe convincitur, quòd Deus has decem Tribus ſecundùm Scripturas, à reliquis duabus ſeparari præcepit. Deus enim nunquam jubet ſchiſma aut hæreſim fieri: *Regni ergo*, inquit B. Auguſtinus, *non religionis diviſio fuit, cùm Deus inter duas Iſraëlis partes diviſionem fieri præcepit.* Nam de decem Tribubus, quæ ſchiſma feciſſe putantur, peculiariter à Domino Eliæ dicitur: *reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curvaverunt genua ſua ante Baal:* quos Deus non diceret ſe ſibi reliquiſſe, ſeu ſervaſſe, ſed potiùs cum cæteris labi permiſiſſe, ſi non tantùm regno cum contribulibus ſuis, ob injuſtitias ſe à tribu Juda ſeparaſſent, ſed etiam in religione ſchiſma feciſſent; ſicut poſtea fecerunt Samaritani & alii qui idola coluerunt. Nam quiſquis à ſchiſmate non recedit, ſed illi cohæret & conſentit, ſchiſmatici culpam incurrit:

rit: ficut Numer. cap. 16. dicitur: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, ne involvamini in peccatis eorum.*

Sed objicitur quod ait Dominus in Evangelio: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra:* per quod significatur ipsum Christum, qui omnium corda scrutatur, cùm ad judicandum venerit, nullam fidem inventurum esse in terra. Igitur non est absurdum dicere quòd universus mundus, qui terræ nomine significatur, à fide Christi apostataverit: & quòd vera fides veraque Christi Ecclesia in aliquo orbis angulo remanserit.

Responsio. Si nunc tempus impletum est, de quo nunc Hæretici prætendunt dictum esse, quòd filius hominis veniens non inveniet fidem in terra; non est cur ipsi sibi præ cæteris fidem vendicent: cùm & ipsi cùm eis habitent in terra de qua scriptum est: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in* TERRA. Si verò hâc non obstante Scripturâ fidem se habere contendunt, necessum est fateantur nihil obstare quominùs & alii qui cum ipsis in terra sunt, etiam fidem habere queant. Cùm ergo Christus per fidem in cordibus nostris habitet, & se nobiscum usque ad sæculi consummationem futurum esse promiserit; fatendum est fidem in terra nunquam defuturam usque ad consummationem sæculi: sed illud à Christo dictum esse videtur vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita inventu difficilis est in hominibus, ut etiam in Moyse aliquid trepidationis inventum sit: vel propter nostram dubitationem, quam Christus in se transfiguravit significans aliquando futurum ut propter multa scandala circa finem sæculi pullulantia, infirmitas humana nonnunquam dubitet, an in terra supersint veri Fideles; sicut suo tempore in decem Tribubus dubitavit Elias, & in Psalmo dubitasse videtur, qui ita ait: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus; quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum:* & tamen utrumque genus, videlicet triticum & zizania, usque ad messem crescet in agro Domini: & ipse unus homo, quod est corpus Christi ex multis constans, tanquam Enoch Deo placens transferetur, & tanquam Loth de Sodomis, & tanquam Noë de diluvio ad Dominum clamans liberabitur. An fortè Dominus hæc loquens ejusmodi Hæreticos notare voluit, quos prævidebat aliquando dicturos universum mundum præter se defecisse à fide? Nam statim subsequitur quòd Dominus eis loquebatur qui sibi justi videbantur, & aspernabantur cæteros, quales sine dubio sunt qui se solos cæteris lapsis fidem reservasse contendunt. Sicut igitur Scriptura hæc nihil obstat quominus in aliqua parte terræ fides catholica usque in finem remaneat: sic etiam nihil prohibet quominus zizania toto terrarum orbe usque ad consummationem sæculi simul crescant cum tritico.

EXIMII


M. N.

MICHAELIS BAII

ORATIO:

*An solus Romanus Pontifex immediatè à Deo * suam Jurisdictionis potestatem habeat, cæterique Episcopi per eum? An verò omnes Episcopi æque immediatè à Deo? habita Lovanii in scholis Theologorum, partim 4. Maii, partim penultimo Augusti, anno 1575.*

* Ex MSS. K. & L. primùm edita. • L. sua.



Cum Patres Concilii Tridentini de iis agerent quæ Seff. 23. de residentia Episcoporum conclusa fuerunt, à pluribus eorum mota est non parvi momenti nec parvæ difficultatis quæstio, utrùm Episcopi jure divino suis præfecti sint Ecclesiis, & suam Episcopalem jurisdictionem à Deo immediatè accipiant: an verò solùm à Pontifice Romano. L. omittit non parvæ difficultatis.

Non quærebatur ab eis an Episcopi à Deo eam accipiant potestatem, quâ baptizatos confirmant, & confirmatos in Subdiaconos, Diaconos aut Sacerdotes consecrant: quia sicut Sacerdotes per hominem quidem, non tamen ab homine, sed à Domino Jesu Christo in sua ordinatione accipiunt potestatem consecrandi panem in Corpus Domini, & vinum in sanguinem: sic etiam dubitandum non est Episcopos accipere eodem modo potestatem confirmandi Fideles, consecrandi ministros Altaris, & suos subditos ligandi solvendique. Sed vertebatur quæstio, utrùm quemadmodum Pontifex Romanus, eo ipso quo à Cardinalibus electus in Episcopum Romanum consecratur, immediatè à Deo super illam Ecclesiam Episcopus efficitur, & super universam Ecclesiam eum primatum & potestatem accipit, quam suo tempore D. Petrus in discipulos habuit; sic etiam quivis alius Episcopus eo ipso quo à certis hominibus ad hoc constitutis certæ diœcesis priùs à Romana Ecclesia constitutæ Episcopus eligitur, & consentiente eodem consecratur, immediatè à Deo super illam diœcesim potestatem & jurisdictionem Episcopalem accipiat, quàm possit exequi quæ pertinent ad fidelem & prudentem servum, quem constituit Dominus super familiam suam. De qua quæstione in dicta sessione 23. nihil aliud conclusum invenimus, quàm præcepto divino mandatum esse omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrifi-

L. vertebatur quæstio. K. discipulos. K. jam.

cium offerre, Verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere. Quæ conclusio etsi Episcopos cæterosque curam animarum habentes ad personalem residentiam constringere videatur, attamen quæstionem hanc non dissolvit. Quoniam sicut is qui ecclesiastico vel civili munere alteri subjicitur, quandiu subjectus est, jure divino tenetur illi obedire, juxta illud: *obedite præpositis vestris, & subjacete eis:* & rursus: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* sic etiam quisquis præest, sive ecclesiastico munere sive civili præfectus sit, quandiu tamen præfectus est, tenetur jure divino in iis quæ sui sunt muneris illis consulere, quibus hoc modo præfectus est, quia omnibus indifferenter dicitur: pascite qui in vobis est gregem, providentes non coactè sed voluntariè. Et ideò in hac Sessione quæstio jam prædicta non tam soluta fuisse videtur, quàm prudenter & ingeniosè dissimulata, ne fortè diversæ Patrum opiniones & sententiæ confusionem aliquam aut dissensionem parerent.

Cæterùm Joannes de Turre-cremata annos aliquot post Basileense Concilium, quæstionem hanc ex professo & latè tractavit, lib. 2. suæ summæ de Ecclesia cap. 54. & sequentibus, contendens non tantùm Episcopos & alios inferiores pastores; sed etiam universos Christi Apostolos non immediatè à Christo, sed mediante Petro jurisdictionis accepisse potestatem, eò quòd Petro concessum sit ut reliquis præesset Apostolis, nec possit dici, ut existimat, reliquis præfuisse, nisi ab eo potestas jurisdictionis derivetur. Sed huic ejus positioni, quantùm ad hanc partem attinet, quæ Apostolos Christi concernit, valde obsistere videtur quod Matth. 10: 8. & Marci 6: 6. & Luc. 9: 8. dicitur Christus duodecim Apostolos, quorum nomina etiam expressit, misisse, præcipiendo eis: *in viam Gentium ne abieritis, (& in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potiùs ite ad omnes qui perierunt domûs Israël: euntes autem prædicate dicentes quia appropinquavit regnum Dei.)* Ubi etiam additur quòd egressi *circuibant per Castella evangelisantes & curantes ubique:* ita nec Petro mediante ibi missi esse significantur, neque ab illo potestatem aliquam accipere potuerunt, quam nondum à Christo acceperat, sed per omnia adhuc cæteris par erat in potestate. Quòd si fortè prætactus Joannes de Turre-cremata prætenderit omnes Apostolos ante Christi passionem immediatè missos fuisse à Christo ad omnes qui perierant domûs Israël; sed post Christi passionem & resurrectionem, cùm Petrus esset jam Pastor constitutus, cæteros Apostolos ad Judæos & Gentes nonnisi ipso mediante missos fuisse: imprimis aliud docere videtur Matthæus cap. 28. & Marcus cap. 16. dicentes Christum post resurrectionem suam Apostolis omnibus indifferenter dixisse: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, docentes eos servare quæcunque mandavi vobis.* Cui subjicit Marcus: *illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis:* nullâ omnino factâ mentione quòd Petrus à Domino, cæteri verò à Petro missi sunt. Sed liceat hîc roditâ ratione quam supra posuimus, ex verbis Christi alium sensum eruere, quàm verba ipsa præ se ferant, dicendo Evangelium ibi nullam quidem inter Petrum

L. hac omittit.

L. omittit passionem &c.

L. evidenter.

L. collige-re.

Petrum & cæteros Apostolos differentiam ponere; sed quia jam caput erat Ecclesiæ, illam esse subintelligendam. Qui tamen commentandi modus, nempe ratione redditâ sensum dare qui nobis videtur, si D. Augustino credimus, consuetudo periculosa est.

Quid ad Apostolum dicemus qui Galathis scribens ait: *Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis*, &c. Nam si omnes Apostoli suam jurisdictionem à Petro acceperunt: igitur Apostolus Paulus non tantùm per hominem, sed etiam ab homine suam commissionem accepit, & non Christi sed Petri Apostolus fuit & legatus; sicut nunc Pontificis Legatus dicitur quisquis ab illo cum potestate mittitur: nec debuit Apostolus apud Galathas gloriari quòd Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt ei & Barnabæ societatis. Nam si reliqui Apostoli à Petro missi sunt; igitur non socii sed Vicarii duntaxat fuerunt & ejus Legati, id quod nemo facilè concesserit. Maximè cùm Pontifices Romani usque in hodiernum diem omnes Fideles filiorum nomine appellent, exceptis Episcopis quos vocant Fratres; sicut etiam à D. Cypriano vocatus est Cornelius.

L. ab homine, sed etiam per hominem. *L. non solius Christi.*

Quibus consideratis forsitan suspiceretur quispiam Joanni de Turre-cremata in hac disputatione, quantùm ad Apostolos pertinet, id contigisse quod ait Augustinus: *De fide & operibus:* ERRANT, inquit, *homines non servantes modum, & cùm in unam partem procliviter ire cœperunt, non respiciunt divinæ authoritatis alia testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, & in ea quæ utriusque temperata est veritate & moderatione consistere.*

Cap. 4. *L. omittit & moderatione.*

Quidam intuentes in Scripturis Virginitatis laudem, inquit, *connubia damnaverunt: quidam rursum ea testimonia consectantes, quibus casta connubia prædicantur, virginitatem nuptiis æquaverunt. Quidam cùm legerent:* Bonum est, Fratres, non manducare carnes & non bibere vinum: *Nonnullas Dei creaturas & quas voluerunt escas, immundas esse senserunt. Quidam verò legentes:* omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, *in voracitatem vinolentiamque collapsi sunt.* Sic & in hac causa quæ habetur in manibus, quantùm apparet, Joannes de Turre-cremata considerans cunctis Evangelium scientibus liquere quòd voce Dominicâ Sancto & Apostolorum omnium principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa sit, sic ut non tantùm suæ diœcesi intendere habeat, sed etiam cæterorum Episcoporum vitia corrigere & defectus supplere, illique dictum sit: *Tibi dabo claves regni cælorum:* &, *Petre, amas me, pasce oves meas*; inter quas oves & cæteri Apostoli nominantur, consequens esse putavit ut cæteri Apostoli in potestate Apostolica sibi à Christo data non essent ei fratres & socii, sed tantùm vicarii. Quod de Apostolo Paulo quomodo dici possit non intelligo, nisi prorsus non attendendo quòd ipse de seipso Galathis scripserit ut diximus: nec ejusmodi quidpiam concludit ratio quâ sic colligit: Petro concessum est ut reliquis præesset Apostolis: igitur potestas reliquorum à Petri potestate derivatur. Quia & Joseph à Pharaone concessum est ut & domui Regis, & universæ terræ Ægypti præesset, nec tamen ab ejus potestate derivata est eorum Ministrorum commissio, qui ante Joseph ad ministerium assumpti potestatem suam immediatè à Rege

L. nuptias. *L. accipitur.* *L. legentibus.* *L. debens.* *Fortè numerantur.* *L. in*

K. susceperant. Rege acceperant: sic igitur & in familia Christi fideli & prudenti servo quem constituit Dominus super familiam suam, subjecti esse possunt universi, etiamsi nonnulli eorum à Domino immediatè suam potestatem susceperunt, sicuti de potestate conficiendi sacramenta extra omnem controversiam est. Sed Julius Papa 2. q. 6. c. *qui se scit*; videtur dicere quòd Ecclesia Romana universis Episcopis vices suas commiserit: igitur reliqui Episcopi non sunt nisi Romani Pontificis vicarii; ait enim sic: *Ipsa namque Romana Ecclesia quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem vocati sint sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Ubi notat Joannes de Turre-cremata quòd prima Ecclesia vices suas impertiverit, per quod putat significari quòd omnes qui fuerunt Petro, & qui sunt Romanis Pontificibus subjecti, non sunt immediatè à Christo alicui Ecclesiæ præfecti, sed tantùm sunt eorum vicarii. Respondeo jam dictum Caput non loqui de Apostolis, sed tantùm de Romana Ecclesia, & de inferioribus Ecclesiis illi subjectis. Sed ne quis suspicetur quomodocunque res de Apostolis habeat, hîc saltem definitum quòd omnes reliqui Episcopi in suis Ecclesiis tantùm sint Romani Pontificis vicarii, de qua quæstione secundo loco disserendum est; diligenter consideranda est epistola Leonis 84. in qua dictum Caput repetitur, & quo sensu accipiendum sit manifestissimè ostenditur. Leo Pontifex Anastasio Episcopo Thessalonicensi vices sui moderaminis delegaverat; & in quo delegaverat exprimit, dicens ut curam quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, inquit, imitator nostræ mansuetudinis effectus adjuvares, & longinquis ab Apostolica sede provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes. Ipse verò Anastasius prætextu hujus potestatis sibi traditæ Atticum veteris Epiri Metropolitanum quodam animi impetu quòd ab illo evocatus, valetudinem excusans, non statim venerit, sine causa rationabili statim excommunicavit. Cui scribit Leo quòd etsi dictus Atticus quid grave gessisset & dignum censurâ excommunicationis; *nostra erat*, inquit, *expectanda censura, ut nihil priùs decerneres, quàm quid nobis placeret agnosceres: vices enim nostras ita tuæ Charitati credidimus*, inquit, *ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Ex quibus patet Leonem non in Episcopali functione vices suas Anastasio commisisse, sed in aliarum Ecclesiarum visitatione, quæ à Sede Apostolica procul dissitæ erant. Et ideò ex hoc Capite ostendi non potest quòd cæteri qui rectè nominantur Episcopi in suis Diœcesibus & Episcopali functione non sint nisi Romani Pontificis tanquam universalis Episcopi totius orbis vicarii: sed tantùm ostenditur quòd quando propter nimiam distantiam à Romana Sede, aut propter alias causas rationabiles datur inferioribus Episcopis aliqua potestas super alienas Diœceses, tunc ea potestas non datur in ea plenitudine etiam super illas Ecclesias, in qua est in ipso Romano Pontifice, sed cum aliqua limitatione.

K. dictum.

Cæterùm an illi Episcopi in suæ Diœcesis administratione sint immediatè à Deo constituti, sicut opinantur Latomus, & Dominicus Soto, & Joannes Torrensis, (& Bartholomæus Caranza in controversia sua de necessaria residentia personali Episcoporum,) & Jacobus Simancas, Episcopus Pacensis L. 4 *de dignitate Episcoporum*: an verò tantùm à Pontifice Romano tanquam ejus vicarii,

L. baconis.

carii, ficut docet Joannes de Turre-cremata & Catharinus, non dicitur. De qua quæstione, quia difficilis est & lubrica, deinceps decrevimus inquirere: non enim nobis propositum est eam nostrâ temeritate definire, sed tantùm propositis rationibus & testimoniis, quæ etiam eruditos forsitan movere queant, alios ad inquirendam veritatem excitare.

Joannes de Turre-cremata volens de universis Episcopis asserere, quod suprà, quantùm Deus dedit, de Apostolis & præsertim de Apostolo Paulo ostendimus non satis veritati congruere, aliquot Sanctorum auctoritates profert, quibus se confecisse existimat quòd excepto Pontifice Romano nullus Episcoporum suam jurisdictionem immediatè accipiat à Christo, sed omnes jurisdictionem suam quam habent, accipiant à Sede Apostolica, & sic revera licèt dicantur Episcopi, non sunt nisi Romani Pontificis vicarii qui ad nutum etiam sine causa possunt magna suæ jurisdictionis parte aut portione privari, aut in totum à suis Ecclesiis dimoveri, & alii in locum eorum surrogari. *K. sua portionis jurisdictionis spoliari.*

Cæterùm quia omnes ejus rationes videntur multis modis posse infirmari, & nonnullæ etiam ad statuendam partem oppositam non improbabiliter converti: ideò visum est nunc paucis ostendere quid ad dictas rationes videatur posse convenienter responderi. Prima ejus ratio sic habet. Dicit Cyprianus, l. de unitate Ecclesiæ, quòd *Dominus ut unitatem manifestaret, unitatis ejus originem ab uno Petro incipientem suâ authoritate disposuit.* Et rursum: *Exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una esse monstretur.* Igitur omnes reliqui Episcopi non immediatè à Christo, sed à Petro suæ potestatis originem accipiunt. Respondeo, non ait Cyprianus potestatis originem ab uno Petro incipere, sed unitatis. Ideò enim sub unius Petri nomine potestas pastoralis omnibus Pastoribus à Christo tribuitur, ut ipsos unum Christi gregem unanimi consensu, perinde ac si unus Pastor essent, debere pascere significaretur: quibus etiam à Christo Petrus superponitur, ut schismatis tollatur occasio. Quem sensum clarè explicat Cyprianus eodem loco dicens: *primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed unus Grex ostenditur qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, & Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum exhibemus. Episcopatus unus est cujus à singulis in solidum pars tenetur.* *L. ut... exhibeamus.* Et clariùs in epistola 55. dicens, A Petri Cathedra atque ab Ecclesia principali unitatem Sacerdotalem esse exortam. Non igitur voluit Cyprianus quòd omnis reliquorum Episcoporum Pastoralis auctoritas à Petro ejusque successoribus immediatam traxerit originem, quia alibi dicit quòd Christus unus & solus habet potestatem præponendi Episcopos in Ecclesiæ suæ gubernationem; sed tantùm ostendit quòd Christus significare voluerit in eo quam sub unius Petri nomine Episcopis omnibus pascendi potestatem largitus est, dicendo peculiariter ipsi Petro: *Pasce oves meas*; perinde ac si ad ipsum solum id pertineret; cùm tamen hoc ipsum quod ibi Petro dicitur à Christo, etiam reliquis Episcopis dictum debeat intelligi. Voluit enim Christus significare quòd sicut Ecclesia una est, & Episcopatus unus; sic Episcoporum omnium

 nium

nium qui in uno Petro sibi præposito Pastores à Christo constituuntur, unus debeat esse consensus, nec plures debeant fieri magistri diversa atque adversa inter se sentientes: & si in una Christi Ecclesia plures sunt Pastores & Episcopi, quia sub unius veri magistri magisterio sicut idem audiunt à Domino, sic idem dicere debent in populo. Si verò sicut reipsâ unus est Episcopatus, cujus à singulis Episcopis in solidum pars tenetur, sic etiam reipsa unicus esset Episcopus, videlicet Pontifex Romanus, cujus cæteri in certis partibus sibi tributis tantùm essent acceptâ ab eo potestate, vicarii; non rectè diceretur quòd à singulis Episcopis unius Episcopatûs pars in solidum teneretur; sed solùm dicendum esset quòd unus Episcopus, nempe Romanus totum Christiani orbis Episcopatum teneret in solidum, sicut olim totam Synagogam tenebat summus Pontifex Judæorum, & in certis portionibus sui Episcopatûs vicarias partes aliis commisisset. Sed id non videtur pati quod idem D. Cyprianus epistola 52. dicit: *Episcopatus unus est Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus: re videlicet ipsâ Episcopatus unus, concordiâ verò & non reipsa unicus Episcopus.* Sicut etiam ostendit epistolâ 67. ad Stephanum Pontificem de Martiano Arelatensi Episcopo qui Novatiano consenserat scribens in hunc modum: *Idcirco enim, Frater Charissime, copiosum est corpus Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant cæteri, & quasi Pastores utiles & misericordes, oves Domini in gregem colligant.* Et rursus epistola 27, *Dominus Episcopi bonorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur & Petro dicit:* Ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claves regni cælorum; & quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Nam quòd Sacra Scriptura dicit Ecclesiam super Petrum ædificari, hoc D. Cyprianus intellexisse videtur super Episcopus inter se & cum Petro unitatis vinculo conjunctos, qui non unitate personæ, sicut olim in Synagoga, sed unitate mentis & animæ unicum Pontificem Ecclesiæ & sponsum repræsentent. Unde etiam patet solutio ad secundam auctoritatem, quam idem Joannes à Turre-cremata adducit ex ultimo Tractatu Augustini in Joannem, ubi sic ait: *Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui primatum gerebat figuratâ generalitate Ecclesiæ personam... Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro:* quam auctoritatem ex multis adhuc aliis Augustini dictis proferre potuisset. Nam Tractatu 50. super Joannem: *Petrus,* inquit, *quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit.* Et Tractatu 7. *In Petri nomine figurata est Ecclesia.* Et epistola 165. *Petro totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait:* Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et super Psal. 108. *Quædam dicuntur quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illustrem intellectum nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter Primatum quem in Discipulis habuit, sicuti:* Tibi dabo claves regni cœlorum &c. *& si qua hujusmodi.* Et de

L. tom: ositum est.

Agone

Agone Christiano cap. 30. *Non sine causa inter omnes Apostolos Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus; huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt; & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur,* Amas me, Pasce oves meas. Et in Sermonibus noviter impressis, * Sermon. 54. *Petrus multis Scripturarum locis apparet quòd personam gestet Ecclesiæ, maximè illo in loco, ubi dictum est illi:* Tibi dabo claves regni cœlorum. *Nunquid istas claves accepit Petrus, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Joannes & Jacobus non accepit? aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie remittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiæ; quod illi uni datum est, Ecclesiæ datum est. Ergo Petrus figuram gestabat Ecclesiæ, Ecclesia corpus Christi est.* Similiter Fulgentius lib. 2. de remiss. pecc. c. 20. *Christus B. Petro, hoc est, Ecclesiæ suæ,* inquit, *in terra ligandi solvendique dedit potestatem.* Ex quibus omnibus manifestum evadit B. Augustinum in verbis à Joanne de Turre-cremata citatis non id voluisse quod prætendit, nempe quòd Christus Petro immediatè dederit claves regni cœlorum, cæteris verò mediatè per potestatem Petro collatam à Christo; sed potiùs contrarium, nempe quòd quemadmodum Petrus propter primatum quem in Discipulis gerebat multa Christo respondit, non tantùm nomine proprio, sed etiam nomine cæterorum Apostolorum, veluti nomine procuratorio, sicut expressè testatur Hieronymus super Matthæum dicens: *Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur dicens:* Tu es Christus, filius Dei vivi. Et Augustinus in Psal. 88. *Respondet pro omnibus Petrus ex unitate unus:* Tu es Christus, filius Dei vivi: *erat enim os Apostolorum & princeps,* inquit Chrysostomus hom. 87. super Joannem, & hom. 4. in Acta. Sicut ergo sæpe pro omnibus respondit Petrus; sic etiam quando claves accepit, non tantùm eas pro sua persona accepit; sed etiam veluti nomine procuratorio pro cæteris Apostolis & aliis qui in sacris Scripturis nomine Pastorum censentur, sic ut non tantùm personæ Petri, sed etiam ipsi Ecclesiæ simul claves datæ sunt, ut diximus: quo sensu etiam accipiendum videtur quod ex sermone Leonis citat dictus Joannes, quòd *Christus si quid cum Petro commune cæteris voluit esse principibus Ecclesiæ, nunquid nisi per ipsum dedit quicquid aliis non negavit?* Nam per ipsum Petrum dedit Christus quicquid cæteris Apostolis dedit, non tanquam à data ei potestate derivatum, sed tanquam per illum qui ratione Primatûs, veluti nomine procuratorio, etiam pro cæteris accipiebat quod illi & reliquis dabatur à Christo.

Ex quibus etiam patet solutio ad argumentum quod ex ea Scriptura conficitur, quâ Petro nominatim à Christo dictum legimus: *Petre, amas me? Pasce oves meas.* Si enim hoc soli Petro pro se & successoribus suis, Romanis Pontificibus dicitur; tunc sine dubio ipse solus cum successoribus universalis Pastor Ecclesiæ constituitur. Si verò non tantùm nomine proprio, sed etiam cæterorum Pastorum illi dicitur, tunc ipse sic inter Pastores primus constituitur, ut tamen cæteri in sua portione quàm in solidum tenent, ab hoc Pastoris munere non secludantur, sed simul cum illo Pastores in suo gradu & ordine, à Christo etiam immediatè constituuntur. Sicut enim quando in Cœna novissima dictum est Apostolis: hoc facite in meam commemorationem, hoc ipsum Sacerdotibus omnibus, qui non ab homine sed immediatè à Christo potestatem consecrandi Corpus Domini accipiunt, dictum esse intelligitur: sic etiam quando

* *Serm. 26. de diversis.*

L. Jacobus & cæteri Apostoli non acceperunt?

Eadem non minùs expressis verbis habes in serm. 108. de Diversis, ubi ait: Inter hos (Apostolos) penè ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gerere personam. Propter ipsam personam quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit: Tibi dabo claves regni cœlorum. *Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesia.*

L. in persona.

quando dictum est Petro: *Pasce oves meas:* suo modo etiam omnibus Episcopis debet dictum intelligi, ut non humanam, sed divinam in suis Ecclesiis habeant potestatem: sicuti ex Augustino, de Agone Christiano cap. 30. suprà ostendimus: ubi ait: *Et cùm Petro dicitur, omnibus dicitur:* Petre, amas me? pasce oves meas. *Nam sicut Petrus figuram gessit Ecclesiæ, quando illi claves promissæ sunt dicendo:* Tibi dabo claves regni cœlorum: *sic etiam necessum est figuram gesserit Ecclesiæ, quando eidem claves datæ sunt dicendo:* Petre, amas me? pasce oves meas. *Nam istud non est nisi ejus rei donatio, cujus antè facta est promissio.*

Sed objicit Joannes de Turre-cremata Synodum Chalcedonensem, quæ Leoni Papæ acclamavit: *Leo sanctissimus, Apostolicus, universalis Patriarcha, per multos annos vivat.* Jam dicta Synodus agnovit eum universalem totius orbis Christiani Episcopum, & cæteros qui Episcopi dicuntur, tantùm ejus esse vicarios. Cui imprimis respondet Gregorius lib. 4. Epistol. Regist. cap. 76. quòd pro B. Petri Principis Apostolorum honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est nomen, Universalis: sed nullus eorum unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec uti consensit, ne dum privatim daretur uni, honore debito privarentur universi. Sed fortè objicies Leonem ejusque Successores ex humilitate quidem tam arrogans nomen usurpare noluisse; ipsam tamen Synodum ei hoc nomen non acclamasse, nisi quia sciebat rem saltem illo nomine significatam isti competere, nempe quòd esset Universalis Episcopus totius orbis Christiani, & sic reliqui tantùm ipsius vicarii. Ad quod respondeo, ipsam Synodum non acclamasse quòd sit Universalis Episcopus, sed quòd sit Universalis Patriarcha, nempe ad differentiam aliorum certæ alicujus regionis Patriarcharum qui neque universalem in totam Christi Ecclesiam habent Patriarchæ potestatem, neque immediatè à Deo, sed tantùm à Romano Pontifice.

Cæterùm longè aliud est Episcopi, aliud Patriarchæ officium. Episcopis suæ Diœcesis cura incumbit; Patriarcha verò aliis Episcopis superintendit, visitando, vitia corrigendo, & defectus supplendo; non autem usurpando quod illorum est proprium, quando suo legitimè funguntur officio. Quia igitur summus Pontifex non tantùm suæ Diœcesis Episcopus est, habens potestatem confirmandi, ordinandi Ministros, & cætera faciendi quæ sunt Episcoporum propria, sed etiam reliquis Episcopis ratione sui primatûs est præfectus, habens potestatem corrigendi errores & defectus eorum supplendi: ideò verissimè à Synodo Chalcedonensi non Universalis Episcopus, sed Universalis Patriarcha nuncupatus est; quia videlicet omnibus Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus & Patriarchis habet superintendere, vitia eorum corrigendo, defectus supplendo, & ea constituendo quæ non particularem aliquam sed universam concernunt Ecclesiam, cujusmodi est quicquid in fide constituitur. Sed ex eo non sequitur quod ex suo arbitrio usurpare debeat quæ sunt Episcoporum propria, quasi videlicet esset proprius cujusque Ecclesiæ Episcopus. Hoc tamen profanum vocabulum, nempe, Universalis, inquit Gregorius cap. 80. lib. 4. Epistol. Leo usurpare noluit partim quia si unus Patriarcha Universalis dicitur, inquit, Patriarcharum nomen cæteris derogatur; partim ne uni-

universalem Patriarcham nominando, simul Universalis Episcopus esse intelligeretur; sicut se Universalem Episcopum nominavit Joannes Constantinopolitanus. Ex quo infert Gregorius Lib. 4. Epistol. c. 78. quòd dum vult vocari Universalis Episcopus, solus conetur appellari Episcopus. Nam si hoc vocabulum privatum datur uni, honore debito sacerdotes privantur universi, inquit idem Gregorius. Et ideò si Romanus Pontifex sibi in Pontificatûs gradu hanc gloriam singularitatis acciperet, inquit c. 82., hanc omnibus Fratribus denegasse videretur. Unde scribens cap. 80. Sebastiano Episcopo Senensi, *Sanctitas Vestra in suis Epistolis*, inquit, *neminem unquam Universalem nominet, ne sibi debitum detrahat.* Nam *si unus Universalis est*, inquit Lib. 7. c. 69. *restat ut vos Episcopi non sitis.*

Quanquam igitur Synodus Chalcedonensis profano vocabulo, ut vocat Gregorius, Leoni I. acclamaverit veraciter quòd esset Universalis Patriarcha; attamen non videtur posse veraciter dici quòd sit Universalis Episcopus, & cæteri tantùm ejus vicarii; quia tunc ipse solus esset dicendus Episcopus, quod sacris Scripturis manifestè adversatur: sed tantùm dictum est quòd Romanus Pontifex sit antiquæ Romæ Episcopus, & reliquis, cùm culpa & negligentia exigit, divinâ autoritate præfectus, ut & quod omittunt suppleat, & corrigat quod erraverunt. Si verò suo legitimo funguntur officio, tunc magno onere sublevatur, & liberè potest suæ diœcesis ministerio & communibus totius Ecclesiæ utilitatibus inservire, relictis iis quæ sunt unicuique Episcopo propria, quæ ut apparet sunt eis Jure divino commissa, & nisi manifestum errorem contineant, judicio Dei reservanda. *Habeat enim omnis Episcopus*, ait Cyprianus in principio Concilii Carthaginensis, *pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium; tamque ab alio judicari non possit, quàm nec ipse potest alterum judicare: sed expectemus universi*, inquit, *judicium Domini Nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi Episcopos in Ecclesiæ suæ gubernationem, & de actu eorum judicandi:* Id quod Augustinus lib. 4. contra Donatistas c. 3. commemorans, *Opinor*, inquit, in his quæstionibus quæ nondum eliquatissimâ perspectione discussæ sunt. Nam quemadmodum illud quod in Evangelio dicitur: *nolite judicare, & non judicabimini:* de rebus mediis intelligitur quæ incertum est quo animo fiant; sic etiam quod dixit Cyprianus Episcopum in proprio actu ab alio Episcopo non posse judicari; de eo actu intelligit Augustinus in quo non invenitur error manifestus.

Ex his sequitur verum non esse quod Joannes de Turre-cremata contendit, Romanum Pontificem esse immediatum judicem & prælatum omnium Christianorum: sed potius dictum esse quòd sit immediatus judex totius suæ Diœcesis, & Episcoporum qui illi immediatè subsunt; sed mediatus eorum qui suis Episcopis sunt immediatè subjecti: quorum causas, lites & contentiones non debet studiosè & sine causa legitima ad suum tribunal attrahere, aut eorum artes fovere, qui cùm judicem habeant ordinarium & sibi propinquum, attamen longè positum & rei gestæ ac tacitæ veritatis ignarum quærunt, quem circumveniunt, & cui fraudulenter obrepunt; sed potiùs eos punire qui aut suos judices immediatos dolosè & sine justa causa prætereunt, aut ab eis auditi temerè ad ipsum provocant. Hanc sententiam clarè secutus est Latomus de primatu *R. Episcoporum.*

 ponti-

Pontificis; Dominicus de Soto de jure & justitia; & Joannes de Turre-cremata, sicut refert idem Dominicus. Sed objicitur: depositio cujuscunque Episcopi per Pontificem Romanum facta, rata haberi debet sive ex justa causa, sive ex nulla causa facta sit: igitur Episcopus est tantùm Romani Pontificis vicarius ad nutum deponibilis. Respondeo; semper pro sententia per legitimum judicem lata præsumitur, quandiu aut revocata non est & ad superiorem evocata: & ideò apud homines, quibus veritas non est manifesta, rata haberi debet Episcopi depositio per Summum Pontificem facta, etiamsi non subsit depositionis causa quam prætendit. Nam si nullam omnino causam prætenderet nisi propriæ voluntatis arbitrium, quo judicaret in tali Episcopatu sibi alio utendum esse vicario; forsitan non parva quæstio oriretur, an talis sententia posset contemni tanquam ex errore profecta. Sed quando causa prætenditur, quæ revera non subest, licèt apud homines talis depositio rata habeatur; attamen an apud Deum rata sit, qui servorum suorum erronea judicia corrigit, longè alia quæstio est. B. Cyprianus epist. 59. loquens de Seraphio Episcopo qui Victori Presbytero contra Concilii decretum antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temerè immaturo tempore & præproperâ festinatione pacem dederat, *librato*, inquit, *apud nos diu consilio satis fuit objurgare Saraphium collegam nostrum, quòd temerè hoc fecerit, & instruxisse ne quid tale de cætero faciat: pacem tamen quomodocunque semel à Sacerdote Dei datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communionem sibi concessam usurpare permisimus.* Ubi videtur innui quòd licèt à Concilio aut Summo Pontifice possit Episcopis lex in propria functione præscribi; attamen sicut lex in conficiendis sacramentis præscripta, irritum non facit quod contra præscriptum fuerit, (ut si quis panem fermentatum consecret, non est inane quod facit,) sic etiam si ab Episcopo in propria functione contra legem præscriptam aliquid attentatum fuerit, irritum haberi non debeat, quod fecit. Cujus non videtur alia esse ratio, quàm quòd utatur potestate sibi immediatè à Deo tradita, quam superior potest quidem suo præcepto aut consilio dirigere ut convenienter & utiliter exerceatur, non autem pro suo arbitrio irritum facere, ut inane sit quod attentatur. Quòd autem Romanus Pontifex non tantùm in sua Diœcesi, sed etiam in aliis, certis mensibus Beneficia confert, quod alioquin Episcoporum & inferiorum prælatorum est proprium, videtur aut ad publicam & totius Ecclesiæ utilitatem introductum, ut faciliùs ubique superior agnoscatur; aut certè pro propriæ potestatis extensione ad ea quæ alioquin Episcoporum & aliorum prælatorum deberent esse propria, consuetudine magis quàm divinâ ordinatione introductum.

MICHAELIS BAII
TRACTATUS
APOLOGETICUS,
CIRCA
QUÆSTIONEM:

Utrùm ex isto Christi verbo:

Ego pro te rogavi, Petre, &c.

Satis clarè ostendatur Romanum Pontificem in definiendo non posse errare.

Ex MS. K. & L. primùm edita.

NUnquam mihi eorum placuit intentio quos suspicatus sum disputando aut docendo non tam sectari quod irrefragabilis testatur autoritas, aut solida ratio suadet, quàm quod existimabant suis præconceptis opinionibus congruere, aut illis non displicere quorum favorem quærebant aut offensiones devitabant; quia hos mihi in Evangelio notasse videtur Dominus, cùm ait: *Nolite secundùm faciem judicare, sed justum judicium judicate.* Et rursus: *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, quæ à solo Deo est non quæritis?* Nam gloriam videntur ab hominibus expetere, qui quod eis placet aut eos non offendit sapere & docere intendunt. Ne igitur nuper in disputatione vitium priore loco à me positum videar incurrisse; decrevi paucis aperire quam authoritatem aut rationem secutus sim, dubitando utrùm ex isto Christi verbo: *Ego pro te rogavi, Petre,* ut non deficiat fides tua, satis clarè & evidenter ostendatur Romanum Pontificem definiendo ea quæ fidei sunt, sive solus faciat, sive cum paucis sibi placentibus, sive cum totius Ecclesiæ suæ Concilio nullo casu posse errare: petens vicissim ut & tu digneris ostendere quam authoritatem aut rationem secutus hanc dubitationem tam absurdam existimaris, ut nullâ ratione productâ eam scandalosam pronunciaveris. Joannes Driedo olim mihi ante Ruardum & Latomum Præceptor 4. lib. *De dogmatibus Ecclesiasticis*, de prætacta Christi sententia ex professo differens, dicit eam posse concipi sub triplici intellectu; primò ut loquatur de persona Petri & successorum ejus, à quorum corde nunquam deficiat fides. 2. Ut fides

L. testabatur... suadebat.

 nun-

nunquam deficiat à generali cathedra, à ſede, à generali Eccleſia, ſeu ovibus ipſius Petri uſque ad conſummationem ſæculi. Vel 3. ut fides nunquam deficiat à propria ſede, quam Petrus particulariter paſcendam ſuſcepit: Primus, inquit, intellectus videtur eſſe extra intentionem Salvatoris, de quo nos poſtea. Secundus eſt fidei: & tertius probabilis.

Obſecro ut digneris oſtendere ſub quo horum trium intellectuum comprehendatur is intellectus, de quo putas non licere dubitare. Quia ſi vir tantus enumerans non tantùm verum & veriſimilem hujus Scripturæ ſenſum; ſed etiam alium qui præter intentionem Salvatoris poſſit concipi; illum ſenſum prætermiſit, de quo tanquam certo & neceſſario dubitare non licet; non videtur ejus explicatio ſcandalo carere. Quòd igitur eum intellectum prætererit, de quo putas non dubitandum, ſic oſtenditur.

Primus ejus intellectus loquitur de perſona Petri & Succeſſorum, à quorum corde nunquam deficiat fides. Ille verò intellectus loquitur de officio & functione Petri & Succeſſorum ejus, à qua functione nunquam deficiat fides, ſive in corde remaneat ſive non. Ergo primus ejus intellectus eſt à tuo diverſus. Deinde etiamſi ſub primo comprehenderetur is, quem clarum & certum eſſe prætendis; nihil tamen juvaret cauſam tuam, quia Driedo dicit eum eſſe extra ſententiam Salvatoris; quem tamen intellectum à Domino Driedone improbatum, parum (quod ſciam) auſus eſt comprobare Albertus Pighius, noſtræ Facultatis Baccalaureus, & ſuo tempore in Collegio Houterle Driedonis diſcipulus. Secundus verò & tertius loquuntur non de Pontifice ſolo, aut cum paucis ſibi placentibus; ſed cum ſua Eccleſia univerſali vel particulari; ſive cum Concilio alteram harum Eccleſiarum repræſentante.

Joannes de Turre-cremata 2. lib. ſummæ ſuæ *de Eccleſia*, cap. 112. differens quo ſenſu verum ſit quòd judicium Sedis Apoſtolicæ in iis quæ fidei ſunt errare non poſſit, videtur amplecti ſecundum & tertium ſenſum à Driedone aſſignatum. Nam approbat dictum Archidiaconi dicentis quòd Agatho cautè dixerit Apoſtolicæ Sedis ſanctiones ſuſcipiendas tanquam ipſius divinâ voce Petri firmatas: & non dixerit, Sanctiones Apoſtolici, id eſt, Pontificis. Nam poſtea ſubdit Sanctiones Apoſtolicas intelligendas, quæ à Romano Pontifice maturo & gravi ſapientium virorum & maximè Dominorum Cardinalium primo Concilio digeſtæ & maturatæ ſanciuntur, de quibus dicit quòd in fide deficere non poſſunt. Sed non videtur idem velle dici de iis Sanctionibus quæ à Ro. Pontifice occultè, inconſultè, aut ſolo, aut cum paucis ſibi faventibus, aliis non vocatis ad partem, proferuntur. Hanc ſententiam audivi aliquando à Domino Ruardo in Scholis defendi, & ad objectionem quâ colligitur: pontifex poteſt aliquando errare, nempe quando ſolus & ſine Concilio decernit; ergo ejus definitio non eſt ſemper ſuſcipienda: Reſpondebat, nego conſequentiam, quia *qui vos audit, me audit*; nec licet ſuperioris decretum negligere, niſi præcipiat manifeſtè illicitum, ſicut docet Bernardus *de præcepto & diſpenſatione.* Unde non rectè videtur ſuprà motus Archidiaconus, ut prætenderet ſanctiones Apoſtolici non ſemper ſuſcipiendas, quia aliquo caſu poſſit errare, quia *qui vos audit, me audit*. Quid Latomus ſenſerit videatur *de primatu Petri* circa finem, ubi dicit Concilia generalia in fide errare, nec tamen

men suam autoritatem perdere. Suprà dictam sententiam etiam secutus videtur Dominus Hessels de primatu pontificis, concedens pontifices respondendo etiam ex officio in jure Canonico etiam errasse in fide. Nam responsiones Juris Canonici in quibus non consulitur Pontifex tanquam vir doctus, sed tanquam potestatem habens in judicio, vim decretorum obtinent, quam non obtinerent, si tantùm essent ab eo tanquam à viro docto profecta. Sed addit hos errores à successoribus correctos, ipsamque correctionem priùs ad Ecclesiam pervenisse quàm errores. Quid hac de re senserit Adrianus (VI.) Pontifex, potest (utcunque conjici ex quodlibeto 2. q. 1. fine argumentis, &) clarè *L. omittis ista.* intelligi ex responsione ad secundum principale circa finem quæstionis de sacramento Confirmationis, ubi sic habet: *Dico quòd si per Ecclesiam Romanam intelligatur Caput ejus, puta Rom. Pontifex; certum est quòd possit errare etiam in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut Decretalem asserendo.* *L. &.* *Plures enim fuerunt Romani Pontifices hæretici. Item & novissimè fertur de Joanne XXII. quòd publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei; & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi priùs hunc errorem Pestiferum jurasset se defensurum... Item patet hoc de errore quorumdam Pontificum circa matrimonium*, &c.

Ex quibus puto patere me disputando non tàm longè recessisse à sententia non dico Scholæ Parisiensis, quâ definitionem summi Pontificis extra Concilium Generale parvi pendit; sed eorum qui in nostra Schola ab annis octoginta celebres fuerunt, quàm tibi visum est. Nisi fortè in eo quòd dubitavi, an *K. nostris Scholis.* ex hac Scriptura: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*, satis clarè ostendatur Romanus Pontifex definiendo ea quæ fidei sunt, etiamsi id solus faciat, nullo casu posse errare; Adrianus verò dixit certum esse quòd possit errare etiam in iis quæ tangunt fidem; & per suam determinationem aut Decretalem hæresim asserere. Longè enim aliud est dubitare, an ex jam dicta sententia satis clarè ostendi possit Romanum Pontificem in iis quæ fidei sunt non posse errare; quàm asserere certum esse quòd possit errare, & hoc ipsum pluribus exemplis ostendere. Hujus Dominicæ sententiæ: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, apud D. Basilium, Euthymium, Hieronymum & Ambrosium, nullum adhuc commentarium reperi.

Sed D. Cyprianus epist. 8. & *de orat. Domin.* Chrysost. hom. 72. super Joannem, Augustinus *de corr. & grat.* c. 8. Leo *de anniversario die suæ assumptionis* Serm. 3. & in natali Petri & Pauli Serm. 2. Et Beda in Comment. super Lucam eam clarissimè accipiunt de persona Petri. Nec eos movisse videtur ratio quæ Dominum Driedonem ab hoc intellectu revocavit, nempe, quòd Petrus post hæc Christi verba in fide Christum negando defecerit: quia ex Christi verbis, quibus illi suam negationem & à lapsu conversionem prædixit, satis intelligitur quòd Christus his verbis noluerit significare quòd Petrus nullo modo deficeret, sed quòd in lapsu non remaneret; & quòd post lapsum negationis, inquit Beda, ad statum pristinum pœnitendo resurgeret, à quo ampliùs non deficeret; vel, sicut ait Chrysostomus, *ne in fine periret.*

 Quibus

Quibus omnino consonat Aug. in Psal. 118. Conc. decimâ tertiâ, dicens: *Non omnino ex ore Petri, in quo erat typus Ecclesiæ, verbum veritatis ablatum est, qui etsi ad horam negavit timore turbatus; tamen flendo est reparatus, & confitendo postea coronatus.* Et rursus: *Dominus ad Petrum*, rogavi, *inquit*, pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, *hoc est, ne auferatur de ore tuo verbum veritatis usque valde. Totum corpus Christi loquitur, ex cujus ore non est ablatum verbum veritatis usque valde, sive quia negantibus pluribus remanserunt fortes, qui usque ad mortem pro veritate certarent, sive quia ex his qui negaverunt, multi reparati sunt.* In his D. Augustini verbis duo videntur esse notanda, videlicet, quòd ista Christi verba: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*, ad totum Christi corpus pertineant, sicut ea intelligit Dominus Driedo; & quòd fides dicitur non deficere, sive quia negantibus pluribus remanserunt fortes usque ad mortem pro veritate certantes; sive quia ex his qui negaverunt, multi reparati sunt, inter quos est & ipse Petrus, ut diximus.

Quantùm igitur ex dictis Patribus licet intelligere, jam dicta Christi sententia de Petro venit intelligenda. Sed quia multa quæ de Petro dicuntur, non habent sensum illustrem, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille in figura agnoscitur gestasse personam, ut ait Augustinus Psal. 108. ideò quod hîc de Petro ad litteram dicitur, sicut interpretati sunt quos statim nominavi, de Ecclesia cum suo capite rectissimè à Domino Driedone intelligitur: sicut accepit Augustinus Ps. 108. dicens Christum pro Discipulis orasse ante passionem ne deficeret fides eorum; de Ecclesia, inquam, universali, quod ipse Driedo certum esse asserit; aut particulari, quam particulariter pascendam suscepit; sicut idem circa tertium sensum à se assignatum à pluribus Patribus probabiliter esse traditum commemorat. Quòd autem Petrus multis Scripturæ locis figuram gestet Ecclesiæ; & præsertim ubi dicitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum:* cui etiam necessariò conjungitur: *pasce oves meas*; nam prius illud dictum, hujus posterioris promissio est; manifestè docet Augustinus Psal. 108. jam citato tractatu 50. & ultimo super Joannem: * Sermone 54. in Novis: Epist. 105. de agone Christiano cap. 30. Lib. 1. Retract. cap. 21. Cui simile quid habet Cyprianus epist. 69. dicens Petrum loqui Ecclesiæ nomine, cùm ait: *ad quem ibimus?* Et Hieronymus super 16. Matthæi testatur Petrum ex persona omnium Apostolorum professum esse: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Et D. Fulgentius lib. 2. de pecc. remiss. cap. 20. *Christus Petro, hoc est, Ecclesiæ suæ in terra ligandi solvendique tribuit potestatem, ut intelligamus in tempore hujus vitæ gratuitam tribui peccatorum remissione misericordiam.*

K. personam. — ** Serm. 26. de diversis.* — *L. nomine.* — *L. agnoscamus.* — *L. remissionem peccatorum nostrorum.*

Cæterùm licèt Petrus multis locis gestet figuram Ecclesiæ, non est tamen existimandum ea quæ illi vel ab illo dicuntur ad solam pertinere Ecclesiam, & non ad personam Petri: quia sicut in Veteri Testamento quæ per allegoriam dicta sunt, etiam ad litteram vera fuerunt: sic etiam quæ ad personam Petri figuratè de Ecclesia dicuntur, non debent secundùm historiam & litteram à Petri persona separari, sed à persona Petri tanquam principis Apostolorum ad Ecclesiam transferri. Verùm quoniam Scripturæ Sacræ diligenter scrutandæ sunt, nec earum superficie, nec aliorum commentariis statim debemus esse contenti, quæ ad nostram exercitationem ita modificatæ sunt, inquit Augu-

L. de persona Petri.

stinus

ſtinus epiſt. 80. ut altiùs ſe penetrari velint, ne videamur tantùm ex commentario ſapere, & ex ipſis Scripturæ verbis non audere congredi, diligenter inſpiciamus & verba & intentionem Salvatoris, quibus iſta Petro loquebatur. Nam Sacras Scripturas aut illuſtrium virorum dicta ad ſuum ſenſum trahere volentibus non eſt difficile verba aliquot truncare; & ex iis, ut ait Hieronymus, Homeri centones aut Virgilii centones imperitè texere, quibus fidei veritas apud imperitos imperitè aut confirmari aut improbari videatur.

Petrus igitur cùm in ea præſumptione verſaretur, ut tentationibus Diaboli *L. omittit* aut mortis formidini ſuâ ſe virtute poſſe reſiſtere putaret; prædixit ei Dominus *diaboli.* quòd hujus præſumptionis merito, priuſquàm gallus cantaret, ter eum eſſet negaturus: ſed ne cum Juda deſperaret, & à Domino in æternum abjiciendus *L. abjectus* putaretur, ait Chriſtus ſe pro illo rogaſſe, non ut non tentaretur, & tentatus *reputaretur.* formidine laberetur, ſed ne deficeret fides ejus: id eſt, inquit Beda, *ut poſt K. liberalapſum negationis ad priſtinum ſtatum pœnitendo reſurgeret*, ſeu, ut ait Chryſo-*retur.* ſtomus ſuper Joannem, *ne in fine periret.* Nam hujus orationis merito Dominus Petrum reſpexit, & reſpiciendo correxit. Quapropter eum etiam admonet Dominus ut à ſua negatione converſus, ſuum lapſum conſiderans, alios ſimiliter lapſos ſuæ reparationis exemplo, ne de veniâ fortè deſperent, ut inquit Beda, erigat; quod & nunc procul dubio facit Petrus, inquit Leo, & mandatum Domini pius Paſtor exequitur, confirmans nos exhortationibus ſuis, & pro nobis orare non ceſſans ut nullâ tentatione ſuperemur. Quòd verò Cajetanus & Catharinus, & fortè plures recentiores hanc ſcripturam de fide infor-*K. Ga-* mi accipiunt, videtur non tantùm antiquis commentariis, verùm etiam ipſi *gnæi.* textui parum congruere. Dicit enim quòd Sathanas expetivit Apoſtolos ut cribraret, ſicut cribratur triticum cùm ventilando purgatur. Maluiſſet Sathanas paleas præ manibus habere, & eas in ſepes ac foveas ventilando diſpergere, ſed quia Apoſtoli, Domino protegente, ad firmamentum pertinebant quod opera manuum ejus annunciat; ideò maluit eos Dominus tritico comparare quod cribrante diabolo non diſpergitur cum paleis, ſed purgatur & horreo Domini præparatur: ſicut ad Romanos ſcribit Ignatius: *frumentum Dei ſum, dentibus beſtiarum molar*, (hæc eſt cribratio) *& ſic panis mundus inveniar.* *K. ut.*

Cùm igitur prima cribratio Fidelium fuerit in perſecutione Judæorum & Tyrannorum, quibus ſpoliatione bonorum, carceribus, & mortis formidi-*K. carceris.* ne ad Chriſti negationem, & Judaicum aut Gentilem cultum compellebantur, ſicut etiam Petrus intelligit reſpondens, *Domine, tecum paratus ſum & in carcerem K. Domi-& in mortem ire:* quomodo credi poteſt Chriſtus pro Petro & Eccleſia in eo fi-*no.* guratâ tantùm oraſſe ut fidem informem ſervaret, quam tunc vivi abſorpti in corde ſervabant, & in corde ſervatam, formidine mortis ore negabant.

Poſterior ventilatio quæ fit per Hæreticos, & de qua ſcriptum eſt: *oportet hæreſes eſſe:* id eſt, non tantùm corporales perſecutiones, quibus Fidelium *L. tempo-* probatur conſtantia; ſed etiam hæreſes, quibus tentetur mentis judicium. *rales.* Hoc quidem directè agit ut refrigeſcente charitate non quidem de ore Fidelium tollatur Chriſti confeſſio, ſed etiam de mente veritatis perſuaſio. Sed abſit ut dicamus Chriſtum pro Petro & Eccleſia in eo figuratâ tantùm oraſſe, ut ab Hæreticis tentata fidem informem retineat, quam B. Jacobus etiam dæmo-

nibus

nibus attribuit: sed sicuti pòst pro omnibus Discipulis & omnibus Ecclesiis apud Joannem oravit, ut omnes in Patre & Filio unum sint, & ut Pater eos in veritate sanctificet; sic etiam ante pro Petro specialiter orasse credendus est, ut in fide & fidei confessione usque in finem perseverans posteris veræ in Christo perseverantiæ præberet exemplum; tum quia Petrus in Discipulis primatum habiturus erat; tum etiam quia in Ecclesia unitatem significabat, extra quam nemo habiturus erat hujus orationis effectum aut fructum. Neque enim puto Christi oratione dignum, ut dicatur peculiariter pro aliquo orasse ut in sceleribus perseverans fidem informem non ad salutem sed ad damnationem cum dæmonibus retineat. Et obsecro ut attendas quàm latum subsannandi campum offeremus Hæreticis, si dicamus Petrum ejusque successores toti Ecclesiæ Præfectos, ad hoc Christi oratione confirmatos, ut contra diaboli tentationes fidem servent informem, quâ nec caret ipse diabolus. Facilè enim blasphemabunt Petrum cæteris Apostolis imò & Sanctis esse inferiorem, pro quo rem tam exiguam petiverit Christus; nec debuisse Ecclesiæ Dei Sanctæ præfici, quæ fide vivâ purificatur, si ad ejus Pastoratum imprimis pertinebat fidei inanis custodia, quæ & malis Christianis & dæmonibus est communis; sed tantùm debuisse illi societati præfici, quæ sine bonis operibus de fide gloriatur inani. Deinde etiam verbum, *confirma*, non solet ad inanem credulitatem pertinere; sed ad fortem & constantem Christi confessionem, sicut etiam appellatio sacramenti Confirmationis significat.

K. conservent.

Si quæratur an nihil eorum quæ hâc Scripturâ continentur, à Petro in omnes ejus successores, Romanos Pontifices, transierit: Videtur respondendum quòd secluso Apostolatûs munere, quicquid in Petro potestatis fuerit, hoc totum in universos ejus posteros Romanos Pontifices transierit; sed ea quæ sanctitatis & propriæ operationis sunt, non item. Quia igitur fides quæ per dilectionem operans usque in finem vitæ hujus in Petro permansit, ad ejus sanctitatem & propriam operationem pertinebat: ideò non opus est illam in omnibus ejus posteris Romanis Pontificibus inveniri, similiter nec conversionem à lapsu; quia neque omnes à primo statu labi oportet, neque omnes lapsos ad pristinum statum restitui. Restat igitur ut videamus, an quod illi dictum est: *confirma Fratres tuos:* ad omnes Romanos Pontifices transeat. Si verbum, *confirma*, potestatem & munus Pastorale significet, quo Petrus à Christo officium & præceptum accepit omnes in fide confirmandi & pietate; hoc sine dubio ad omnes ejus posteros transit.

K. non oportet.

Cæterùm quia Petrus vivente adhuc Christo in carne mortali ante passionem non putatur munus & autoritatem Pastoris accepisse, sed tantùm post resurrectionem Christi, quando ei dictum est, *Pasce oves meas:* ideò non immeritò potest dubitari utrùm verbum istud: *confirma fratres tuos:* quod illi ante passionem dictum est à Domino, non tanquam Pastori dictum sit, sed tanquam fratri, qui fraternâ dilectione quâ pollebat, fratrum curam debet gerere. Nam hoc verbum sic videtur Leo intellexisse, cùm ait quòd & nunc proculdubio hoc faciat Petrus & mandatum Domini pius Pastor exequatur, confirmans nos exhortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, ut nullâ tentatione superemur: sicut superiùs citavimus. Neque enim nunc exhortando & orando pro

L. nullis tentationibus.

pro nobis in cœlis, pro nobis Pastoris partem, quæ per mortem evacuatur, exequi putandus est; sed tantùm pii Patris dilectionem. Si verò verbum, *confirma*, non potestatem, sed rectam potestatis executionem significat, quæ in Petro & quovis ejus successore operationis est propriæ, non oportet illam ad omnes posteros transire: tum quia per violentiam aut voluntatem propriam potest aliquis eorum in totum ab usu potestatis abstinere: tum quia puto quòd etiam in hoc Pastorum ordine non desint, qui datâ sibi potestate non legitimè fungantur; sed ad eos Pastores pertineant, de quibus Ezechielis 34. dicitur: *Væ Pastoribus Israël, quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit non solidastis, & quod ægrotum non sanastis; sed cum autoritate imperabatis & cum potentia: & dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor;* functione legitimâ, scilicet, sed tantùm potestate: de quibus etiam Jeremias 23. *Væ Pastoribus qui disperdunt & dilacerant gregem pascuæ meæ.*

Debemus quidem optare & instanter orare ut non tantùm Romani Pontifices, sed etiam omnes omnino Pastores in munera pastoralia toti incumbant, & gregem suum sic pascant, ut nullâ officii sui parte claudicent: sed quia merentibus peccatis nostris, id non consequimur à Domino; non debemus sic hominibus placere, ut nostrâ adulatione id eis tribuamus quod sacra Scriptura non tribuit; nempe ut suâ potestate abuti non possent, præsertim hisce novissimis temporibus, quibus refrigescente charitate homines seipsos amantes quantò minùs merentur, tantò faciliùs sibi tribuunt (quod sancti & eruditi Patres ne audire quidem voluissent) quorum cupiditati non debemus nostrâ adulatione patrocinari. 1575.

Primùm edita ex MS. K.

MICHAELIS BAII
RESPONSIO
LAURENTIO
WESTERHOVEN,
Majoris Collegii Lovanienſis
MODERATORI:

De eodem argumento.

ERuditiſſime Domine; Autoritates per te adductæ vix videntur attingere quæſtionem quam verſamus, nempe, utrùm ex iſto Chriſti verbo: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua:* ſatis clarè oſtendatur quòd ſummus Pontifex definiendo ea quæ ſunt fidei errare non poſſit, ſive id ſolus faciat, ſive cum paucis ſibi placentibus, ſive cum ratione aut Catholicæ Eccleſiæ Concilio. Quia quæſtio eſt de claro & certo ſenſu jam dictæ ſcripturæ; autoritates verò de re loquuntur, nec dictam ſcripturam niſi obiter citant: idque non ad hoc ut oſtendant perſonam Pontificis, quando ſola aut cum paucis aliquid decernit, nunquam erraſſe; ſed Eccleſiam Catholicam, de qua Dominus Turnhout (Driedo) tanquam per Petrum figuratâ, etiam dictam ſcripturam intelligit. Sed ſatis ſentio ſicut Pyghio, ſic etiam tibi videri Eccleſiam errare non poſſe, & columnam ac firmamentum eſſe veritatis, non quia à Chriſto per Paſtores ac Doctores in fide & veritate occultâ inſpiratione & doctrinâ confirmatur, ſicut docetur Epheſ. 4. ſed tantùm quia externo Romani Pontificis miniſterio, ſeu potiùs auſtero & potenti imperio in fide cuſtoditur. Id quod & Pyghio & tibi probandum eſſet: quia licèt ſummus Pontifex inter Paſtores & Doctores, per quos Chriſtus corpus ſuum ædificat, primum locum teneat; attamen non eſt ſolus Paſtor & Doctor Eccleſiam Chriſti in fide cuſtodiens, ſicut teſtatur Cyprianus epiſtola 67. dicens copioſum eſſe corpus Sacerdotum, ut ſi quis ex collegio hæreſim facere tentaverit, ſubveniant cæteri: ut interim taceam quod externum miniſterium parum juvare queat ſine interno Dei auxilio, quo Deus frequenter oves ſuas cuſtodit ſine omni externo miniſterio, ſicut oſtendit Auguſtinus in ſermone *de Paſtoribus*, notans quòd Deus apud Ezechielem dicat ſe liberaturum oves ſuas de manu Paſtorum; nec addit quòd eas tradet

tradet bonis Pastoribus, ut pascantur: sed dicit quòd ipsemet eas pascet, sicut sine Pastorum & Doctorum ministerio pavit Abraham, Isaac, Jacob, Job, & similes.


Cæterùm multi videntur falli hoc argumento: Potestas præcipiendi quæ fidei sunt, est in solo Pontifice &c.: Igitur inventio, conservatio, & doctrina veritatis ab eo solo pendet. Ad quod respondeo, quòd potestas in uno sit, sed rectus potestatis usus in rebus gravibus non facile fit sine multorum consilio: quia omnis sapientia à Domino Deo est, nec facilè scimus per quem velit eam Deus Ecclesiæ suæ revelare; an per superiorem cui data est potestas, an verò per inferiorem, ut in superiore Ecclesiastico non tantùm honoretur potestas, sed etiam conservetur humilitas. Unde etiam frequenter contestatur Cyprianus se sine Cleri imò populi sui conscientia nihil velle facere. Et certè cùm omnis sapientia à Domino Deo sit, & Spiritus dividat singulis prout vult; & si alii revelatum fuerit sedenti prior taceat, inquit Apostolus; & cùm David per Natham, & Apostolus Paulus per Agabum de veritate sit edoctus; non videtur præsumptione carere quòd quis non sapientiâ sibi à Deo datâ, sed tantùm potestate fretus in rebus arduis sine sapientium & multorum consilio pronunciet: præsertim cùm non ignoret per quosdam inferiores longè plura revelata esse Ecclesiæ suæ quàm per supremos; ut per Augustinum, Hieronymum & similes, quàm per Romanos Pontifices.

Quapropter rectissimè dictum videtur per Joannem de Turre-cremata Apostolicas Sanctiones intelligendas non quæ occultè & inconsultè per solum Romanum Pontificem, aut etiam per ipsum cum paucis sibi faventibus ad partem proferuntur; sed quæ maturo & gravissimo sapientum virorum consilio digestæ & maturatæ sanciuntur; quia hæc non ex humana præsumptione, sed Apostolicâ humilitate & revelatione divinâ profectæ videntur: quam humilitatem requisivit Christus cùm ait: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Qui verò tanquam unicornes sibi ipsis sapientes actus suos præsertim in rebus arduis aliorum consiliis juvari nolunt, superbiæ & præsumptionis merito à Deo deserti facilè in ea incidunt quæ à Deo non sunt.

Ex qua causa forsitan apud Psalmistam Christus pro se & membris suis orat non tantùm ex ore Leonis, sed etiam à cornibus unicornium servari humilitatem suam: id est, à potestate superborum, qui suo freti consilio in sua sapientia omnem rei bene gerendæ, & potestate suâ benè vivendi fiduciam collocant, non considerantes vias nostras & consilia à Deo dirigi, idque frequenter per inferiores, quorum debent superiores audire consilia, ne ex præsumptione potestatis oblivio nascatur humilitatis.

De hac re sic loquitur Joannes de Turre-cremata in suæ Sum. lib. 3. cap. 64. *Magis rationabiliter standum foret judicio primùm totius Concilii, quàm judicio Romani Pontificis. Ista conclusio,* inquit, *videtur colligi ex Glossa in c.* ANASTASIUS. dist. 19. *quæ ita habet:* PAPA TENETUR REQUIRERE CONSILIUM EPISCOPORUM, UBI DE FIDE AGITUR: ET TUNC SYNODUS MAJOR EST PAPA; *quod intelligendum est de majoritate discretivi judicii, secundùm quod non dubium quin rationabiliter Concilium sit majus Romano Pontifice. Nam, ut Bernardus dicit, quæ major superbia, quàm quòd unus homo toti congrega-*

tioni judicium suum præferat; tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei? Propter quod Archidiaconus approbans Glossam præfati capitis: ANASTASIUS: *dicit: periculosum esset fidem necessariam committere arbitrio unius hominis. Et non modò Papa Universali Concilio, sed etiam unicuique qui meliùs sentiret, deberet credere plus quàm sibi: sicut exemplum habemus de B. Petro qui Pauli resistentis sibi rationibus acquievit: de quo pulchrè Cyprianus in quadam epistola ita loquitur:* Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de Circumcisione postmodum disceptasset, nec vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit; nec dixit se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potiùs oportere; nec despexit Paulum quòd Ecclesiæ priùs persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ quam Paulus vendicavit, facilè consensit, documentum nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ista potiùs quàm nostra dicamus. Hactenus Joannes de Turre-cremata. *Reliqua istius Responsionis desiderantur.*



MICHAELIS BAII

EPISTOLA

ACADEMIÆ LOVANIENSI.

primùm edita, sed non ordine suo, quia ad Collectoris manus venit tardiùs.

MAgnifice Domine Rector, cæterique Domini mei Eximii, Ex Litteris sollicitudinis vestræ datis Lovanii 16. Octobris 1563. & nobis redditis Tridenti 28. ejusdem, satis intelleximus per litteras nostras ad Magistrum nostrum Thomam Goseum, non minus anxietatis vobis injectum, quàm nobis injectum fuerat ex iis quæ hîc didiceramus.

Scimus nos & vobis & privilegiis nostris magis obnoxios, quàm ut vel precibus vel etiam admonitione egeamus, ut ea ubicumque detur occasio conservare & promovere studeamus. Gaudemus tamen quòd vigilantiam, consilium & auctoritatem vestram nostræ exiguitati ex animo jungere volueritis, ut quod volebamus, si res postularet, etiam perficere valeremus. Cæterùm ne rebus nunc meliore loco constitutis anxietas ex litteris nostris concepta perduret, exponam breviter ordinem totius negotii. Cùm unum & viginti Capita Reformationum (de quibus nunc adhuc in Concilio agitur) Patribus in deliberationem essent proposita, data sunt adhuc alia quindecim Capita Patribus per Ministros exscribenda, de quibus posteà deliberaretur, ut possent eâdem sessione cum prioribus expediri. In his unum Caput erat quo revocabantur quæcunque privilegia nominandi, præsentandi, &c. quibuscumque personis vel communitatibus data, etiamsi continerent quòd revocari non possint, nisi de verbo ad verbum &c. exceptis privilegiis quæ concessa erant Principibus & Cathedralibus Ecclesiis. Ubi sub hac generalitate intelleximus nostræ Universitatis privilegia etiam revocari, statim judicavimus per nos sex, tres viros Episcopos & tres Doctores, offerendam esse supplicationem Legatis Præsidentibus, quâ nomine Universitatis nostræ prioribus exceptionibus peteremus addi exceptionem etiam Privilegiorum in Catholicis Universitatibus concessorum intuitu fidei vel studiorum. Nam sperabamus quòd pro obtinenda hac generali exceptione multi alii pro suis Universitatibus nobis cooperarentur. Dum hæc agimus quidam Abbas subitò & ex improviso abducit Reverendissimum Iprensem Venetias, ubi simul & in itinere hæsit totas tres hebdomadas: Nos metuentes periculum in mora, quantâ potuimus celeritate absolvimus posteriorem partem expositionis orationis Dominicæ nobis ab Illustrissimo Domino Morono imperatam, quam nos tres Doctores simul cum nostra supplicatione illi obtulimus, &c. Cùmque ambigeremus utrùm expediret similem supplicationem tradere Illus-

Martinum Rythovium.

Illustrissimo Domino Varmiensi; an verbis illi duntaxat commendare petitionem nostram, ne fortè Illustrissimus Dominus Moronus suspicaretur nos de sua diligentia aut favore erga nostram Universitatem diffidere, si hæc secunda supplicatio ad ejus notitiam perveniret: commodè cecidit ut Oratores Principum in dictis quindecim Capitibus quædam animadverterent suis Dominis præjudiciaria, de quibus eos priùs certiores reddere volebant, quàm proponerentur in deliberationem. Hæc ubi Dominis Legatis proposuisset Illustrissimus D. Moronus, habitâ ad Patres oratione, petivit ut hæc quindecim Capita in aliam sessionem differrentur, ne fortè proxima sessio ob hanc injectam difficultatem moram aliquam pateretur. Consenserunt Patres, inter quos quidam deliberans addidit se consentire in dilationem salvo quòd non protraheretur usque ad diem Universalis Judicii: ad quod verbum protrusi M. N. Hessels mihi assidentem, ac illi in aurem insusurravi, quòd hîc Episcopus subodoratus esset id quod mihi agi videbatur, nempe ut sub prætextu dilationis hæc Capita in totum supprimerentur, eò quòd nec sine offensione Principum id concludi, nec conclusa ad executionem facilè possent deduci.

Hæc Dominis meis prolixiùs retuli, ut intelligerent quomodo non nostrâ industriâ, sed divinâ providentiâ per Oratores Cæsareæ Majestatis, & aliorum Principum à concepto metu magna ex parte liberati simus. Exhibuimus nihilominus posteà Oratori Regis nostri Litteras Magnificentiæ vestræ Reverendissimo Domino Iprensi missas, juncto nobis quatuor Domino Doctore Cosma Fonteo Hispano, qui omnia hispanicè exposuit Domino Oratori, cui etiam tradidimus brevem supplicationem hispanicam, quæ eadem cum litteris continebat. Si quid ampliùs moveatur, Deo juvante, pro viribus sollicitabimus; experimurque tantum Patrum favorem erga nostram Universitatem, ut omnino speremus quòd nostra privilegia per eos nihil detrimenti accipient. Deus Magnificentiam eximiasque Paternitates vestras diu Ecclesiæ suæ servet incolumes, quibus nos omnes ex animo commendamus, offerentes quodcumque obsequium præstare poterimus. Datum Tridenti primâ Novembris 1563.

Magnificentiæ & eximiarum Dominationum
Discipulus & alumnus MICHAEL DE BAY.

BAIANA,

SEU

MICHAELIS BAII

OPERUM

SECUNDA PARS:


Complectens Scripta quæ controversias spectant occasione sententiarum

MICHALIS BAII

EXORTAS.

CENSURA FACULTATIS THEOLOGICÆ PARISIENSIS,

In octodecim sententias quas Michaëli Baio perperam tribuebant, emendata ad fidem MSS.



ANno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, die Jovis, vicesimâ septimâ mensis Junii, Sacratissima Theologia Facultas Parisiensis, post Missam apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem Collegio per juramentum congregata est in materia fidei, super propositionibus infrà scriptis, per eandem Facultatem cum matura deliberatione Magistrorum nostrorum Censurâ notatis, quas F. Petrus de Quercu, Guardianus Conventûs Nivellensis, & F. Ægidius de Querceto, Guardianus Athensis, prædictæ Facultati miserunt, sigillis prædictorum Conventuum signatas: rogantes obnixè, ut super iis dicta Facultas Censuram ferret. Quarum propositionum tenor sequitur, cum censura ad easdem.

I. Propositio.

Liberum arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita; nec illi convenit ea potestas ex ipsius naturali & intrinseca ratione.

CENSURA.

Prima pars hujus propositionis est hæretica: secunda est falsa (1) & morali philosophiæ adversa.

(1) Al. addebatur & erronea.

2. *Propositio.*

Libertas & necessitas eidem conveniunt respectu ejusdem: & sola violentia repugnat libertati naturali. (1)

(1) *Al. addeb. hominis.*

CENSURA.

Hujus propositionis prima pars includit contradictionem, & est hæretica: secunda est falsa.

3. *Propositio.*

Liberum arbitrium (2) *ex sua ratione intrinsecâ non habet, ut ex se, de se, & per se efficiat actum liberum.*

(2) *MSS. in sua significatione.*

CENSURA.

Hæc propositio est falsa, erronea, & perniciosa.

4. *Propositio.*

Liberum arbitrium ex se non potest nisi peccare: & omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale aut veniale.

CENSURA.

Hæc propositio (3) *utraque sui parte est hæretica.*

(3) *Al. pro utraque parte.*

5. *Propositio.*

Homo faciendo quod in se est, peccat: & non potest non peccare, faciendo quod in se est.

CENSURA.

Tota hæc propositio est hæretica.

6. *Propositio.*

Posse peccare non est de ratione liberi arbitrii hominis; nec (4) *hujusmodi peccandi facultas homini à Deo data est.*

(4) *Al. ejusmodi potentia peccandi homini data est à Deo.*

CENSURA.

Hujus propositionis prima pars est falsa: & secunda hæretica.

7. *Pro-*

7. *Propositio.*

Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali gratia Dei vitare peccatum: unde fit, ut omne opus hominis purè infidelis, sit peccatum.

CENSURA.

Hujus propositionis secunda pars est falsa, & malè ex (1) priore infertur. (1) *Al. præcedenti.*

8. *Propositio.*

Liberum arbitrium liberè vult quicquid sponte, seu voluntate (2) vult: ita ut quod liberè vult, idem necessariò velit. (2) *Al. sponte sua voluntariè vult, ita ut quod necessariò vult, idem liberè velit.*

CENSURA.

Hujus propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est hæretica.

9. *Propositio.*

Hæreticus, & Schismaticus, & homo non purè infidelis, meretur quandoque de condigno vitam æternam.

CENSURA.

Hæc propositio est planè hæretica.

10. *Propositio.*

Homo existens in peccato mortali, sive ejus reatu ad æternam mortem, habet in se charitatem.

CENSURA.

Hæc propositio est hæretica.

11. *Propositio.*

Per contritionem, non adhibito realiter sacramento Baptismi vel pœnitentiæ, non dimittitur (3) peccatum extra casum martyrii aut necessitatis. (3) *Al. crimen.*

CENSURA.

Hæc propositio est hæretica. (4). (4) *MSS. add. & schismatica.*

12. *Propositio.*

Peccator si faciat quod mandatur per contritionem, & confessionem factam sacerdoti, non remittitur illi peccatum, nisi sacerdos absolvat, etiam si per malitiam & absque ratione sacerdos illi (1) deneget absolutionem.

(1) *Al. neget.*

CENSURA.

Hæc propositio est hæretica.

13. *Propositio.*

Non (2) sine Pelagiano errore admitti potest ante primam justificationem in homine, aliquis liberi arbitrii usus bonus: & qui se præparat ad eam, peccat, ut is qui pessimè (3) utitur suis (4) bonis naturalibus: nam ante eam omnia (5) opera hominis sunt peccata damnatione digna.

(2) *Al. nisi.*
(3) *Al. abutitur.*
(4) *MS. 1. donis.*
(5) *MS. 2. omnia sunt peccata.*

CENSURA.

Hæc propositio pro omnibus (6) suis partibus est hæretica.

(6) *Al. omitt. suis.*

14. *Propositio.*

Non datur gratia nisi reluctanti, (7) proinde nec prima justificatio; (8) quia justificatio est ipsa fides: fides enim est quâ ex impio quis fit (9) justus.

(7) *Al. perinde.*
(8) *Al. qua.*
(9) *Al. pius.*

CENSURA.

Hujus propositionis duæ (10) partes sunt hæreticæ, & tertia est falsa.

(10) *Al. duæ primæ.*

15. *Propositio.*

Homo necessariò peccat etiam damnabiliter in aliqua specie peccati; & actus (11) in quem necessariò fertur, est illi peccatum: quare ut liberè feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccandum.

(11) *Al. ad.*

CENSURA.

Hæc propositio est hæretica pro omnibus partibus.

16. *Propositio.*

Nemo præter Christum est absque peccato originali: Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum quod contraxerat ex Adam: omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, sunt ultiones peccati originalis vel actualis. Unde & Job passus est, & omnes Martyres propter sua peccata.

CEN-

CENSURA.

Hæc propositio pro omnibus suis partibus est hæretica, & Beatæ Mariæ (1) Sanctisque omnibus injuriosa.

(1) *Al. Virgini Dei genitrici & Sanctis injuriosa.*

17. *Propositio.*

Omnia in gloriam Dei facite: &, dico vobis non resistere malo: hæc sunt simpliciter ut præcepta accipienda.

CENSURA.

Hujus propositionis posterior pars (2) est falsa.

(2) *Al. ut jacet, est hæretica.*

18. *Propositio.*

Omne opus bonum est meritorium vitæ æternæ: quod si aliquod remuneretur temporaliter (3) tamen non dignum vitâ æternâ, illud malum est, quia nullum est opus meritorium, nisi æternæ vitæ.

(3) *Al. tantùm.*

CENSURA.

Hæc propositio tota repugnat Sacræ Scripturæ.

Ex MSS. C. R. primum edita.

MICHAELIS BAII ANNOTATIONES IN SORBONÆ CENSURAM.

Honorando Patri Antonio Sablonio nuper in partibus Flandriæ Provinciali Fratrum Minorum;

MICHAEL DE BAII.

(a) *MS. C. Belgis.*

(b) *MS. C. suppositas.*



Cceptis nuper Censuris quæ passim (*a*) in Belgio nomine Sorbonæ Parisiensis in octodecim propositiones circumferuntur, & quæ partim verè partim calumniosè, ut intelligo, quibusdam vestris Fratribus adscribuntur, Honorande Pater, diu hæsi suspensus quid facerem, an omnino tacerem, an breviter ostenderem in his Censuris nonnulla contineri manifestæ veritati contraria. Ad tacendum hortabatur tam antiquæ tamque numerosæ Facultatis veneratio, quam rebus in Gallia turbatis, ob nonnullos infirmos illæsam servari cupiebam, ne fortè Hæretici nostro studio abuterentur ad persuadendum populo quòd etiam pro fide differens audienda non esset, si in harum propositionum nonnullis palam erraſſe ostenderetur. Deinde cùm unius communionis simus & ejusdem corporis membra, summopere cavendum judicabam ne quisquam nostrûm ab altero læderetur. Cæterùm ad respondendum impellebat tum veritatis catholicæ tum illorum Fratrum injuria, quos propter veritatem passim cum Ecclesiæ detrimento infamari sentiebam prætextu harum Censurarum, quas tamen non dubito aut (*b*) suppositias esse, aut certè per æmulos Sorbonæ Parisiensis in quorumdam subversionem non satis bonis artibus ipsis insciis clam extortas. Deinde sperabam eos qui Censuras, non malitiosè forsitan, sed incogitanter duntaxat, aut ab æmulis impulsi protulerunt, non ægrè laturos rectam admonitionem, sed acceptâ ratione aut suam sententiam mutaturos, aut excusaturos quòd circumventi sint astutis quibusdam machinationibus: præsertim quia non ignorant se in his quæ ad fidem pertinent, propriè Censores non esse, sed doctores; & adjutores fidei nostræ, non dominos. Doctores enim sunt à Domino constituti, non domini ac judices.

ces. Movebat etiam quòd memineram Sorbonam Parisiensem in Censuris suis non tantùm circa has propositiones, si tamen ejus sunt; verùm etiam circa alias quæstiones sibi propositas decretis summi Pontificis, potestate sibi à Deo concessâ legitimè fungentis, (quod omnibus (a) obedientiæ filiis meritò displicet,) adhuc etiam nostrâ memoriâ contra veritatem obstitisse. Taceo enim quæ nostram memoriam præcesserunt: ut in dispensatione facta Henrici VIII. Regis Angliæ cum matre Mariæ novissimè defunctæ, quam cum magno fidei catholicæ & Reginæ suæ præjudicio damnavit: similiter in damnatione instituti Societatis Jesu à Summo Pontifice sæpiùs confirmati, & nunc omnium pene Fidelium consensu probati. His igitur rationibus adductus pauca quædam annotavi tam circa propositiones, quàm circa Censuras earumdem, quæ (b) si tibi probabuntur, Vestra paternitas poterit eis legenda permittere quibus judicabis sine cujusquam injuria posse prodesse: sin verò minùs, licebit exiguo chartæ detrimento supprimere. Decreveram has Annotationes ante omnia curare exhiberi alicui Magistro Sorbonæ, ut responso accepto cognoscerem quid magis expediret. Sed interim intellexi ab amico agente (c) Parisiis quòd Magistri Sorbonæ recusassent dare exemplar legitimum unde certò (d) possem cognoscere an hæ Censuræ eorum essent, an non. Quapropter metuens ne frustra etiam responsum expectarem, mutato proposito nihil aliud restare putavi, quàm ut iis studerem consulere, quos prætextu harum Censurarum passim injustè lædi sentiebam, sive à Sorbona profectæ sint, sive non.

(a) *MS. C. adversariis.*

(b) *MS. C. si probabuntur Vestræ Paternitati, poteris.*

(c) *MS. C. Lutetiæ.*


(d) *MS. C. possis cognosci.*

Has reddiderunt Censuras anno 1560.

Ex MSS. K. an. 1574. & C. an. 1578. eruatis jam primùm edita.

MICHAELIS BAII IN PROPOSITIONES ET CENSURAS, QUÆ PASSIM NOMINE SORBONÆ Circumferuntur BREVES ANNOTATIONES.

PRIMA PROPOSITIO.



Iberum arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita: nec ei convenit ea potestas ex ipsius intrinseca & naturali ratione.

CENSURA.

Prima pars hujus propositionis est hæretica: secunda falsa & morali Philosophiæ adversa.

ANNOTATIO.

Quamvis vox, *liberum*, sive *libertas*, quantùm memoriâ consequi possum in Scripturis Sanctis nunquam sic accipitur ut opponatur necessitati; sed potiùs servituti: cui significationi est impertinens utrùm id quod liberum esse dicitur, in omnibus iis potestatem habeat ad opposita in quibus liberum esse dicitur; sed à Philosophis accepta sit significatio, quâ quippiam liberum ex eo dicitur quòd aliquid facere potest ac idem omittere: Attamen placet Censura; quia licèt non hoc nomine, alio tamen (*a*) quodam sermone in Scripturis sæpius continetur quòd voluntas hominis, (quæ cum ratione liberum constituit arbitrium,)

(a) Omit. quadam.

bitrium,) hoc modo loquendi libera sit: ut cùm de justo dicitur: *qui potuit transgredi, & non est transgressus*, &c. Ecclesiastici 31. manifestè significatur justum suâ voluntate Domini mandatum servasse, & quòd illud etiam prævaricari potuerit.

II. PROPOSITIO.

Libertas & necessitas eidem conveniunt respectu ejusdem: & sola violentia repugnat libertati naturali. (*a*) (a) K. naturali hominis.

CENSURA.

Hujus propositionis pars prima includit contradictionem, & est hæretica: secunda est falsa.

ANNOTATIO.

Qui in Philosophia detriti nullam libertatis significationem attendunt, nisi quam in Scripturis Sacris non didicerunt; auditâ hâc sententiâ: *libertas & necessitas eidem conveniunt respectu ejusdem;* non immeritò exhorrescunt ob contradictionem, quam eis suggerit ea libertatis definitio, quam solam cogitant. At si diligenter versati essent in Scripturis Sacris, & eorum Patrum monumentis, qui alteram libertatis significationem, quæ sola in scripturis sacris reperitur, usurpant sæpius, secundùm quam verè liber est qui servit justitiæ, sive ab illa excidere possit sive non. *Tunc enim vera pax & vera libertas* (inquit Leo Serm. 1. De Quadrag.) *quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præside gubernatur*: hac assertione sibi propositâ sine adjunctis, ex quibus rectè conjicere possunt utrâ significatione sumi debeat libertatis nomen: tunc aut censuram suspenderent, aut certè distinctionem adhiberent, dicentes quòd sumendo libertatis nomen sicut in Philosophia sumitur, falsa est & hæretica propositio, (*b*) quâ dicitur libertas & necessitas eidem convenire respectu ejusdem; sed in ea significatione, quâ & Christus & Apostoli hâc voce usi sunt, (b) Quâ dicitur quòd. vera erit propositio, ut ibi: *Si Filius Dei liberaverit vos, tunc verè liberi eritis:* (& (*c*) Gal. 4. *non sumus ancillæ filii, sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit:*) &, *promittentes illis libertatem, cùm ipsi sint servi corruptionis:* rursus, *ubi Spiritus Domini ibi libertas.* (c) C. hæc omittit.

Neque enim hoc modo tantùm liberi sunt qui in hac vita justitiam diligunt, quam etiam possunt non diligere; sed etiam multò magis qui de corpore mortis hujus liberati sunt, & sic adhærent justitiæ, ut non possint illi non adhærere. Et hoc modo liberum arbitrium liberamque voluntatem in re necessaria quæ aliter esse non potest, clarissimè ponit Augustinus c. 105. Enchyrid. sic inquiens: *Sic enim oportebat hominem priùs fieri ut & benè velle posset & malè: nec gratis, si benè; nec impunè, si malè. Postea verò sic erit, ut malè velle non possit; nec ideò libero carebit arbitrio: multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quâ beati sic esse volumus, ut esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam etiam velle possimus: sicut ergo nunc etiam anima nostra nolle infœlicitatem;*

ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est. Hæc Augustinus. Et rursum *de Corrept. & grat.* cap. 4. & 12. *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato: prima voluntatis libertas erat, posse non peccare; novissima erit multò major, non posse peccare.* Hæc si Sorbona attendisset, forsitan non tam præcipitanter hæreticam propositionem pronunciasset, quæ secundùm Scripturas Sacras & Veterum monumenta Patrum verissima & fidei catholicæ consona ostendi potest, ut jam ostensum est. (*a*) (Vide & Aug. cap. 45. de natura & gratia.)

(a) Omittit ista.

III. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium in sua (b) ratione intrinseca non habet ut de se, in se, ex se aut per se efficiat actum liberum.

(b) Al. *significatione.*

CENSURA.

Hæc propositio est falsa, erronea & perniciosa.

ANNOTATIO.

Hæc Censura satis convenit, nisi fortasse is à quo hæc propositio manasse putatur, actum liberum ab ea libertate intelligat, quâ Christus nos liberavit. Talem enim actum (*c*) non potest voluntas humana (qualis nunc est) ex se præstare; sed solùm ex ea quam nobis Filius impertit libertate.

(c) K. *actum liberum.*

IV. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium non potest ex se nisi peccare: & omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale vel veniale.

CENSURA.

Hæc propositio pro utraque sui parte est hæretica.

ANNOTATIO.

Quanquam propositio hæc in sermone duas partes habeat, sicut Censura notavit; res tamen una est. Idem enim est: liberum arbitrium ex se nihil aliud potest, quàm peccare: &, omne opus liberi arbitrii sibi dimissi esse peccatum. In quo etiam continetur quod infrà propositione septima dicitur: omne opus hominis purè infidelis esse peccatum: quia quisquis infidelis permanet, is sic à Deo deseritur ut nec ad credendum adjuvetur: at infidelem non oportet esse eum, quisquis in aliquo opere à Deo derelinquitur: sicut a Paralip. 5. de Ezechia legimus quòd in legatione Principum Babylonis qui missi fuerant ad Ezechiam ut interrogarent de portento quod acciderat super terram: Dereliquit enim eum Dominus ut per infidelitatem ad (*d*) cultum idolorum dila-

(d) K. *idololatriam.*

dilaberetur. Quapropter plus complectitur ista propositio, quàm illa quæ septimo loco ponitur.

Quòd igitur sententia hæc: *Omne opus liberi arbitrii sibi dimissi peccatum est*, non sit hæretica, sicut Sorbona malè censuit; sed verè catholica & Scripturis Sacris Veterumque Doctorum monumentis (*a*) omnino consona sic ostenditur. Qui facit peccatum, servus est peccati, & diaboli laqueis irretitus, ad ejus voluntatem, quæ tota (*b*) peccati est, captivus tenetur: Ergo nihil aliud quàm peccat. Nam, ut ait Augustinus Enchyr. 30. *quid boni potest operari perditus, nisi quantùm fuerit à perditione liberatus?* Et, *quandiu homo est peccati servus*, inquit Fulgent. de incarnat. Christi cap. 15. 19. *non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneus*. Et Augustinus lib. 3. contra duas epistolas Pelag. c. 8. *Liberum arbitrium (c) captivatum non nisi ad (d) peccandum valet*. Enchyr. c. 30. *Qualis enim potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat; ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est*: sed talis est quisquis qui à Deo non juvatur ut à servitute diaboli liberetur: quia dum fortis armatus custodit atrium suum, nisi fortior illo supervenerit, in pace sunt omnia quæ possidet. Igitur omne opus liberi arbitrii sibi dimissi, peccatum est & servitus peccati. Augustinus lib. 4. Confess. cap. 1. & super 1. Joannis Epistolam: & de Verbis Apost. serm. 19. *Sed hic fortiter vigilate*, inquit, *ne dicat spiritus vester, si subtraxerit se cooperatio & adjutorium Dei; Spiritus meus facit hæc, etsi cum labore, etsi cum difficultate potest tamen implere. Non sic est: adjutorium Christi prorsus (e) si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis illo non adjuvante liberâ voluntate, sed (f) malè. Cùm tibi dico sine adjutorio gratiæ Dei nihil agis, nihil boni dico. Nam ad malè agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem*. Et epist. 106. Pelagium in hoc graviter accusat quòd interdum ita paribus momentis potestatem voluntatis æquâ lance perpendat, ut aliquantulum etiam ad non peccandum valere definiat: (*g*) (*quod si ita est*, inquit, *nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus ad non peccandum nihil valere libertatis arbitrium*. Si Pelagianum est dicere potestatem voluntatis sine adjutorio gratiæ ad non peccandum nihil valere: igitur sententia catholica est liberum arbitrium sine adjutorio gratiæ nihil aliud quàm peccare. Sic l. 1. de pecc. mer. c. 18. dicit bonum motum voluntatis non esse nisi Deo adjuvante.) & (*h*) (lib. 2. de peccat. merit. cap. 8. apertè ostendit Augustinus omnem motum voluntatis esse bonum aut malum, malum ex nobis, bonum non nisi ex Deo adjuvante.) *Si enim gratia se subtraxerit*; inquit Augustinus, de grat. & lib. arb. cap. 6. *cadit homo non erectus sed præcipitatus libero arbitrio*: juxta illud Psalmistæ: *avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Necesse est enim*, inquit Cœlestinus epist. ad Episcopos Galliæ, cap. 6. *ut quo auxiliante vincimus, eo non auxiliante vincamur*. Et Zozimus Papa ibidem cap. 9. *quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actionibus, causisque, cogitationibus & motibus adjutor & protector rogandus est*. Superbum *enim est (i) quicquid humana sibi præsumit natura, clamante Apostolo*: non *est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem*, &c. Si tantùm dixisset Zozimus, (*i*) *in omnibus rogandus est adjutor*; non deessent qui clamarent (*k*) in omnibus necessarium adjutorem ad benè operandum, sed non ad vitandum malum; quanquam tamen & vitare malum (*l*) non possit

(a) K. *omit. omnino.*
(b) K. *peccatum.*
(c) K. *captivum.*
(d) C. *peccatum.*
(e) C. *si deficeret.*
(f) K. *mala.*
(g) C. *omit. ista.*
(h) K. *omit. ista.*
(i) C. *ut quicquam humana natura præsumat.*
(k) K. *omnibus necessarium adjutorium.*
(l) K. *non posset, nisi esset bonum.*

possit non esse bonum. Verùm quando addidit quòd in omnibus etiam protector orandus est, quia non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem; quis non videt quòd quemadmodum ex eo quòd in Oratione Dominica dicimus? *Fiat voluntas tua:* Ecclesia Catholica intelligit in omni opere bono necessarium esse gratiæ divinæ auxilium; sic etiam ex eo quòd dicimus: *(a) ne nos inducas in tentationem:* etiam (*b*) cum ipsa intelligere debemus idem auxilium in omni (*c*) tribulatione & tentatione esse necessarium ut à malo declinemus, id est, ut malum non faciamus: quia *in his omnibus superamus*, inquit Apostolus, *per eum qui dilexit nos.* Nam *post casum hominis*, teste Augustino de bono perseverantiæ, cap. 7. *non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere* (*d*) (*ut homo accedat ad eum; neque nisi ad suam gratiam voluit pertinere*) *ut homo non recedat ab eo:* ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne (*e*) discedamus. *Divini enim muneris est* (inquit Concilium Arausicanum II. can. 2.) *cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitiâ tenemus.* Unde Chrysostomus homil. 24. in Epistol. 1. ad Cor. tractans illud Apostoli: *faciet cum tentatione proventum: suntne ergo tentationes*, inquit, *quas sustinere non possumus? & quænam sunt illæ? Omnes, ut ita dicam, possibilitas enim in divino nutu est:* (*f*) *quare ut certò cognoscas non solùm illas, quæ virtutem nostram exuperant, non posse nos sine divino auxilio* (*g*) *superare, sed ne has quidem humanas; addidit:* sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. *Neque enim mediocres quas dixi propriâ virtute sustinebimus, sed in his etiam divino opus habemus auxilio, ut eas pertranseamus, & priùs quàm pertranseamus, feramus.* Augustinus quoque serm. 13. de verbis Apostoli: *si Deus*, inquit, *non adjuvet; non dico vincere, sed ne pugnare quidem poterimus. Quisquis igitur in tribulatione non deficit*, inquit Prosper contra Collatorem cap. 35. *ab illo se non dubitet adjuvari ad quem quotidie universorum Fidelium corda clamant:* ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: (*h*) (quoniam custodit Deus animas Sanctorum suorum.) *Hinc Psalmista:* Adjutor meus esto, *inquit*, ne derelinquas me; *& rursus:* Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. Quod etiam omnibus horis frequentat Ecclesia, sciens se in nulla tentatione posse subsistere, nisi divino (*i*) indesinenter fulciatur auxilio: quia *liberum arbitrium*, inquit Prosper in epist. ad Rufinum, circa finem, (*cùm solum esset*) *sibi permissum, non nisi in suam perniciem movebatur:* & lib. 1. de vocat. Gent. cap. 2. *Voluntas*, inquit, *quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tantò citiùs propinquat iniquitati, quantò acriùs intendit actioni.* Et rursus contra Ingratos: *quæ, scilicet voluntas, sine te quid agit, nisi ut procul exulet à te? nam quem gratia non recto tramite ducit, quantò plus graditur, tantò plus errat.* Hinc contra Cassianum sententiam hanc tanquam evidens & expressum Pelagii commentum improbat: *Cavendum est nobis ne ita ad Dominum omnia Sanctorum merita referamus, ut nihil nisi quod malum est & perversum, humanæ tribuamus naturæ:* quam tamen Pelagianam sententiam necessarium est ut non tantùm probent, sed etiam ad fidem catholicam pertinere existiment illi qui hæreticum esse pronunciant dicere, quòd omne opus liberi arbitrii sibi relicti sit peccatum. Quòd si Sorbona majoris se autoritatis aut eruditionis existimat, quàm ut hujusmodi testimoniis cedat; saltem ferat ut à domesticis Dei non excludat eos qui humiliter

(a) *C. addit: dimitte nobis debita nostra.*
(b) *K. omit. cum ipsa.*
(c) *C. peccatorum remissione & tentatione.*
(d) *C. omit. ista.*
(e) *C. discedamus.*
(f) *C. addit: quam nostro alicimus consilio.*
(g) *C. facilè sustinere.*
(h) *K. omit. ista.*
(i) *C. omit. indesinenter.*
(k) *C. omit. hæc.*

liter (a) cedunt, & hujusmodi Scriptorum autoritatibus libentiùs credunt quàm Pelagio & Symmistis ejus acquiescunt. Nec eos tam præcipitanter hæreticos pronunciet, qui adversùs Pelagium non tantùm priscis Ecclesiæ Doctoribus; (b) sed etiam excellentissimis Ecclesiæ Romanæ Pastoribus, Zozimo & Cœlestino, manifestissimè consentiunt. De qua quæstione etiam eleganter differitur lib. 1. de vocat. Gent. cap. 6. 9. ultra medium usque ad finem: & apud Augustinum epist. 84. 89. quæst. 2.

(a) *K. credunt.*
(b) *K. libentiùs acquiescunt, quàm Pelagio & Symmistis ejus.*

V. PROPOSITIO.

Homo faciendo quod in se est, peccat: & non potest non peccare, faciendo quod in se est.

CENSURA.

Tota hæc propositio est hæretica.

ANNOTATIO.

Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν, dicit dubium non esse quin in omni tentatione adsit nobis tolerandi virtus, si tamen nos competenter utamur virtute concessâ: quam virtutem cum Pelagio naturam intelligit. Nam (c) doctrinâ Pelagii Origenis ramusculus est, inquit Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem. Existimavit enim Origenes in nostra potestate esse servare Dei mandata, tam faciendo bonum, quàm declinando à malo, sine ullo Dei adjutorio: ut patet ex cap. 2. ejusdem libri περὶ ἀρχῶν. Simile quid præ se ferre videntur verba definitivæ sententiæ, quâ usi sunt nonnulli recentiores Doctores, dicentes quòd Deus adsit omnibus Infidelibus facientibus quod in se est: sicut ingenuè fatetur Joannes Driedo à Turnhout, in lib. de concordia liberi arbitrii & prædestinationis, dicens quòd quantùm attinet ad grammaticam sermonis significationem, significat, inquit, hominem facere (d) quod in se est, ex his quæ in se habet: quanquam tamen ei sensum catholicum tribuat. *Quia ergo Infideles in se non habent unde boni quidpiam faciant; de ipsis ideò rectè dicitur quòd faciendo quod in se est, peccant.* Nam de eorum voluntate ait Prosper 1. de voca. Gent. c. 2. 6. quòd *tantò citiùs propinquat iniquitati, quantò acriùs intendit actioni:* sicut in annotatione præcedentis propositionis dictum est. Sed an hoc etiam ad Fideles extendi queat, qui jam bonæ voluntatis facti, acceperunt benè agendi potestatem; alia quæstio est. Habent enim in se bonam voluntatem, quâ benè vivere possunt; sed quia illam à se factam non habent, sed à Deo præparatam; ideò quæstio grammatica est utrùm benè vivendo dicendi sint facere quod in se est, an quod Deus in illis est. Scriptura Sacra sæpe sic loquitur ut quod bonum est soli Spiritui Sancto tribuere videatur, ut ibi: *non est in homine via ejus; nec est viri ut ambulet, & dirigat gressus suos:* & ibi: *non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Sanctus qui loquitur in vobis.* Rursus: *Spiritus postulat pro vobis gemitibus inenarrabilibus,* &c. non quòd bonum opus alienum sit ab hominis voluntate; sed ne de eo quod acceperit, glorietur in semetipso quasi non accepisset.

(c) *C. Pelagius.*
(d) *C. quantum in.*

Si

Si igitur quis simili aliquâ ratione, non tantùm de Infidelibus, sed generaliter de omni homine rectè dici putaret quòd faciendo quod in se est, id est, quod non ex gratia Dei, sed quod (a) ex propriæ voluntatis virtute potest, peccat; non aliud assereret, quàm quod præcedenti propositione satis defensum est; nec tam absurdè (b) loqueretur, ut ob id hæreticus dici mereretur, sicut prætendit hujus Censuræ severitas: quia sicut aliud est errare etiam in iis circa quæ versatur fides, aliud hæreticum esse; Hæreticus enim non est, nisi qui erroris sui excusationem non habet: Sic longè aliud est propositio erronea, aliud hæretica: sicut ex Epiphanio & Augustino & cæteris, qui usque ad sua tempora hæreses numeraverunt, constat. Hæretica enim sententia aut propositio censeri non debet, nisi quæ tam manifestè fidei est contraria, ut inter Fideles de peccato excusationem habere non possit qui illam asseverat, ne viris sanctissimis & unitatis catholicæ studiosissimis, qui in hujusmodi nonnunquam quippiam passi sunt humani gravissimum infidelitatis impietatisque crimen impingentes, summam injuriam irrogemus. Malim tamen eum qui rectè sentit, clarè eloqui quod sentit; ne ob inordinatum sermonem, malè sentire putetur.

(a) *C. ex propria virtute.*
(b) *C. omis. loqueretur.*

VI. PROPOSITIO.

Posse peccare non est de ratione liberi arbitrii hominis: nec hujusmodi peccandi (c) potestas homini à Deo data est.

(c) *C. facultas.*

CENSURA.

Hujus propositionis prima pars est falsa, secunda est hæretica.

ANNOTATIO.

Quantùm ad priorem hujus propositionis partem attinet, divus Anselmus est ejusmodi Censuræ valde contrarius: si quidem lib. suo de Libero arbit. cap. 2. sic ait: *Quamvis differat liberum arbitrium hominis à libero arbitrio Dei & Angelorum: tamen hujus libertatis denominatio secundùm hoc nomen debet esse eadem. Quapropter talem oportet dare denominationem, quæ nec plus nec minùs illâ contineat. Quoniam igitur liberum arbitrium Dei & Angelorum non potest peccare; ideò non pertinet ad (d) definitionem liberi arbitrii posse peccare. Denique nec libertas est nec pars libertatis posse peccare, sive potestas peccandi.* Hìc videre potest Sorbona quem suâ Censurâ refellat, & à quo sua Censura refellatur. Et licèt Anselmus tacuisset, adhuc tamen manifestum est Sanctos in futura vita, cùm erunt æquales Angelis Dei, & ampliùs peccare non poterunt; non aliâ ratione fore liberi arbitrii, quàm sint in hac vita, ubi peccare possunt: sicut nec Christus qui peccare non potuit, aliâ ratione liberi arbitrii fuerit, quàm hi qui peccare (e) poterant. Ex quo manifestè sequitur posse peccare non magis esse de ratione liberi arbitrii hominis, quàm Angeli: nisi fortasse Sorbona dicere velit Sanctos in futura vita, quando erunt immortales, etiam aliâ (f) ratione fore homines, quàm sint in hac vita ubi sunt mortales: quia si posse peccare & non posse

(d) *K. denominationem.*
(e) *K. possunt.*
(f) *C. definitione.*

posse peccare liberi arbitrii definitionem varient; æquum est etiam ut mortale & immortale etiam varient definitionem hominis; præsertim quia non defuerunt Scriptores in externa sapientia præclari qui mortale & immortale in hominis definitione ponendum censuerunt.

Porro quid Sorbonæ in mentem venit, quando secundam hujus propositionis partem, quæ habet quòd potestas peccandi homini non sit à Deo; non falsam, ut priorem, sed hæreticam censuerit; non facilè possum conjicere: præsertim cùm sub iisdem verbis sub finem libri 2. sentent. à Doctoribus Scholasticis tanquam dubia quæstio disputetur utrùm potestas peccandi homini sit à Deo; nisi fortè dum plus ad damnandum, quàm ad intelligendum intendit, etiam suos Doctores Scholasticos oblita, per hanc potestatem significari putaverit mentem, voluntatem, aliasve potentias, quibus in hac vita peccamus, à Deo non esse. Id enim manifestè erroneum est. Verùm si id putaverit, valde turpiter hallucinata est in proprietate hujus nominis, *(a) potestas*, seu, *posse*: quod, sicut aliæ multæ voces, quibusdam dictionibus junctum, sæpius à sua significatione propria *(b)* avocatur, ut significet non potentiam, sed aut impotentiam, ut cùm dicimus, molle facilè dividi posse; aut nudam alicujus facultatis negationem, ut cùm dicimus: quandiu in hac vita sumus, semper labi possumus. Nam hoc dicentes nihil aliud significamus, quàm quòd dum mortales sumus, semper possumus à Dei mandatis deficere; nec eâ facultate præditi simus, quâ præditi sunt Angeli in cœlo, ut simus perfectè stabiles in bono: quam facultatem ubi consequemur, non aliquam potentiam deperdemus, quâ in hac vita posse peccare dicebamur; sed facultatem quam in hac vita non habuimus, solâ negatione sublatâ, consequemur.

(a) K. potentia.
(b) C. avertitur.

Quòd igitur secunda propositionis pars non debeat dici hæretica, sic ostenditur: Cùm omnino non essemus, non à Deo acceperamus ut non essemus, quamvis illo & sciente & consentiente non essemus. Ergo quando sic sumus ut in bono stabiles non simus; non hoc à Deo accepimus ut stabiles non simus, quamvis illo & sciente & permittente stabiles non sumus: sed hanc negationem ex eo reservamus quod aliquando omnino nihil fuimus. Deus enim, qui summè est, juxta Augustinum lib. 2. de Civit. cap. 2. rebus quas creavit, esse dedit, sed non *(c)* summè: *ac per hoc*, inquit lib. 19. de Civit. Dei cap. 13. *ut natura sit, ex eo habet quòd à Deo facta est; ut autem ab eo à quo facta est, deficiat; ex hoc, quod ex nihilo facta sit.* Idem dicit lib. 2. contra Julian. cap. 8. & *(d)* de fide ad Petrum, cap. 3. Naturæ *(e)* igitur à Deo factæ ideò deficere possunt, quòd ex nihilo factæ sunt; peccare autem deficere est: ergo ex eo peccant quòd ex nihilo factæ sunt. Non ignoro partem oppositam à Catholicis quibusdam non absurdè defendi: sed per hoc manifestè *(f)* omnino convincitur partem hanc talem non esse, *(g)* ut debuerit hæretica censeri: præsertim exurgentibus nunc undique tot Hæreticorum catervis, quas si adhuc ex hujusmodi quæstionibus multiplicare volumus, tot Hæreticorum alvearia facientes, quot occurrerent sententiæ nostris opinionibus aut etiam erroribus contrariæ, facilè implebimus quod in Evangelio dicitur: *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra*, quia universa *(h)* hæresibus & schismatibus implemus.

(c) C. summum.
(d) Fulgent.
(e) C. inquit.
(f) K. ostendo.
(g) C. ut hæretica ostendi & dici mereretur.
(h) K. hæreticis & schismaticis implebitur.

VII. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali gratia vitare peccatum: unde fit ut omne opus hominis purè infidelis sit peccatum.

CENSURA.

Hujus propositionis secunda pars est falsa, & malè infertur ex priori.

ANNOTATIO.

Si Sorbona sensisset divinum auxilium esse homini necessarium, non tantùm ut longo tempore vitaret peccatum; sed etiam ut in singulis actibus, causis, cogitationibus & motibus peccatum effugeret; sicut ex Scripturis Sacris docuit contra Pelagium veneranda Patrum antiquitas; Lex enim sine gratia non minuit peccatum, sed abundare facit: quia Lex sine gratia occidit: si, inquam, hoc sensisset Sorbona, nunquam existimasset posteriorem hujus propositionis partem malè inferri ex præcedenti: quia manifestum est eos, qui purè infideles sunt, in nullo suo opere adjuvari. Sed quia de antecedenti superiori quæstione quartâ satis diximus; nunc de consequenti pauca subjiciamus. Præceptum est homini ut soli Deo serviat, & omnia in ejus gloriam referat: nam quia Deo commodare non possumus, ideò serviendo & voluntatem ejus faciendo illum glorificare debemus. Sed Deo servire non potest, nec quicquam in gloriam ejus facere qui illum & cæcitate nescit, & elatione contemnit. Igitur in omni suo opere peccat: ut verum sit quod ait Apostolus, quòd *coinquinatis & immundis nihil est mundum: omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Quod posterius Apostoli dictum etsi Gagnæus, Sorbonæ alumnus, & quidam alii recentiores nesciò quo sermonis prodigio conantur eludere, non tantùm contra omnium latinè intelligentium sensum, sed etiam contra (a) sententiam Veterum Patrum, per fidem intelligentes (b) bonæ conscientiæ testimonium: attamen manifestè refelluntur testimonio Augustini locis penè infinitis, & præsertim lib. 4. contra Julian. cap. 3. Similiter Prosperi contra Ingratos, ubi sic ait: *omne etenim probitatis opus nisi semine veræ fidei exoritur, peccatum est; & in peccatum vertitur; & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.*

(a) K. sensum omnium Veterum.
(b) K. propria.

VIII. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium liberè vult, quicquid sponte aut voluntate vult; ita ut quod liberè vult, idem necessariò velit.

CENSURA.

Hujus propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est hæretica.

ANNOTATIO.

De hac Censura sufficienter dictum est circa secundam quæstionem: quare silentio prætermittimus.

IX. PROPOSITIO.

Hæreticus & Schismaticus, & homo non purè fidelis meretur quandoque de condigno vitam æternam.

CENSURA.

Hæc propositio planè est hæretica.

ANNOTATIO.

Quòd homo non habens plenam fidem, nec peccatorum suorum remissionem, aliquando à Deo adjuvetur ut aliquid boni faciat, quod Deo gratum sit & acceptum, docent nos orationes & eleemozynæ Cornelii Centurionis: Cui etiam si certum sit in futuro sæculo nullam fuisse retribuendam mercedem, si in peccatis suis usque ad mortem permansisset; attamen quòd acceptâ suorum peccatorum remissione apud justum Judicem, qui acceptor personarum non est, non sit pro ejusmodi operibus accepturus retributionem, vellem Sorbona aliquo Scripturarum testimonio tam solidè doceret (quod doctoribus proprium esse debet) quàm ejus oppositum confidenter & temerè damnavit: præsertim quia sicut malis operibus ideò pœna debetur, quia mala sunt: sic etiam bonis, (a) quia bona sunt, debetur merces. Sicut in Concilio Arausicano II. can. 18. dicitur, *debetur merces bonis operibus, si fiunt: sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant:* ut est apud Augustinum epist. 106. *Bona,* inquit, (b) *opera piâ retributione non frustrantur; cùm Dominus reddat unicuique secundùm opera ejus.* Similia quædam opera tribuit Augustinus Schismaticis in lib. *de pœnitentia* cap. 26. & 27. quæ Dei dona esse contendit, & ad hoc prodesse ut mitiùs damnentur, non ut regnum consequantur æternum. (c) (Nam præsupponit eos in suo schismate permanere usque ad mortem.

Scimus apud Calvinum (d) de justificatione certum principium reputari, quòd opera bona etiamsi careant omni imperfectionis vitio, attamen per se nec ad justitiam nec ad meritum conferant, nisi præsuppositâ peccatorum remissione. Sed an istud principium sumpserit ex aliquo Concilio generali, aut testimoniis sacræ Scripturæ; an potiùs ex communi placito Scholæ Parisiensis, nec affirmare audeo, neque negare, ne inveniar dicere quod nescio.

(a) C. à Deo bona debentur.
(b) K. bonis merces, quia bona sunt.
(c) C. omitt. ista.
(d) K. omit. de justificatione.

X. PROPOSITIO.

Homo existens in peccato mortali, sive ejus reatu ad mortem æternam, habet in se charitatem.

CENSURA.

Hæc propositio est hæretica.

ANNOTATIO.

Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 7. differens de quatuor animi affectibus, qui aliquando boni sunt, aliquando mali, tandem subdit quòd cuivis propositum est amare Deum, & non secundùm hominem, sed secundùm Deum, amare proximum sicut seipsum. *Propter hunc amorem*, inquit, *dicitur voluntas bona, quæ usitatiùs in Scripturis Sacris charitas appellatur.* Idem docet lib. *de gratia Christi* cap. 21. *l. de grat. & lib. arb.* c. 17. & l. 2. *contra duas epistolas Pelagian. c.* 9. differens de prima boni cupiditate, quam Deus homini inspirat, & per quam efficitur de invito volens & de reluctante consentiens; *quid est*, inquit, *boni cupiditas, nisi charitas, de qua Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens:* Charitas ex Deo est; *(a)* (*nec initium ejus ex nobis est, & perfectio ex Deo est.*) *Sed si Charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est.* Ex quibus manifestum est apud Augustinum nomine Charitatis in Scripturis sacris rectissimè intelligi bonam voluntatem, seu propositum bonum & studium veritatis, sicut eodem capite 7. dicitur. Sed bona voluntas etiam ante peccatorum remissionem invenitur. Nam pax in terra promittitur hominibus bonæ voluntatis. Igitur Charitas præcedit remissionem peccatorum.

(a) C. omit. ista.

Præterea fides quæ non operatur per dilectionem, *(b)* inanis est & mortua, nec valet ad remissionem peccatorum consequendam: sicut toto libro *de fide & operibus*, docet Augustinus. Igitur ut quis sit idoneus ad consequendam remissionem peccatorum *(c)* (præter baptismum) necessaria est fides per dilectionem operans, qualis à B. Jacobo in Raab meretrice commendatur, & qualem habuit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quia dilexit multùm.

(b) C. *est mortua.*

(c) C. omittit ista.

Tertiò, qui non diligit, manet in morte. Sed Catechumenus, qui ante peccatorum remissionem suos *(d)* (præteritos deflet &) confitetur errores, surrexit à mortuis; quia à mortuo tanquam ab eo qui non est, perit confessio. Igitur Catechumenus diligit Deum, etiam priusquam per *(e)* illuminationis Sacramentum peccatorum suorum remissionem consequatur.

(d) C. omit. ista.

(e) C. *illuminationem Sacramenti.*

Quartò, *qui non diligit me, sermones meos non servat*, inquit Christus; sed multi Catechumeni adhuc portantes peccatorum suorum sarcinam usque ad baptismum, majori diligentiâ *(f)* ac fervore servant Dei mandata, quàm nonnulli alioquin boni & justi Christiani. Igitur & ante peccatorum remissionem diligunt Deum.

(f) C. omitt. *ac fervore.*

Quintò, si habuero omnem fidem, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: sed fides ex qua Infideles justificantur, eis multùm prodest; sicut Publicano multùm profuit oratio, cujus merito descendit justificatus in domum suam ex templo: & eleemosynæ Regi Nabuchodonosor, teste Daniele, profuissent, si illis peccata redimere voluisset. Igitur ut fides ad remissionem pec-

peccatorum prosit, necessarium est ut conjunctam Charitatem habeat. Quia, ut ait Apostolus, *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* ad Gal. 5.

Sextò, si quis non amat Jesum Christum Dominum nostrum, ait Apostolus, sit anathema. Sed nemo dixerit Gentili anathema, qui Spiritûs Sancti baptismate regenerandus vetustatem peccati exuere cupit & Christi novitate vestiri: neque etiam peccatori, qui accepto pœnitentiæ dono, per reconciliationis auxilium festinat ad veniam; quia his ab Ecclesia impenditur benedictionis gratia. Igitur uterque amat Dominum nostrum Jesum Christum etiam ante remissionem peccatorum. *Deus enim etiam nullis præcedentibus meritis & fidem & amorem sui præsens inspirat,* (inquit Concilium Arausicanum II.) *ut sacramentum Baptismi fideliter requiramus.*

Sed quid ego hîc diutiùs laboro, cùm Leo Papa serm. 9. de passione Domini, asserat quòd Dominus in Petro negante viderat non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam tuisse turbatam: & quòd abundavit fletus, ubi non defuit affectus, & quòd fons charitatis lavit verba formidinis; *(a)* (nec tardatum est remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis.) Ex quo manifestè sequitur Charitatem non tantùm cum reatu, sed etiam cum actu peccati mortalis in Petro permansisse, cujus merito postea abolita est ejus negatio. Scio Scholæ commune esse documentum, Charitatem esse habitum omni cupiditate & omni tentatione fortiorem, cui addi quippiam possit, sed nihil detrahi, nisi per peccatum mortale in totum pereat; per cujus subitam & insensibilem infusionem formaliter fiat omnium peccatorum remissio, & sine cujus infusione fieri non possit. Sed an istud decretum tam solidis argumentis probari queat, ut contrarium dicendum sit hæreticum, magnopere cuperem edoceri: quia nulla Scriptura Sacra mihi occurrit, quâ hoc satis doceri queam: nonnullæ occurrunt, quibus hoc decretum videtur in multis non improbabiliter posse refelli.

(a) C. omit. ista.

XI. PROPOSITIO.

Per contritionem, non adhibito realiter Sacramento Baptismi aut pœnitentiæ, non dimittitur peccatum extra casum martyrii aut necessitatis.

CENSURA.

Hæc propositio est hæretica & schismatica.

ANNOTATIO.

Manifesta est Christi doctrina, quòd *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum:* quam secutus Augustinus docet quòd Catechumeni credentes usque ad Baptismum portant peccatorum suorum sarcinam, quæ autem Baptismi, eadem & reconciliationis est ratio, sicut ait idem Augustinus in fine primi Libri *de adulterinis conjugiis.* Ideoque certissima est doctrina quòd extra casus à D. Bernardo epist. 77. *(b)* exceptos ex veterum tra-

(b) C. pe-sitos, non.

traditione non detur peccatorum remissio, nisi eis qui realiter baptizantur aut à Sacerdotibus absolvuntur.

Cæterùm quid intenderit Sorbona, cùm hanc propositionem non tantùm erroneam, sed etiam hæreticam & schismaticam pronunciat, conjicere non valeo. Schisma enim facit animorum *(a)* divisio, quâcunque ex causa proveniat, etiamsi nullus error *(b)* interveniat. Nullam autem inter Fideles divisionem facit, qui peccatricem Magdalenam ad Christum pro venia currentem imitari docet, & ad Sacerdotes mittit; quod sine dubio faciunt qui extra casus Martyrii & necessitatis, sine absolutione *(c)* Sacerdotis non dari peccatorum remissionem docent. Igitur qui *(d)* sic docent, nullum schisma in Ecclesia faciunt; sed potiùs qui Novatum ex parte sequentes, aliquoties lapsos à Sacerdotibus alienant, sine quorum ministerio per solam contritionem contra Dei legem Deo posse reconciliari prædicant: de qua re videre licet Jacobum Latomum, *de Confessione secreta.*

(a) C. *divisionum.*
(b) C. *inveniatur.*
(c) K. *Sacerdotum eos non posse remissionem habere peccatorum docent.*
(d) K. *sic faciunt.*

XII. PROPOSITIO.

Peccator si facit quod mandatur, (e) per contritionem ac confessionem factam Sacerdoti non illi remittitur peccatum, nisi Sacerdos absolvat; etiamsi per malitiam absque ratione Sacerdos illi deneget absolutionem.

(e) C. *post contritionem.*

CENSURA.

Hæc propositio est hæretica.

ANNOTATIO.

Ex hac Censura, si tamen Sorbonæ sit, manifestum est eam arbitrari hunc hæreticum esse, quisquis dixerit Confessionem & Sacerdotis absolutionem extra casum Martyrii aut necessitatis esse necessariam; nec procul à vero esse quod dicit Lutherus fidem sine satisfactione ad salutem & remissionem peccatorum sufficere: Vel potiùs quod Joannes Wicleph docet, & quod olim damnatum est, videlicet, si homo fuerit debitè contritus, omnis Confessio exterior est superflua & inutilis. Id quod tamen usque adeo non approbant Veteres, ut Jacobus Latomus *de secreta Confessione*, ex Cypriano, Augustino, Hilario, *(f)* Beda, & aliis pluribus Veteribus contra Hæreticos manifestè ostendat sanæ fidei esse contrarium, quòd Confessio & Absolutio post Baptismum relapsis non sunt necessariæ. Sed & quisquis legerit epistolam 180. Augustini, quæ est de fuga in persecutione, nullo modo dubitare poterit extra necessitatem ad remissionem peccatorum necessarium esse Sacerdotis ministerium: cùm ministrum dicat impium, qui extra casum necessitatis subtraheret ministerium pietati & reconciliationi necessarium. Deinde subdit: *Annon cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius pœnitentiæ actionem; omnibus consolationem ac Sacramentorum confectionem & administrationem poscentibus.*

(f) C. *omit. Beda.*

bus. Unde si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo non regenerati exierunt, vel ligati, præsertim in tali necessitate? Hæc ille. Quæ tamen verba intelligenda puto, quantùm attinet ad impietatem ministrorum illos in necessitate tali deserentium. Nam, sicut tradit Augustinus, Deus in necessitate supplet quod deest ex Sacerdotum ministerio. Attamen quia necessarium est quod à ministris exigitur; ideò non minùs deserendo peccant, quàm si hoc ipsum à Deo misericorditer non suppleretur, quod ab ipsis in necessitate non impenditur. Error esset tolerabilis, si Sorbona se contrarium opinari diceret; sed dum catholicam veritatem hæreticam pronunciat, viderit ne illud incurrat quod dicit Gregorius lib. 9. Regist. c. 30. quòd videlicet sunt multi Fidelium qui (*a*) imperito zelo succenduntur, & dum sæpe quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses ipsi faciunt. (a) C. *imperfecto.*

XIII. PROPOSITIO.

Non sine Pelagiano errore admitti potest ante primam justificationem in homine aliquis bonus usus liberi arbitrii: & qui se ad eam præparat, peccat; ut is qui naturalibus (b) bonis suis pessimè utitur; nam antè eam omnia opera hominis sunt peccata damnatione digna. (b) C. *donis.*

CENSURA.

Hæc pro omnibus suis partibus est hæretica.

ANNOTATIO.

Si per primam justificationem intelligatur peccatorum remissio, sicut in scholis intelligi solet; verissima est Censura. Sed quantùm ex propositionibus prioribus, & ex verbis hujus colligere licet, qui hanc propositionem asseruisse putantur aut finguntur, nihil aliud senserunt quàm quòd ante primum divinæ renovationis initium nullus sit in homine bonus liberi arbitrii usus, quia omne quod non est ex fide peccatum est; ut dictum est propositione septimâ. Quapropter non videtur improbanda Censura, sed delatorum calumnia, qui studio lædendi verbis (*c*) aliorum insidiati sunt, & quæ benè dicta erant, sicut & in aliis pluribus propositionibus, ad sensum reprehensioni obnoxium paucis commutatis detorserunt. (c) C. *alieniis.*

XIV. PROPOSITIO.

Non datur gratia nisi reluctanti: proinde nec prima justificatio, (d) quia justificatio est fides; fides enim est qua ex impio quis sit justus. (d) Al. *qua.*

CENSURA.

Hujus propositionis duæ partes sunt hæreticæ, & tertia est falsa.

A N-

ANNOTATIO.

Pelagii sententia fuit quòd gratia bonum uniuscujusque propositum adjuvaret, non autem reluctanti studium virtutis immitteret: ut patet ex Augustini lib. 2. *contra duas epistolas Pelagianorum* cap. 8. Per quod intelligebat Pelagius quòd initium nostræ conversionis esset ex nobis, incrementum verò ex Deo. Contra quem ostendit Augustinus quòd & initium & incrementum & complementum nostræ conversionis ex Deo sit; quòdque Dei gratia non inveniat in nobis bonam voluntatem, sed eam faciat: Deus enim ipse est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona sua voluntate, nec facit ex his qui per se boni sunt, meliores; sed quoscunque primùm ad se convertit, ex malis bonos facit. Quod enim queritur Job: *quare posuisti me contrarium tibi*, est toti naturæ lapsæ commune.

Verissimè ergo dici potest quòd primum conversionis initium non nisi reluctanti tribuatur, quia per illud ex reluctante volens & consentiens efficitur: sicut ex Ambrosio docet Augustinus l. *de bono persever.* cap. 19. Sed quia jam volentibus, & ad majora Dei dona per orationes & gemitus tendentibus multa gratiarum munera tribuuntur, quæ non tantùm sunt gratia, sed gratia pro gratia; ideò manifestè erroneum est, quod ex particulari à calumniatoribus generaliter delatum est, gratiam, videlicet, non dari nisi reluctanti: cùm id tantùm de prima conversionis gratia sit dictum. Qui verò dicunt quòd fides quæ per dilectionem operatur justitia sit, non scio an multò plus peccent, quàm peccavit Augustinus dicens l. *de natur. & grat.* cap. ultimo: *charitas inchoata, inchoata justitia est; & charitas perfecta, perfecta justitia est:* quia in Scripturis Sacris non commendatur fides, nisi quæ per dilectionem operatur, & cum qua similiter dilectio intelligitur, quæ rectè justitia esse dicitur.

(a) K. *tendentibus quantum possunt.*

XV. PROPOSITIO.

Homo necessariò peccat etiam damnabiliter in aliqua peccati specie: & actus in quem necessariò fertur, est illi peccatum: quare ut liberè feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccandum.

CENSURA.

Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica.

ANNOTATIO.

Joannis primo capite dicitur quòd quotquot Dei Filium receperunt, id est, in eum crediderunt (inquit Augustinus ad Bonifacium lib. 1. cap. 2.) dedit illis potestatem filios Dei fieri: hanc enim potestatem quâ crederent & filii Dei fierent, ex se non habuerunt, sed aliunde accipere debuerunt: sicut docet idem Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 2. & l. de natur. & grat. c. ulti-

c. ultimo; & Cœlestinus Pontifex epistolâ suâ ad Episcopos Galliæ, cap. 4. Ex quo intelligimus quòd hi quibus hæc potestas non datur, quandiu non datur, nec credere possint nec filii Dei fieri; sicut capite 12. apud Joannem de quibusdam dicitur, quòd cùm tanta signa Christus fecisset coram eis, *propterea non poterant credere*, quia juxta Isaiæ vaticinium non illuminabantur Christi misericordiâ, sed suâ justitiâ quam in se constituebant, excæcabantur & obdurabantur: erant enim de eorum numero, quibus prædictus erat Christus futurus lapis offensionis & Petra scandali. Sed hi suâ incredulitate tam graviter offenderunt, ut Christus de illis quasi per antonomasiam dicat: *si non venissem, peccatum non haberent:* quasi videlicet cætera peccata dici non mererentur. Igitur peccato infidelitatis gravissimè peccaverunt (*a*) (qui credendi potestatem non habuerunt, quando non credendo peccaverunt;) quamvis verum sit quòd credere poterant, si Deus eorum misereri voluisset: sed quia non miserebatur, ideò dicuntur non potuisse credere. Præterea Cyprianus lib. 1. Epistol. 2. epistolâ de Virginibus Deo (*b*) dicatis dicit: *Si perseverare nolunt aut non possunt; melius est ut nubant:* ubi manifestè datur intelligi inter Virgines Deo dicatas, quæ incontinenter vivunt, quasdam nolle continere, nec votum adimplere quod semel promiserunt; alias velle quidem, sed non posse. Nam ex voluntate fit libido, & ex libidine consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas, inquit Augustinus 8. Confess. cap. 8. & tamen eas à peccato non excusat. Igitur fieri potest ut aliquis in quodam genere peccati sic peccet necessariò, ut in se non habeat potestatem evitandi peccatum, cùm peccat: sed meritò ad Deum clamare debeat: *De necessitatibus meis erue me:* ut qui dedit voluntatem, det etiam (*c*) potestatem, seu magnam & efficacem voluntatem, quâ superare queat contrariam cupiditatem: *qui enim vult facere mandatum*, inquit Augustinus lib. de gratia & libero arb. cap. 17. *& non potest, ille quidem habet bonam voluntatem, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam. Tanta*, inquit idem l. de corr. & grat. cap. 12. *accenditur Spiritu Sancto voluntas Sanctorum, ut ideò possint quia sic volunt, & ideò sic velint quia Deus operatur ut velint*. Idem prorsus nobis indicat illud Mathæi: *qui potest capere, capiat.* Nam (*d*) (etsi non desint qui hoc sic accipiant, quasi dictum sit: qui vult capere capiat:) attamen res eodem recidit, quia voluntas quæ præparatur à Domino, cùm tanta est ut ab ea superetur cupiditas, ipsa est potestas quæ datur à Domino ut & mandata & consilia capiantur. Verissima igitur est hujus propositionis prima pars, videlicet quòd homo necessariò peccet in aliqua specie (*e*) peccati, sic videlicet ut cùm peccat, potestatem evitandi hoc peccatum non habeat; quia hujusmodi potestas ipsa est efficacissima voluntas, quæ præparatur à Domino: quam nec Petrus habuit cùm putabat se posse, quod se velle sentiebat; nec multi alii gravissimè peccantes acceperunt, nec ex se ipsis habere potuerunt, ut dictum est. Et si Sorbona vidisset quod anno 1347. censuerit de propositione 14. & 15. Joannis de Mercurio; forsitan comperisset se tunc manifestè probasse quod nunc hæreticum esse pronunciat, inconstanter quidem & temerariè. Cæterùm quod posteriore propositionis parte dicitur, videlicet quòd actus in quem necessariò quis fertur, illi peccatum est; non de propria aliqua specie peccati, sed de parti-

(a) C. omit. ista.

(b) C. *sacratis.*

(c) C. omittit: *potestatem, seu.*

(d) C. omit. ista.

(e) K. *mortalis pecca-ti.*

particulari aliquo opere videtur accipiendum, quod videlicet ab aliquo sic ex necessitate fiat, ut quando ipsum facit, in sua potestate non habeat omittere ipsum. Mihi tale esse videtur homicidium à phrenetico, ebrio, aut ignorante commissum, sive sit voluntate antecedente necessarium, sive non: modò tamen non sit involuntarium, seu voluntati facientis contrarium. Nam D. Thomas asserit etiam illud esse peccatum quod per meram fit ignorantiam, si modò non sit involuntarium. Nam si esset involuntarium, sicut (a) actor quod nollet, faceret; ei tum imputari non posset, sicut ex Apostolo discimus: *quod si hoc quod nolo facio, jam non ego operor.*

(a) C. auctor.

Quòd si Sorbona in hoc D. Thomam non recipiat, quòd ait malum opus esse peccatum, modò non sit involuntarium; saltem negare non potest homicidium necessitate commissum, sed in sua causa voluntarium, revera peccatum esse: quod certè ad veritatem posterioris partis hujus propositionis sufficere videtur. Quapropter valde mirum est quid in mentem illi venerit, ut omnes hujus propositionis partes etiam contra proprium sensum, hæreticas esse pronunciet; nisi fortè non satis attenderit quid diceret, cùm etiam duas posteriores hujus propositionis partes pronunciet hæreticas.

XVI. PROPOSITIO.

Nemo præter Christum est absque peccato originis: hinc B. Virgo mortua est propter peccatum, (b) quod contraxit ex Adam: omnesque illius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, sunt ultiones peccati originis, vel actualis: unde Job passus est & omnes martyres propter sua peccata.

(b) K. addit: originale.

CENSURA.

Hæc propositio pro omnibus suis partibus est hæretica; & B. Mariæ Sanctisque omnibus injuriosa.

ANNOTATIO.

Si quis tam absurdus (c) reperiretur, ut diceret B. Virginem & Sanctos nunc cum Christo regnantes & in Paradiso requiescentes, nondum carere peccato (d) originali; sine dubio meritò ab omnibus damnaretur tanquam hæreticus. Sed quia nemo tam stupidus est ut id cogitet: ideò (e) calumniæ artificium est quòd hæc propositio sic expressa sit ne hunc sensum habere possit & non immeritò damnari; ut per ejus damnationem, etiam tanquam hæreticum videatur damnatum, quòd B. Virgo concepta sit in peccato originali.

(c) C. videretur.
(d) C. omit. originali.
(e) C. omit. calumnia.

Quòd igitur hoc non debeat damnari tanquam hæreticum, sic (f) breviter ostendo. Scriptura Sacra generaliter loquitur dicens, omnes in Adam peccasse, à qua (g) regula neminem exceptum facit præter eum in quo Princeps mundi hujus nihil invenit. Igitur sicut dicimus B. Virginem ex voluntate carnis & voluntate viri esse genitam; sic etiam sine periculo hæresis aut injuriæ in ipsam, (h) dicere possumus ipsam in iniquitatibus esse conceptam: maximè quia id etiam sentit universa antiquitas, & recentiorum doctissimi quique.

(f) C. omit. breviter.
(g) C. querela.
(h) C. addit: commissa.

Unde

Unde Ambrosius super Isaiam, sicut etiam citat Augustinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 35. & lib. 2. cap. 8. *Servatum est ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti: qui autem expers est delicti, etiam expers est hujusmodi conceptionis.* Idem manifestissimè docet Augustinus lib. 12. de Genesi ad litt. c. 18. & 20. & lib. 5. contra Julian. c. 9. & lib. 2. de pec. mer. c. 24. ubi sic ait: *Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materia carnis peccati sumpserit. Quod enim inde carnis suscepit, aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo:* (a) (mundavit, inquit; igitur priùs immundum fuit.) Similiter Leo Papa, serm. 2. de Nativitate: *Cùm in omnibus matribus non sit sine sorde peccati conceptio; Maria inde purgationem traxit, unde concepit.* Unde Fulgentius de Incarnat. Domini cap. 6. *Hæc est gratia, quâ factum est*, inquit, *ut Deus qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est, homo nasceretur atque conciperetur in similitudine carnis peccati de carne peccati. Caro quippe Mariæ quæ* (b) *in iniquitatibus humanâ fuerat solemnitate concepta, caro utique fuit peccati.* Chrysostomus quoque hom. 17. in Joan. etiam inordinatum affectum ei tribuit; quanquam in ea re non consentiat Augustino l. de nat. & grat. c. 36.

(a) C. omit. ista.

(b) C. *de.*

Inter recentiores nota est D. Thomæ & D. Bonaventuræ sententia, similiter & Bernardi in epistola ad Canonicos Lugdunenses 174. quos ibi gravissimè reprehendit, quòd quibusdam nescioquod supernæ revelationis Scriptum proferentibus, imperitorum simplicitate decepti, in Ecclesiam sententiam novam, & Ecclesiæ ignotam celebritatem invexissent. Similiter sentiunt Alexander de Ales, & Albertus Magnus. Scotus docuit fieri potuisse ut sine peccato concepta sit, sed an factum sit ignorare se dicit.

Non ignoro anno 1439. undecimo Cal. Octobris in Concilio Basileensi, quod Eugenio Pontifici & Synodo Florentinæ repugnabat, esse definitum, eam doctrinam quæ dicit Beatam Virginem nunquam (c) subjacuisse peccato originis, tanquam piam, & cultui ecclesiastico consonam, fidei catholicæ, rectæque rationi, & Sacræ Scripturæ, ab omnibus approbandam; nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare aut docere. Sed indiscretam hujus Concilii definitionem & prohibitionem postea anno 1484. correxit Xistus IV. illos sententiæ excommunicationis subjiciens, qui alteram hujus propositionis partem (d) aut hæreticam aut peccato mortali obnoxiam dicere auderent, cùm non sit adhuc à Romana Ecclesia aut Sede Apostolica decisum. Ubi latenter indicat Xistus, illud quidem prius in Concilio Basileensi decisum fuisse; sed decisionem illam non esse curandam, cùm (e) à Sede Apostolica non approbetur: sicut nec hodie à Rege & Statibus Galliæ curatur multùm istud Concilium, si sit vera protestatio quæ sub eorum nomine circumfertur.

Si igitur Sorbona in sua Censura ad (f) incomposita hujus propositionis verba respexit, quæ significare videntur B. Virginem & Sanctos nunc non esse sine peccato originis; rectissimè de hac prima propositionis parte censuit. Sed si hæreticum esse voluerit quòd B. Virgo sit in peccato concepta; non solùm graviter erravit, sed etiam sententiam excommunicationis à Xisto IV. latam incurrit: præsertim quia Concilium Basileense non definivit hanc partem esse hære-

(c) C. addit: *actualiter.*

(d) C *tanquam hæreticam damnent, aut eos mortaliter peccare dicere audent, qui B. Mariam tenent cum originali peccato fuisse conceptam, cum nondum id sit in Ecclesia Romana decisum. Sed decisionem.*

(e C. *cum Sedes Apostolica id non approbaverit.*

(f) C. *ad nunc posita.*

hæreticam, sed solùm prohibuit illam prædicari & doceri: cum quo stare potest quòd liceat eam sentire & opinando asserere; quanquam, ut dictum est, hæc definitio curanda non sit, quam Sedes Apostolica reprobavit.

Porrò quòd festum Conceptionis piè ac religiosè à Fidelibus in Ecclesia jam celebretur, nullum facit huic quæstioni præjudicium, eo quòd de nostræ salutis exordio Deo gratias agere possumus, sive peccatum habuerit, sive non. Nam & in novi Principis nativitate, per quem salutem temporalem speramus, non immeritò exultamus & Deo gratias agimus; etiamsi non ignoramus ipsum & conceptum & natum in peccatis.

Altera pars hujus propositionis continet, quòd non tantùm flagella peccatorum, sed etiam mors & universæ tribulationes justorum propriæ sint pœnæ peccatorum. Quàm mirum est à Sorbona hæreticum id pronunciari, cùm manifestè id doceant Sacræ Scripturæ & Concilia Ecclesiæ & veterum Sanctorum scripta, adeò ut oppositum videatur sacræ fidei contrarium: *Deus* enim *creavit hominem inexterminabilem*, inquit Sapiens, Sapientiæ 2. *& ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli mors cum reliquis hujus vitæ tribulationibus intravit in orbem terrarum.* Quomodo autem intravit in hunc mundum, ostendit Apostolus, cùm ait Rom. 5. *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit.*

Sicut igitur mors in Adam intravit peccati merito, sic & in cæteris qui in illo peccaverunt, id est, ipso peccante, per generationem peccatum contraxerunt: *Omnes enim*, ait Apostolus 1 Cor. 15. *in Adam moriuntur*; etiam justi, in quibus peccatum est stimulus mortis. Nam de his ait Apostolus: *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum*, id est, moriendi necessitati subjectum; *Spiritus verò vivit propter justificationem.* Quapropter *Fidelibus utrumque debetur*, ait Augustinus, *& mors propter peccatum originis, quod cendo contraxerunt; & resurrectio propter justitiam, quam de plenitudine Christi acceperunt:* quia sicut vita immortalis, quam resurgendo consequimur, stipendium est justitiæ; sic stipendium peccati mors tam corporis quàm animæ: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur.*

Cæterùm Sorbona imaginari videtur, aut quòd in Adam mori non sit mori peccati originis merito: ex quo ulteriùs consequitur quòd peccatum originis non sit mortis temporalis *(a)* causa, quod est manifestissimè hæreticum: aut quòd soli impii, quibus peccatum originis dimissum non est, in Adam moriuntur, non autem justi quibus per baptismum data est remissio omnium peccatorum. Verùm si id imaginatur, vehementer fallitur Sorbona in hoc quòd non intelligat remissionem peccatorum, quæ in hac vita salutaribus perficitur Sacramentis, magis pertinere ad spem futurorum bonorum, quàm ad adeptionem vel retentionem præsentium: sicut propositâ sibi hac quæstione respondet Augustinus l. 2. de pec. mer. & remiss. c. 33. Idem docet in Enchir. c. 66. & l. 5. contra Jul. c. 6. & l. 21. de Civit. c. 15. Sicut enim David confessione peccati sui remissionem meruit, & tamen peccati merito humiliatus est à suo filio:

(a) Al. *meritum.*

filio: sic etiam quisque Fidelium consequitur peccati sui originalis per baptismum veniam; & tamen hâc remissione factâ non evadit mortem hanc temporalem, quam Deus Adæ comminatus est si de ligno vetito comederet: ut verum sit quod ait Apostolus, quòd in Adam omnes moriuntur, tam justi quàm injusti. Unde Augustinus libro 15. de Civit. c. 8. disputans de Martyribus dicit, quòd eorum mors fideliter pièque tolerata auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ, & cùm sit peccati retributio aliquando impetrat ut nihil retribuatur peccato. Quem sequitur Prosper sententia 146. *Mors*, inquit, *etiam piorum pœna peccati est; quæ ideò bona dicitur ipsis, quia eâ bene utuntur.* Hinc etiam in Concilio Arausicano II. dictum est: *Quòd si quis dixerit mortem corporis, quæ pœna peccati est, non autem peccatum, per unum hominem in omne genus humanum transiisse; injustitiam Deo dabit.* Nullam autem injustitiam Deo daret, hoc dicendo, si Martyres possunt sine peccati sui merito mori. Ergo mors non est in iis tantùm exercitium meriti, sed etiam retributio peccati. *Nimis enim impium est*, inquit Prosper contra Collatorem, *hoc de Dei sentire justitia, quòd à prævaricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa, ubi non latet pœna: & societas peccati convincitur, de societate supplicii; ut quod est humanæ miseriæ, non de institutione Creatoris, sed de retributione sit judicis. Si enim nullum esset peccatum*, inquit Augustinus l. 2. contra Jul. c. 7. *profectò nullo malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore vel in anima sub tantâ Dei (a) justitiâ paterentur.* Et lib. 6. contra Jul. c. 4. *In has magnas manifestissimasque miserias, in quibus homo vanitati similis factus est, merito peccati humanum genus collapsum est.* Et rursus in fine libri 4. *Grave jugum super filios Adæ non fuisset*, inquit, *nisi peccati originis meritum præcessisset.* Et l. 6. c. 2. *quomodo non est injustum jugum grave, si nullum est in parvulis peccatum, propter quod justè premantur jugo gravi?* Idem l. 3. c. 4. dicit genus humanum trahere originis noxam, his omnibus dignissimum pœnis, nisi ubi parcit ratione dispositionis occultæ inscrutabilis sapientia Conditoris.

(a) K. potentiâ.

Ex quibus omnibus adversùs Sorbonam hanc conficio ratiocinationem seu argumentationem: Certâ fide credendum est peccatum originis esse mortis temporalis meritum, ut jam probatum est: sed neque Scriptura Sacra, neque experientia docere potest hanc pœnam Sanctis per baptismum aut aliud quodvis sacramentum in hac vita esse dimissam: imò satis constat non esse dimissam; quod etiam Hieronymus in epistola ad Minerium & Alexandrum to. 4. quòd mors ista communis credentibus & non credentibus æqua dicatur: sicut Augustinus in lib. inchoatæ expositionis in epist. ad Rom: *justitiæ divinæ tanta constantia est*, inquit, *ut cùm pœna spiritualis & æterna alicui fuerit relaxata; pressuræ tamen cruciatusque corporales, quibus etiam Martyres exercitatos novimus, postremò mors ipsa, quam peccando meruit natura nostra, nulli relaxetur. Quòd enim justi homines & pii tamen exolvunt ista supplicia, de justo Dei judicio venire credendum est.*

Ipsa est quæ in Sacris Scripturis aliquando disciplina nuncupatur, quam neminem nostrum sinit effugere. Neminem enim excepit cùm diceret: *quem diligit Deus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Unde etiam ipse Job, qui propterea tam multa passus est, ut hominibus qualis vir esset & quantus

 tus

tus Dei servus, eluceret; pœnas tamen corporis se pro peccatis suis exolvere sæpe testatur. Petrus quoque Apostolus exhortans Fratres ad perferendas pro Christi nomine pœnas, ita loquitur 1. Pet. 4. *Nemo autem patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut (a) alienorum appetitor: si verò quasi Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine; quoniam tempus est ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem initium à nobis; quis finis eorum qui non credunt Evangelio Dei? & si quidem justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Manifestè ostendit Apostolus Petrus easdem ipsas passiones, quas justi patiuntur, ad judicium Dei pertinere, quod inchoare dicitur à domo Dei, ut inde conjiciatur quanta impiis futura supplicia reserventur. Unde etiam ipse Apostolus ad Thessalon. dicit, *ita ut nos ipsi de vobis gloriemur in Ecclesia Dei pro vestra patientia & fide in omnibus persecutionibus vestris & pressuris quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei.* Quod omnino ad illud respicit quod ait Petrus tempus esse inchoationis justi judicii Dei à domo Dei; & illud quod de Propheta interposuit: *& si justus vix salvabitur, impius ubi parebit?* Unde etiam mihi videtur illa quæ per Nathan Prophetam Regi David comminatus est Dominus, quamquam statim ignoverit pœnitenti, propterea tamen omnia accidisse ut demonstraretur illam veniam spiritualiter datam propter futurum judicium pœnarum, quod expectat eos qui hoc tempore corrigi nolunt; dicit enim & alibi Petrus: *Propter hoc enim & mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundùm hominem in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.*

(a) C. alienas curas agens.

Hoc dixi ut ostenderem quantùm possem, & quantùm oportunitas præsentis loci ac Scripturarum finit, non sic accipiendam esse gratiam ac pacem Dei, ut existiment homines à justitia Deum posse discedere; nam & ipsam pacem cum promitteret Dominus, ait: *hæc dixi, ut in me pacem habeatis, in mundo autem pressuras habebitis.* Sed tribulationes & molestiæ, cum per Dei justitiam redduntur peccatis. homines bonos & justos efficiunt, & quibus jam plus peccata ipsa displicent, non ullâ corporis pœnâ flectuntur ad peccandum, sed ab omni labe prorsus purgantur. Et rursus Psal. 142. in fine: Justi qui hîc sunt labores, pericula, molestias & passiones meritò patiuntur justo Dei judicio: quia ille solus potest dicere: *quæ non rapui, tunc exolvebam.* Et quasi diceretur ei, quare ergo pateris? sequitur & dicit: *& scient omnes quia voluntatem Patris facio, surgite, eamus hinc.*

Cæteri omnes merito suo, judicio Dei, & pro justitia qui patiuntur, non sibi arrogant quasi haberent veram innocentiam, qualis in Christo erat. Audi Apostolum Petrum: *tempus est*, inquit, *ut judicium incipiat à domo Dei.* Et Augustinum in Psal. 34. Concione 2. super istum versum; *ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.* Peccatum enim factum est de peccato, quia inde carnem assumpsit de massa ipsa, quæ mortem meruerat ex peccato. Ut (b) clariùs dicam, Maria ex Adam mortua est propter peccatum Adæ, Adam mortuus est propter peccatum: & caro Domini ex Maria, mortua est propter delenda nostra peccata. Eadem docet Augustinus epist. 122. Similiter epist. 72. dicit Leo Papa quòd solus Christus mori non debuit.

(b) C. certiùs.

Igitur Sorbona malè & temerè censuit (si tamen ejus sit Censura) hæreticum esse asserere quòd Job & Sancti Martyres propter sua peccata afflicti atque passi

passi sunt: cùm Augustinus jam à mille & ducentis annis Doctor Ecclesiæ, & alii omnes Scriptores tam apertè ex Sacris Scripturis id doceant; ut qui his lectis id negaverit, audeo dicere quòd aut latinè non intelligat, aut frons illi tenera sit.

Sed objicitur: Christus in Evangelio de cæco nato ait, quòd neque hic peccaverit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur. Igitur in illo cæco nullum præcessit cæcitatis meritum. Similiter Job dicit: *utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc gravior appareret.* Responsum: Apostoli non de peccato originis, ob quod sumus iræ filii, interrogabant quis peccasset, an cæcus, an parentes: ob quod peccatum originis digni sumus omnibus pœnis temporalibus in hac vita, etiam factâ ejus remissione: nec de peccatis levioribus, à quibus justi (*a*) (non reputabantur alieni,) nec se alienos reputari debent, ut ait Augustinus lib. 1. de Civit. c. 9. ut nec temporalia pro eis mala perpeti se judicent indignos. Sic in Daniele, Tobia, & aliis Sanctis circa se justum judicium Dei laudantibus, manifestum est; nam tempus est ut judicium incipiat à domo Dei. Sed interrogabant Apostoli Dominum de aliquo insigni facinore, ob quod in Scripturis Sanctis & justi & injusti gravibus suppliciis percuti leguntur, aut in semetipsis, ut Pharao, Nabuchodonosor, Herodes, & similes alii; aut in suis filiis, ut Cham & David. Hoc enim imaginabantur Discipuli Domini, neminem in hac vita gravi calamitate plecti à Deo, nisi ob parentum aut proprium aliquod grave scelus; quos Christus in Evangelio redarguit: (*b*) (Sicut & Job eodem errore imbutos redarguit,) ostendens se nulla grandia scelera commisisse, ob quæ sic percuteretur à Domino; sed potiùs ita vixisse, ut si vita ejus hominibus bene perspecta fuisset, meritò longè minore calamitate digna judicata fuisset, quàm ipse patiebatur. Homines enim grandia facinora grandi calamitate punienda judicant, & levia levioribus. Et quanquam secundùm ejus intentionem verum erat quod dicebat Job: attamen quia in specie Deum arguebat, ideò illi dicitur à Domino: (*c*) (quem injustitiæ quasi accusabat dicens se plus pati quàm merebatur, hominum scilicet judicio, ad quod intentus erat redarguendo amicos, qui eum sceleratum fuisse colligebant: & ideò cap. 40. dicit illi Deus:) *Nunquid irritum facies judicium meum, & condemnabis me, ut justificeris.* Deinde cap. 24. fatetur se insipienter locutum, seque reprehendit in sermone isto, & agit pœnitentiam in favilla & cinere. Quia hæc est singularis Christi prærogativa, quod de uno solo mediatore Dei & hominum Christo Jesu fides Catholica novit, inquit Augustinus, qui pro nobis mortem, id est, pœnam peccati sine peccato subire dignatus est. In cœteris verò omnibus hominibus quantumvis justis, corpus morti addictum est propter peccatum, etiamsi ex merito justitiæ gloriam resurrectionis expectent. Id quod mirum videri non debet, cùm etiam ista peccati sit pœna quòd justi à Deo non semper sic adjuventur ut sine peccato Deo semper, perfectè & perseveranter servire possint: sicut docet Augustinus l. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 7. & l. de Corrept. & grat. c. 7.

(a) C. omit. ista.

(b) K. omit. ista.

(c) C. omitt. ista.

XVII. PROPOSITIO.

Omnia in gloriam Dei facite: Dico vobis non resistere malo: hæc sunt simpliciter ut præcepta accipienda.

CENSURA.

Hujus propositionis posterior pars est falsa.

ANNOTATIO.

Mirum est Sorbonam de priori hujus propositionis parte tacuisse; cum suprà propositione 7. falsum pronunciaverit omne opus hominis purè infidelis esse peccatum. Si enim præceptum est ut omnia in gloriam Dei faciamus; id est, ut non hominibus, sed soli Deo serviamus: quomodo non est consequens omne opus hominis purè infidelis esse peccatum: cùm nihil in gloriam Dei talis faciat, (*a*) quum Deum ipse prorsus ignoret, dicente Psalmista: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus?*

(a) C. *quem Deus ipse prorsus ignorat.*

Quid verò secundâ parte velit nescio. Videtur enim condemnare Scripturam Matth. 7. *Qui audit verba mea, & non facit ea, similis est viro stulto.* Unde omnia verba ista (*b*) præcepta esse intelliguntur, quæ sunt in monte dicta: quæ Augustinus ser. 1. de Sermone Domini in monte, nomine præcepti nominat: Item Tract. 52. in Joan. & Thomas in 12. Rom. lect. 3.

(b) C. *præcepta esse intelliguntur in monte; & Augustinus.*

XVIII. PROPOSITIO.

Omne opus bonum, est meritorium vitæ æternæ: quòd si aliquid remuneretur temporaliter, tamen non dignum vitâ æternâ, illud malum est: quia nullum est opus meritorium nisi vitæ æternæ.

CENSURA.


Hæc propositio tota repugnat Sacræ Scripturæ.

ANNOTATIO.

Puto Sacram Scripturam esse quæ dicit: *Si servaveris mandata, servabunt te.* Et iterum: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ubi tamen significatur quòd omnis observatio mandatorum Dei vitæ æternæ sit meritum. Quæ autem Sacra Scriptura significet aliquod opus verè bonum esse, quod non sit vitæ æternæ meritum; vellem quòd Sorbona tot Doctorum numerositate conspicua, uno verbo indicasset; ut quæ in multis damnando nocuit, saltem in uno veritatem dicendo profuisset: ne quis fortè suspicetur eam ad damnandum esse paratiorem quàm ad docendum; cùm tamen illud sit proprium Doctoris officium. Sed acceptâ forsitan Censurarum harum ratione aut defensione, aut exemplari magis probato, plura licebit de omnibus jam notis quæstionibus disserere.

CARDINALIS GRANVELLANI PHILIPPO II. REGI HISPANIARUM.

EPISTOLA.



Ex Litteris Cardinalis Granvellani quæ Vesontione in Abbatia S. Vincentii asservantur primùm edita.

EN gran barahunda me he visto sobre una contencion entre los Frayles de San Francisco, y la dependencia que esto traya de algunos Doctores de Lovagna con harto peligro de que nasciesce gran discordia entre la Universidad de Lovayna, y la de Paris. Y no pensava travajar à V. Maj. en dar le parte desto, aviendo mas de siete o ocho mezes que de Roma le han escripto, y que lo sabe el Padre Confessor, por via del Ministro General. Algunos annos ha que el Presidente Viglius y yo con participation del Dean Ruardo, que en gloria sea, aviames hablado a los Doctores Theologos, por que usurparan algunas maneras de dezir no acostumbradas en la escuela, para que se abstiniassen, porque aunque en aquello no avia tanto mali en si, otros tomaran occasion de passar mas adelante, como lo hizieron aquellos Frayles cuyas propositiones han sido censuradas. y como estos padres tuvieron otros Padres doctos y pios que les picaron sobre ello quisieron se ayudar de la autoridad destos Doctores contra los quales usaron de alguna altura, unos en sus sermones, por donde tomaron alteracion, y no faltava, como se suele, quien los estimulasse, y ya venia la cosa a terminos que empassaron imprimir in Francia Prospero Discipulo de San Augustin con prefacion que picasse a sus adversarios; lo qual estorve escriviendo al Embassador, mi hermano; y tambien ecrivi a Roma para que su Sanidad me escriviesse un Breve; dando me autoridad de poder los mandar lo que conveniesse: el qua venido, antes de usar del, como estos Doctores de Lovayna son en lo demas hombres muy catholicos y doctissimos, y de exemplar vida; y que si (que dios no guiera) les perdiessemes, podrian hazer grandissimo dãno a la Yglesia de Dios. Considerando que la desesperacion haze zalir algunas vezes los hombres a extremos, y que vyendos se abatidos, pobres, sin emparo, y picados, pudieran caer en la desesperacion que digo: parecio me antes de todo, ganar la voluntad de dos principales dellos, y por mostrar les que estavan

en buena opinion, y que no eran desavorescidos, les hize hablar paraque acceptassen de ser de mi consilio sin salir de Lovayna ny dexar sus cathedras, dando les a cada uno de los dos buena pension de so mio, lo qual acceptaron de muy buena gana. y como me parecia que y a tenio ganado credito con ellos, y su voluntad mas en mi mano, de alli a algunos dias los llame, como si en el mesmo punto me huviera llegado el breve, y en presentia del President les dixe lo que me parecio convenir, y passaron por lo que yo quize, sometiendo se en todo al juyzio de su Santidad y del Concilio, dieron sus quexas, y sus disculpas: y como el Padre General estava por a qui, yo le correspondia, y nos concertamos en que era bien que este negotio se sepultasse, y que se la hechasse mucha terra en cima: y su Paternidad ha procurodo, proveyando a toto muy cuerdamente, que sus Padres callassen, y lo mesmo he procurado yo por la otra parte con otros Doctores, de manera que y a no siento en esto ruydo; y espero que al fuego que dello apparentemente havia de nascer, esta en buena parte apagado &c.

De Brussellas a 18. *de Octobre,* 1561.

(a) Contentiones istæ inter Minoritas maximè fervebant. (b) Ob Censuram an. 1560. ineptissimè latam, quæ supra adducta est. (c) Ruardus *Tapperus, Decanus Sacra Facultatis Lovanii* obiit die 2. Martii, an. 1559. Baio infensissimus. (d) De nomine magis quam de sensu disputabatur. (e) Censurâ Parisiensi, de qua supra.

EADEM EPISTOLA
LATINE REDDITA.

NOn leviter interturbatum me vidi ob contentionem quæ erat inter Ordinis (a) *Sancti Francisci Religiosos, quæque nonnullos Doctores Lovanienses secum trahebat, cum multo discrimine ne gravis inde Lovaniensem inter &* (b) *Parisiensem Academiam discordia nasceretur. Non mihi visus sum molestus Vestræ Majestati futurus, si negotii istius consciam eam fecero, cùm à septem vel octo mensibus & ultra, de illo Romà scriptum fuerit, illudque intellexerit Pater, qui Vestræ Majestati à confessionibus est. Aliquot anni sunt, cùm ego & Viglius Præses, unà cum* (c) *Ruardo Decano, qui in gloria sit, Doctores hosce Theologos fueramus allocuti, eo quòd quibusdam uterentur.* (d) *locutionibus in schola non solitis, quatenus illis abstinerent. Licèt enim id non tantum in se contineat mali, alii occasionem sumebant ulteriùs progrediendi, ut fecerunt hi Religiosi, quorum propositiones censurâ* (e) *confixæ sunt. Quandoquidem autem Patribus his non defuerunt alii Patres docti & pii qui ipsis ex hoc insultarent, ipsi se tutari voluerunt eorum Doctorum autoritate, adversus quos alii ferociter insurrexerant, & nonnulli quidem in suis concionibus; adeo ut nonnihil* inde

inde perturbati sint, non deficientibus, ut moris est, qui ipsos extimularent. Res eò devenit ut (a) *ipsi operâ Prosperi, discipuli Sancti Augustini typis dare cœpissent in Galliâ cum præfatione in qua suos æmulos acriter excepissent. Quod equidem disturbavi scribens fratri meo qui ibi Legatus erat. Romam pariter scripsi, ut Sanctitas sua mihi Breve rescriberet, quo mihi facultas concederetur id eis præcipiendi quod expediret.* (b) *Illud cùm recepissem, priusquam eo uterer, quia Doctores isti Lovanienses cæteroqui sunt maximè catholici, virique eruditissimi, ac probatissimæ vitæ: sique; quod Deus avertat, illos perderemus, plurimùm Ecclesiæ Dei nocere possent; perpendens quomodo desperatio homines nonnunquam ad extrema adigit; & quòd illi videntes se prostratos, opibus destitutos & patrocinio, verbisque lacessitos, in eam quam dixi cadere possent desperationem:* (c) *mihi visum est ante omnia conciliandos mihi esse duos qui inter istos Doctores erant præcipui: Et ut eis ostenderem quòd bonum nomen haberent, nec ullatenus extra gratiam essent, jussi illos conveniri quatenus de meo Consilio esse assentirent, ita tamen ut nec Lovanio discedere, nec suos deserere cathedras tenerentur: & ego ambobus his pinguem pensionem essem de meo soluturus. Id acceptarunt libentissimè. Et cùm mihi viderer illos mihi ita devinxisse ut eorum animos magis in manibus tenerem; paucis ab hinc diebus illos advocavi, non secus ac si eo temporis momento Breve ad me pervenisset: præsenteque* (d) *præside id illis dixi quod expedire existimabam, & illi omnibus assenserunt quæ requisivi, in omnibus subjicientes se Sanctæ Sedis judicio, ac* (e) *Concilii. Suas querelas exposuerunt, simulque suæ defensionis rationes. Et quia Pater* (f) *Generalis in his partibus erat, cum illo egi, simulque deliberavimus expedire ut negotium istud altè sepeliretur, multâ humo desuper injectâ. Et sua quidem Paternitas tantam curam adhibuit ac tam sapienter omnia disposuit, ut ejus Religiosi silentio se contineant: quod & ego pro altera parte cum istis Doctoribus ita procuravi, ut ea de re* (g) *nihil jam audiam, confidamque incendium quod inde verosimiliter erat exoriturum, magna ex parte esse extinctum, &c.*

(a) Sancti Augustini ac Baii discipuli operâ Prosperi typis danda suscipiunt. Id ne fiat impedit Granvellanus.

(b) Breve missum Granvellano ut contentiones ejusmodi componeret.

(c) Politici viri consilia.

(d) Viglio.

(e) Tridentini.

(f) FF. Minorum.

(g) Sopitæ contentiones hujusmodi.

Bruxellis die 18. *Octobris*, 1561.

PHILIPPI II.

REGIS HISPANIARUM EPISTOLA CARDINALI GRANVELLANO.

Ex Granvellani Registro primùm edita.

Muy bien ha sido lo que haveis hecho con aquellos Doctores Theologos de Lovayna: y que y a quede assentado a quel negotio y no se trate mas del ny alli, ny por los Franciscos, en que creo que havia entendido su General como dezis. Yo os encargo que siempre tengais la mano para que este negotio no se buelva a levantar pues veys el inconveniente que seria. Y por el cuydado que teneis de todas estas cosas os doy muchas gratias, que yo os promitto que no me podeys hazer major plazer &c.

De Madrid a 17. *de Novembre* 1561.

EADEM EPISTOLA

Latinè reddita.

Quod cum Doctoribus istis Theologis Lovaniensibus actum est, optime egisti. Bonumque est quod negotium istud sit compositum, ac de eo jam nec ab illa parte agatur, nec a Franciscanis: in quo existimo ipsorum Generalem opem suam collocasse, veluti dicis. Ego tibi injungo ut semper invigiles ne istud negotium iterum suscitari contingat, cùm incommodum videas quod ex hoc posset consequi. Et pro opera quam hac in re adhibes, plurimas tibi gratias ago, certioremque te facio quòd nihil mihi gratius præstare valeas.

Madriti die 17. *Novembris* 1561.

CEN-

CENSURÆ ACADEMIARUM HISPANIÆ

Primùm editæ ex MS. Malderi.

In Novem Articulos MICHAELI BAIO Perperam adscriptos.

Venerabili Patri Laurentio Villavicentio, Ord. Erem. S. Augustini, S. T. Doctori, Judocus Ravesteyn.

POst reditum nostrorum Doctorum è S. S. Tridentino Concilio iterum recrudescunt contentiones in nostris scholis Theologicis propter novas sententias, quas illi boni viri in Scholis, uti ante Concilium solebant, invehunt, & magnâ fiduciâ repudiatâ communi doctrinâ tuentur: quas eos confidebamus mutaturos & correcturos postquam cum viris doctis in Concilio super eis contulissent. Sed intelleximus eos tanquam securos de suarum opinionum veritate, de eis ne verbum quidem apud illos fecisse. Itaque alia ratio quærenda est, quâ pax & concordia in nostra Schola conservetur & procuretur. Edito libro M. N. Michael receptissimam doctrinam de meritis bonorum operum convellit, non sine stomacho & gravi aliorum reprehensione; quæ habet bona justorum opera non habere rationem meriti de condigno vitæ æternæ, nisi ex eo quòd justificatorum opera non liberi arbitrii tantùm sunt opera, sed Christi & Spiritus ejus inhabitantis, justificantis, & eos super naturam sublimantis, sicut manifestè Concilium Tridentinum docet meo quidem judicio, & hactenus omnes Doctores senserunt & docuerunt.

In eodem Libro docet opera nondum justificatorum ante remissionem peccatorum esse verè meritoria, eo quòd sint conformia legi divinæ; & alia pleraque similia. Opinor Vestram Paternitatem vidisse Censuram Parisiensium Theologorum ejus propositiones

damnantem, quòd opera nondum justificatorum, habentium tamen fidem, sint meritoria de condigno vitæ æternæ.

Item, in eodem Libro docet primum hominem & Angelum per naturam suam promeritos vitam æternam, non per Spiritûs Sancti inhabitantis gratiam.

In altero Libello novam prorsus disputationem habet de statu primi hominis, contendens beatitudinem illam quâ præditus fuit, non fuisse gratiæ beneficium, sed naturalem; & pleraque alia.

De concupiscentia quoque, de qua olim plurimam contentionem Vestra Paternitas audivit, id adhuc docet quòd in renatis lapsis sit proprii nominis peccatum; quamvis in renatis perseverantibus in justitia non sit peccatum. Eximie Magister noster, nisi vir aliquis strenuus remedium adferat; vides brevi labefactandam opinionem & gloriam Scholæ nostræ Theologicæ, quæ nunc est florentissima & celeberrima per universi Christiani orbis regiones.

Si præsenti cum præsenti communicare consilia liceret, ponerem in deliberationem num consultissimum foret hos libellos & propositiones omnes, quæ concordiam scindunt graviter, sincerè collectas ad Regiam Majestatem transmittere, illiusque sincerissimum erga Religionem studium implorare, ut curet in Academia sua celeberrima Salmaticensi, vel aliâ quâvis, censuram fieri, & hac ratione pacem & concordiam hujus suæ Academiæ Professoribus severè indicere.

Certè ego promptissimo animo semper parebo catholicarum Academiarum judicio & censuræ, abjecto proprio sensu. Contentiosarum nostrarum disputationum conscius est Reverendissimus Confessarius Regiæ Majestatis; & cum dolore animi sui de iis abscindendis, & sarcienda concordia sæpe mecum Bruxellæ egit: hujus ergo operâ, si adhuc à Confessionibus Regiæ Majestatis est, existimarem rem hanc posse feliciter confici. Eximie M. N. cupio de hoc meo consilio vestram sententiam intelligere: & oro ut hujus meæ deliberationis neminem conscium facias. Haud enim ignorat Vestra Paternitas miram tragœdiam adversus me excitandam, si hæc sollicitudo palam fieret. Christus Vestram Paternitatem diu servet incolumem suæ Ecclesiæ juvandæ. Vale.

P. Franciscus Horantius.

Lovanii die Novembris 20. 1564.

CEN-

CENSURA

Propositionum cujusdam Doctoris, per infrà Scriptos Theologos

ACADEMIÆ COMPLUTENSIS,


Jussu Illustrissimi

CARDINALIS TOLETANI

Sacro-Regiæ Inquisitionis

PRÆSIDIS GENERALIS.

I. PROPOSITIO.



Mnis pœna est pœna peccati. Itaque omnia quæ Sancti sunt passi & patiuntur, ut Job, Tobias, B. V. Maria, & omnes martyres & Sancti, propter suum peccatum patiuntur.

CENSURA.

Hæc propositio duplicem sensum habet. Primus, ut nomine sui peccati, significetur peccatum Originis, à quo ex sententia hujus Doctoris ne B. quidem Virgo immunis fuit: & in hoc sensu non erroris condemnanda. Secundus, ut per suum peccatum significetur peccatum actuale; quod intendisse videtur hic Doctor, propter ea quæ continentur secundâ & nonâ propositionibus; in quo sensu est erronea.

II. PROPOSITIO.

Indulgentiæ quidem dantur ex thesauro Ecclesiæ: sed hic thesaurus sunt Christi

Christi merita, non Sanctorum, qui vix sibi sufficiunt, sed ex Christi gratia habent omnia.

CENSURA.

Cùm vix sibi sufficere Sanctos dicat, erronea est hæc propositio.

III. PROPOSITIO.

Locum Joannis 6. *Caro mea verè est cibus*, &c. docet propriè intelligendum de spirituali manducatione, & non de sacramentali.

CENSURA.

Nisi ex aliis propositionibus suspectus esset hic autor, nihil esset hic annotandum: quia tamen suspectus est, propositio ista videtur applaudere Luthero, qui hunc locum ne syllabam quidem habere unam de Eucharistiæ sacramento attestabatur. Quare sapit hæresim.

IV. PROPOSITIO.

Locum Lucæ: *Ego pro te rogavi, Petre*, &c. exponens dixit Petrum illic gerere personam Electorum; sicut Judas est caput Reproborum.

CENSURA.

Hæc propositio ut minimùm reddit authorem de hæresi suspectum.

V. PROPOSITIO.

Romanus Pontifex non est appellandus Universalis: quia S. Gregorius illud nomen abhorruit, & reprobavit.

CENSURA.

Hæc propositio sapit hæresim.

VI. PROPOSITIO.

In Apologia ad Gregorium XIII. pro suis condemnatis articulis habet hominem posse apud Deum justificari non habito respectu aut relatione ad merita Christi.

CENSURA.

Hæc propositio est hæretica.

VII. PROPOSITIO.

In Concilio Tridentino ſunt quædam inconſideratè poſita.

CENSURA.

Si de Canonibus ac Decretis fidei & morum intelligitur, eſt hæretica: ſi de iis quæ ad reformationem pertinent; contumelioſa ſimul & temeraria.

VIII. PROPOSITIO.

Poſt publicationem Sanctiſſimi D. PP. Bullæ condemnationis articulorum, non deſtitit hic Doctor in Scholis & diſputationibus ſpargere & docere ac defendere ſua nova dogmata, & alia antiqua, quæ erant illi interdicta.

CENSURA.

Oſtendit pertinaciam, & auget ſuſpicionem perſonæ, cujus ſunt hæ propoſitiones.

IX. PROPOSITIO.

Martyrum paſſiones & tormenta, purgationes ſunt peccatorum, non coronæ.

CENSURA.

Hæc propoſitio vel inepta eſt prorſus atque ſtolida, ſi coronæ nomen præmium ſignificat: vel planè hæretica, ſi pro merito uſurpetur: quem ſenſum reddere videtur, propter primam & ſecundam propoſitionem.

ALTERA THEOLOGORUM COMPLUTENSIUM CENSURA,

In novem Propositiones cujusdâm Doctoris, jussu Illustrissimi D. Cardinalis Toletani.

I. PROPOSITIO.

Omnis pœna est pœna peccati. Itaque omnia quæ Sancti sunt passi & patiuntur, ut Job, Tobias, B. V. Maria, ac omnes Martyres & Sancti, propter suum peccatum patiuntur.

CENSURA.

Dictio, peccati, *potest accipi pro peccato Originis, aut pro peccato actuali. Si peccatum Originis significatur, à quo nec B. Virgo, ex sententia hujus Doctoris immunis fuit, nullum errorem continebit: Siquidem Concilium Tridentinum confirmavit Constitutionem Sixti IV. de Conceptione B. Mariæ Virginis, atque innovavit pœnas in ea contentas. Si verò pro peccato actuali usurpetur; est apertè erronea: cùm de Beata & intemerata Dei genitrice Maria idem S. Concilium Tridentinum declaraverit, tenere Ecclesiam ex speciali privilegio eam omnia peccata venialia vitasse; ut omittamus quæ de Job, & Tobia Sacræ Litteræ prodiderunt. Consolatores quippe Job ideò onerosi illi erant, quia hoc principio nitebantur; pœnas videlicet infligi à Deo propter scelera, & ex magnitudine pœnarum gravitatem criminis deducebant. In hoc sensu sumpta videtur hæc propositio, propter ea quæ secundâ & nonâ continentur.*

II. PROPOSITIO.

Indulgentiæ quidem dantur ex thesauro Ecclesiæ: sed hic thesaurus sunt Christi merita, non Sanctorum, qui vix sibi sufficiunt, & à Christi gratia habent omnia.

CENSURA.

De Indulgentiarum thesauro quanquam obiter tactum sit ab Alexandro & Leone X. nihil tamen adhuc ex professo definitum esse reperitur: & ob hanc causam Theologi Scho-

Scholastici in varias sententias abierunt. Si doctor iste tantummodo tradidisset thesaurum istum solis meritis Christi Domini constare, condemnari non posset, quia sententiam quæ est in opinione sequeretur. Addit tamen rationem propositionis, dicens, qui vix sibi sufficiunt, sed ex Christi gratia habent omnia: *propter ea nullam possunt habere satisfactionem redundantem, sed vix illis sua satisfactio sufficit: hoc est planè erroneum, & sapiens hæresim. Quia licèt in opinione sit an satisfactiones Sanctorum redundantes inter thesauros Ecclesiæ computentur; nunquam tamen Ecclesia vel Catholici dubitarunt, sed semper senserunt D. Virginem nullas meruisse pœnas, Job & Tobiam plus satisfecisse, quàm deberent. Idem de Apostolis & reliquis viris Sanctis, qui post baptismum nunquam gratiam primam amiserunt, vel amissam maximâ contritione recuperarunt, & in diuturnis pœnitentiis reliquum vitæ tempus transegerunt.*

III. PROPOSITIO.

Locum Joannis sexto: *caro mea verè est cibus*, &c. docet propriè intelligendum de spirituali manducatione, & non de sacramentali.

CENSURA.

Variè ab Expositoribus Sacræ Scripturæ, Caput Joannis sextum, ab illo loco: ET PANIS QUEM EGO DABO, &c. *interpretari solet. Quibusdam enim placet de Sacramento Eucharistiæ, & de manducatione sacramentali hunc propriè esse intelligendum. Alii de corpore & sanguine Christi (id est de vita & morte Christi) spiritualiter manducando; ita ut propriè de sola manducatione & potu spirituali debeat intelligi: neque S. S. Concilium Tridentinem aliquam expositionem ex his, ut illius loci propriam, determinavit; sed neque ex hoc loco deduxit realem ac veram præsentiam Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento: sed ex verbis quibus conficitur, & ex Paulo & ex traditione. Quanquam ad id Doctor eo utatur ut probet Sacramentum hoc sumendum tanquam spiritualem animarum cibum, qui manducat me & ipse vivet, &c. Cæterùm quia Auctor istius propositionis est valde suspectus, suspectam videtur sententiam protulisse, atque non tam Catholicorum expositionibus convenientem quàm Lutheri, qui in libro de captivitate Babilonica docuit, hunc locum ne syllabam quidem unam de Eucharistiæ Sacramento habere. Quare hæc propositio sapit hæresim.*

IV. PROPOSITIO.

Locum Lucæ: *Ego pro te rogavi, Petre*, &c. exponens dicit Petrum ibi gerere personam Electorum; sicut Judas est caput Reproborum.

CENSURA.

Si perfunctoriè versans hunc Lucæ locum, & perquandam adaptationem, ut mos est Prædicatoribus, prædestinatis Christi orationem extendens, hanc exhibuisset expositionem; tolerandus quidem esset: quia non omnes, immo pauci hunc rigorem servant

vant ut nunquam ex suggestibus Sacras Scripturas extortas proferant. Significaret ergo illam Christi orationem, quæ propriè ad Petrum & ad ejus successores dirigebatur non solùm sufficientem, verùm & efficacem pro illis fuisse, tum etiam pro prædestinatis; ita ut non solùm impetraverit conversionem Petri, & ejus ac Successorum ipsius confirmationem; sed & omnium Prædestinatorum, quorum præcipuè causâ ille fundamentum est & caput Ecclesiæ. Verumtamen non fuisse hanc mentem illius Doctoris exemplum prodit, quod è vestigio sequitur: sicut Judas est caput Reproborum. *Quare significare videtur vel Petrum tantùm esse Caput Prædestinatorum, sicut Judas Reproborum, vel nullam Petri & Successorum prærogativam illis verbis contineri, quæ non sit communis singulis prædestinatis: quorum utrumque est hæreticum. Hæc ergo propositio reddit Authorem de hæresi suspectum.*

V. PROPOSITIO.

Romanus Pontifex non est appellandus Universalis, quia Sanctus Gregorius illud nomen abhorruit & reprobavit.

CENSURA.

Hæc propositio sapit hæresim: quia ideo videtur denegare summo Pontifici hanc appellationem Universalis atque Oecumenici, quòd credat Author harum propositionum eum non habere universalem in totam Ecclesiam potestatem, ac versutè addidisse D. Gregorii dictum, ut vel sic suam hæresim tegeret vel fucaret. Quod Sanctum Gregorium attinet, falsum est eum nomen illud in ea significatione, in qua hujusmodi appellatione Ecclesia utitur, reprobasse; sed detrectasse honorificentissimum nomen, quo nunquam uti Summi Pontifices in suis Diplomatibus, Bullis, ac Decretis Apostolicis voluerant. In cujus fidem & confirmationem consulantur Epistolæ ejus, de hac quæstione, inter alias maximè 32. & 36. indictionis 2. Ex quibus tria ex ipso colligimus. 1. Beato Petro totius Ecclesiæ curam commissam esse; non Jacobo, Joanni, & cæteris: atque ita totius Ecclesiæ directionem & curam Petri Successoribus alligatam, particularium iis qui cæteris Apostolis successerunt. 2. Concilium Chalcedonense hoc Universalis nomen Summis Pontificibus obtulisse. Etenim nullus libellus oblatus & lectus est in Actione tertia, cujus initium & caput non fuerit: Sanctissimo & Deo amantissimo: *vel,* Beatissimo & Universali Archiepiscopo Patriarchæ magnæ urbis Romæ Leoni, & Sanctæ & Universali Calcedonensi Synodo, &c. *Subscriptiones etiam Legatorum B. Leonis PP. in similem modum scriptas legimus: Paschasium & Lucentium Episcopos & Bonifacium Presbyterum in Actione sexta subscripsisse Leonis Universalis Papæ nomine. Ex quibus constat in Universali & amplissimo Concilio hanc appellationem fuisse Romano Pontifici oblatam: & nos etiam posse, imò debere ipsum sic appellare; quia hinc cæteri Episcopi non tolluntur, neque Archiepiscopi aut Patriarchæ; sed Romanum Patriarcham supra omnes Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos esse agnovimus: atque ita curam totius Ecclesiæ sibi delegatam à Christo profitemur. 3. Colligitur summos Pontifices nunquam uti voluisse hoc honorificentissimo nomine, se potiùs humiliter servos servorum Dei appellantes, quòd istud à Christo didicerint, cujus personam gerunt in Ecclesia. Ne igitur*

nomen

nomen viderentur superbum atque arrogans usurpare; neve alii Episcopi hoc titulo essent offensi, quasi ad seipsos solos Summi Pontifices totam dignitatem Episcopalem transferre viderentur; non solùm eo uti noluerunt, sed & sibi oblatum repudiarunt. Hinc etiam est ut idem B. Gregorius dicat nihil se jubere... sed invitare, epistolâ 30. Lib. 7.

Ex his evidenter deprehendimus nomen istud summis Pontificibus quadrare, atque à nobis in sensu catholico & quo Ecclesia Catholica uti consuevit eos honorandos: Quod si eo sensu negatur in quinta propositione, assertio erit hæretica; atque assertor, hæreticus manifestus. Cùm ergo in hunc videatur sensum inclinare, dictum est propositionem hæresim sapere & redolere.

VI. PROPOSITIO.

In Apologia ad Gregorium XIII. pro suis condemnatis articulis habet, hominem posse apud Deum justificari, non habito respectu aut relatione ad merita Christi.

CENSURA.

Si verbum, posse, *dicat aut referat potentiam Dei absolutam; nemo illi contradicet: si tamen referat potentiam lege præscriptam, quod absolutè positum est, reddit propositionem manifestè hæreticam; cùm sit contra manifesta Sacræ Scripturæ testimonia, & contra definitiones Sanctorum Conciliorum. Et ne in re aperta diutiùs immoremur; tantùm proferemus testimonium sacri Concilii Tridentini ex Sess. 6. Can. 1.* Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per naturæ humanæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit. *Est ergo propositio hæc planè hæretica.*

VII. PROPOSITIO.

In Concilio Tridentino quædam sunt inconsideratè posita.

CENSURA.

Si de Canonibus ac Decretis fidei & morum intelligitur, est hæretica: cùm de fide sit in his omnibus Concilium non errasse, tum quia legitimè congregatum, tum quia à Summo Pontifice approbatum. Si de iis quæ ad Reformationem pertinent; temeraria simul & contra traditionem. Videturque alludere hujus propositionis author Luthero asserenti, viam nobis factam esse venerandi authoritatem omnium Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum decreta.

VIII. PROPOSITIO.

Post publicationem Sanctissimi D. Papæ Bullæ condemnationis articulorum, non destitit hic Doctor in scholis & disputationibus spargere & docere ac defendere sua ista dogmata, & alia antiqua, quæ erant illi interdicta.

CENSURA.

Ostendit pertinaciam, & auget suspicionem personæ cujus est.

NONA PROPOSITIO.

Martyrum passiones & tormenta purgationes sunt peccatorum, non coronæ.

CENSURA.

Hæc propositio vel inepta est atque stolida, si coronæ nomine præmium significaretur; vel planè hæretica, si pro merito usurpetur: quem sensum reddere videtur propter primam & secundam propositiones ejusdem Authoris; nec adeo manifesta ullis eget probationibus.

CENSURA ACADEMIÆ SALMATICENSIS IN EASDEM PROPOSITIONES.

I. PROPOSITIO.

OMnis pœna est peccati pœna: itaque omnia quæ Sancti passi sunt & patiuntur, ut Job, Tobias, B. V. Maria, & omnes Martyres ac Sancti propter peccatum suum patiuntur.

CENSURA.

Hujus propositionis prima pars, quâ dicitur quòd omnis pœna est peccati pœna, propriè loquendo vera est: non tamen ex eo sequitur omnia quæ Sancti passi sunt, ut Job, Tobias, & B. V. Maria, &c. propter suum peccatum patiantur. Itaque duos habet sensus: unus est, omnia quæ Sancti passi sunt, propter suum peccatum, id est, originale,

ginale, pertulisse. Et hic sensus, si intelligatur ea introducta fuisse propter peccatum Originale & in pœnam ipsius, errore caret. Alter est, illos ea pertulisse propter suum peccatum actuale, & est sensus hæreticus. Videtur autem iste Author hanc propositionem asseruisse in hoc posteriori & hæretico sensu, ut colligitur ex sequenti propositione, in qua affirmat Sanctos vix sibi sufficere, aut vix pro suis peccatis satisfecisse.

II. PROPOSITIO.

Indulgentiæ quidem dantur ex thesauro Ecclesiæ: sed hic thesaurus sunt Christi merita, non Sanctorum.

CENSURA.

In eo quòd negat Ecclesiæ thesaurum constare ex meritis Sanctorum, temeraria est, & hæresi proxima: in eo quòd affertur pro ratione Sanctos vix sibi sufficisse, est hæretica. In eo verò quòd addat illos ex Christi gratia habere omnia, sapit hæresim.

III. PROPOSITIO.

Locum Joannis sexto: *Caro mea verè est cibus*, &c. docet intelligendum de manducatione spirituali, non de corporali.

CENSURA.

In eo quòd negat Christum eo in loco agere de sui Corporis manducatione Sacramentali; si intelligat neque de ea manducatione quæ in re, neque de ea quæ voto fit, mentionem ibi à Christo fieri, temeraria est propositio, & sapiens hæresim Sacramentariam.

IV. PROPOSITIO.

Locum Lucæ: *Ego pro te rogavi, Petre*, &c. exponens dixit Petrum illic gerere personam Electorum, sicut Judas est caput Reproborum.

CENSURA.

In eo quòd tali interpretatione sententia excluditur Catholicorum, qui tradunt illo loco promissam fuisse Petro infallibilitatem fidei in definiendo; temeraria est & proxima hæresi: in eo verò quòd Petro in persona Electorum id promissum affirmat, nobis videtur quòd Author sentiat vel quòd non est summus Pontifex nisi qui sit de numero Electorum; vel quòd omnes Electi sunt summi Pontifices; vel quòd authoritas Ecclesiastica residet solùm penes Electos, ipsaque Ecclesia solùm ex illis constet, ac proinde esset invisibilis: quæ omnes sunt hæreticæ sententiæ.

V. PROPOSITIO.

Romanus Pontifex non est appellandus Universalis.

CENSURA.

Si id nomen à Summis Pontificibus usurpari non debere affirmat propter modestiam retinendam; ferri potest ista propositio: si autem quia illis reipsa ipsum non competere arbitratur, ideo denegat; est hæretica.

VI. PROPOSITIO.

In Apologia ad Gregorium XIII. pro suis condemnatis articulis habet, hominem posse apud Deum justificari non habito respectu aut relatione ad merita Christi.

CENSURA.

Hæresim continet omnium pestilentissimam.

VII. PROPOSITIO.

In Concilio Tridentino quædam sunt inconsideratè posita.

CENSURA.

Est præsumptuosissima.

VIII. PROPOSITIO.

Post publicationem S. D. PP. Bullæ condemnationis articulorum, non destitit hic Author in scholis & disputationibus spargere & docere ac defendere sua ista dogmata, & alia antiqua, quæ erant illi interdicta.

CENSURA.

Arguit hominem animi pertinacis & hæretici, & inducit vehementem suspicionem, illum etiam superiores omnes affirmasse in eo sensu quo falsi sunt & erronei.

IX. PROPOSITIO.

Martyrum passiones & tormenta purgationes sunt peccatorum, non coronæ.

CENSURA.

In eo quòd affirmat tormenta Martyrum fuisse purgationes, si peccatorum à Martyribus actualiter commissorum purgationes fuisse intelligit omnia illa tormenta; hæretica est. Et similiter est hæretica in eo quod negat ea tormenta fuisse coronas.

In eodem Codice MS. subsequitur Censura quædam in triginta novem sententias: sed illam non censui hic inserendam, quia nec cui scriptori attributæ sint, nec à quibus lata sit hæc Censura, conjicere potui. Unum liquidò constat illas sententias non fuisse Michaelis Baii, nec ipsi adscriptas; animadverto enim illas fere omnes esse stupendum in modum Pelagianas; & quæ mores tangunt; laxissimas.

BULLA

BULLA PII V.

Qua ſententiæ ſeptuaginta ſex proſcriptæ ſunt an. 1567.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ex omnibus afflictionibus quas in hoc loco à Domino conſtituti tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Chriſtiana tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidie propoſitis opinionibus conflictetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim & promiſcuè deferatur, quantùm verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ ſimul atque proſiliunt, penitus opprimantur. Magno etenim mœrore afficimur, quòd plerique, ſpectatæ alioqui probitatis & doctrinæ, in varias ſententias, offenſionis & periculi plenas, tum verbo, tum ſcriptis prorumpunt, deque eis, etiam in Scholis, invicem controverſantur; cujuſmodi ſunt ſequentes.

† *Ex Libro* I. *de meritis operum.*

† Al. omitt.

(a) Al. *gratiâ.*

I. Ec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur (*a*) gratia.

II. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium: sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

III. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

IV. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum: & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam (*b*) per se sufficiunt.

(b) Al. omit. per se.

V. In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

(c) Al. *perseveraret.*

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia (*c*) perseverasset, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

(d) Al. *gratia.*

VII. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur (*d*) gratia: quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum quod non sit gratis indigno collatum.

(e) Al. *possunt.*

(f) Al. potest.

IX. Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan, non improbandâ ratione (*e*) possent dici gratia, sed quia secundùm usum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus & indignis conferuntur; ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici (*f*) debet.

(g) Al. *solutio... resurrectio... adscribenda est.*

X. Solutionem pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectionem propriè non nisi meritis Christi (*g*) adscribendam esse.

(h) Al. *consequemur.*

(i) Al. *&* *justo.*

XI. Quod piè & justè in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam (*h*) consequimur æternam: id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ (*i*) justo Dei judicio deputandum est; neque

neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

(a) *Ex Libro 2. De meritis operum.* (a) Al. omit.

XII. Pelagii sententia est opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, (*b*) non esse regni cælestis meritorium. (b) Al. *non est.*

XIII. Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantùm ex eo, quòd sunt conformia legi, quòdque per ea præstatur obedientia (*c*) legis. (c) Al. *legi.*

XIV. Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.

XV. Docet (*d*) Rationem meriti non consistere in eo, quòd qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solùm quòd obedit divinæ legi: (*e*) quam sententiam sæpe repetit, & multis rationibus probat toto fere libro. (d) Al. *Ratio* &c. omittit. *docet.* (e) Al. omit. *quam sententiam,* &c.

XVI. (*f*) In eodem Libro sæpe repetit, quòd non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. (f) Al. incipit: *non est*, &c.

XVII. Dicit (*g*) sentire cùm Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum. (g) Al. incipit: *sentiunt.*

XVIII. (*h*) Dicit opera Catechumenorum, ut fidem & pœnitentiam, ante remissionem peccatorum facta, esse vitæ æternæ merita; quam (*i*) vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur. (h) Al. *opera.. ut fides & pœnitentia... sunt.* (i) Al. *tamen.*

XIX. (*k*) Videtur insinuare, quòd opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint majorem valorem. (k) Al. incipit: *Opera*, &c.

XX. Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale; sed omne peccatum meretur (*l*) pœnam æternam. (l) Al. *mortem.*

(a) Al. omit.

(a) *Ex Libro* 1. *de prima hominis justitia.*

XXI. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

XXII. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. (*gentes quæ* legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt) intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito, suprà conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.

XXIV. A vanis & otiosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia: hominem ab initio sic constitutum ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus; (*b*) & ad Pelagianismum rejicienda est ista sententia.

(b) Al. omit. *&* *ad*, &c.

(c) Al. omit.

(c) *Ex Libro* 2. *De virtutibus Impiorum.*

XXV. Omnia opera infidelium sunt peccata.

XXVI. Et Philosophorum virtutes sunt vitia.

XXVII. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio; (*d*) quam sententiam repetit & probat per multa capitula.

(d) Al. omit. ista.

XXVIII. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

XXIX. Pelagianus est error, dicere quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

XXX. Non (*e*) solùm fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quàm per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent: aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut (*f*) ab ea non superetur.

(e) Al. *soli.*

(f) Al. *ab ea superetur.*

Ex

519

(a). *Ex Libro de charitate.*

(a) Al. omit.

XXXI. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

XXXIII. Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut (b) beatificator; vana est & commentitia; & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimoniis, excogitata.

(b) Al. *benefactor.*

XXXV. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur; ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi defenditur à nonnullis doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentit, qui (c) boni aliquid naturalis: hoc est, quod ex naturæ (d) solis viribus ortum ducit, agnoscit.

(c) Al. *bonum aliquod naturale.*

XXXVIII. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum (e) in corde diffusa, Deus amatur.

(d) Al. *solius.*

(e) Al. *in corde diffusum.*

(f) *Ex Libro de Libero Arbitrio.*

(f) Al. omit.

XXXIX. Quod voluntariè fit, etiamsi (g) necessitate fiat, liberè tamen fit.

(g) Al. *necessariò.*

XL. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato.

(a) *Ex Libro de Justitia.*

(a) Al. omit.

XLII. Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliquâ animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit.

(b) Vasq. *in omnibus.*

XLIII. (*b*) In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

(c) Al. *solùm ut.* (d) Al. *obedientia & veræ legis justitia.* (e) Al. *incrementum.*

XLIV. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt (*c*) ut Dei mandatis pareant; cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis (*d*) obedientiæ, & veræ legis justitiæ, non tamen iis obtinent (*e*) incrementa virtutum.

(f) *Ex Libro de sacrificio.*

(f) Al. omit.

XLV. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illa, quâ omne opus, quod fit ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.

(g) *Ex Libro de peccato originis.*

(g) Al. omit.

(h) Al. *ad rationem meriti.* (i) Vasq. *utrùm peccatum originis verè habeat.*

XLVI. (*h*) Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium. nec definitionis quæstio est; sed causæ, & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium. (*i*) Unde peccatum originis verè habet rationem peccati, sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

(k) Vasq. *voluntatis arbitrio, & ex.*

XLVII. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium: & habitualiter dominatur parvulo; eo quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium. (*k*) Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus est, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

XLVIII. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita precepto, *non concupisces.*

XLIX. Concupiscentia, sive lex membrorum & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

L. Omne

L. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

LI. Quantum est ex vi (*a*) transgressionis, tantùm meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus. (a) Al. *prima transg.*

LII. Diffinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.

LIII. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

(b) *Ex tractatu de oratione pro defunctis.*

(b) Al. omit.

LIV. In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Unde in sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

LV. Peccator (*c*) pœnitens, non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem sacerdotis solùm reatus tollitur. (c) Suarez *pœnitus.*

(d) *Ex tractatu de Indulgentiis.*

(d) Al. omit.

LVI. Quando per eleemosynas, (*e*) aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliquâ (*f*) ex parte, redemtores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur. (e) Ripal. *aliaque pietatis.* (f) Vasq. *vel aliqua.*

LVII. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum (*g*) passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis, pro peccatis debitis, liberemur. (g) Al. *pœnæ.*

LVIII. Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm, altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum (*h*) meritorium) commentitia est & explodenda. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum: vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, (h) Al. *meritorum.*

&

(a) Al. *appellare consueverunt.* & bonum (quod moraliter bonum (*a*) appellari consuevit) vel quia est meritorium regni æterni, eo quòd fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda (*b*) putatur.
(b) Al. *est.*

(c) Al. *Sed &c.* LX. (*c*) Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ: alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur, (*d*) odiosissimè & pertinacissimè (*e*) rejicitur.
(d) Vas. & Rip. *ut odiosissima & pertinacissima.*

(e) Al. *similiter rejicitur.* LXI. Denique & illa distinctio duplicis vivificationis: alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite (*f*) Christo efficitur; commentitia (*g*) judicatur, & Scripturis minimè congruens.
(f) Al. *Christi.*
(g) Al. *est.*

LXII. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

LXIII. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

LXIV. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.

LXV. Infidelitas purè negativa in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

LXVI. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis; non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

(h) Al. *peccati mortalis.* LXVII. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu (*h*) æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

(i) Al. *cum charitate perfecta.* LXVIII. Per contritionem, etiam (*i*) charitate perfectam, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

LXIX. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde & Job, & martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

LXX. Nemo præter Christum, est absque peccato originali. Hinc beata virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum; omnesque ejus afflicti-

flictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

LXXI. Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.

LXXII. Motus pravi concupiſcentiæ, ſunt, pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto: *non concupiſces:* unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur præceptum: *non concupiſces:* quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur.

LXXIII. Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

LXXIV. Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.

LXXV. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.

LXXVI. Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali.

Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas (quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento) hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectivè; ac quæcunque ſuper iis verbo, ſcriptoque emiſſa, præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus: deque eiſdem, & ſimilibus poſthac, quoquo pacto loquendi, ſcribendi, & diſputandi, facultatem quibuſcumque interdicimus: qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipſo innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipſos excepto mortis articulo liberare. Cæterum ut jam commoti his de rebus tumultus & contracta odia faciliùs comprimi poſſint, ſimulque animarum ſaluti pleniùs conſulatur, dilecto filio noſtro Antonio, titulo Sancti Bartholomei in inſula Presbytero Cardinali, Granvellano nuncupato, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ipſe quid ad perpetuam dictarum ſententiarum & ſcripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujuſmodi proloquia, & diſputationes, quid denique ad unionem & pacem cum communi omnium & eccleſiæ Catholicæ ſatisfactione componendam facto opus ſit imprimis diligenter expendat; deinde in iis omnibus quæ pro communi ſalute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, ſalvâ ſemper eccleſiæ prædictæ unitate, etiam per alium ſeu alios fide, doctrinâ & religione præſtantes ocyùs exequatur, faciatque quidquid decreverit inviolatè ab omnibus obſervari: contradictores quoſlibet per cenſuras & pœnas prædictas cæteraque juris & facti remedia opportuna,

CENSURA.

Si id nomen à Summis Pontificibus usurpari non debere affirmat propter modestiam retinendam; ferri potest ista propositio: si autem quia illis reipsa ipsum non competere arbitratur, ideo denegat; est hæretica.

VI. PROPOSITIO.

In Apologia ad Gregorium XIII. pro suis condemnatis articulis habet, hominem posse apud Deum justificari non habito respectu aut relatione ad merita Christi.

CENSURA.

Hæresim continet omnium pestilentissimam.

VII. PROPOSITIO.

In Concilio Tridentino quædam sunt inconsideratè posita.

CENSURA.

Est præsumptuosissima.

VIII. PROPOSITIO.

Post publicationem S. D. PP. Bullæ condemnationis articulorum, non destitit hic Author in scholis & disputationibus spargere & docere ac defendere sua ista dogmata, & alia antiqua, quæ erant illi interdicta.

CENSURA.

Arguit hominem animi pertinacis & hæretici, & inducit vehementem suspicionem, illum etiam superiores omnes affirmasse in eo sensu quo falsi sunt & erronei.

IX. PROPOSITIO.

Martyrum passiones & tormenta purgationes sunt peccatorum, non coronæ.

CENSURA.

In eo quòd affirmat tormenta Martyrum fuisse purgationes, si peccatorum à Martyribus actualiter commissorum purgationes fuisse intelligit omnia illa tormenta; hæretica est. Et similiter est hæretica in eo quod negat ea tormenta fuisse coronas.

In eodem Codice MS. subsequitur Censura quædam in triginta novem sententias: sed illam non censui hic inserendam, quia nec cui scriptori attributæ sint, nec à quibus lata sit hæc Censura, conjicere potui. Unum liquidò constat illas sententias non fuisse Michaelis Baii, nec ipsi adscriptas; animadverto enim illas fere omnes esse stupendum in modum Pelagianas; & quæ mores tangunt; laxissimas.

BULLA PII V.

Qua sententiæ septuaginta sex proscriptæ sunt an. 1567.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ex omnibus afflictionibus quas in hoc loco à Domino constituti tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios atque alios errores passim & promiscuè deferatur, quantùm verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ simul atque prosiliunt, penitus opprimantur. Magno etenim mœrore afficimur, quòd plerique, spectatæ alioqui probitatis & doctrinæ, in varias sententias, offensionis & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt, deque eis, etiam in Scholis, invicem controversantur; cujusmodi sunt sequentes.

† Al. omitt.

† *Ex Libro* 1. *de meritis operum.*

(a) Al. *gratia.*

I. Ec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur (*a*) gratia.

II. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium: sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

III. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

(b) Al. omit. per se.

IV. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum: & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam (*b*) per se sufficiunt.

V. In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

(c) Al. *perseveraret.*

VI. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia (*c*) perseverasset, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

(d) Al. *gratia.*

VII. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur (*d*) gratia: quò fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum quod non sit gratis indignò collatum.

(e) Al. *possunt.*

(f) Al. potest.

IX. Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan, non improbandâ ratione (*e*) possent dici gratia, sed quia secundùm usum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus & indignis conferuntur; ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici (*f*) debet.

(g) Al. *solutio... resurrectio... adscribenda est.*

X. Solutionem pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectionem propriè non nisi meritis Christi (*g*) adscribendam esse.

(h) Al. *consequemur.*

(i) Al. *& justo.*

XI. Quod piè & justè in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam (*h*) consequimur æternam: id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ (*i*) justo Dei judicio deputandum est; neque

neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

(a) *Ex Libro 2. De meritis operum.*

(a) Al. omit.

XII. Pelagii sententia est opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, (*b*) non esse regni cælestis meritorium.

(b) Al. *non est.*

XIII. Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantùm ex eo, quòd sunt conformia legi, quòdque per ea præstatur obedientia (*c*) legis.

(c) Al. *legi.*

XIV. Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.

XV. Docet (*d*) Rationem meriti non consistere in eo, quòd qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solùm quòd obedit divinæ legi: (*e*) quam sententiam sæpe repetit, & multis rationibus probat toto fere libro.

(d) Al. *Ratio* &c. omittit. *docet.*
(e) Al. omit. *quam sententiam*, &c.

XVI. (*f*) In eodem Libro sæpe repetit, quòd non est vera legis obedientia, quæ sit sine charitate.

(f) Al. incipit: *non est*, &c.

XVII. Dicit (*g*) sentire cùm Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.

(g) Al. incipit: *sentiunt.*

XVIII. (*h*) Dicit opera Catechumenorum, ut fidem & pœnitentiam, ante remissionem peccatorum facta, esse vitæ æternæ merita; quam (*i*) vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

(h) Al. *opera... ut fideles & pœnitentia... sunt.*
(i) Al. *tamen.*

XIX. (*k*) Videtur insinuare, quòd opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint majorem valorem.

(k) Al. incipit: *Opera*, &c.

XX. Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale; sed omne peccatum meretur (*l*) pœnam æternam.

(l) Al. *mortem.*

(a) Al. omit.

(a) *Ex Libro 1. de prima hominis justitia.*

XXI. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

XXII. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. (*gentes quæ* legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt) intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito, suprà conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.

XXIV. A vanis & otiosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia: hominem ab initio sic constitutum ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus; (*b*) & ad Pelagianismum rejicienda est ista sententia.

(b) Al. omit. *&* *ad*, &c.

(c) Al. omit.

(c) *Ex Libro 2. De virtutibus Impiorum.*

XXV. Omnia opera infidelium sunt peccata.

XXVI. Et Philosophorum virtutes sunt vitia.

XXVII. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio; (*d*) quam sententiam repetit & probat per multa capitula.

(d) Al. omit. ista.

XXVIII. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

XXIX. Pelagianus est error, dicere quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

XXX. Non (*e*) solùm fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quàm per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent: aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut (*f*) ab ea non superetur.

(e) Al. *soli.*

(f) Al. *ab ea superetur.*

(a) *Ex Libro de charitate.*

(a) Al. omit.

XXXI. Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

XXXIII. Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut (*b*) beatificator: vana est & commentitia; & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimoniis, excogitata. (b) Al. *benefactor.*

XXXV. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur; ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi defenditur à nonnullis doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentit, qui (*c*) boni aliquid naturalis: hoc est, quod ex naturæ (*d*) solis viribus ortum ducit, agnoscit. (c) Al. *bonum aliquod naturale.* (d) Al. *solum.*

XXXVIII. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum (*e*) in corde diffusa, Deus amatur. (e) Al. *in corda diffusum.*

(f) *Ex Libro de Libero Arbitrio.*

(f) Al. omit.

XXXIX. Quod voluntariè fit, etiamsi (*g*) necessitate fiat, liberè tamen fit. (g) Al. *necessariò.*

XL. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato.

(a) *Ex Libro de Justitia.*

(a) Al. omit.

XLII. Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliquâ animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit.

(b) Vasq. *in omnibus.*

XLIII. (*b*) In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

(c) Al. *solùm ut.* (d) Al. *obedientia & vera legis justitia.* (e) Al. *incrementum.*

XLIV. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt (*c*) ut Dei mandatis pareant; cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis (*d*) obedientiæ, & veræ legis justitiæ, non tamen iis obtinent (*e*) incrementa virtutum.

(f) *Ex Libro de sacrificio.*

(f) Al. omit.

XLV. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illa, quâ omne opus, quod fit ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.

(g) *Ex Libro de peccato originis.*

(g) Al. omit.

(h) Al. *ad rationem meriti.* (i) Vasq. *utrùm peccatum originis verè habeat.*

XLVI. (*h*) Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est; sed causæ, & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium. (*i*) Unde peccatum originis verè habet rationem peccati, sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

(k) Vasq. *voluntatis arbitrio, & ex.*

XLVII. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium: & habitualiter dominatur parvulo: eo quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium. (*k*) Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus est, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

XLVIII. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita precepto, *non concupisces.*

XLIX. Concupiscentia, sive lex membrorum & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

L. Omne

L. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

LI. Quantum est ex vi (a) transgressionis, tantùm meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus. (a) Al. *prima transg.*

LII. Diffinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.

LIII. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

(b) *Ex tractatu de oratione pro defunctis.*

(b) Al. omit.

LIV. In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Unde in sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

LV. Peccator (c) pœnitens, non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem sacerdotis solùm reatus tollitur. (c) Suarez: *penitùs.*

(d) *Ex tractatu de Indulgentiis.*

(d) Al. omit.

LVI. Quando per eleemosynas, (e) aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliquâ (f) ex parte, redemtores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur. (e) Ripal. *aliaque pietatis.* (f) Vasq. *vel aliqua.*

LVII. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè rediмuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum (g) passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis, pro peccatis debitis, liberemur. (g) Al. *pœnæ.*

LVIII. Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm, altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum (h) meritorium) commentitia est & explodenda. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum: vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, (h) Al. *meritorum.*

&

(a) Al. *appellare consueverunt.* (b) Al. *est.*

& bonum (quod moraliter bonum (*a*) appellari consuevit) vel quia est meritorium regni æterni, eo quòd fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda (*b*) putatur.

(c) Al. *Sed &.* (d) Vas. & Rip. *ut odiosissima & pertinacissima.* (e) Al. *similiter rejicitur.*

LX. (*c*) Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ: alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur, (*d*) odiosissimè & pertinacissimè (*e*) rejicitur.

(f) Al. *Christi.* (g) Al. *est.*

LXI. Denique & illa distinctio duplicis vivificationis: alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite (*f*) Christo efficitur; commentitia (*g*) judicatur, & Scripturis minimè congruens.

LXII. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

LXIII. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

LXIV. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.

LXV. Infidelitas purè negativa in his in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

LXVI. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis; non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

(h) Al. *peccati mortalis.*

LXVII. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu (*h*) æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

(i) Al. *cum charitate perfecta.*

LXVIII. Per contritionem, etiam (*i*) charitate perfectam, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

LXIX. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde & Job, & martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

LXX. Nemo præter Christum est absque peccato originali: Hinc beata virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum; omnesque ejus afflicti-

flictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

LXXI. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

LXXII. Motus pravi concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis viciati, prohibiti præcepto: *non concupisces:* unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum: *non concupisces:* quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

LXXIII. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

LXXIV. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

LXXV. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

LXXVI. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.

Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas (quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento) hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè; ac quæcunque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus: deque eisdem, & similibus posthac, quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi, facultatem quibuscumque interdicimus: qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos excepto mortis articulo liberare. Cæterum ut jam commoti his de rebus tumultus & contracta odia faciliùs comprimi possint, simulque animarum saluti pleniùs consulatur, dilecto filio nostro Antonio, titulo Sancti Bartholomei in insula Presbytero Cardinali, Granvellano nuncupato, per Apostolica scripta mandamus, ut ipse quid ad perpetuam dictarum sententiarum & scripturarum abolitionem, quid ad arcenda hujusmodi proloquia, & disputationes, quid denique ad unionem & pacem cum communi omnium & ecclesiæ Catholicæ satisfactione componendam facto opus sit imprimis diligenter expendat; deinde in iis omnibus quæ pro communi salute, tranquillitate, & honore optimum judicaverit, salvâ semper ecclesiæ prædictæ unitate, etiam per alium seu alios fide, doctrinâ & religione præstantes ocyùs exequatur, faciatque quidquid decreverit inviolatè ab omnibus observari: contradictores quoslibet per censuras & pœnas prædictas cæteraque juris & facti remedia opportuna,

portuna, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus quòd forsitan aliquibus ab Apostolica sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem: & quibuslibet aliis privilegiis, exceptionibus, indulgentiis & litteris Apostolicis specialibus vel generalibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri: & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti & mandati, privationis & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Calendis Octobris, Pontificatûs nostri anno secundo.

Hanc Pii V. Bullam, etsi non nisi in aliis Diplomatibus inserta legitur, visum est hîc separatim exhibere: notatis etiam Libris ex quibus collecti dicebantur Articuli qui ad Censuram exhibiti sunt. Licèt enim juxta Granvellani Litteras die 13. Novembris anni 1567. Romæ scriptas, non sit in Bulla expressum ex quo Libro excerpti sint ejusmodi Articuli; id nihilominus adnotatum erat in Extractis ex Bulla Articulis cum Censura, quorum copiam Doctoribus Theologis fecit Morillonus dum eis Bullam intimavit.

CAR-

CARDINALIS GRANVELLANI MAXIMILIANO MORILLONIO, ECCLESIÆ ARIENSIS PRÆPOSITO, EPISTOLA.

Ex Cardinalis Granvellani Registro primùm edita.

MONSIEUR LE PREVOST,



Ous verrez les Lettres que je vous escris en François cy-jointes, touchant (a) le Livre que le Docteur Bay a fait imprimer, dont sur ma foy je voudrois pour beaucoup qu'il se fust abstenu. Car je crains fort, s'il ne prend les choses comme il convient pour venir au remede, que l'en ne tombe en termes dont il se trouveroit empêché. Et quelquefois ces gens savants tiennent leurs œuvres, comme les Peres leurs enfans, tant sont rassotez; & pour les soutenir, tombent en infinis inconveniens. Et je ne voudrois qu'au dit Docteur le même advint. Car ce seroit le perdre, au lieu qu'il pourroit servir l'Eglise. Et j'apperçois bien que les vieux (b) Theologiens de Louvain ont toujours sentu & sentent qu'il aie voulu user de ces termes: en quoy a la verité ils ont raison. Car il ne doit tant attribuer à son opinion, quelque savant qu'il puisse estre, qu'il ne desere plus à celle qu'ordinairement tiennent les Escholes; & sont toutes nouvelletez, comme vous savez, (c) dangereuses. Vous lui pourrez montrer ma Lettre, & conferer amiablement avec lui, pour voir s'il se laissera ranger à ce qui luy convient, qui seroit un grand bien; & je le desire singulierement pour l'affection que je lui porte: & convient que vous avertissiez franchement & librement de ce que vous y trouverez. Bien vous veux-je dire, que s'il ne s'accommode realement à la raison, à ce que je puis appercevoir il se mettra à un bien grand hazard. Ce du Livre est le pis; mais il n'y a re-

(a) Michaëlis Baii Opuscula an. 1563. typis vulgata.

(b) Ruardus Tapperus Pelagianizans, & Judocus Raveſtyn.

(c) Res Granvellano periculi plena loqui ac sentire cum Sacris Scripturis & Patribus.

(a) Nusquam tamen prohibita sunt docta ista opuscula.

a remede, & faut necessairement qu'il se (a) deffende, & que ceux de l'Université entendent que telles propositions ne se doivent comporter. Cela assuré tout le reste pourra passer doucement & sans bruit. Et je vous prie tres affectueusement d'y faire tout le meilleur devoir que vous pourrez, & tost. Vous en pourrez, si bon vous semble, conferer avec le Confesseur de Monsieur le Duc d'Alve, & aussi avec nostre Maître Tiletanus, & Jansenius. Mais pour Dieu que vous procurez qu'ils perdent toute passion, & que l'on y procede avec charité Chrêtienne, pour rabiller doucement la faute qu'il y a, que sera plus d'honneur à l'Université & à eux mêmes, & gaigneront par ce bout plus de reputation, que non d'y procurer aigrement: & ils vous diront les moyens que vous devrez tenir, pour y remedier selon les intentions de sa Saintesé. Mais usez en dextrement & modestement: & que Monsieur (b) nostre Maistre entende qu'on ne lui est point contraire, mais que l'on lui veust faire bonne œuvre; comme certes je le desire si avant qu'il se veuille, (c) accommoder: & si non je seray contraint à mon regret de l'abandonner. Et me recommandant tres affectueusement à vôtre bonne souvenance, je prie le Createur qu'il, Monsieur le Prevost, vous doint vos desirs.

(b) Michaël Baius.

(c) Hoc est, modò Baius in Novorum Theologorum sententias eat.

De Rome ce 13. de Novembre, 1567.

Inscriptio hæc erat:

A Monsieur le Prevost Morillon.

ALTE-

ALTERA EJUSDEM CARDINALIS GRANVELLANI EIDEM MORILLONIO EPISTOLA.

MONSIEUR LE PREVOST,

Ex eod. Registro primum edita.

DE tiens que vous vous souvenez des differens qui cy-devant se sont suscitez, d'aucuns qui ont voulu impugner aucunes propositions, & formes de parler, dont feu nôtre Maistre (a) *de Louvain, & Monsieur nôtre Maistre Michel Le Bay usoient, tant aux Lectures que aux disputes, non usitées en l'ancienne Eschole; & que la contention vint si avant, que aucuns Religieux de l'Ordre de Saint François avoient prêché à l'encontre d'eux tant au Convent des Religieux de Saint François à Aet, qu'ailleurs, & fait censurer les propositions contentieuses, selon que par eux elles avoient esté colligées, tant par* (b) *l'Université de Paris, que autres, dont l'on craignoit plus grand scandale & trouble se pourroit susciter, au prejudice de la reputation de l'Université de Louvain, & succeder de ce grandes divisions en icelle, pour estre les anciens* (c) *Docteurs de l'Université offensez des dites propositions, que pour estre les dits feu de Louvain & le Bay gens* (d) *savans, pieux & de grande autorité & suite en la dite Eschole: & qui, s'accommodant à point les dites propositions, pourroient faire grand fruit en l'Eglise de Dieu, tant par leurs Lectures, Predications, que consultations. Et pour y remedier, l'expedient que l'on prist, fut que la bonne & recommandée memoire de feu Pape Pie le Quart, m'enchargea de* (e) *imposer silence aux deux parties, & de commander sur peine d'excommunication comme je fis tant au dit de Louvain, qu'au Docteur Bay, de non plus user des dites propositions & formes de parler non acoutumées aux Escholes, & aux autres de n'en plus faire mention quelconque, ny en parler au desavantage des dits Docteurs. Or est survenu depuis que le dit Docteur Le Bay a composé un* (f) *Livre & fait imprimer à Louvain, traitant au commencement d'icelui* DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO: *avec adjonction d'autres opuscules qui concernent les points controversez aujourdhuy*

(a) Joannes Hesselius à Lovanio.

(b) Censuræ Academiarum habentur suprà.

(c) Tapperus, Ravesteyn à Tileto, &c.

(d) Hesselii & Baii pietas & eruditio.

(e) Utrique parti impositum silentium.

(f) Opusculorum Baii editio an. 1563. nova in illum insurgendi occasio.

dans

dans l'Eglise: le quel Livre a esté icy appourté & donné (a) *scandale à gens savans; & l'ayant veu* (b) *sa Sainteté, & l'opinion que l'on en avoit, s'en est aussi à la verité scandalisé, & voudroit pour beaucoup que le dit Docteur, au quel je porte l'affection que vous savez, se fust abstenu de la composition & impression du dit Livre, & qu'il eust deferé au commandement Apostolique qui par moy lui avoit esté fait. Sa Sainteté en a communiqué avec moy, & outre ce qu'elle se souvient fort bien de ce qui se passa, lorsque feu son Predecesseur me commist cette affaire: car sa Sainteté avoit pour lors la charge de l'Inquisition. Je lui ay ramenteu la qualité du dit Docteur le Bay, & le fruit qu'il peut faire en l'Eglise de Dieu, la suppliant que tenant respect à ce, & à la vertu & bon zele du dit Docteur, il luy plust traiter cette affaire de sorte que ce fust avec le moindre scandale du dit Sieur le Bay, que faire se pourroit. Par quoy sa Sainteté se condescendit avec une pieté & charité vraiment Chrétienne: & ayant compassion au dit le Bay, presupposant qu'il fust tombé en cecy, stimulé de la contention de ses emulateurs; & comme il advient souventefois que pour soutenir une proposition qui est échappée, quand l'on prend le chemin du monde, l'on tombe necessairement à estre forcé à conceder & affermer autres plus absurdes & plus éloignées de la Religion, & me concede sa Sainteté que l'on feroit pour le dit Bay, tout ce que la verité & la foi sauve, & sans faire prejudice à la dignité & autorité d'icelle, se pourroit, pourveu que le dit Docteur se voulsist soumettre à ce que la raison veut, & à la Censure de sa Sainteté: & pour y proceder en cette sorte & avec la charité requise, l'on fist ôter le premier fueillet, afin que l'on ne connût ni l'auteur du livre, ni le lieu où il est imprimé: & s'est examiné l'œuvre par gens* (c) *savans de plusieurs nations, lesquels uniformement ont censuré plusieurs propositions* (d) *treuvées dedans le Livre en la forme que vous verrez par la Bulle de N. S. P. le Pape, que je vous envoie avec cette, declarant les dites propositions annotées, aucunes erronées, autres suspectes, autres scandaleuses;* AUTRES JAÇOIT (e) SE PUISSENT EN RIGUEUR INTERPRETER EN QUELQUE SENS *pour les excuser, donnent toutefois offension à gens pieux qui les lisent. Et s'est faite cette condamnation ainsi generale avec l'adjonction du mot* RESPECTIVE, *pour plus de douceur. Et comme vous verrez sa Sainteté me commet d'y faire ou par moy, ou y employant autres, ce que je trouveray convenir pour, la dignité de la Religion sauve, pour voir doucement au mal qui de cecy pourroit succeder. Et il m'a semblé que je n'y pourrois entremettre personne qui avec meilleur zele & discretion y peust satisfaire, que vous. Et tant plus pour l'affection que je sçais que vous portez au dit Docteur Bay, lequel je tiens pour si homme de bien & catholique, que voyant la Censure & determination de sa Sainteté, il n'y voudra aucunement repugner. Autrement il me feroit perdre la bonne opinion que j'ay de lui, & me retirerois de sa protection, laquelle comme vous savez j'ay tenu & tiens comme d'un personnage si vertueux & qualifié, & du conseil du quel j'espere tous les jours me valoir de mieux en mieux. Ce qu'il convient faire est à mon avis, que vous l'appelliez & qu'amplement vous lui faites entendre de ma part ce que dessus, lui communiquant la Bulle originale par laquelle il verra l'intention de sa Sainteté; & que pour non faillir à mon devoir, je ne puis delaisser de la faire executer, mais que je desire bien que ce soit avec le moindre scandale: que faire se pourra. Il verra que par la Bulle il n'est nommé ni son Livre, si bien en icelle il se fait mention des propositions & d'un Livre, sans dire quel. Mais toutefois s'estant publié icelui, il faut regarder par quel moien on pourra*

remedier

(a) Scandalum novis Theologis.

(b) Pius V. ab æmulis Baii malè seductus, & à Theologis in doctrina Patrum minus exercitatis, ex Baii Opusculis offenditur.

(c) Docti qui Scripturæ ac Patrum sententias non noverant.

(d) Articulis in Baii Libro inventis ex aliorum relatione habuit Granvellanus.

(e) Hinc solvitur de famosa Bullæ Pianæ commate disputatio.

remedier à ce point: car je ne vois qu'il se puisse delaisser de le defendre, afin que les exemplaires sortent hors des mains. Et si sera besoin que au Doyen & aux principaux de la Faculté vous faites ostension de la dite Bulle, aprés toutefois avoir parlé au dit Docteur, afin que voyant la Censure de sa Sainteté, ils ne comportent que telles propositions se soutiennent, quelque interpretation ou glose que l'on y veuille donner. Car je vous puis asseurer que pour les sauver l'on a fait tout ce qui a esté possible, & qu'en cette affaire sa Sainteté a usé d'une telle diligence, que si ce fust esté pour gaigner tout le monde l'on n'eust sçeu faire plus. Et cecy est de telle qualité & importance, & l'a sa Sainteté tant à cœur pour la crainte qu'elle à que sans y remedier promtement, inconveniant plus grand en puisse advenir: Que j'attendray avec bien grand desir nouvelles de vous pour savoir & lui faire entendre ce qui s'y sera fait. Et je desire singulierement que le dit Docteur prenne la chose par le bon chemin pour eviter tous les inconvenians, aux quels en usant autrement il pourroit tomber. Et pourtant vous prie autant affectueusement que je puis, d'y user toute diligence, vous servant du conseil de ceux que vous verrez convenir; mais ayant grand égard de fuïr (a) ceux qui se pourroient montrer passionnez contre le dit Docteur; Car ce que l'on pretend est de remedier au mal, comme j'ay dit, evitant tant que faire se pourra le scandale du dit Docteur, sans toutefois rien delaisser, suivant l'intention de sa Sainteté, qui doige servir pour conserver la purité de la doctrine. Et me recommandant tres affectueusement à vôtre bonne souvenance, je prie le Createur, qu'il, Monsieur le Prevost, vous doint l'accomplissement de vos desirs.

(a) Tiletanus, & Gaudanus.

De Rome ce 13. de Novembre 1567.

Inscriptio hæc erat:

A Monsieur le Prevost Morillon.

dans l'Eglise: le quel Livre a esté icy appourté & donné (a) *scandale à gens savans; & l'ayant veu* (b) *sa Sainteté, & l'opinion que l'on en avoit, s'en est aussi à la verité scandalisé, & voudroit pour beaucoup que le dit Docteur, au quel je porte l'affection que vous savez, se fust abstenu de la composition & impression du dit Livre, & qu'il eust deferé au commandement Apostolique qui par moy lui avoit esté fait. Sa Sainteté en a communiqué avec moy, & outre ce qu'elle se souvient fort bien de ce qui se passa, lorsque feu son Predecesseur me commist cette affaire: car sa Sainteté avoit pour lors la charge de l'Inquisition. Je lui ay ramenteu la qualité du dit Docteur le Bay, & le fruit qu'il pêut faire en l'Eglise de Dieu, la suppliant que tenant respect à ce, & à la vertu & bon zele du dit Docteur, il luy plust traiter cette affaire de sorte que ce fust avec le moindre scandale du dit Sieur le Bay, que faire se pourroit. Par quoy sa Sainteté se condescendit avec une pieté & charité vraiment Chrêtienne: & ayant compassion au dit le Bay, presupposant qu'il fust tombé en cecy, stimulé de la contention de ses emulateurs; & comme il advient souventefois que pour soutenir une proposition qui est échappée, quand l'on prend le chemin du monde, l'on tombe necessairement à estre forcé à conceder & affermer autres plus absurdes & plus éloignées de la Religion, & me concede sa Sainteté que l'on feroit pour le dit Bay, tout ce que la verité & la foi sauve, & sans faire prejudice à la dignité & autorité d'icelle, se pourroit, pourveu que le dit Docteur se voulsist soumettre à ce que la raison veut, & à la Censure de sa Sainteté: & pour y proceder en cette sorte & avec la charité requise, l'on fist ôter le premier fueillet, afin que l'on ne connût ni l'auteur du livre, ni le lieu où il est imprimé: & s'est examiné l'œuvre par gens* (c) *savans de plusieurs nations, lesquels uniformement ont censuré plusieurs propositions* (d) *treuvées dedans le Livre en la forme que vous verrez par la Bulle de N. S. P. le Pape, que je vous envoie avec cette, declarant les dites propositions annotées, aucunes erronées, autres suspectes, autres scandaleuses;* AUTRES JAÇOIT (e) SE PUISSENT EN RIGUEUR INTERPRETER EN QUELQUE SENS *pour les excuser, donnent toutefois offension à gens pieux qui les lisent. Et s'est faite cette condamnation ainsi generale avec l'adjonction du mot* RESPECTIVE, *pour plus de douceur. Et comme vous verrez sa Sainteté me commet d'y faire ou par moy, ou y employant autres, ce que je trouveray convenir pour, la dignité de la Religion sauve, pour voir doucement au mal qui de cecy pourroit succeder. Et il m'a semblé que je n'y pourrois entremettre personne qui avec meilleur zele & discretion y peust satisfaire, que vous. Et tant plus pour l'affection que je sçais que vous portez au dit Docteur Bay, lequel je tiens pour si homme de bien & catholique, que voyant la Censure & determination de sa Sainteté, il n'y voudra aucunement repugner. Autrement il me feroit perdre la bonne opinion que j'ay de lui, & me retirerois de sa protection, laquelle comme vous savez j'ay tenu & tiens comme d'un personnage si vertueux & qualifié, & du conseil du quel j'espere tous les jours me valoir de mieux en mieux. Ce qu'il convient faire est à mon avis, que vous l'appelliez & qu'amplement vous lui faites entendre de ma part ce que dessus, lui communiquant la Bulle originale par laquelle il verra l'intention de sa Sainteté; & que pour non faillir à mon devoir, je ne puis delaisser de la faire executer, mais que je desire bien que ce soit avec le moindre scandale: que faire se pourra. Il verra que par la Bulle il n'est nommé ni son Livre, si bien en icelle il se fait mention des propositions & d'un Livre, sans dire quel. Mais toutefois s'estant publié icelui, il faut regarder par quel moien on pourra remedier.*

(a) Scandalum novis Theologis.

(b) Pius V. ab æmulis Baii malè seductus, & à Theologis in doctrina Patrum minùs exercitatis, ex Baii Opusculis offenditur.

(c) Docti qui Scripturæ ac Patrum sententias non noverant.

(d) Articulis in Baii Libro inventis ex aliorum relatione habuit Granvellanus.

(e) Hinc solvitur de famosa Bullæ Pianæ commate disputatio.

remedier à ce point : car je ne vois qu'il se puisse delaisser de le defendre, afin que les exemplaires sortent hors des mains. Et si sera besoin que au Doyen & aux principaux de la Faculté vous faites ostension de la dite Bulle, aprés toutefois avoir parlé au dit Docteur, afin que voyant la Censure de sa Sainteté, ils ne comportent que telles propositions se soutiennent, quelque interpretation ou glose que l'on y veuille donner. Car je vous puis asseurer que pour les sauver l'on a fait tout ce qui a esté possible, & qu'en cette affaire sa Sainteté a usé d'une telle diligence, que si ce fust esté pour gaigner tout le monde l'on n'eust sçeu faire plus. Et cecy est de telle qualité & importance, & l'a sa Sainteté tant à cœur pour la crainte qu'elle à que sans y remedier promtement, inconveniant plus grand en puisse advenir : Que j'attendray avec bien grand desir nouvelles de vous pour savoir & lui faire entendre ce qui s'y sera fait. Et je desire singulierement que le dit Docteur prenne la chose par le bon chemin pour eviter tous les inconvenians, aux quels en usant autrement il pourroit tomber. Et pourtant vous prie autant affectueusement que je puis, d'y user toute diligence, vous servant du conseil de ceux que vous verrez convenir; mais ayant grand égard de fuïr (a) ceux qui se pourroient montrer passionnez contre le dit Docteur; Car ce que l'on pretend est de remedier au mal, comme j'ay dit, evitant tant que faire se pourra le scandale du dit Docteur, sans toutefois rien delaisser, suivant l'intention de sa Sainteté, qui doige servir pour conserver la purité de la doctrine. Et me recommandant tres affectueusement à vôtre bonne souvenance, je prie le Createur, qu'il, Monsieur le Prevost, vous doint l'accomplissement de vos desirs.

(a) Tiletanus, & Gaudanus.

De Rome ce 13. de Novembre 1567.

Inscriptio hæc erat:

A Monsieur le Prevost Morillon.

dans l'Eglise: le quel Livre a esté icy appourté & donné (a) *scandale à gens savans; & l'ayant veu* (b) *sa Sainteté, & l'opinion que l'on en avoit, s'en est aussi à la verité scandalisé, & voudroit pour beaucoup que le dit Docteur, au quel je porte l'affection que vous savez, se fust abstenu de la composition & impression du dit Livre, & qu'il eust deferé au commandement Apostolique qui par moy lui avoit esté fait. Sa Sainteté en a communiqué avec moy, & outre ce qu'elle se souvient fort bien de ce qui se passa, lorsque feu son Predecesseur me commist cette affaire: car sa Sainteté avoit pour lors la charge de l'Inquisition. Je lui ay ramenteu la qualité du dit Docteur le Bay, & le fruit qu'il peut faire en l'Eglise de Dieu, la suppliant que tenant respect à ce, & à la vertu & bon zele du dit Docteur, il luy plust traiter cette affaire de sorte que ce fust avec le moindre scandale du dit Sieur le Bay, que faire se pourroit. Par quoy sa Sainteté se condescendit avec une pieté & charité vraiment Chrétienne: & ayant compassion au dit le Bay, presupposant qu'il fust tombé en cecy, stimulé de la contention de ses emulateurs; & comme il advient souventefois que pour soutenir une proposition qui est échappée, quand l'on prend le chemin du monde, l'on tombe necessairement à estre forcé à conceder & affermer autres plus absurdes & plus éloignées de la Religion, & me concede sa Sainteté que l'on feroit pour le dit Bay, tout ce que la verité & la foi sauve, & sans faire prejudice à la dignité & autorité d'icelle, se pourroit, pourveu que le dit Docteur se voulsist soumettre à ce que la raison veut, & à la Censure de sa Sainteté: & pour y proceder en cette sorte & avec la charité requise, l'on fist ôter le premier fueillet, afin que l'on ne connût ni l'auteur du livre, ni le lieu où il est imprimé: & s'est examiné l'œuvre par gens* (c) *savans de plusieurs nations, lesquels uniformement ont censuré plusieurs propositions* (d) *treuvées dedans le Livre en la forme que vous verrez par la Bulle de N. S. P. le Pape, que je vous envoie avec cette, declarant les dites propositions annotées, aucunes erronées, autres suspectes, autres scandaleuses;* AUTRES JAÇOIT (e) SE PUISSENT EN RIGUEUR INTERPRETER EN QUELQUE SENS *pour les excuser, donnent toutefois offension à gens pieux qui les lisent. Et s'est faite cette condamnation ainsi generale avec l'adjonction du mot* RESPECTIVE, *pour plus de douceur. Et comme vous verrez sa Sainteté me commet d'y faire ou par moy, ou y employant autres, ce que je trouveray convenir pour, la dignité de la Religion sauve, pour voir doucement au mal qui de cecy pourroit succeder. Et il m'a semblé que je n'y pourrois entremettre personne qui avec meilleur zele & discretion y peust satisfaire, que vous. Et tant plus pour l'affection que je sçais que vous portez au dit Docteur Bay, lequel je tiens pour si homme de bien & catholique, que voyant la Censure & determination de sa Sainteté, il n'y voudra aucunement repugner. Autrement il me feroit perdre la bonne opinion que j'ay de lui, & me retirerois de sa protection, laquelle comme vous savez j'ay tenu & tiens comme d'un personnage si vertueux & qualifié, & du conseil du quel j'espere tous les jours me valoir de mieux en mieux. Ce qu'il convient faire est à mon avis, que vous l'appelliez & qu'amplement vous lui faites entendre de ma part ce que dessus, lui communiquant la Bulle originale par laquelle il verra l'intention de sa Sainteté; & que pour non faillir à mon devoir, je ne puis delaisser de la faire executer, mais que je desire bien que ce soit avec le moindre scandale: que faire se pourra. Il verra que par la Bulle il n'est nommé ni son Livre, si bien en icelle il se fait mention des propositions & d'un Livre, sans dire quel. Mais toutefois s'estant publié icelui, il faut regarder par quel moien on pourra remedier.*

(a) Scandalum novis Theologis.

(b) Pius V. ab æmulis Baii malè seductus, & à Theologis in doctrina Patrum minùs exercitatis, ex Baii Opusculis offenditur.

(c) Docti qui Scripturæ ac Patrum sententias non noverant.

(d) Articulis in Baii Libro inventis ex aliorum relatione habuit Granvellanus.

(e) Hinc solvitur de famosa Bullæ Pianæ commate disputatio.

remedier à ce point : car je ne vois qu'il se puisse delaisser de le defendre, afin que les exemplaires sortent hors des mains. Et si sera besoin que au Doyen & aux principaux de la Faculté vous faites ostension de la dite Bulle, aprés toutefois avoir parlé au dit Docteur, afin que voyant la Censure de sa Sainteté, ils ne comportent que telles propositions se soutiennent, quelque interpretation ou glose que l'on y veuille donner. Car je vous puis asseurer que pour les sauver l'on a fait tout ce qui a esté possible, & qu'en cette affaire sa Sainteté a usé d'une telle diligence, que si ce fust esté pour gaigner tout le monde l'on n'eust sçeu faire plus. Et cecy est de telle qualité & importance, & l'a sa Sainteté tant à cœur pour la crainte qu'elle à que sans y remedier promtement, inconveniant plus grand en puisse advenir : Que j'attendray avec bien grand desir nouvelles de vous pour savoir & lui faire entendre ce qui s'y sera fait. Et je desire singulierement que le dit Docteur prenne la chose par le bon chemin pour eviter tous les inconvenians, aux quels en usant autrement il pourroit tomber. Et pourtant vous prie autant affectueusement que je puis, d'y user toute diligence, vous servant du conseil de ceux que vous verrez convenir; mais ayant grand égard de fuïr (a) ceux qui se pourroient montrer passionnez contre le dit Docteur ; Car ce que l'on pretend est de remedier au mal, comme j'ay dit, evitant tant que faire se pourra le scandale du dit Docteur, sans toutefois rien delaisser, suivant l'intention de sa Sainteté, qui doige servir pour conserver la pureté de la doctrine. Et me recommandant tres affectueusement à vôtre bonne souvenance, je prie le Createur, qu'il, Monsieur le Prevost, vous doint l'accomplissement de vos desirs.

(a) Tiletanus, & Gaudanus.

De Rome ce 13. de Novembre 1567.

Inscriptio hæc erat:

A Monsieur le Prevost Morillon.

MAXI-

a remede, & faut necessairement qu'il se (a) deffende, & que ceux de l'Université entendent que telles propositions ne se doivent comporter. Cela assuré tout le reste pourra passer doucement & sans bruit. Et je vous prie tres affectueusement d'y faire tout le meilleur devoir que vous pourrez, & tost. Vous en pourrez, si bon vous semble, conferer avec le Confesseur de Monsieur le Duc d'Alve, & aussi avec nostre Maître Tiletanus, & Jansenius. Mais pour Dieu que vous procurez qu'ils perdent toute passion, & que l'on y procede avec charité Chrétienne, pour rabiller doucement la faute qu'il y a, que sera plus d'honneur à l'Université & à eux mémes, & gaigneront par ce bout plus de reputation, que non d'y procurer aigrement: & ils vous diront les moyens que vous devrez tenir, pour y remedier selon les intentions de sa Sainteté. Mais usez en dextrement & modestement: & que Monsieur (b) nostre Maistre entende qu'on ne lui est point contraire, mais que l'on lui veust faire bonne œuvre; comme certes je le desire si avant qu'il se veuille, (c) accommoder: & si non je seray contraint à mon regret de l'abandonner. Et me recommandant tres affectueusement à vôtre bonne souvenance, je prie le Createur qu'il, Monsieur le Prevost, vous doint vos desirs.

(a) Nusquam tamen prohibita sunt dicta ista opuscula.

(b) Michaël Baius.

(c) Hoc est, modò Baius in Novorum Theologorum sententias eat.

De Rome ce 13. de Novembre, 1567.

Inscriptio hæc erat:

A Monsieur le Prevost Morillon.

ALTE-

ALTERA EJUSDEM CARDINALIS GRANVELLANI EIDEM MORILLONIO EPISTOLA.

MONSIEUR LE PREVOST,

Ex eod. Registro primum edita.



E tiens que vous vous souvenez des differens qui cy-devant se sont suscitez, d'aucuns qui ont voulu impugner aucunes propositions, & formes de parler, dont feu nôtre Maistre (a) *de Louvain, & Monsieur nôtre Maistre Michel Le Bay usoient, tant aux Lectures que aux disputes, non usitées en l'ancienne Eschole; & que la contention vint si avant, que aucuns Religieux de l'Ordre de Saint François avoient prêché à l'encontre d'eux tant au Convent des Religieux de Saint François à Aet, qu'ailleurs, & fait censurer les propositions contentieuses, selon que par eux elles avoient esté colligées, tant par* (b) *l'Université de Paris, que autres, dont l'on craignoit plus grand scandale & trouble se pourroit susciter, au prejudice de la reputation de l'Université de Louvain, & succeder de ce grandes divisions en icelle, pour estre les anciens* (c) *Docteurs de l'Université offensez des dites propositions, que pour estre les dits feu de Louvain & le Bay gens* (d) *savans, pieux & de grande autorité & suite en la dite Eschole: & qui, s'accommodant à point les dites propositions, pourroient faire grand fruit en l'Eglise de Dieu, tant par leurs Lectures, Predications, que consultations. Et pour y remedier, l'expedient que l'on prist, fut que la bonne & recommandée memoire de feu Pape Pie le Quart, m'enchargea de* (e) *imposer silence aux deux parties, & de commander sur peine d'excommunication comme je fis tant au dit de Louvain, qu'au Docteur Bay, de non plus user des dites propositions & formes de parler non acoutumées aux Escholes, & aux autres de n'en plus faire mention quelconque, ny en parler au desavantage des dits Docteurs. Or est survenu depuis que le dit Docteur Le Bay a composé un* (f) *Livre & fait imprimer à Louvain, traitant au commencement d'icelui* DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO: *avec adjonction d'autres opuscules qui concernent les points controversez aujourdhuy*

(a) *Joannes Hesselius à Lovanio.*

(b) Censuræ Academiarum, habentur suprà.

(c) Tapperus, Ravesteyn à Tileto, &c.

(d) Hesselii & Baii pietas & eruditio.

(e) Utrique parti impositum silentium.

(f) Opusculorum Baii editio an. 1563. nova in illum insurgendi occasio.

(a) Scandalum novis Theologis.

(b) Pius V. ab æmulis Baii malè seductus, & à Theologis in doctrina Patrum minùs exercitatis, ex Baii Opusculis offenditur.

dans l'Eglise: le quel Livre a esté icy appourté & donné (a) *scandale à gens savans; & l'ayant veu* (b) *sa Sainteté, & l'opinion que l'on en avoit, s'en est aussi à la verité scandalisé, & voudroit pour beaucoup que le dit Docteur, au quel je porte l'affection que vous savez, se fust abstenu de la composition & impression du dit Livre, & qu'il eust deferé au commandement Apostolique qui par moy lui avoit esté fait. Sa Sainteté en a communiqué avec moy, & outre ce qu'elle se souvient fort bien de ce qui se passa, lorsque feu son Predecesseur me commist cette affaire: car sa Sainteté avoit pour lors la charge de l'Inquisition. Je lui ay ramenteu la qualité du dit Docteur le Bay, & le fruit qu'il pèut faire en l'Eglise de Dieu, la suppliant que tenant respect à ce, & à la vertu & bon zele du dit Docteur, il luy plust traiter cette affaire de sorte que ce fust avec le moindre scandale du dit Sieur le Bay, que faire se pourroit. Par quoy sa Sainteté se condescendit avec une pieté & charité vraiment Chrêtienne: & ayant compassion au dit le Bay, presupposant qu'il fust tombé en cecy, stimulé de la contention de ses emulateurs; & comme il advient souventefois que pour soutenir une proposition qui est échappée, quand l'on prend le chemin du monde, l'on tombe necessairement à estre forcé à conceder & affermer autres plus absurdes & plus éloignées de la Religion, & me concede sa Sainteté que l'on feroit pour le dit Bay, tout ce que la verité & la foi sauve, & sans faire prejudice à la dignité & autorité d'icelle, se pourroit, pourveu que le dit Docteur se voulsist soumettre à ce que la raison veut, & à la Censure de sa Sainteté: & pour y proceder en cette sorte & avec la charité requise, l'on fist ôter le premier fueillet, afin que l'on ne connût ni l'auteur du livre, ni le lieu où il est imprimé: & s'est examiné l'œuvre par gens* (c) *savans de plusieurs nations, lesquels uniformement ont censuré plusieurs propositions* (d) *treuvées dedans le Livre en la forme que vous verrez par la Bulle de N. S. P. le Pape, que je vous envoie avec cette, declarant les dites propositions annotées, aucunes erronées, autres suspectes, autres scandaleuses;* AUTRES JAÇOIT (e) SE PUISSENT EN RIGUEUR INTERPRETER EN QUELQUE SENS *pour les excuser, donnent toutefois offension à gens pieux qui les lisent. Et s'est faite cette condamnation ainsi generale avec l'adjonction du mot* RESPECTIVE, *pour plus de douceur. Et comme vous verrez sa Sainteté me commet d'y faire ou par moy, ou y employant autres, ce que je trouveray convenir pour, la dignité de la Religion sauve, pour voir doucement au mal qui de cecy pourroit succeder. Et il m'a semblé que je n'y pourrois entremettre personne qui avec meilleur zele & discretion y peust satisfaire, que vous. Et tant plus pour l'affection que je sçais que vous portez au dit Docteur Bay, lequel je tiens pour si homme de bien & catholique, que voyant la Censure & determination de sa Sainteté, il n'y voudra aucunement repugner. Autrement il me feroit perdre la bonne opinion que j'ay de lui, & me retirerois de sa protection, laquelle comme vous savez j'ay tenu & tiens comme d'un personnage si vertueux & qualifié, & du conseil du quel j'espere tous les jours me valoir de mieux en mieux. Ce qu'il convient faire est à mon avis, que vous l'appelliez & qu'amplement vous lui fastes entendre de ma part ce que dessus, lui communiquant la Bulle originale par laquelle il verra l'intention de sa Sainteté; & que pour non faillir à mon devoir, je ne puis delaisser de la faire executer, mais que je desire bien que ce soit avec le moindre scandale: que faire se pourra. Il verra que par la Bulle il n'est nommé ni son Livre, si bien en icelle il se fait mention des propositions & d'un Livre, sans dire quel. Mais toutefois s'estant publié icelui, il faut regarder par quel moien on pourra remedier.*

(c) Docti qui Scripturæ ac Patrum sententias non noverant.

(d) Articulis in Baii Libro inventis ex aliorum relatione habuit Granvellanus.

(e) Hinc solvitur de famosa Bullæ Pianæ commate disputatio.

remedier à ce point: car je ne vois qu'il se puisse delaisser de le defendre, afin que les exemplaires sortent hors des mains. Et si sera besoin que au Doyen & aux principaux de la Faculté vous faites ostension de la dite Bulle, aprés toutefois avoir parlé au dit Docteur, afin que voyant la Censure de sa Sainteté, ils ne comportent que telles propositions se soutiennent, quelque interpretation ou glose que l'on y veuille donner. Car je vous puis asseurer que pour les sauver l'on a fait tout ce qui a esté possible, & qu'en cette affaire sa Sainteté a usé d'une telle diligence, que si ce fust esté pour gaigner tout le monde l'on n'eust sçeu faire plus. Et cecy est de telle qualité & importance, & l'a sa Sainteté tant à cœur pour la crainte qu'elle a que sans y remedier promtement, inconveniant plus grand en puisse advenir: Que j'attendray avec bien grand desir nouvelles de vous pour savoir & lui faire entendre ce qui s'y sera fait. Et je desire singulierement que le dit Docteur prenne la chose par le bon chemin pour eviter tous les inconvenians, aux quels en usant autrement il pourroit tomber. Et pourtant vous prie autant affectueusement que je puis, d'y user toute diligence, vous servant du conseil de ceux que vous verrez convenir; mais ayant grand égard de fuïr (a) ceux qui se pourroient montrer passionnez contre le dit Docteur; Car ce que l'on pretend est de remedier au mal, comme j'ay dit, evitant tant que faire se pourra le scandale du dit Docteur, sans toutefois rien delaisser, suivant l'intention de sa Sainteté, qui doige servir pour conserver la purité de la doctrine. Et me recommandant tres affectueusement à vôtre bonne souvenance, je prie le Createur, qu'il, Monsieur le Prevost, vous doint l'accomplissement de vos desirs.

(a) Tiletanus, & Gandanus.

De Rome ce 13. de Novembre 1567.

Inscriptio hæc erat:

A Monsieur le Prevost Morillon.

MAXI-

Ex Cardinalis Granvellani Registro primùm edita.

MAXIMILIANI MORILLONII CARDINALI GRANVELLANO EPISTOLA.

MONSEIGNEUR,



'*Ay receu avec la dépesche qui arriva hier les trois Lettres de vostre Illustrissime Seigneurie sur ce qui touche l'affaire de Monsieur Nôtre Maître le Bay avec la Bulle de N. S. Pere, qui a meritoirement condamné les propositions y contenues, qui ne servent que pour engendrer troubles. J'ay diligemment leu tout ce que m'avez écrit pour mon instruction, que je suivray* ad litteram: *esperant avec l'aide de Dieu vous en rendre bon compte. J'en ay parlé à Mr. de Saint Bavon, afin qu'il soit prevenu si d'avanture* opus esset brachio, *n'estant autrement besoin* in iis quæ sunt justitiæ, *d'aucun* PLACET. *J'ay mandé le dit Bay, que j'attend demain; & je verray ce que je polray faire avec lui seul avec douceur & bonnes remontrances: & si je le trouve dur, je prendray l'assistance de Monsieur nôtre Doyen* (a) *& Curé, afin d'estre temoins de ce que j'y feray. Mais je tiens que veant vos paternelles & tant charitables admonitions qu'il se amolira. Et certes vôtre Illustrissime Seigneurie n'a peu fait pour lui qu'il n'est denommé en la Bulle. Le principal est du Livre, qu'il faut abolir quoy qu'il en soit. Et comme je l'ay toujours connû bonne personne & homme rond, j'espere en venir mieux à chef, que je n'eusse fait de Maitre* (b) *Jean de Lovanio, qui estoit docte, mais* (c) *opiniatre en ses paradoxes. Dieu lui pardoint.*

(a) Plebanus Sanctæ Gudulæ.

(b) *Joannes Hesselius de Lovanio.*

(c) Sic firmitas in vero indoctis ac timidis pervicacia est.

J'ay ecrit à vôtre Seigneurie Illustrissime de ce que nostre Lupi me dist lorsque j'estois à Malines, dont depuis me trouvant à Louvain j'ay tenu propos au dit Bay, qui restoit content qu'il se vouloit soumettre en cecy. Dont il a escrit au Curé de Saint Jean de Malines, qui luy fait la reponse qui vad cy-jointe avec la Lettre que m'ecrivit hier le dit Bay, laquelle est ensuite des propos que eusmes à Louvain sur cecy, lors que je lui remontrois que toutes nouvelletez estoient dangereuses. Il se plaint fort de (d) *Mr. Tileto, qui s'est, à ce qu'il dit, vanté qu'il y viendroit une Bulle contenant Censures.*

(d) *Judocus Ravestyn à Tileto.*

Je

525

Je regarderay s'il y aura moyen de les rejoindre, sans prejudice toutefois de la Religion, & de l'autorité du dit Tileto, avec lequel tient la plus (a) *saine partie de la Faculté.*

Je ne faudray de communiquer la dite Bulle au Confesseur de Monseigneur le Duc d'Alve, pour avoir son avis, comme je feray avec ceux de (b) *son Ordre. Car pour bien faire, il faudroit à mon semblant mander le Provincial Pepin, les Gardiens de Namur, Aeth en Haynaut, & Saint Omer, qui ont adheré aux dites nouvelletez, pour leur intimer la dite Bulle & Censures, afin qu'ils ne puissent pretendre ignorance, & se deportent pour l'avenir. A tant je prie Dieu qu'il vous doint, Monseigneur, tres bonne & longue vie, me recommandant toujours tres humblement à la bonne grace de vôtre Illustrissime Seigneurie.*


(a) Sanior judicio viri minimè Theologi.

(b) *Ordin. S. Francisci*, qui non Baii sed SS. Patrum adhærebant sententiis, quæ huic non-Theologo novæ videbantur.

De Bruxelles le 21. *Decembre* 1567.

De vôtre Illustriss. Seigneurie, tres humble & tres obeissant serviteur.

MAX. MORILLON.



I ATTE-

Ex MS. Gaudani, circa an. 1570.

ATTESTATIO CORNELII JANSENII,

DECANI SACRÆ FACULTATIS LOVANIENSIS, DE BULLÆ PII V. INTIMATIONE.

DEcanus pro tempore Facultatis S. Theol. in Universitate Lovaniensi, omnibus & singulis præsentes Litteras inspecturis salutem in Domino. Notum vobis facimus quòd die datæ præsentium indictâ ad hoc specialiter Congregatione dictæ Facultatis comparuit coram nobis R. D. Maximilianus Morillonius, præpositus Ecclesiæ D. Petri Ariensis, & Illustriss. & Reverendiss. D. Cardinalis Granvellani, Archiepiscopi Mechliniensis, Vicarius Generalis, qui ibidem exposuit brevi se accepisse Bullas Apostolicas S. D. N. Pii Papæ V. expeditas Romæ Cal. Octob. ultimò præteriti, Pontificatus sui anno secundo, quibus certæ sententiæ & scripturæ, proloquia & disputationes damnantur, *respectivè tanquam erroneæ, hæreticæ, scandalosæ & piarum aurium offensivæ*, QUANQUAM EARUM NONNULLÆ ALIQUO PACTO SUSTINERI POSSENT IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO, quibus pauci aliqui Magistri hactenus in nostra schola novo more usi ferebantur. Quarum Litterarum executionem sua Sanctitas mandavit dicto Illustrissimo Domino, qui per suas Litteras datas Romæ 13. Novembris ultimò præteriti, ac ejus manu signatas dictum D. Præpositum, suum Vicarium, subdelegavit, vices suas hac in parte ei plenariè committendo. Qui dictas Bullas Apostolicas & litteras Illustriss. Domini sui sanas & integras nobis cum debita reverentia exhibuit, &

carum

earum tenorem de verbo ad verbum clarè & distinctè à principio usque ad finem legit; & finitâ earumdem lectione, mox easdem in dicta Congregatione publicavit, & nobis ac cuilibet nostrûm omnibus melioribus modo, via & forma, quibus potuit & debuit, intimavit, insinuavit, & ad omnium nostrûm notitiam deduxit. Deinde cohortatus nos ad pacem & concordiam, obsecrando in visceribus D. N. Jesu Christi, ut sepositis omnibus, uniformem, puram ac consuetam doctrinam à Majoribus nostris, viris doctissimis, acceptam, & in hac celebri Schola, quæ semper apud Sedem Apostolicam, & omnes totius Christiani orbis Ecclesias magni nominis fuit, usitatam profiteremur & doceremus; ac æternæ salutis memores, si quid fuit dissidii, placidè componeremus; ne id nobis objici possit quod meritò hujus temporis sectariis & hæreticis improperatur, nimirum ipsos inter se non convenire, sed diversarum opinionum procellis agitari, & in contraria studia rapi. Unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma, unam Ecclesiam, intra quam nos oportet consistere. Itaque superesse ut quilibet nostrûm ea consilia adferret, quibus præsenti malo idoneè mederi, & suæ sanctitatis jussioni ac mandatis fieri possit satis. Quibus intellectis, cùm quilibet nostrûm pro suo modulo quid expedire putaret protulisset, tandem D. Præpositus dixit necessarium esse ut non solùm à sententiis, scripturis, proloquiis & disputationibus articulorum in dicta Bulla expressorum deinceps omnino abstineatur, sed ut etiam libri editi, ex quibus dicti articuli fere omnes desumpti sunt, interdicantur. Ulteriùs dictus D. Præpositus ad executionem dictarum litterarum Apostolicarum progressus in hanc sententiam conclusit, nempe quòd tanquam sanctissimi D. N. Commissarius, licèt indignus, à dicto Illustriss. D. suo Card. Granvellano subdelegatus, autoritate S. Sedis Apostolicæ, & in vim dictarum litterarum, nobis Decano & cæteris Magistris dictæ Facultatis mandabat, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo injungebat, ut omnia & singula in dicta Bulla expressa juxta mentem & voluntatem suæ Sanctitatis præcisè observaremus, & ne articulos per eamdem condemnatos publicè vel privatim doceremus, tractaremus, dissereremus, vel in disputationibus & scholis defenderemus, seu ab aliis doceri, tractari, afferi seu defendi, publicè vel privatim aliquâ ratione pateremur: idque sub pœnis & comminationibus in dicta Bulla expressis. Ad quæ per Nos Decanum de consensu dictorum Magistrorum, nomine Facultatis, eidem D. Præposito responsum fuit, quòd dictam Bullam Apostolicam SS. D. N. Pii V. ac singula & universa in ea contenta unanimiter, & cum ea quâ decet reverentia acceptaremus, sicut actu humiliter acceptavimus; & quòd eidem intendebamus in omnibus & per omnia tanquam veri obedientiæ filii, ut par erat, religiosè parêre & obtemperare; habentes Sanctitati suæ humillimas & immensas gratias, quòd nostræ Scholæ hanc paternam curam gerat. Et quò hæc meliùs observare possimus, petebamus copiam dictæ Bullæ, seu saltem articulorum in ea damnatorum. Insuper promisimus daturos nos seriam operam ut nulla sit apud nos doctrinæ diversitas, quod ut citra strepitum & scandalum curare possimus, omnes uno ore intercessimus ne ad publicam interdictionem dictorum librorum procederetur, cùm id absque gravi multorum offendiculo, & autoris li-

bellorum perpetua infamia, fieri non possit, & nunc abundè sufficiat Articulos controversos esse damnatos, & ampliùs proponi & defendi non posse, cui rei operam diligentem essemus navaturi. Ad quæ dictus D. Præpositus respondit ob multas easque graves causas in præsentiarum non posse tradi copiam Bullæ, sed articulos suâ manu transcriptos se Facultati daturum, ne à quoquam ignorari possint; eâ tamen conditione quòd promitteremus, sicuti illicò promisimus, quòd dictorum Articulorum transsumptum à solis Magistris habebitur, & præter eos nemini communicabitur, donec plenior facultas eos communicandi fuerit obtenta, addens multùm se probare promptitudinem nostram in obediendo mandatis SS. D. N. sed quòd interdictionem librorum intermittere non posset, cùm hoc seriò sibi esset præscriptum. Verùm cùm nos vehementer urgeremus, & precando instaremus; respondit dictus Præpositus dilaturum se dictorum Librorum prohibitionem, donec secundam jussionem acceperit, eâ tamen lege, quòd eâ superveniente citra moram parebitur. De quibus omnibus sic actis, dictis, & gestis præfatus D. Præpositus sibi à Nobis Actam tradi petiit, quàm illi concessimus tenore præsentium litterarum, quas in fidem & testimonium præmissorum fieri, & Facultatis nostræ sigilli applicatione communiri, ac per Notarium Nostrum subscribi jussimus ac mandavimus. Datum Lovanii in dicta Congregatione in ædibus Venerabilis & Eximii Sacræ Paginæ Professoris D. M. Judoci à Ravesteyn de Tileto, die lunæ vigesimâ nonâ mensis Decembris, anno 1567.

Decanus erat Cornelius Jansenius qui non diu post Gandensis Episcopus fuit. Magistri Regentes & Legentes reliqui, Judocus Ravestyn Tiletanus, Michael de Bay, Hunnaus, Goesius, Cunerus, Cornelius Reyneri à Gauda seu Gaudanus.

MAXI-

MAXIMILIANI MORILLON EPISTOLA CARDINALI GRANVELLANO.

Ex cod. Registro primùm edita.

MONSEIGNEUR,



'Ay receu hier les Lettres de Vostre Illustrissime & Reverendissime Seigneurie, faisans mention de la Bulle de sa Sainteté touchant (a) *le Livre* De libero arbitrio *du Docteur Maistre Michel de Bay & ses autres opuscules, laquelle jay mis à execution avec le moindre scandale dudit Docteur qu'il m'at esté possible, advertissant en preallable Mr. de Saint Bavon, & après le Confesseur de Monseigneur le Duc d'Alve, lequel en at esté embouché par lui & aussi de mon dit besoigné, après mon retour duquel à ce qu'il m'a affirmé, son Excellence s'est fort contenté, selon que j'ay plus amplement ecrit à Vostre Illustrissime Seigneurie dymanche dernier. Neanmoins je parleray encore au dit Confesseur, me offrant de faire rapport à son Excellence, si elle me commande, de mon dit besoigné. Et jusques ores n'ay-je fait aucune chose sans l'avis du dit Confesseur. Depuis j'ay de son aveu mandé vers moi le* (b) *Commissaire des Cordeliers de la Province de Flandres, & lui enchargé de donner ordre que les Articles condamnez ne seront plus traitez par ceux de son Ordre : & que venant icy le Ministre que l'on attend dedans quatorze ou quinze jours, il le me amena pour lui insinuer la dite Bulle; comme je fis hier à* (c) *F. Pierre Lupi & à son Professeur, present le Curé de Sainte Goule, comme Notaire. Ils se sont tous deux demonstrez, fort humbles & obeissans, & ont promis d'abstenir de ces controverses, dont j'espere vous envoyer l'Acte Dymanche prochain, que j'ay passé aussi avec participation dudit Confesseur. Quant aux autres Provinces des Cordeliers, il n'y a tel danger comme à celle de*

(a) Bulla Pii V. adversus 76. Articulos edita velut ex istis Baii Opusculis collectos in quibus liquet eos non haberi.

(b) Padre Angelo Aversa.

(c) Baii sectatoribus.

Flan-

Flandres : & nous polvons attendre la venue du Commissaire Patre Angelo Aversa, qui polroit bien faire Provincial au lieu de (a) *Pepin, Frere Theodore Leodius qui a esté vers le Roy en Espagne, & auquel son Excellence montre grande affection. Je ne feray autre chose en cette affaire sans le sceu de son Excellence, & me trouveray vers elle toutes les fois qu'elle me sera appeller. J'ay fait tenir au Duc vôtre pacquet par le Conseiller Delrio, & adressé toutes vos Lettres. A tant après m'estre recommandé tres humblement en la bonne grace de Vostre Illustrissime & Reverendissime Seigneurie, je prie Dieu vous donner,* MONSEIGNEUR, *vos desirs.*

(a) In Provincialis Minoritarum, qui Baio adhærebat, locum sufficiendus proponitur P. Leodius Baii æmulus.

DE VOSTRE ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME SEIGNEURIE.

De Bruxelles 11. *Janvier* 1568.

Vôtre tres humble & tres obeïssant serviteur.

MAXIMILIEN MORILLON.

ÆJUS.

EJUSDEM MORILLONII EIDEM CARDINALI GRANVELLANO EPISTOLA.

Ex eod. Registro primùm edita.

MONSEIGNEUR,

Estant dernierement à Louvain j'ay delivré les Lettres de vôtre Illustrissime Seigneurie à Messieurs Tileto, Jansenius, & le Bay: ce que j'ay differé jusqu'alors afin qu'ils les eussent tous ensemble, pour ce que si je eusse envoyé aux deux premiers chacun la sienne, reservant celle de M. le Bay pour ce qu'elle contenoit credence, jusques à mon aller là, ce ne fust esté sans lui donner ombre, de la quelle il n'at faute sans cela. Car je l'ay trouvay plus faché cette fois, que je n'ay fait les precedentes, (a) se complaindant d'avoir esté condamné sans estre oüi: que les articles sont esté mal recueillis, selon qu'il se trouvera les conferant avec son Livre; & qu'il y en at aucuns en la Bulle qui ne sont siens: Que par icelle l'on a decidé aucuns articles, qui sont en tout tems esté disputez & controvers entre les anciens: Qu'il craindoit que quelque jour se polroit dresser quelque escrit à l'encontre. Vôtre Illustrissime Seigneurie peut croire que ces paroles me furent bien dures, & ne puis nier qu'elles ne m'ayent scandalisé, d'autant plus que (b) le dit Tileto m'avoit dit que l'on l'avoit averti qu'il se dressoit quelque Ecrit contre la Bulle. Je respondis au dit Bay que ce m'estoit chose étrange d'avoir tels propos de luy & le voir plus aigre que du passé. Et reprendant les points qu'il alleguoit pour griefs, je lui expliquis que son Livre avoit parlé pour lui, & qu'il n'estoit besoin de l'oüir, puisque le contenu du dit Livre estoit clair & pouvoit témoigner sa doctrine aprés sa mort. Et quant aux Articles mal colligez, que je me rapportoie à la Bulle & à son

(a) Justa Baii querela.

(b) Tiletanus mendax Baii criminator.

à son dit Livre. Mais qu'il avoit grand tort de se plaindre que la Bulle contient aucuns Articles qui ne sont siens, puisque cela faisoit pour lui, demonstrant que la Bulle n'estoit faite pour lui seul, comme aussi il n'est mentionné en icelle. Et que touchant les Articles qui sont esté de tout temps controvers & en dispute, je m'assurois que le Saint Siege Apostolique savoit fort bien ce qui se devoit deffendre ou non: & qu'il ne pouvoit nier que sa doctrine ne fust esté censurée de ceux (a) de Paris, de toutes les Universitez d'Espagne, & de plusieurs savans personnages de Rome; & qui plus est que (b) aucuns Peres au Concile de Trente en avoient esté scandalisez, & sans Monsieur d'Ipres & la haste que l'on avoit de concurrre le Concile, estoient en danger d'estre condamnez en sa propre presence. Et que venant au principal point, que quelques Ecrits se polroient dresser contre la Bulle, que je le vouloie bien adviser en ami que si cela se faisoit, ce seroit le chemin pour l'affoller, d'autant que sa Sainteté vouleroit estre obeïe, & encore plus (c) sa Majesté, qui ne permetroit à aucun sien sujet un si audacieux & scandaleux fait, sans le fort bien chastier. Et qu'il ne se forcomptist que qu'encores le nom de l'auteur seroit supprimé, que l'on s'en prendroit à lui seul: & qu'il trouveroit le Roy & le Duc d'Alve parties. Il me demanda comme le Roy pouvoit savoir à parler ou juger de telle matiere ne fût par rapport. Je respondis que c'estoit le seul chemin pour informer les Princes qui ne peuvent savoir pour la grandeur de leur Païs ce que l'on y fait, sinon par rapport de ceux en qui ils se fient: & qu'il pouvoit connoitre par ce qu'estoit passé depuis quinze jours par deça, que sa Majesté avoit esté aussi bien informée, comme si elle fust esté sur le lieu; & qu'il se gardast bien de se joüer aux deux souveraines puissances de ce monde: Que je lui avois esté ami jusqu'à present, mais que je ne le polrois estre davantage. Il me dist qu'il n'ecriroit jamais directement ni indirectement contre la Bulle, & ne permettroit qu'autre le fist; & que sur sa part de Paradis il ne savoit homme vivant qui le fist. Et commença à alleguer aucunes positions de Saint Augustin & de Prosper pour justifier aucuns ses articles. Mais je lui copis tout court la buchette, disant que je n'estoie pour juger d'icelles, pour (d) non les entendre ni les vouloir entendre, & que ce me sembloient choses curieuses, & peu faisantes pour bien croire & bien vivre: que nôtre Roy vouloit qu'en toutes les Universitez de ses Provinces la doctrine & maniere d'enseigner en Theologie fût semblable & uniforme, & qu'il ne vouloit qu'il y eust discordes. Et pour conclusion je lui demandis s'il vouloit départir de sa premiere & resolue determination qu'estoit d'obeïr à N. S. Pere, lequel il avoit toujours dit & reconnu le seul juge de la doctrine. Et que tous bons Chrétiens estoient tenus d'obeïr son jugement, (e) encore qu'il y eust erreur. Car cette theorique at il maintenu dez la premiere heure que je lui insinué la Bulle. Il me repondit avec une grande promtitude, que tant qu'il viveroit il se montreroit fils d'obedience, & parleroit ce même langage persistant en sa dite determination, me priant que je ne fusse esbahi de le voir alteré (f) qu'il portoit un grand dueil en son cœur, mesme de ce que ses adversaires prendent plaisir à le diffamer par tout, dont s'est aussi plaint à moy Nôtre (g) Maistre Gosæus avec chaudes larmes, qui prend la chose tant à cœur qu'il a cuidé mourir, & est encores en mauvais estat, & le dit Bay n'est gueres mieux. Dieu ne leur feroit petite grace de les prendre de sa part, s'ils ne veuillent obiier leur peu fondé regret & ressentiment. Ils se plaindent fort du Gardien de Nivelle, (h) Regis. Je leur ay dit que me faisant apparoir de ses detractions, je feray tout devoir pour les reprimer. Il

(a) Quales sint illæ Censuræ vide in Observationibus nostris.

(b) Id vel de suo vel ex falsa æmulorum Baii relatione dicit Morillonius.

(c) Minis terretur Baius.

(d) Se minimè Theologum fatetur Morillonius.

(e) Nova & horrenda hæresis Morillonii vel insipientia.

(f) Quantæ Baii angustiæ.

(g) Ejusdem Academiæ ac sententiæ doctor Theologus Baio intimè familiaris.

(h) P. Regis Cordiger vehemens in Baium declamator.

Il est fort aigre & rude. Retournant icy le Padre Angelo, je lui prieray de luy faire une bonne leçon ce que (a) 52. ne feroit, qui estiment peu que ceux qui ont offensé souffrent. Et je serois bien avec lui ne fust qu'il emporte tant que cecy demoure enseveli par une vraie ἀμνηστία. Je me doute que Monsieur Tileto soit trop liberal à communiquer (b) les articles contre ce que je lui ay si serieusement enjoint, comme aurez veu par (c) l'Acte de la Faculté, confessant les avoir donnez à (d) Monseigneur d'Ypres, à l'Abbé de Saint Ghislain, à la Faculté de Theologie de Douay, & aucuns Professeurs de Monasteres. Sur ce que je lui ay dit mon opinion, & que pour tenir la chose assoupie il ne les doit tant communiquer; il dit que c'est pour effacer la semence que aucuns en ont fait en divers Monasteres, même en celui de (e) Vicongne, où icelle nouvelle doctrine at esté fort plantée au regret des Facultez de Louvain & de Douay. Pour retourner au dit Maitre Michiel, le veant en telle peine & regret, il ne m'a semblé de lui mettre pour cette fois en avant (f) l'abjuration, & qu'il print congé de moi pour se faire absoudre, encore qu'il me semble qu'il en at bon besoin. Mais quand les esprits des gens sont ainsi agitez, il vaut mieux differer pour quelque tems, que de les irriter ou exacerber davantage. Il desire fort vôtre retour pour pouvoir parler à vôtre Illustrissime Seigneurie laquelle peut-estre ne se trouvera si dur à la dite abjuration, comme je pourrois faire. Et ayant communiqué sur ce point avec Monsieur (g) Jansenius en grande confidence, & avec conjure qu'il n'en fasse semblant à qui que ce soit, puisque je le voulois declarer à lui seul, comme bien-tost futur Evêque, il n'a aucunement esté d'avis que pour cette fois j'en fisse ouverture, cùm animus sit nimis æger. Et aussi ce seroit pour augmenter son peché si estant admonesté il ne se rendit obeïssant. Le dit Sieur Jansenius lui porte une grande condoleance, pour le tenir (h) tant homme de bien, disant tous les jours la Messe, & grand ennemi des Sectaires. C'est dommage qu'il s'est mis en ces rêveries. Car à ce que m'assure le dit Jansenius, il enseigne autant bien que l'on sauroit desirer sans toucher la nouvelle doctrine: comme aussi il n'avoit pas fait trois ans auparavant la condemnation de N. S. Pere. Bien s'est il fort étrangé à l'endroit de Monsieur Tileto, qui aussi n'en peut ouïr parler, & au quel je n'ay voulu faire semblant de ce que j'avois passé avec lui: car je me doute qu'il ne tiendroit le secret, comme fera le dit Jansenius, qui est bonne personne & discrete, & dit qu'il n'eust jamais cru (i) que la dite doctrine se fust ainsi esteinte, & qu'il n'en est non plus de memoire aux Escholes, que si l'on n'en eust jamais parlé. Et que le dit (k) Bay luy même, quand aucuns aux disputes l'ont voulu remuer, le at rejetté. Mais aucuns des plus savans Bacheliers l'abhorrissent maintenant autant, comme par cy-devant ils y ont adheré, & s'en mocquent pour le present, ce qui me donne quelque consolation & espoir de maintenir le tout au même estat, où avec la grace de Dieu, vos bonnes instructions, & l'advis des gens de bien, il at esté mis. Et n'y ay autre scrupule, ni difficulté que de ces (l) deux gens sur les quels je tiendray l'œil ouvert, & ay mis guet, vous asseurant, Monseigneur, que j'ay cette affaire au tant à cœur comme il emporte pour le service de Dieu & repos de son Eglise, & ne faudray si je descouvre, quelque chose, le faire entendre clairement à vôtre Illustrissime Seigneurie. Le Docteur Gaudanus qui s'est gradué le premier de ce mois, me dit d'avoir veu quelque Ecrit en Hollande, & a prins en sa charge de le recouvrer. Si cela se fait, je sauray le premier

(a) Sub hac cifra latitat alterius Minoritæ nomen.

(b) 76. articuli in Pii V. Bulla damnati.

(c) Attestatio Cornelii Jansenii suprà relata.

(d) Martino Rythovio.

(e) Abbatia Canonicorum Regularium, Valencianis duobus circiter milliaribus distans.

(f) Baium adigere volunt ad ejurandum articulos suprà dictos; & ad absolutionem recipiendam, ac si aliquam Censuram incurrisset; etsi nullum ex illis docuisset in sensu in quo damnati sunt.

(g) Paulò post Episcopus Gandavensis.

(h) Baii pietas & in Hæreticos zelus. (i) Contentiones sopitæ. (k) Modestia Baii. (l) Baius & Goezzus.

mier auteur. Car il faudra que celuy pres du quel il se trouvera, die de qui il l'at eu; & ainsi de main en main. J'ay touché quelque partie de ce que dessus à 52. Mais non pas si particulierement comme le contient cet Ecrit que je supplie vôtre Illustrissime Seigneurie vouloir garder pour ma memoire, si j'en eusse affaire cy-aprés. Car je ne le voudroie laisser passer par les mains de mon homme, & je n'ay temps pour le copier. Il suffist que le dit (a) 52. *saiche le plus gros dont je l'ay bien voulu advertir, si d'aventure quelque chose survenoit,* ne dicat non prædictum: *& je polray tant mieux recourir à luy. Je voldroie qu'il ne creust tant* (b) *Frere Leodius qui parle beaucoup de cette affaire, & est de la même humeur que* (c) *Regis, mais plus maniable. J'ay bonne amitié avec lui, & le prieray de ne vouloir tant muovoir les humeurs. Je me suis trouvé depuis vers le dit Bay, & procurit que le dit Jansenius nous vint surprendre sans faire semblant qu'il sceust que je y estois, & ja avois-je remis en propos le dit Bay, que je trouvis bien de meilleure sorte, que n'avois fait auparavant; & m'asseura de nouveau qu'il ne desobeïroit jamais à l'ordonnance de sa Sainteté, me priant de pardonner à son infirmité. Je lui declaris la bonne volonté que lui portez, & que avenant quelque vacation à Malines seriez joieux le retirer prés de vous, dont il montre grand contentement, & à ce qu'il demonstroit ne refusera le party s'il vient; combien que le jour precedent il avoit assez declaré qu'il ne changeroit la condition qu'il avoit au College, hors du quel je le voudroie voir déja, & que Gosens fust à Cambray, ou Tournay. Survenant le dit Jansenius, je lui dis que j'estois venu parler au dit Bay pour voir s'il n'avoit moderé son regret qu'il m'avoit manifesté le jour paravant: sur ce le dit Jansenius print la parole, & l'admonesta lui montrant* (d) *la Lettre que lui aviez ecrite, & la bonne opinion qu'aviez de ses qualitez, dont le dit Bay se monstrit fort consolé: & le laissames avec cette bonne bouche. Mais pourtant ne m'y fieray-je davantaige, ni plus que bien à point. C'est un grand bien que les Cordeliers persistent en obeïssance, & que l'on n'oye non plus parler d'eux que si jamais ils ne se fussent meslez de cette Doctrine.*

(a) Cujus Cordigeri nomen hoc numero indicetur, nemo scit.
(b) Cordiger qui ad Regem Hispaniæ iverat ut Bajum falsò criminaretur.
(c) Conventûs Nivellensis Guardianus, de quo supra.
(d) Hæc Granvellani epistola Jansenio scripta desideratur.

Le dit Jansenius espere de recouvrer les Ecrits du (e) *Jesuite qui at enseigné à Rome contre l'ancienne Doctrine, suivant celle de Catharin. Pour moi je pense que ce soient plustost bruits semez par les adherans du dit Bay, qui adjoutoient que plusieurs Cardinaux se trouvoient aux dites Leçons, pensant peut-estre par ce bout faire leur cause meilleure.*

(e) Aliquis Jesuita Romæ docuerat semi-pelagianam Catharini sententiam.

Monseigneur, ayant consideré le petit nombre des Docteurs en Theologie de Louvain, que Monsieur Tileto est debile, que Monsieur Jansenius s'en vat de bref, certes il me semble que l'on desurniroit fort la Faculté si l'on envoye Monsieur Cunerus en Frise. Car lors le dit Bay & Gosens, mesme defaillant le dit Tileto, seroient les chefs de la dite Faculté, & polront sous main faire beaucoup de choses prejudiciables, s'ils en ont l'envie, sans qu'il y ait quelqu'un pour leur faire teste. Car il n'y auroit que le Docteur Hunneus, qui est fort leger, & les deux Docteurs qui sont esté fait le premier de ce mois: des quels l'un, qui s'appelle Malcote, at esté enfariné de cette doctrine: mais il s'est retiré d'icelle & a promis de maintenir l'ancienne; ce qui sera un grand bien s'il le fait: car il promet beaucoup de soy, pour estre fort docte. A mon advis il est autant requis de tenir la dite Faculté furnie de deux ou trois bons Docteurs pour la conduite de la Doctrine & Escoliers, que de pourvoir aux Evêchez. Car la dite Faculté

culté doit estre le grand Seminaire. Ce que j'ay bien voulu representer à vôtre Illustrissime Seigneurie, affin qu'il luy plaise d'y tenir regard, la suppliant me pardonner ce long & fâcheux discours, & me tenir en sa bonne grace.

De vôtre Illustrissime & Reverendissime Seigneurie.

De Bruxelles ce 20. de Juin 1568.

Tres humble & tres obeïssant serviteur

MAX. MORILLON.

J'envoye les Reponses des dits Tileto & Jansenius. Je ne me suis souvenû de dire à du Bay qu'il repondist: ce que je procureray, car il n'y peut avoir mal de tirer Lettres de lui pour vôtre Illustrissime Seigneurie.



IN PRÆMISSAS EPISTOLAS ANIMADVERSIONES.

IN PRIOREM.

Touchant le Livre que le Docteur Bay a fait imprimer, &c. Liber iste varia Michaelis Baii opuscula complectitur, videlicet: *De meritis operum: De prima hominis justitia, & de virtutibus impiorum: De peccato Originis: De justificatione: De libero arbitrio,* &c. quæ cum Regis privilegio, & Francisci Sonnii Episcopi Buscoducensis, nec non F. Joannis Hentenii in Theologia Professoris approbatione typis publicis simul data sunt anno 1563. statim ac Michael Baius à Concilio Tridentino rediisset, ubi quæ potiorum istius Synodi Patrum mens fuisset ipse intellexerat. Ex libri istius anno 1566. iterum excusi occasione in Baium denuò insurrexere ejus æmuli, qui scholæ tricis ac phrasibus assueti ferre non poterant ab eo Scripturæ & Patrum locutiones usurpari, quæ in scholis ita obsoleverant, ut à Scholasticis disputatoribus & ipso Cardinale Granvellano veluti periculosæ novitates repudiarentur: sed quas Michael Baius unà cum Joanne Hessélio à Lovanio in Scholam revocandas judicaverat, animadvertens 1. à genuino Sanctorum Patrum sensu Scholas recentiores ideo deflexisse, quia ab eorum loquendi modis recesserant: 2. non modo cum Scripturis & Patribus sentiendum, sed & loquendum, quò catholicæ veritates his temporibus doceri possent & defendi contra Hæreticos qui Scholæ phrases abhorrebant, nec aures præbere volebant, nisi Scripturæ ac Patrum locutionibus.

Avec le Confesseur du Duc d'Alve & aussi avec nôtre Maitre Tiletanus, &c. Quàm acerbo in Baium zelo exarserint Cordiger iste & Judocus Tiletanus, ex his & aliis postea dicendis innotescit, quorum tamen consilio utendum volebat Granvellanus.

IN ALTERAM, *die 13. Novembris an. 1567. scriptam.*

Et formes de parler, &c. Ex his & aliis quæ Granvellanus anno 1561. Regi scripse-

scripserat, liquet contentionem hanc magis de modis loquendi fuisse quibus Baius & Hesselius utendum prudentiùs judicabant, quàm de hujusmodi Theologorum sensu. Unde Articulorum qui proscripti sunt, verba magis quam sensum damnavit Pontifex, qui idcirco declaravit nonnullos ipsorum in sensu ab Autore intento defendi posse.

Et fait censurer les propositions contentieuses, selon que par eux elles avoient esté colligées, &c. Quàm malâ fide articuli isti à Minoritis Baii æmulis collecti sint ac denunciati; quàmque insulsæ ac Theologis indignæ sint Censuræ in ipsos latæ ab Academiis Hispanicis & Parisiensi jam demonstratum.

Les dits feu de Louvain & le Bay, gens savans, pieux, &c. Tanta erat Michaelis Baii, & Joannis Hesselii qui anno 1566. humanis exemptus fuerat, eruditio & pietas, quam Granvellanus hîc & in suis ad Regem Catholicum Litteris non potuit non plurimùm commendare.

Le quel livre a esté ici apporté, &c. Ergò ab æmulis Baii Romam missus est memoratus Liber, qui viros quosdam alioquin eruditos; sed magis in futilibus quibusdam Scholæ recentioris disceptationibus, quàm in Scripturis Sacris & Patribus exercitatos offendere potuit. Pontificem pariter offendisse potuit: ex aliorum videlicet pravo relatu, & malè fida interpretatione.

Afin que l'on ne connût ni l'auteur du livre, &c. Si Michaelis Baii nomini adeo parcitum voluit Apostolica Sedes; quo jure ejus æmuli in eum hactenus palam & atrociter invecti sunt ac invehuntur?

S'est examiné l'œuvre par gens savans, &c. Valde indiligenter, & animo novæ Scholæ commentis magis quàm Sancti Augustini sententiis imbuto, discussa fuisse Michaelis Baii opera liquet ex ipsâ Censurâ, quæ ex * eruditiorum testimonio, Romanam sedem dehonestat. (* Doctoris le Bossu & Cardinalis à S. Clemente.)

Autres jaçoit se puissent en rigueur interpreter en quelque sens, &c. Ergo hæc Bullæ verba [*quanquam nonnullæ* (ex proscriptis sententiis) *aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*], absque interjecto commate legenda sunt: ut adhuc constat ex Morilloni Epistola scripta die 20. Junii, an. 1569. Cardinali Granvellano.

Sa Sainteté a usé d'une diligence, &c. Utinam adeo diligens & accurata fuisset ista inquisitio, ut aliquas Sanctorum Patrum ac Conciliorum sententias non reprobasset; & in alias brutum ac irritum fulmen non contorsisset, quas nec Baius nec ullus Catholicorum unquam docuerat vel defenderat: sed quas ut ipsum summum Pontificem seduceret, fallax collectio confinxerat.

IN TERTIAM.

N'estant autrement besoin, in his quæ sunt justitiæ, *d'aucun placet*, &c. Jus non Belgarum modò, sed omnium gentium ignorabat Morillonius: de quo postea eruditissimè disseruit Doctissimus Stockman in Libro cui titulus, *Jus Belgarum.*

Le principal est du Livre qu'il faut abolir quoy qu'il en soit, &c. Huic Granvellani & Morillonii proposito tam firmiter obstitit Facultas Theologica Lovaniensis, ut Michaelis Baii opera nullo unquam stigmate inusta sint.

Mais opiniatre en ses paradoxes, &c. Sic in catholicis veritatibus tradendis firmitas, viris politicis pertinacia est: & ipsæ Sanctorum Patrum sententiæ in saniori doctrina minus eruditis sunt paradoxa.

Avec le quel tient la plus saine partie, &c. Majorem partem dicere voluit, ac si quia major, ideo foret sanior.

Le Provincial Pepin, &c. Præcipui Minoritarum catholicis Michaelis Baii sententiis adhærebant, quos Morillonius inferioris ordinis Theologus novitates indigitat periculosas.

IN QUINTAM.

Se complaignant, &c. Quàm justæ fuerint Michaelis Baii in Censuram Pontificiam querelæ intelligit quisquis ejus Apologiam legit.

Qu'il dressoit quelque Ecrit, &c. Nullum aliud scripsit præter istam Apologiam, quam summo Pontifici misit.

Que son Livre avoit parlé pour lui, &c. Quomodo pro Bajo respondisset Liber in quo non habentur quæ Baio per summam calumniam sunt adficta, & à Pontifice proscripta?

Censure de ceux de Paris & de toutes les Universitez d'Espagne, &c. In æternum hujusmodi Academiarum probrum: ut cuivis eas legenti liquet.

Aucuns Peres au Saint Concile, &c. fieri potuit ut in hoc Concilio nonnulli minus faverint Baio, vel in SS. Patribus minus versati, vel etiam ab æmulis Baii seducti.

Je lui avois esté ami, &c. Sicut amici Job qui de divinis humano sensu judicant.

Tous bons Chrêtiens étoient tenus d'obéir encore qu'il y eust erreur, &c. Perversa perniciosaque Morillonii regula: quasi verò filii veritatis errorem ac mendacium quandoque sequi tenerentur.

En ces resveries, &c. Antiqua Patrum doctrina novis Theologis somnium est ac deliramentum.

Ce que 52. ne feroit, &c. Quis numeralibus his Litteris exprimatur, conjicere non potui. Interim ex his patet usum sic occultè scribendi non esse pravi alicujus consilii argumentum, ut Jesuitæ improperant Jansenio qui hac arte usus est in suis ad San-Cygiranum Epistolis.


MICHAELIS BAII

Hæc Apologia collata fuit cum MSS. A. F. K. L.

DOCTORIS THEOLOGI ACADEMIÆ LOVANIENSIS APOLOGIA.

SUMMO PONTIFICI PIO V.

BEATISSIME PATER,



JAM annus est quod nobis exhibitæ sunt litteræ beatitudinis vestræ plumbeo sigillo munitæ, datæ Romæ Cal. Octobris anni 1567. quibus damnabantur septuaginta sex sententiæ; quarum litterarum copiam neque hîc, neque Romæ obtinere potuimus. Sententiæ damnatæ per hanc inferiorem Germaniam passim habentur & circumferuntur. Metuimus ne quid Vestræ Sanctitatis existimationi (*a*) detrahant, non tantùm propter manifestas calumnias, quæ videntur in eis contineri, sed etiam propter verba, & (ut apparet) etiam sensus quosdam Sanctorum Patrum, qui in iis damnari videntur: nam regio hæc propter (*b*) importunitatem hæreticorum multos habet longè magis Scripturis Sacris & veterum Patrum sermonibus assuetos & addictos, quàm Doctorum Scholasticorum: qui fortè existimantes nonnulla in scriptis Sanctorum Patrum contenta propter eos damnari, qui non nisi sensibus & verbis doctorum Scholasticorum assueverunt, scandalizabuntur. Quapropter visum est ipsas sententias simul cum iis, quæ nos movent, Beatitudini Vestræ (cujus judicio omnia subjicimus) transmittere; ut iis consideratis faciliùs dispiciat ac judicet, utrùm jam dictas litteras tamquam legitimas & sufficienter discussas habere velit, an tamquam subreptitias, ac per quosdam bonorum virorum æmulos importunitate magis ac arte, quàm ratione

(*a*) Al. *detrahatur.*

(*b*) Al. *importunitates.*

ratione obtentas. Deus B. V. diu Ecclesiæ suæ servet incolumem. Lovanii 8. Janu. Anno 1569.

B. V. ad oscula pedum.

SENTENTIÆ

Per Sanctissimum Dominum Nostrum

PIUM V.

ROMÆ

Calendis Octobris anni 1567. damnatæ: adjectâ explicatione, tum eârum, quâ non tantùm verbis, sed etiam in alio sensu expressæ sunt, quàm in iis libellis habentur, ex quibus significantur excerptæ: tum quæ ad alium sensum torquentur quàm habent libelli; tum etiam quæ fortè cuipiam non immeritò videantur non satis fuisse discussæ.

EX LIBRO PRIMO.

De Meritis Operum.

I. *NEc Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratiæ.*

Hæc sententia in libello per se non habetur: Sed continetur in sententia septima, de qua infrà dicetur.

Est titulus cap. 2. l. 1. de meri. oper.

II. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium; sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

Al. Hæc sententia nihil aliud importat.

In hac sententia nihil aliud significatur quàm quod, quemadmodum opus malum ex eo intelligitur ab initio creationis humanæ fuisse mortis æternæ meritorium, quia tunc dictum est homini: *quacumque horâ comêderis morte morieris*;

morieris; sic etiam bonum opus ex prima hominis institutione, in qua ei dictum est: *si conservaveris mandata, conservabunt te:* sit vitæ æternæ meritorium. Unumquodque enim id ex natura sua esse dicitur, quod est ex prima sua institutione, sive ex nativitate à Deo instituta, à qua dicitur natura. Ponitque hæc sententia discrimen inter fidem, quam Cyprianus, Augustinus, & Prosper dicunt mereri remissionem peccatorum; & inter bona opera, quæ contra hæreticos dicimus esse vitæ æternæ meritoria; quòd fides non ex prima institutione statim (*a*) initio creationis à Deo facta, sed ex proposito gratiæ Dei per Christi mortem remissionem peccatorum obtineat: bona verò opera ex prima institutione à Deo facta ad vitam perdurant æternam: unde & à Divo Thoma rectè dicuntur merita ex condigno; quia quemadmodum opera hominis recti non eguissent subsidio passionis Christi, ut (*b*) hominem rectum perducerent ad regnum cælorum, sed ex sua dignitate sufficeissent; sic etiam opera Sanctorum, ad quæ per passionem Christi reparantur, creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulent, non ulteriùs egent gratiâ Christi, ut sint vitæ æternæ merita, sed illis sufficit gratia, quæ præcedit ut fiant; (sicut docet Concilium Arausicanum II. cùm dicit cap. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.*) Hoc est, Sancti nunc ex gratia & auxilio Christi faciunt opera ejusdem meriti cum iis operibus, quæ primus homo ex prima sua rectitudine fecisset, si in accepta sanctitate & (*c*) justitia perseverasset. Neque enim differitur hîc quæ opera sint meritoria, an ea tantùm quæ fiunt à Spiritu Sancto inhabitante; an etiam alia: sed tantùm dicitur quod ea, quæ præsupponuntur esse verè merita, non egeant (*d*) subsidio passionis Christi, ut sint suo præmio digna; sicut nec eguissent ea, quæ Adam justus ac rectus fecisset, si talis permansisset.

(*a*) Al. *in initio.*
(*b*) Al. *eum.*
(*c*) Al. *gratia &.*
(*d*) Al. *præsidio.*

III. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo (e) perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

(*e*) Al. *perdurasset.*

Hæc sententia videtur contineri in verbis Augustini de corrept. & grat. cap. 11. in fine, (*f*) quibus ait quòd vita æterna *in iis, qui liberantur, facta est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat,* si non peccassent, sicut facta est Angelis. Id enim quod fit, non est; & ideò si vita æterna in iis, qui liberantur, facta est donum gratiæ; igitur si recti permanentes sine liberatione salvati fuissent; tunc vita æterna non fuisset eis donum gratiæ, sed merces meriti, sicut dicit Augustinus. Quod quo sensu nobis dictum videatur, (*g*) infrà, sententiâ nonâ conabimur explicare: libenter tamen aliam explicationem (*h*) accepturi, si convenienter adferatur.

(*f*) Al. *ubi.*
(*g*) Al. ...
(*h*) Al. *amplexaturi.*

IV. Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

In hac sententia nihil aliud significatur, quàm quòd Angeli boni, & primus homo si rectus perstitisset, non eguissent merito Christi, ut ad vitam pervenirent æternam, sed illis sufficeisset implere quod scriptum est: *si servaveris manda-*

mandata, conservabunt te: de quâ re an quisquam dubitet, ignoro.

V. *In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.*

Sicut ex capite secundo libelli manifestum est, nihil aliud his verbis significatur, quàm quod Angelo & homini in justitia conditis, pro obedientia mandatorum sic in prima creatione promissa est vita æterna, ut in hac promissione non haberetur respectus ad meritum passionis Christi; quod non magis homini, quàm Angelis Sanctis necessarium fuisset, si homo non peccasset.

(a) l. 1. *de mer. oper.* c. 3.

VI. (a) *Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseverasset, ad eam vitam pertransiret, in quâ mori non posset.*

(b) Al. *primi.*

Naturalis lex dicitur hic constitutio in (b) prima hominis creatione facta à Deo, quam ipse numquam erat mutaturus.

(c) ex c. 4. l. 1. *de mer. oper.* malè collecta.

VII. (c) *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera: sed juxta modum loquendi Scripturæ, non rectè vocantur gratia; quò fit, ut tantùm merita, non etiam gratia, debeant nuncupari.*

(d) l. 1. c. 4. *de merit. oper.*

VIII. (d) *In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.*

(e) ex. c. 4. l. 1. *de merit. oper.* malè collecta, & adulterata.

(f) Al. *possunt.*

(g) Al. *potest.*

(h) Al. *contra primam.*

IX. (e) *Dona concessa homini integro & Angelo forsitan non improbandâ ratione* (f) *possent dici gratia; sed quia secundum usum Scripturæ nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus & indignis conferuntur; ideò neque merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici* (g) *debet.*

Sicut supra (h) circa tertiam sententiam diximus, Augustinus *de correptione & gratia* cap. 11. dicit, vitam æternam *in iis, qui liberantur, factam esse donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat,* si homo non peccasset. Quibus verbis manifestè significat, quòd vita æterna non fuisset homini gratia, si in sua rectitudine perseverasset. Id enim quod fit, non est: & ideò si vita æterna facta est donum gratiæ in iis, qui liberantur, igitur in iis, qui liberatione non eguissent, non fuisset donum gratiæ, sed tantùm merces meriti. Cujus dicti rationem & intelligentiam perquirens, imprimis consideravi, sicut dicit D. Thomas 1. 2. q. 104. a. 5. gratiam duobus modis posse considerari: priore secundùm (i) naturam rei, quæ gratia dicitur: altero, secundùm rationem gratuiti, ut videlicet ideò aliquid gratia dicatur quia gratis datur. Juxta priorem modum necessum est, ut quidquid in uno aliquo gratia dicitur, etiam in alio quovis gratia dicatur si (k) modò in eo reperiatur. Juxtà quem modum non est dubitandum, quin & bona opera & vita æterna in primo homine gratia fuisset, si in illa rectitudine perseverasset. Nam juxtà hunc modum absque ullo scrupulo dicimus, primum hominem creatum in gratia. De quo etiam

(i) Al. *rationem.*

(k) Al. *illo eodem modo.*

Augu-

Augustinus epist. 106. (a) dicit, quod *cum sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia potest reparare quam perdidit?* Sed quia Scriptura Sacra ex eo donum gratiæ dici intelligit, quia non ex operibus sed gratis datur, juxtà illud Rom. 11. *Si autem gratiâ, jam non ex operibus, quia alioquin gratia jam non esset gratia.* Ideò cùm quæritur, utrùm dona homini integro in sua creatione (b) concessa, dona gratiæ fuerint; non tantùm considerandum est utrùm fuerint ejusdem conditionis cum iis donis, quæ nunc per Christum regenerati consequimur; sed utrùm eo modo gratis ei concessa fuerint, quomodo gratis homini lapso dari intelliguntur, quæ in Sacris Scripturis sub nomine gratiæ commendantur. Sicut autem charitatem suam commendat Deus in nobis, quia cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est; sic etiam gratiæ suæ munera commendat, quòd non tantùm nihil boni merentibus, sed etiam multùm mali (c) merentibus illa tribuat. Et sic Scriptura Novi Testamenti gratiam non ex eo tantùm nominat, quòd nihil boni merentibus tribuatur; sed ex eo, quòd multùm mali merentibus detur. Quantò enim major est iniquitas peccatoris, tantò illustrior est gratia Redemptoris: nam ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Unde etiam à Divo Augustino graviter reprehenditur Pelagius, quòd se in eo gratiam defendere putabat, quòd quæ nobis in creatione donata sunt, nullis præcedentibus meritis nobis donata fatebatur: quia non hanc gratiam commendat Apostolus, quæ videlicet homini nec bonum, nec malum merenti tribuitur, sed eam, quæ passionis Christi merito (d) gratis confertur peccatori. De qua re Augustinus serm. 11. de verbis Apostoli: *Istam gratiam, quâ conditi sumus,* inquit, *quamquam hoc nomine appellatam minimè legerimus, tamen quia gratis data est, gratiam fateamur: sed ostendamus vobis majorem esse istam, quâ Christiani sumus, cùm nihil mereremur: si ergo magna est gratia, quando nihil boni merebamur, quanta est gratia quando tantum (e) mali merebamur? Hæc est gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. (f) Una erat massa perditionis ex Adam, cui non nisi supplicium debebatur: facta sunt inde vasa in honorem ex eadem massa: gratulare quia evasisti; mortem quippe debitam evasisti, & vitam non debitam reperisti.* Hæc est gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, de qua rursus idem Augustinus epist. 95. *Etsi enim quâdam non (g) improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati sumus, ut essemus, & viveremus, & sentiremus, & intelligeremus, & de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere debeamus; unde meritò & ista gratia dici potest, quia non præcedentibus aliquorum operum meritis, sed gratuitâ Dei bonitate donata est; alia tamen est quâ prædestinati vocamur, justificamur, & glorificamur. De hac quæstio vertebatur, quando ab iis, quos graviter Pelagius offendebat atque turbabat, dicebatur ei, quod eam suis disputationibus oppugnaret.... De hac scriptum est: non irritam facio gratiam Dei: nam si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est. Illam verò gratiam, quâ creati sumus homines, ita etiam appellandam esse non immeritò intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullis legitimis Propheticis, Apostolicis, Evangelicisque litteris legimus.* Et rursus epist. 105. *Cum à Pelagianis quæritur,* inquit, *quam gratiam Pelagius cogitaret sine ullis præcedentibus meritis dari; quando anathematizabat eos, qui dicunt gratiam Dei secundùm merita nostra dari? Respondent gratiam ipsam esse na-*

(a) circa fin.

(b) Al. collata.

(c) Al. demerentibus.

(d) Al. omit. gratis.

(e) Al. nihil.

(f) c. 12.

(g) Al. reprobanda.

turam humanam; neque enim antequam essemus mereri aliquid poteramus ut essemus. Abjiciatur, inquit, *à Christianorum cordibus ista fallacia. Non istam gratiam commendat Apostolus, quâ creati sumus ut homines essemus; sed quâ justificati sumus, ut homines justi essemus. Ista est enim gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur; sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur.* Similiter lib. de grat. & lib. arb. cap. 13. *Si lex non est gratia*; inquit, *numquid natura erit gratia? Nam & hoc Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam, sed non est hæc gratia, quam commendat Apostolus*, &c. Hactenus Augustinus. Quia igitur Apostoli & Evangelistæ in Scripturis suis non commendant nobis nisi gratiam per J. C. D. N; ideò dixi, non, ut malè retulit Collector, videlicet quòd neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratiæ dici debeant; sed dixi cap. 4. quòd merita Angelorum, seu quæ homo habuisset si in justitia perstitisset, juxtà modum loquendi Scripturæ Sacræ, quæ nobis commendat gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non rectè vocantur gratia; quia non procedunt ex Christi merito, sed potiùs ex gratuito creatoris dono. Jam verò longè aliud est dicere, *non debent dici gratiæ* (sicut refert Collector) & *non rectè vocantur gratia*, secundùm modum loquendi Scripturæ, sicut dixi; quia potest alius esse loquendi modus & jam conveniens, qui tamen in Scriptura Sacra non reperiatur. Sicut de voce, *gratia*, suprà testatus est Augustinus. Sed fortè quempiam moveat, quòd addidi ea tantùm munera in Scripturis Sacris gratiam nuncupari, quæ malè merentibus & indignis conferuntur, quia incrementum justitiæ & vita æterna nomine gratiæ intelliguntur, quæ tamen non indignis retribuuntur: de quibus ait Scriptura Sacra quòd invenit illos dignos se. (a) *Responsio.* Incremen-

(a) Al. *Respondeo.* tum justitiæ & vita æterna dignis quidem redditur; sed tamen ex eo gratia non dicitur, quia redditur dignis, sed quia iis datur, qui ante suam vocationem fuerunt indigni; nam vita æterna est merces digno seu benè operanti; sed est gratia peccatori, quales nos recordari debemus quando gratiam nobis à Christo factam veraciter agnoscere, & humiliter recolere volumus; sicut monet nos Apostolus ad Rom. 3. dicens: *Omnes enim peccaverunt; & egent gloriâ Dei; justificati gratis per gratiam ipsius.* Similiter toto capite 2. ad Ephesios, ubi ait: *& vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris*, &c. *convivificavit Christo; cujus gratiâ estis salvati.* Et infrà: *Propter quod memores estote, quòd vos eratis aliquando gentes in carne, qui dicebamini præputium: nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè.* Et ad Titum 3. *Eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes*, &c. *cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit, ut justificati gratiâ ipsius*, &c. Unde Christus in Evangelio, *cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Talem se recolebat Apostolus, cùm veram Christi gratiam volens in se commendare, ajebat: *ego sum minimus Apostolorum, quia non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei; gratiâ autem Dei sum id quod sum.* Unde Augustinus epist. 105. *vita æterna justitiæ quidem stipendium est, videlicet operanti justitiam; sed tibi gratia est, nempe ex temetipso peccatori.* Hanc humilitatis doctrinam, quâ à Christi fidelibus Christi gratia veraciter agnosci-

tur

tur (a) & prædicatur, conatus sum iis locis, ex quibus excerptæ sunt jam dictæ sententiæ, breviter commendare. Sed video me ab iis non intellectum, qui aut aliter imbuti sunt, aut supradicta sancti Augustini testimonia, cum aliis multis, quæ longum esset prosequi, non satis attentè consideraverunt. Nam epist. 106. sent. 12. quam dicit Ecclesiam Catholicam semper tenuisse, asserit veniam peccatorum secundùm gratiam dari, quoniam ipsam pœnitentiam donum Dei dixit Apostolus, datum videlicet homini priùs malo & impœnitenti. Nam si fides & pœnitentia non essent Dei dona, sicut asserebat Pelagius; tunc gratia secundùm merita nostra daretur; sicut docet Augustinus libro *de prædest. SS.* cap. 2. & non gratis daretur: Ad Bonif. lib. 2. c. 8. Et sicut ait Fulgentius *de Incarn.* cap. 18. *Si secundùm Pelagii opinionem nostrum est velle credere, priùs quàm nos Dei gratia incipiat adjuvare, injustè gratia dicitur; quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati.* Et Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9. *divinum beneficium, quo voluntas liberatur, nisi eam prævenires, jam meritis ejus daretur, & non esset gratia, quæ utique gratis daretur.*

(a) Al. omit.

X. (b) *Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe remanet, & corporis resurrectionem, propriè non nisi Christi meritis adscribendam esse.*

(b) Ex c. 9. l. 1. *de mer. oper.* male collecta & adulterata.

Merces illi meritò propriè adscribitur, quòd sic illam ex condigno meretur, ut non egeat (c) alterius subsidio, sicut dicimus remissionem peccatorum non esse adscribendam merito fidei aut pœnitentiæ, sed merito passionis Christi. Quòd autem opera Sanctorum, etiam pœnalia, non merentur ex condigno solutionem pœnæ temporalis, sed solùm sufficiant secundùm acceptationem illius, cui fit emenda, secundùm (d) æqualitatem interpretativam duntaxat, est clara sententia Durandi *in 4. dist.* 15. *q.* 1. cujus hîc verba recitavi: Et Bonaventuræ ibid. etiam q. 1. Et ideò nescio quid Collector hîc (e) petiverit damnari, nisi fortè aliud senserit de abolitione mortis per resurrectionem, quàm de abolitione cujusvis pœnæ temporalis per satisfactionem: aut cum quibusdam Doctoribus asserere velit, pœnæ temporalis debitum solvi & expiari sine applicatione satisfactionis Christi. Quod non videtur satis consonum doctrinæ Concilii Tridentini de satisfact. cap. 13. & 14. ubi dicuntur satisfactiones per Christi merita satisfacere.

(c) Al. *a'iorum.*
(d) Al. *æqualitatem.*
(e) Al *petierit damnare.*

X. (f) *Quòd piè & justè in hâc vitâ mortali, usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali, statim in initio creationis constitutæ: & justo Dei judicio deputandum est; neque in hâc retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in quâ lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio, obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

(f) Non est Mich. Baii: sed ex ejus l. 1. *de mer. oper.* c. 9. male collecta & adulterata.

Hic nota Collectorem pro eo quod in libello dicitur: *id non proposito gratiæ Dei, sed ordinationi naturali,* &c. in sua sententia posuisse: *id non propriè gratiæ Dei,* &c. Nempe PROPRIE pro PROPOSITO: Quod an errore, an dolo fecerit, ut faciliùs damnaretur nescio. Nunc ad rem ipsam. Quod justè

vivitur, omninò adſcribendum eſt merito Chriſti. Sed quòd pro vera juſtitia retribuatur vita æterna, non videtur amplius egere ſubſidio meriti Chriſti: nam hæc videtur eſſe expreſſa ſententia D. Thomæ defendentis, opera Sanctorum mereri vitam æternam de condigno. Quia ſi in ſua dignitate & valore conſtituta adhuc alterius ſubſidio indigerent ut vitam præſtarent æternam; tunc non rectè dicerentur eſſe merita ex condigno ſeu æquivalenti. Et certè cùm Sancti per Chriſti gratiam in iiſdem operibus bonis; aut ſecundùm aliquos, etiam in dignioribus operibus bonis creentur, quàm ipſe Adam creatus fuerat ab initio; mirum eſt, quare opera ſancta ipſius Adæ perſeverantis ſine ſubſidio paſſionis Chriſti, fuiſſent vitæ æternæ merita; non autem opera bona, quæ Spiritus Sanctus per Chriſti gratiam in Sanctis reſtaurat & operatur. Et quod hìc de operibus bonis dixi, hoc expreſsè non tantùm de meritis, ſed etiam de ſatisfactionibus aſſerit Ruardus in articulo *de ſatisfactione*, his verbis: *ut Deo* (a) *ſatisfiat per pœnitentiæ dolorem, non eſt opus communicatione ſatisfactionis Chriſti, quando ad hanc expiationem, & debiti ſolutionem filiorum opera ſufficiunt.* Et rurſus: *Vitam æternam non ex communicatione meriti Chriſti nos meremur, ſed ex dignitate & virtute, quæ merito mortis ejus accepimus.* Quem loquendi modum etiam ſequitur Concilium Tridentinum Seſſ. 6. can. 32. dicens: Juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo fiunt per Dei gratiam & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, verè mereri, &c. non enim ait, eum per Chriſti meritum mereri, ſed quòd verè mereatur operibus, quæ per Chriſti meritum fiunt. Quòd ſi fortè Sanctiſſimus Dominus noſter non hoc damnandum voluerit, ſed aliud quidpiam in verbis ſententiæ; certè intelligat eos, qui hæc damnanda obtulerunt, intelligere hoc ipſum eſſe damnatum, & hoc paſſim non ſine multorum offenſione jactare.

(a) Al. *ſatisfaciat.*

EX

536

EX
LIBRO II.
DE
MERITIS OPERUM.

XII. *Pelagii sententia est, opus bonum, citrà gratiam adoptionis factum, non esse regni cælestis meritorium.* L. 2. de merit. op. c. 4. est titulus.

Licèt in titulo capitis 4. brevitatis causâ dicatur; Pelagii esse quod hîc dicitur, attamen in ipso capite nihil aliud ostenditur, quàm eos propiùs ad Pelagii sententiam accedere, qui opera aliqua steriliter bona defendunt: id est, qui ea sic bona asserunt, ut non sint vitæ æternæ meritoria; quàm hi, qui negant opera posse esse steriliter bona. Nam opera steriliter bona magno conatu asserebat Julianus, quæ non minore conatu (a) reprobat divus Augustinus lib. 4. contra Jul. cap. 3. Sed fortè hîc se contumeliâ affici existimant, qui opera steriliter bona defendunt, quasi ego eos Pelagianos dixerim. Quibus ego respondeo, Pelagianum non statim à quavis Pelagii sententia debere intelligi; sed tantum ab eâ, quæ manifesta hæresis est. Nam Augustinus dicit se (1 Cor. 7.) ubi dicitur; *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*) Pelagii Commentarium esse secutum, nec tamen se Pelagianum voluit dicere. Similiter Episcopus Roffensis, in eo quod ait Lutherus; nullum peccatum esse naturâ suâ veniale, dicit se idem cum ipso sentire; nec tamen se profitetur Lutheranum. Quapropter non statim se, aut alium contumeliâ afficit, quisquis eum dicit alicujus hæretici in aliquo sententiam sequi, sed nonnumquam eum reddit attentum, ne fortè cum illo defendat aliquid erroneum.

(a) Al. *reprobat.*

(b) In c. 2. l. 2. de mer. operum refertur, non asseritur.

XIII. (b) *Opera bona à filiis adoptivis facta non accipiunt rationem meriti, ex eo quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantùm ex eo quòd sunt conformia legi, quòdque per ea præstetur obedientia* (c) *legis.*

(c) Al. *legi.*

(d) In c. 9. l. 2. de mer. oper. sub dubio proponitur.

XIV. (d) *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio merentur accipere.*

(e) L. 2. c. 1. de mer. oper. refertur, non asseritur.

XV. (e) *Docet, nempe libellus, rationem meriti non consistere in eo, quòd, qui benè operatur, habeat gratiam, & Spiritum Sanctum inhabitantem; sed in eo solùm,*

quia

quia obedit legi divinæ. Quam sententiam sæpè repetit, & multis rationibus probat toto ferè libro.

Hæ sententiæ, & aliæ plures, quæ posteriore libello *de meritis operum*, saltem sensu utcumque continentur, nullo modo asseruntur, sed tantummodò dicuntur, salvâ pace Catholicâ, inter fideles posse disputari: id quod ex ipso libello tantâ evidentiâ ostenditur, ut mirum sit, Collectorem tantæ imperitiæ aut impudentiæ fuisse, ut has ausus fuerit libello tamquam assertas adscribere; maximè in sententia XV. ubi ait de libello, quòd doceat rationem meriti non consistere in eo, quòd qui benè operatur habet gratiam, &c. Et infrà, *quam sententiam*, inquit, *sæpius repetit, & probat toto fere libro*: non enim id docet libellus, sed tantùm in utramque partem disputat; sicut etiam in fine libri prioris, & principio posterioris apertissimis verbis præfatus est. Verba prioris libelli sic habent: Expeditâ quæstione, de quâ dubitare fas non est, sumpto alio exordio, ad eas transeamus, de quibus inter fideles, salvâ pace Catholicâ, variè disputatur. Posterior verò liber sic inchoatur: *Inter eas quæstiones quæ de meritis operum etiam à Catholicis variè disputantur, prima occurrit*, &c. Sed nisi Collector per calumniam finxisset libellum dicere & asserere, quod tamquam incertum disputat; forsitan Sedi Apostolicæ non obrepsisset, quam latere non puto, quod in Enchir. cap. 17. apud Augustinum legimus; errorem esse non tantùm quando verum putatur, quod falsum est, aut falsum quod verum; sed etiam quando certum pro incerto habetur, aut incertum pro certo. Quia igitur errare nolebam, ideò quæstiones posteriore libro contentas tamquam incertas disserui, ut potui; nec volui temerariè asserere, quod non poteram rectâ ratione docere, sed potiùs temeritatem affirmandi amovere à lectore, ubi non valebam præbere sententiæ firmitatem: sicut dicit Augustinus lib. 12. de Gen. ad litt. in principio. Nam opinio certi nihil habens, ait Bernardus de consid. cap. 5. lib. 5. si habet assertionem, temeraria est.

Unde etiam mirari non possum satis, quomodo in his litteris multa, quæ à quadringentis aut quingentis annis, tamquam dubia in utramque partem disputata sunt, sic in alteram partem definiantur, ut altera sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prorsus aboleatur; cum apertè dicat Augustinus de verbis Apostoli, serm. 14. quòd ferendus sit disputator errans in aliis quæstionibus nondum plenâ Ecclesiæ authoritate firmatis. Et lib 3. cont. Donat. cap. 3. tractans illud Cypriani, quòd Episcopus ab alio Episcopo judicari non possit: opinor utique in illis quæstionibus, inquit, quæ nondum eliquatissimâ (a) perspectione discussæ sunt: quantò magis ferendus est de his dubitans, quæ non videntur satis certâ & evidenti ratione constare? Cùm de incertis certam assertionem exigere, nihil aliud sit, quàm in errorem pellere, & disputationes magna ex parte è Scholis tollere. De quo idem Augustinus epist. 147. ad Optatum, ubi res naturaliter obscura nostrum modum vincit, & apertè divina Scriptura non subvenit, temerè aliquid definire humana natura præsumit.

(a) Al. perfectione.

XVI. (a) *In eodem libro sæpè repetit, quòd non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.*

(a) Refertur inter sententias quæ à Catholicis varié disputantur: sed non asseritur hæc tanquam propria sententia.

Primo capite hujus libri semel duntaxat respondendo cuidam argumento dicitur, forsitan non absurdè intelligi posse, quæcumque fiunt sine charitate, non esse veras legis obedientias. Quæ sententia si tam sit absurda, ut sub tanta pœna damnari mereatur, vereor ut & Christi verba non parum periclitentur, quibus ait: *qui non diligit me, sermones meos non servat;* non enim ait: *forsitan & non verè servat*, sicut habet libellus; sed simpliciter, *qui non diligit me, sermones meos non servat.* (b) Puto autem quòd in Scripturis Sacris, diligere, charitatem significet. Periclitabitur & id quod toties inculcat Apostolus. *Lex iram operatur; Lex propter transgressionem posita est: Littera occidit.* De quibus Augustinus lib. *de grat. & lib. arb.* cap. 18. *Lex sine gratia non nisi prævaricatores facit.* Quia in eo quòd lex sine dilectione veram legis obedientiam præstat (sicut prætendit ista damnatio) non operatur neque transgressionem, neque prævaricationem, neque etiam iram, quæ soli transgressioni debetur. Periclitabuntur etiam verba Augustini, quibus ait, in Psalmum 118. tom. 7. *non possunt custodiri verba Dei, nisi per fidem, quæ per dilectionem operatur.* Item ad Bonif. lib. 3. c. 2. *Qui* (c) *non justificantur non possunt esse legi obedientes: quæ justificatio sine charitate non est.* Item ibid. *Dicimus lege fieri, ut Deus quod fieri velit audiatur; gratiâ verò fieri ut legi obediatur.* Item de grat. Christi cap. 26. *Etsi Dei mandatum videatur aliquando non à diligentibus, sed à timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur, quia* omne, quod non est ex fide, peccatum est; *&* fides per dilectionem operatur: nam, ut idem docet lib. *de corrept. & grat.* cap. 2. duobus modis non agitur quod agendum est; sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo. Item *Fulgentius* de fide ad Petrum cap. 32. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem non ignorantia litterarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel adversitas, verba legis & Evangelii sive legere, sive ex ore cujusquam prædicatoris audire; sed divinis mandatis neminem obedire posse, nisi quem Deus suâ gratiâ prævenerit; ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, & acceptâ divinitùs bonâ voluntate atque virtute, mandata Dei facere & velit & possit.* Nam bona voluntas ipsa est charitas. De quo tamen capitulo, sicut & de reliquis triginta novem, tandem cap. 44. subjicit: *Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende: &, si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tamquam pestem fuge, & tamquam hæreticum abjice. Ita enim ista, quæ posuimus, fidei Catholicæ congruunt, ut si quis non solùm omnibus, sed etiam singulis eorum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hæreticus, & Christianæ fidei inimicus, atque ob hoc ab omnibus Catholicis anathematizandus appareat.* Quæ verba subjicere volui, non tantùm ut ostendam, quâ necessitate compellar super isto capitulo Sanctissimum Dominum nostrum cum debitâ reverentiâ commonefacere; sed etiam ut intelligatur, quanto periculo ista sententia damnetur; præsertim nihil aliud captantibus hæreticis, quàm ut Sacro-Sanctam

(b) Al. *non.*

(c) Al. *qui justificantur.*

Sedem Apostolicam erroris aut initiæ possint arguere. Periclitabitur & illud Apostoli: *plenitudo legis est Charitas*, quâ unâ impletur in nobis (inquit Augustinus in epist. ad Julianum) si quid divinæ legis implemus; quia sicut qui diligit proximum totam legem implevit, nam non adulterabis, non occides, &c. sic qui non diligit, teste divo Augustino, nihil divinæ legis adimplet, quia plenitudo legis non est nisi charitas, epist. 89. Sed forsitan damnatio charitatem tantùm intelligit eam, quæ est per Spiritum Sanctum inhabitantem post peccatorum remissionem; cùm tamen ego intellexerim etiam bonam voluntatem, quæ præcedit remissionem peccatorum, sicut etiam intelligit Augustinus locis jam citatis.

(a) Exc. 4. l. 2. *de mer. oper.* malè collecta & adulterata.

XVII. (a) *Dicit sentire cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.*

Hæc sententia est repetitio 12ª. sententiæ sub aliis verbis, à Collectore ad multiplicandas sententias excogitatis: de quâ ibi dictum est.

(b) Lib. 2. *de mer. oper.* c. 6. licèt minus exactè collecta.

XVIII. (b) Dicit (scilicet libellus) *opera Catechumenorum, ut fidem & pœnitentiam, ante remissionem peccatorum facta, esse vitæ æternæ merita; quam vitam non consequentur Catechumeni, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.*

Istud in libello non asseritur, sed tamquam dubium vel incertum significatur, vel dici, vel impiam videri posse; quæ verò ad dubitandum inducunt, hæc videntur esse. *Deus reddet unicuique secundùm opera sua*; &, sicut ait Ecclesiastes; *cuncta, quæ fient, adducet Deus in judicium.* Ex quo sequitur, quòd eleemosynæ Cornelii Centurionis, quæ leguntur ante remissionem peccatorum fuisse Deo acceptæ, adducentur in indicium; &, ut apparet, etiam aliquam retributionem accipient: sicut etiam Christus in Evangelio Marci 9. significasse videtur, quando loquens de eo, qui ipsum non sequebatur, ait: *quisquis vobis potum dederit calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, non perdet mercedem suam.*

Quam sententiam confirmare videtur Concilium Arausicanum secundum jussu P. R. Leonis I. congregatum, dicens cap. 18. *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Nam his verbis significare videtur, quòd undecumque fiant bona opera, debetur eis merces; licèt interim verum sit, quod non, nisi gratiâ Dei præcedente, fiant. Quam sententiam usque adeò urget D. Augustinus de nat. & grat. cap. 2. ut palam asserat; quòd si humana natura nunc sine peccato nasceretur, & propriis viribus absque Dei adjutorio perfectè legem impleret (sicut eam posse contendit Pelagius) de præmio deberet esse secura, hoc est, de vita æterna, etiamsi in aliqua gente, aut aliquo superiore tempore, fides eam latuit sanguinis Christi: *non enim injustus est Deus*, inquit, *qui justos fraudet mercede justitiæ.*

Et tamen Augustinus loquitur de justis, qui sine fide Christi, sine adjutorio gratiæ, Dei legem observarent, quales non quidem esse, sed posse esse, Pelagius

538

lagius contendebat. Cui etiam consonat, quod idem Augustinus lib. 4. cont. Jul. cap. 3. recusat agnoscere opera steriliter bona, sicut suprà diximus: nam si sint opera bona, quæ neque in hoc sæculo, neque in futuro, quidquam mereantur, fatendum est esse aliqua opera steriliter bona.

Hanc sententiam etiam probasse videtur D. Thomas 1. 2. q. 21. docens, actum, quia bonus est, habere rationem meriti apud Deum. Ex quo sequi videtur, quòd omnis actus bonus sit apud Deum meritorius; licèt posteà in quæstione de merito videatur ab hoc principio recedere, & ad actum meritorium non tantùm bonitatem sed etiam altioris principii dignitatem requirere. Quæ altioris principii dignitas, licèt in ejus operibus non inveniatur, quem D. August. *de nat. & grat.* dicit, debere esse de præmio vitæ æternæ securum: quia loquitur de eo, quem Pelagius asserebat, sine gratiæ adjutorio posse ex propriis naturæ viribus totam legem implere: attamen invenitur in fide & pœnitentia aliisque bonis operibus Catechumenorum, quæ licèt nondum inhabitans, (a) attamen in eis operatur Deus: juxtà illud Apostoli, *ne quando det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant à Diaboli laqueis.* (a) A'. omit. ista.

Hæc sunt, quæ me ad dubitandum movent, maximè quia neque scriptura aliqua, neque alicujus veterum mihi occurrit sententia, quæ probabiliter significet, opera bona Catechumenorum nullam eis mercedem allatura, cùm ad regnum cælorum pervenerint. Si cui alteri forsan occurrat, oro, ut illius me faciat participem, & paucis etiam indicet, quid ad ea respondendum existimet, quæ me movent, ut possim ratione docere, quod video pluribus placere, licèt id non possim ex Scripturis Sacris comprobare.

XIX. (b) *Videtur insinuare, quòd opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit ex dignitate personæ operantis, non traxerint majorem valorem.*

(b) Ex. 7. c. lib. 2. de mer. oper. malè collecta & adulterata.

Collector malè refert.

XX. (c) *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

(c) Non asseritur sed c. 7. l. 2. de mer. 9. refertur inter sententias quo à Catholicis disputantur.

Libellus hanc sententiam recenset inter eas, quas dicit inter fideles, salvâ pace Catholicâ, variè disputari; addens, quòd licèt quidam Catholici, ut Staphilus, eam hæreticis erroribus annumeraverint, tamen eruditiores, ut gloriosus Christi Martyr & Episcopus Joannes Roffensis, illam inter opiniones habuerunt: nam art. 32. contra Lutherum, fatetur se in hac parte cum Luthero sentire. Ex quo intelligitur, quo candore hæc sententia tamquam in libello meo asserta sit, à Collectore summo Pontifici ad damnandum oblata; cùm ego eam tantùm, ut, salvâ pace Catholicâ, disputabilem proposuerim, & sine omni assertione disputaverim. Id quod quisquis improbat, necesse est, ut eam ad fidem Catholicam, aut ad hæresim aliquam pertinere existimet.

EX
LIBRO PRIMO
DE PRIMA
HOMINIS JUSTITIA.

Ex Lib. *de prima hom. justitia.* c. 14. malè collecta, & adulterata.

XXI. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.*

Collector more suo sententiam hanc longè aliis verbis, alioque sensu expressit, quàm in libello continetur: ibi enim tantùm dicitur, quòd primæ creationis integritas, cujus absentia est malum, non fuerit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Ipse verò Collector de divinæ naturæ consortio adjunxit, quæ voluit, ut rem odiosam faceret. De quibus, quantâ potui diligentiâ, disserui cap. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. libri. Quæ, si quem fortè non movent, potest suo frui judicio; cui etiam humiliter supplico, ut iis respondere dignetur, quæ me moverunt, & id docere, quod me fateor ignorare: nempe quomodo solidâ ratione, & non tantùm scholasticâ traditione doceatur; veram rectitudinem, in qua primus homo conditus est, & cujus absentia est malum, non naturalem esse, sed tantùm supernaturalem, cùm malum nihil aliud sit, quàm naturalium privatio bonorum. Non enim dixi (quod me etiam dixisse calumniatur) humanæ naturæ sublimationem esse dicendam naturalem, & non supernaturalem: sed dixi, sic esse naturalem, ut tamen in nobis rectè supernaturalis dicatur: sicut visus diceretur supernaturalis in illis, quibus divinâ virtute per miraculum esset restitutus; ut patet ex cap. 10. ejusdem libelli: ubi etiam ostendi, quâ ratione à Cyrillo supernaturalis appelletur.

(a) l. *de prima hom. justitia.* c. 6.

XXII. (a) *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom.* 2. GENTES, QUÆ LEGEM NON HABENT, NATURALITER EA QUÆ LEGIS SUNT, FACIUNT, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

Sicut suprà ostendi, facilè contingit, ut cum hæreticis aliqua sentiamus, etiamsi hæretici non simus. Quòd verò inimici gratiæ Christi hunc locum Apostoli gentibus incredulis assignaverint, expressè testatur Fulgentius cum quatuordecim aliis Episcopis Africæ in lib. de Incarn. & grat. Domini N. J. C. cap.

C. cap. 25. his verbis: *Apostolus dicit*; cùm enim gentes, quæ legem, &c. *Quem quidem Apostoli locum hi, qui gratiæ contradicunt, gentibus incredulis assignare contendunt. Ex hoc videlicet quòd etiam illi, qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honestatem morum, & humanæ societatis vinculum pertinent, naturali quâdam lege sic servant, ut etiam illos, qui ea violare contendunt, judiciorum æquitate ac severitate coërceant.* Qui Fulgentii libellus, cùm circà tempora felicis recordationis Honorii Papæ I. in tanto honore habitus sit, ut in Concilio Hispalensi II. citentur ex eo tres sententiæ de Incarnatione Domini N. J. C. sicut citantur ex Augustino, Leone, & aliis Patribus, mirum est, quomodo nunc vice versâ in libello meo ex eo damnari meruerit, quòd dixerit inimicos gratiæ Christi, id est, Pelagianos, jam supradictum Apostoli locum gentibus incredulis assignare; cùm id ex epistola ad Demetriadem Virginem, quæ prima ponitur tom. 4. operum Hieronymi, evidentissimum sit: quam epistolam satis constat esse Pelagii, sicut infrà ostenditur in explicatione sententiæ 52. licèt non sine dedecore fidelium à multis legatur, tamquam sit Hieronymi, sicut benè notavit Beda lib. 1. super Cantica, ubi eam ex professo refellit tamquam hæreticam. Cæterum an aliqui veteres, ante natum Pelagium dictum Apostoli locum peculiariter gentibus incredulis assignaverint, invenire non potui: siquidem Chrysostomus & Theophilactus sic Commentarium suum temperant, ut neque incredulorum, neque fidelium peculiarem ingerant mentionem. Origenes legem in cordibus scriptam interpretatur; scriptam Spiritu Dei: & Oecumenius cogitationes excusantes in salvandis intelligit. Ex quibus videtur, quòd Origenes & Oecumenius gentes, quæ ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, fideles intellexerint. Cæterum quid senserit Fulgentius, jam suprà dixi; quem ego hac in re sum secutus.

XXIII. (a) *Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.* (a) Ex l. *de prima hom. justitia.* c. 7. malè collecta & truncata.

Hæc non sunt verba libelli; sed commenta alicujus æmuli, cui displicuit, quòd solidis rationibus conarer ostendere, quòd adhærere Deo, sic ad integritatem naturæ humanæ pertineret, ut necessariò homini, qualis conditus est, malum esset Deo non adhærere. Rectè enim videtur sequi, homini adhærere Deo bonum est, igitur malum est non adhærere Deo. Quæ ratio si cum iis, quæ libello continentur, convenienter dissolvatur, & verosimilioribus ostendatur quòd possit homini, qualis conditus est, non esse malum à Deo recedere aut ab eo longè abesse; sicut à Deo longè sunt bestiæ, quæ illi neque per (b) notitiam, neque per amorem adhærent: (est enim malum naturalium privatio bonorum: facilè rationi consentiam: sed non sufficit mihi nuda Scholasticorum Doctorum traditio sine verisimili testimonio veterum. (b) Al. *naturam.* (c) Ex l. *de prima h. m. justitia.* c. 7. malè collecta, & adulterata.

XXIV. (c) *A vanis & otiosis hominibus secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia; hominem ab initio sic constitutum, ut, per dona naturæ superad-*

(a) Al. omitt.

peraddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus: (a) *& ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia.*

Capite 8. dicti libelli dicitur, quòd naturalis beatitudo, quæ in Scripturis Sacris non invenitur, & quam Pelagius infantibus sine baptismo discedentibus promittebat, à vanis & otiosis hominibus ex Philosophia confingatur: sed quod libellus de jam dicta naturali beatitudine adversus Pelagium dicit; hoc Collectoris inanimadvertentia aut calumnia, de supernaturali humanæ naturæ beatitudine dictum proponit; quod ex ipso libello constat esse falsissimum.

Ex Libro 2. De virtutibus Impiorum.

(b) c. 5. l. *de virtutibus impiorum*, refertur ad quod August. dicit de operibus impiorum.

XXV (b) *Omnia opera infidelium sunt peccata.*

Miror, cur in antiquo problemate damnetur pars ea, quæ Scripturis Sacris & veteribus scriptoribus longè videtur esse conformior. Ait enim Apostolus ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Item ad Tit. 1. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum. Et ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. De Patribus verò testatur gloriosus Christi Martyr Roffensis art. 36. cont. Lutherum, quòd hæc sit sententia omnium Patrum his verbis: *Hoc dixi propter Patres, quorum sententiam sequi malui, quàm Scholasticorum, cum hac in re mutuò sibi pugnent: Patres enim asserunt neminem posse quidquam boni velle sine Dei speciali auxilio; nec sufficere generalem illum influxum: nonnulli contrà Scholastici sic contendunt hunc sufficere, ut quis absque* (c) *alio auxilio benè moraliter agere, & bonum facere possit, non tantum ex genere, verùm etiam quòd debitis undequaque circumstantiis ornatum sit,* &c. Hæc Roffensis. D. Ruardus Tapperus, Universitatis Lovaniensis, dum viveret, Cancellarius, & mihi præceptor, licèt in alteram partem semper videretur nobis propensior, tamen art. 2. libri sui ingenuè fatetur, probabilius esse, quòd divus Augustinus senserit, omnia Ethnicorum opera (d) esse peccata, his verbis: *Videtur probabilius & dictis ejus*, Scilicet Augustini, conformius quòd omnia Ethnicorum opera tanquam peccata damnaverit, quibus offenditur Deus propter circumstantia, maximè finis. Unde & Hieronymus ad Heliod. *Sine Christo*, inquit, *vanum est quod vivimus.* Et Prosper sententia 106. *Omnis infidelium vita, peccatum est: & nihil est bonum sine summo bono: ubi enim deest cognitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Item contra Collatorem cap. 22. *Nihil*, inquit, *boni operis ex mortuis, nihil justitiæ procedit ex impiis;* loquitur autem de infidelibus. Augustinus lib. 4. cont. Jul. cap. 3. tam apertè hoc dicit, ut non videatur negari posse. Idem docet lib. 3. cont. 2. Epistolas Pelagian. cap. 5. Item 8. Leo serm. ult. de Epiphania.

(c) Al. *ullo.*

(d) Locus in editis prius corruptus.

Qui verò alteram partem sequuntur, videntur potissimùm niti authoritate Philosophorum, de quibus Apostolus ait: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et Hieronymus epist. ad Ctesiphontem in in i-

tio:

tio: *Pulchrè*, inquit, *quidam nostrorum ait: Philosophi, Patriarchæ Hæreticorum, Ecclesiæ puritatem perversâ maculavere doctrinâ*, &c. Et in fine rursus: *Semper habui studio audientibus loqui quod publicè in Ecclesia didiceram, nec Philosophorum argumenta sectari, sed Apostolorum simplicitati acquiescere, sciens illud dictum:* Perdam sapientiam sapientium, &c. Et, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, &c. 1 Cor. 1. Coguntur autem hi suprà dictas scripturas, non ex aliis scripturis, sed ex rationibus Philosophicis ad alium sensum trahere, quàm præ se fert sermonis simplicitas: de quo genere interpretandi Scripturas, dicit Augustinus lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 28. *ratione redditâ interpretari Scripturam, consuetudo periculosa est.*

XXVI. (a) *Et Philosophorum virtutes sunt vitia.* (a) c. 5. *de virtut. impiorum* aliqua ex Augustini l. 19. *de Civ. Dei.* c. 25. referuntur.

Hæc sententia de Philosophis impiis & incredulis intellecta, de quibus expressè loquitur libellus primùm est Hieronymi super cap. 3. ad Galat. dicentis: quòd sine Christo omnis virtus in vitio est. Item ad Rusticum Monachum: *Philosophi sæculi vitium vitio, peccatum peccato medicantur.* Et Ambrosii, cùm ait: *Quod sine cultu veri Dei virtus videtur esse, peccatum est.* Et Augustini lib. 3. contra duas epistolas Pelagian. cap. 5. & lib. 19. *de civit. Dei* cap. 25. ubi sic ait: *Licèt virtutes à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur, cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur; attamen etiam tunc inflatæ & superbæ sunt; & ideò non virtutes, sed vitia judicanda sunt.* Denique Prosperi de vita contemplativa lib. 3. cap. 1. *Virtutes si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda, sed vitia.* Et infrà vocat eas virtutum simulationes. Unde Augustinus lib. 1. retract. cap. 3. retractat, quòd dixerat Philosophos non verâ pietate præditos virtutis luce fulsisse.

XXVII. (b) *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio:* quam sententiam repetit & probat per multa capitula. (b) Est titulus c. 4. l. *de prima hom. justitia.*

Si probatio libelli deprehendatur non esse legitima, & pars opposita convenientioribus argumentis statuatur, meritò hæc sententia vetatur: sed quia hoc Dominus mihi nondum ostendit, ideò supplico Collectori, aliisque qui hanc sententiam damnandam obtulerunt, ut suâ eruditione me aliosque, quibus hæc fortè persuasa fuerunt, in hac parte, & aliis pluribus, suo studio juvare dignentur; non tantùm asserendo quòd videtur per manus duntaxat tradi à Doctoribus Scholasticis; sed scripturis tandem verisimilibus, & veterum scriptorum testimoniis ostendendo quod sentiunt; & quæ nos movent, convenienter dissolvendo.

XXVIII. (c) *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* (c) Est titulus c. 8. l. *de virtutibus impiorum.*

Si Collector ex cap. 8. lib. 2. de Virtutibus impiorum attendisset, quos Docto-

Doctores Sanctos in sententia damnandos propinabat: puto quòd hanc sententiam damnandam non obtulisset: ipsissima enim sunt verba Augustini lib. 3. ad Bonif. cont. duas epist. Pelag. cap. 8. dicentis: *liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet.*

Nisi quòd illud, *captivatum*, exposuerim, *sine gratiæ Dei adjutorio*, sicut ipse Augustinus in sequentibus exponit. Item de spirit. & litt. cap. 3. *Nam neque liberum arbitrium*, inquit, *quicquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cum id, quod agendum, & quò nitendum est cœperit non latere; nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè vivitur.* Eandem sententiam tenent plures alii, quos ibidem citavi. Accedit Bernardus serm. 1. de Annunciatione his verbis: *Nos, qui de nihilo creati sumus, constat quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum, quod nihil est, semper declinamus*, &c. Quibus, licèt recentior, tamen propter eruditionis & martyrii gloriam, addendus est Joannes Episcopus Roffensis, sicut patet ex verbis ejus suprà, sententia 25. recitatis, ubi dicit hanc esse sententiam omnium veterum Patrum, quos (si res ita habet) necessarium est propter me similiter condemnari.

XXIX. *Pelagianus est error dicere; quòd liberum arbitrium valeat ad ullum peccatum vitandum.*

Hæc sententia in libello non habetur: nec est Catholica si intelligatur, quòd liberum arbitrium adjutum à Deo non valeat ad ullum peccatum vitandum: si verò Collector intenderit damnare, quòd liberum arbitrium sine Dei adjutorio ex se non valeat ad ullum peccatum vitandum; sicut significare videtur mentio Pelagii, quem (a) non ignorat negasse divinum adjutorium: (b) metuo ne Catholicam sententiam damnare voluerit; sicut forsitan intelligi utcumque potest ex his sententiis & rationibus Patrum, quæ cap. 9. ejusdem libelli referuntur.

(a) Al. *constat.*
(b) Al. additur *esse necessarium.*

XXX. (c) *Non solùm fures hi sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quàm per Christum in viam justitiæ, hoc est ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt; aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea* (d) *non superetur.*

(c) Prima pars habetur l. *de virt. imp. c. 9.*
(d) *superetur.*

Prior hujus sententiæ pars, ad verbum desumpta est ex fine capitis 9. ejusdem libelli, *De virtutibus impiorum*; quam puto non improbari, quia nihil aliud est, quàm clarus sensus Evangelii. Sed posterior pars, videlicet: *aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Hæc, inquam, pars est à Collectore dolosè conficta: verba enim libelli sunt: *aut tentationes ullas sine ipsius gratiæ* adjutorio superari posse contendunt. Quam sententiam Catholicam, & à majoribus nostris contrà Pelagianos ex Scripturis sacris assertam, quia palam damnare non audebat, ideò verba confinxit, quibus significaret; quòd quisquis aliquâ tentatione pulsatur, ut putà fornicationis aut homicidii, is necessariò in eandem

dem

dem tentationem inducatur, nisi adjutorio gratiæ Dei liberetur: Id quod neque habet libellus, neque umquam sensit libelli author, sicut manifestum est ex libro ejusdem de libero arb. cap. 10. circa finem; ubi veluti spiritu prophetico occurrens futuræ calumniæ, ostendit eum, qui ad fornicandum tentatur, ex amore gloriæ aut pecuniæ sæpè ab hoc pernicioso affectu sine divino adjutorio revocari; addens ex D. Augustino, tunc victa vitia deputanda esse, cùm Dei amore vincuntur; non autem, cùm aliis vitiis vincuntur occultis. Sed tantùm sentit, quòd quisquis aliâ tentatione pulsatur, statim orare debeat, *ne nos inducat in tentationem*; & si sic ab eâ liberetur, ut neque in hanc, neque in aliam similem, aut etiam deteriorem inducatur; tunc statim debeat illi gratias agere, à quo se non debet dubitare esse liberatum, sicut in prima sua defensione sese à Domino liberatum confitetur Apostolus 2. ad Tim. 4. De quâ re latiùs disserui cap. 9. ejusdem libelli.

EX LIBRO DE CHARITATE.

XXXI. *CHaritas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non ficta, in Catechumenis, & pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Ex lib. de charitate. c. 7. malè collecta.

Hoc non dixi, sed adversus eos, qui in Catechumenis & aliis pœnitentibus ante remissionem peccatorum, contra Concilium Tridentinum nullum omninò charitatis initium agnoscunt (quorum sententiam etiam nobis improperat Lutherus, dicens nos docere, quòd Christi passione non indigeamus, nisi in puncto remissionis peccatorum) quantâ potui diligentiâ conatus sum ostendere, bonum animi motum, qui ante remissionem peccatorum ex Christi dono in peccatoribus reperitur, etiam in Scripturis Sacris nomine dilectionis seu charitatis intelligi. Hæc etiam manifestè docet Augustinus l. 2. contra duas epistolas. Pelagianorum cap. 9. ubi loquendo de imperfectâ boni cupiditate, ait: QUID EST ENIM BONI CUPIDITAS, NISI CHARITAS? Quod quia Collector proponere damnandum non audebat, licèt fortè displiceret;

ideò ut adversum nos aliquid dicere videretur, hanc propositionem; quæ & falsa est, & à nostro sensu prorsus aliena, per calumniam nobis affinxit; quasi videlicet umquam somniassemus, perfectam charitatem ex corde puro & conscientia bona profectam in iis reperiri, qui peccatorum remissionem nondum sunt consecuti: nam perfecta charitas foras mittit timorem, qui abesse non potest, quamdiu manet reatus æternæ damnationis; & ubi nondum est peccatorum venia, non potest esse bona & tranquilla conscientia. Non igitur hoc dicit aut sentit libellus, quod iste dolosè confinxit, sed tantùm quod suprà diximus.

(a) Ex l. *de char.* c. 7. malè collecta.

XXXII. (a) *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

(b) Ex eod. cap. malè collecta.

XXXIII. (b) *Catechumenus justè, rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.*

Hæ duæ sententiæ in libello meo non habentur: sed si diligenter quæratur, puto quòd earum sensus satis clarè invenietur apud Thomam Waldensem tom. 2. *de Sacramentis* cap. 97. & 105. qui tomus per felicis record. Martinum V. in consistorio Cardinalium, post diligentem examinationem approbatus est. Quapropter non immeritò quis admiretur quomodo nunc meruerit sub tam gravi pœna in censura reprobari & aboleri, nempe sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ. Sic enim habet capite 97. *Scio ex lege Hieremiam Spiritum Sanctum accepisse, & sanctificatum ex utero: scio & Joanni Baptistæ cælitùs promissum:* SPIRITU SANCTO REPLEBITUR ADHUC EX UTERO MATRIS SUÆ: *nec sic tamen deletum erat chirographum veteris delicti.* Et infrà: *bonus Catechumenus charitate flagrans, justus probatâ justitiâ priusquam Ecclesiæ Christi conjungatur, est de vi status adhuc ineptus ad capescendum regnum Dei.* Et iterum, *pone nobis,* inquit, *Cornelium, teste Scripturâ, Spiritu Sancto repletum: & ipsi non sufficit.* Dicit Augustinus: neque *enim,* inquit, *si sufficeret ad capescendum regnum cœlorum, ut ad Petrum mitteret, moneretur. Insuper, nec de Christi corpore erat, quousque per Sacramentum conjungebatur Ecclesiæ.* Et rursus eodem capite: *fortassis,* inquit, *difficilè quibusdam videtur, quomodo adultus susceptâ superinundantis Spiritus Sancti gratiâ, ita ut ante multos Christianos firmiter credat, oret fervidè, opera justitiæ suppleat*; jam non sit actu consummatus *in gratia, & ex hoc ipso aptus regno Dei.* Deinde respondet: *habet gradus suos gratia Spiritus Sancti;* in quibusdam, inquit, tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad capescendum regnum cælorum; sicut in Cornelio, antequam per sacramentorum participationem incorporaretur Ecclesiæ. Hactenus ex cap. 97. Similia plura habet cap. 105. ex quibus hoc unum proferam, quod ait circa finem capitis: *Scimus Catechumenos, aut competentes multos Sanctos, justos, orantes, differre baptismum. Scimus excellentiorem istis Cornelium, & eos qui cum ipso erant,* Spiritu *illustratos eximiè. Scimus Joannem Baptistam Spiritu Sancto repletum ex utero matris suæ. Scio Hieremiam Prophetam sanctificatum priusquam exiret ex utero.*

Da mihi quotquot tales, qui tamen cum infectione decedant vitiatæ propaginis, & quantolibet gradu sanctitatis fulgeant, si non renati fuerint ex aquâ visibili, & Spiritu Sancto, regnum cælorum adipisci non possunt. Quòd autem is, qui admittendus est ad baptismum (ante quem saltem regulariter non datur remissio peccatorum) non tantùm integram fidem habere debeat, sed etiam Dei mandata veraciter observare, imprimis manifestè probat ipse baptismi ritus; in quo non tantùm exigitur ut credat qui baptizandus est; sed etiam, ut diabolo & omnibus pompis ejus abrenuntiet: quod sine obedientia mandatorum Dei præstari non potest, nisi solis verbis; sicut de quibusdam queritur Cyprianus, quòd solis verbis sæculo renuntient: & sicut non expectatur, quòd post baptismum credat qui baptizandus est, sed id ante baptismum exigitur: sic etiam non expectatur, ut quis post baptismum Diabolo renuntiet, & Dei mandatis obtemperet, sed id prærequiritur, sicut D. Augustinus tantâ evidentiâ toto libro *de fide & operibus* ostendit; ut opposita sententia videatur sanæ fidei contraria. Nam, ut ait lib. 2. retract. c. 38. *In hoc libro disputavi, non solùm quemadmodum vivere debeant gratiâ Dei regenerati, verùm etiam quales ad lavacrum regenerationis debeant admitti.*

XXXIV. *Distinctio illa duplicis amoris: videlicet naturalis, quo Deus amatur ut Author naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut* (a) *beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris ac plurimis veterum testimoniis, excogitata.*

(a) Al. *benefactor.*

In hac distinctione nihil aliud improbatur, quàm quòd quidam contra D. Thomam 1. q. 34. a. 3. asserunt, aliquem verum unius veri Dei amorem posse ex solo libero corrupti hominis arbitrio consurgere. (b) Quòd si cui non satisfaciunt testimonia & rationes, quas pro hâc sententia in libello attuli, oro ut dignetur nos docere ex qua scriptura, aut ex quibus veterum testimoniis, pars altera solidiùs possit ostendi; nempe quòd ex solo libero arbitrio hominis, sine Dei adjutorio, possit Deus veraciter diligi.

(b) In editis quædam erant malè inserta.

XXXV. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.*

Hæc sententia apertè hæretica est, nec nobis, nisi per calumniam, affingitur. Sed Collector fortè respexit ad verba Fulgentii *de Incarn. & grat. D. N. J. Christi* cap. 19. quibus ait: *Quamdiu est peccati servus, non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneus.* Sed, sicut ex (c) deductione patet, Fulgentius de eo tantùm loquitur, qui ita Diaboli servus est, ut ab auxilio gratiæ Dei sit prorsus alienus; quem cum Augustino existimat, quamdiu talis est, non posse nisi peccare. Hæc verò sententia etiam illum peccatorem comprehendit, qui à Deo juvatur ut credat, & de (d) præteritis sceleribus doleat; & ideò recipienda non est.

(c) Al. *distinctione.*

(d) Al. *peccatis.*

(a) Ex c. 5. lib. *de char.* malè collecta.

XXXVI. (a) *Amor naturalis, qui ex naturæ viribus exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.*

Hæc sententia neque ad verbum, neque ad sensum continetur in libello. Sed quia capite 5. ejusdem dicitur, quòd sub prætextu Philosophiæ naturalis, circa ea, quæ Dei sunt, nullus est agnoscendus dilectionis motus, qui non descendat à patre luminum. In quo nihil aliud significatur, quàm quòd omnis Dei amor ex Deo sit; & quòd nullus Dei amor sic sit naturalis, ut nunc ex solis (b) liberi arbitrii viribus oriatur sine Dei adjutorio. Ideò Collector confinxit generaliter dictum; quòd nullus sit amor naturalis, qui ex viribus naturæ oriatur; cùm ego non nisi de vero amore unius Dei locutus sim; sicut ex ipso capite 5. manifestum est. Et ideò hæc sententia non est nisi mera calumnia.

(b) Al. *naturæ.*

(c) Ex eod. c. 5. malè collecta.

XXXVII. (c) *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.*

Hæc sententia eâdem fide conficta est, quâ prior, nempe ex ea disputatione; ubi tantùm de Dei amore differitur.

XXXVIII. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in* (d) *corde diffusa Deus amatur.*

(d) Al. *corda diffusum.*

Hæc sententia magna ex parte ad verbum sumpta est ex cap. 6. ejusdem libelli: sed quia in posteriori parte verba libelli non satis videbantur reprehensioni obnoxia; ideò Collectori placuit ea mutare dicendo: *aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*, ut videlicet statim de ea tantùm charitate cogitetur, quæ cum remissione peccatorum invenitur; cùm tamen libellus habeat; *aut laudabilis charitas, quâ Deus amatur, quam nisi Deus ipse non donat.* Quæ charitas non tantùm post remissionem peccatorum intelligitur. Hâc igitur sententiâ nihil aliud dicitur & significatur, quàm quòd omnis amor, ratione finis, in quem tamquam ultimum dirigitur, aut est amor mundi tamquam ultimi finis, qui vitiosus est, & prohibetur dum dicitur; *nolite diligere mundum:* aut est amor Dei, qui laudabilis est, quem mundus dare non potest, sed Deus. Et certè cùm nullus finis reperiri possit, quin aut Deus sit, aut ad mundum pertineat; miror cur iste sensus reprobetur, maximè accedentibus pluribus veterum sententiis, quæ hoc significare videntur. Sed fortè displicet quòd dixerim; unius veri Dei amorem haberi non posse, nisi ex Deo. De quo suprà diximus sententia 34. inter ea, quæ à quibusdam Doctoribus minùs probanda. Objeci aliquando cuidam Sancto & erudito Episcopo, totâ hâc regione, & forsitan etiam Romæ famâ laudabili benè noto: id quod contra D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 3. quòd homo, qualis nunc est, possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus, sine gratia: sed ille pro re absur-

absurdissima ducens, quòd dilectio Dei super omnia ex solis naturæ viribus consurgeret; respondit eos sensisse; quòd homo, qualis nunc est, possit Deum diligere super omnia sine gratia, per quam est peccatorum remissio; sed non sine adjutorio gratiæ Christi, quo etiam antè remissionem peccatorum juvantur fideles. Quam solutionem libenter accepi, quia videbatur mihi à veritate non recedere, sive ita senserint, sive non.

EX LIBRO DE LIBERO ARBITRIO.

XXXIX. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Ex cap. 7. libri *de Libero arb.* malè collecta.

Capite 7. hujus libelli dicitur, quòd libertati à servitute peccati, quâ liber est Deus, & Angeli Sancti, etiam in iis, quæ sic volunt, ut ea non possint non velle; huic, inquam, libertati impertinens est, utrùm id, quod liberè fieri dicitur, etiam possit non fieri. Ex quibus verbis, quanto candore Collector sententiam hanc verbis à se excogitatis confecerit, facilè poterit à candido lectore videri.

XL. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

Hæc sententia aliis verbis repetit, quod supra sententia 35. continebatur, de qua ibi dictum est; neque enim in libellis meis invenitur.

XLI. (a) *Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.* Ex c. 7. lib. *de Libero arb.* *conficta.*

Fateor in Scripturis Sacris me nondum reperisse locum, in quò vox liber aut libertas propriè & signatè significet libertatem à necessitate. Si alius repererit, proferat, & pax erit; quia rem modis omnibus probo, & similiter etiam vocem; etiamsi eam nondum mihi videar in Scripturis Sacris in hac significatione reperisse.

E X
L I B R O
D E
J U S T I T I A.

XLII. *Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientiâ mandatorum, quae est operum justitia, non autem in gratiâ aliquâ animo infusa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere & mandatis Dei obedire possit.*

Hæc sententia nec ad sensum, nec ad verbum habetur in libello, sed est merè calumniosa, & contra sensum tam libri, quàm Authoris verbis Collectoris expressa, præcipuè quoad eam partem, quæ dicit justitiam non consistere in gratia animo infusa, &c. Nam licèt libellus nomine justitiæ actum justum intelligat: sicut frequenter intelligit Scriptura Sacra; ut, *qui facit justitiam, justus est*. Et, *sancti per fidem operati sunt justitiam*; hoc tamen non facit, ut habitum gratiæ aut charitatis neget esse justitiam; sed tantùm ut Hæreticis nostri temporis resistat, qui opera justitiæ contendunt nec merita esse, nec hominem facere meliorem. Id quod falsum esse ostenditur, quando juxta Scripturas Sacras demonstratur, esse justitia nobis inhærens. Cui errori non ita resistunt, qui docent, & in libellis editis asserunt: justitiam, quam Scriptura commendat, non esse justitiam operum, sive ad operandum immediatè inclinantem; sed esse formam, quæ dat esse divinum, & mentem transmutat, ut sit benè ad Deum disposita, Deiformis, & cælestis. Et rursus: *Justitia fidei*, inquit idem, *non in actibus consistit, sed per modum habitus, vel status se habet*. Item: *ad justitiam operum nihil pertinet sermo de justificatione impii*. Item dixit alius quidam inhærentem nobis justitiam, à quâ justi dicimur, tantùm in habituali renovatione intelligendam esse; nec de bonis operibus aliter, quàm de fructibus & effectibus justitiæ loquendum. Quæ dicta, quia mihi displicebant, tamquam nimis vicina sententiæ Hæreticorum asserentium opera non esse merita, nec hominem facere meliorem, sed tantùm esse fructus, & adeptæ justitiæ testimonia. Ideò justitiam, quæ est in obedientia mandatorum Dei, commendavi; non ut habitualem renovationem negarem esse justitiam: de qua re sciebam neminem dubitare; sed ut utrumque persuaderem ad justitiam fidei pertinere, sicut dictum est, nempe actum & habitum justitiæ.

XLIII.

XLIII. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis; & in Catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.* Ex l. de justitia. c. 7. malè collecta, & adulterata.

Divus Augustinus epist. 105. habet, quòd homo justificatur non solùm remissione peccatorum, sed priùs etiam inspiratione fidei & timoris Dei. Similiter contra Donatistas lib. 4. cap. 21. *Sicut non debemus improbare justitiam hominis*, inquit, *quæ priùs esse cœpit, quàm conjungeretur Ecclesiæ; sic non est improbandum Evangelicum baptismi sacramentum, etsi extra Ecclesiam fuerit susceptum.* Quæ verba secutus libellus cap. 7. dicit Catechumenum & pœnitentem ante remissionem peccatorum aliquid habere justitiæ. Sed quia hic sermo non videbatur Collectori satis esse reprehensioni obnoxius; ideò sententiam, quam mihi impingeret, & Sedi Apostolicæ damnandam offerret, verbis suis expressit, dicens quòd in Catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum. Quam tamen sententiam hîc à se damnatam, infrà sententiâ 60. manifestè comprobât, damnans eos, qui agnoscunt illam justitiam, quæ fit quidem ex inspiratione Spiritus Sancti, sed nondum corda inhabitantis; quia necesse est, ut justitia illius, quem nondum inhabitat Spiritus Sanctus, sit à remissione peccatorum separata; quam tamen justitiam hîc ex professo damnat.

XLIV. *Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant: cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientiæ, & veræ legis justitiæ; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.* Ex lib. de justificatione.

Capite 5. hujus libelli dicitur expressè, quòd etsi bona cuncta, quæ facimus, culpas diluere, quas fecimus, certum est; (sub quo intelliguntur etiam incrementa virtutum.) Ex his tamen operibus, quæ à fidelibus non ob id fiunt, ut vel remissionem peccatorum, vel incrementa virtutum consequantur; sed solùm ut Dei mandatis pareant; ex his, inquam, operibus dicimur in Scripturis Sacris justificari, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, juxta illud: *qui facit justitiam, justus est;* non quia his obtinemus aut remissionem peccatorum, aut incrementa virtutum. Ex quibus verbis perspicuum est, intentionem libelli fuisse, quòd jam dictis operibus bonis obtineantur quidem & remissio peccatorum, & incrementa virtutum; sed quòd Scriptura Sacra dicens nos ex istis operibus justificari, ad aliud respexerit; nempe quòd non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores. Ipse autem Collector hunc sensum prorsus invertit, dicens; quòd his operibus non obtineantur incrementa virtutum. Quod quantùm absit à calumnia, eruditus lector consideret.

EX LIBRO DE SACRIFICIO.

XLV. *Sacrificium Missæ, non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illâ quâ omne opus, quod fit, ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.*

Ex hac sententia, quæ palam est hæretica, si bene consideretur, spero cuivis sensato lectori fore manifestum, quantus stupor, aut quantum calumniandi studium in eo fuerit, qui ex meo libello hanc sententiam confinxit. Cùm enim instituissem disputationem non peculiariter de sacrificio Missæ, sed generaliter de sacrificio; statim initio secundi (a) capitis, posui definitionem generalem sacrificii ex Augustino; nempe quòd sacrificium dicatur omne opus, quod agitur, ut sanctâ societate Deo inhæreatur. Deinde dividens sacrificia in typica, qualia maximè fuerunt tempore Veteris Testamenti; & non typica, qualia ab initio mundi fuerunt, & semper erunt: Tandem capite 5. ostendi sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, præsertim si actionem externamque sacramenti speciem spectes, ad genus sacrificiorum Typicorum pertinere, & verè sacrificium esse: sicut olim verum sacrificium fuit ipsa immolatio Agni Paschalis. Ac denique capite 6. propositâ quæstione cur Sacræ Eucharistiæ confectio præ cæteris, quæ etiam sacrificia rectè dicuntur, à piis fidelibus peculiariter nomine sacrificii celebretur: quatuor rationes assignavi, cur inter omnia sacrificia sic emineat, ut nomen alioqui commune sibi veluti proprium vindicare mereatur. Quarum rationum duæ apud D. Thom. habentur in 3. p. ubi ostendit, cur Christus in Sacramento Eucharistiæ dicatur immolari. Tertia additur ex doctrina Concilii Tridentini Sess. 22. licèt libellus ante hanc sessionem editus fuerit. Ex quibus patet quantâ diligentiâ conatus sim ostendere sacrificium Missæ longè aliis rationibus sacrificium dici, quàm cætera, quæ tamen generaliter sunt sacrificia, sicut immolatio agni & vituli: & tamen Collectoris inadvertentia (ut nihil acerbius dicam) audet spectante mundo confingere quòd doceam Sacrificium Missæ non aliâ ratione esse sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus, quod fit, ut sanctâ societate Deo inhæreatur, sacrificium dicitur. Facilè esset hæreticos multos facere, si sic liceret de proximis hæreses fingere.

(a) L. 10. de Civ. c. 6. quem secuti sunt Gabriel Biel Lect. 85. in Can. Miss. Litt. D. & Alph. à Castro, Lib. adv. hæres. verbo, *Missa*, hæresi 2.

EX LIBRO DE PECCATO ORIGINIS.

XLVI. *AD rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium: Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ullâ relatione ac respectu ad voluntatem, à quâ originem habuit.*

Ex. c. 7. l. *de peccato originis* malè collecta & adulterata.

Si perlegatur caput 7. libelli de peccato originis, etiam me tacente, videbitur, quantâ orte, ut non dicam malitiâ, hæc sententia propriis verbis & proprio sensu ab ipso Collectore sit confecta. Ibi enim ostenditur peccatum originis infanti recens nato imputari, etiamsi non sit ex ejus voluntate profectum; atque verbis Augustini contrà Jul. defenditur, non peccatum originis, sed tantùm propriæ voluntatis debere ex ejus voluntate esse profectum, in quo tale peccatum invenitur. Ad quem finem etiam dicitur, quòd disputatio contrà Manichæos; utrùm omne peccatum sit voluntarium, non sit definitionis quæstio, sed originis; sicut dicit Augustinus: quòd sicuti peccati origo voluntas mala est; ita nisi voluntas mala, non est cujusquam origo peccati: non ut ullâ ratione improbetur quod dicitur, peccatum omne debere esse voluntarium; sed ut Pelagianis resistatur, qui parvulos negabant habere peccatum, quia nondum arbitrio voluntatis utuntur; sicut docet August. lib. 1. retract. cap. 15. Quasi videlicet in definitione peccati generaliter dicti, poni debeat voluntarium à propria voluntate peccatoris profectum. Additurque in libello, quòd de actu aliquo differentes, an ex suo genere sit peccatum; non hoc inquirere debemus an sit à voluntate, vel à qua sit voluntate profectum. Ex quibus verbis Collector primæ suæ sententiæ partem fabricavit, dicens ad definitionem peccati non pertinere voluntarium; quod non habetur in meo libello, sed tantùm id quod dixi. De ea porrò sententiæ parte, quâ dicit Collector: *Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à quâ originem habuit*; nullam fecit libellus mentionem. Nec scio undè Collector didicerit, quòd peccatum originis præ cæteris peccatis debeat dici relativè peccatum: nisi fortè cum Alberto Pighio & Catharino existimet, peccatum originis, non verè, sed æquivocè (a) tantùm esse peccatum; id est, ideò peccatum dici, quia pœna est ex peccato primi parentis, & ad illud

(a) Al. omit.

(a) Al. *dicta.* lud relativè (a) dictum. Sic enim loquuntur quidam eorum, qui sententiam illam tuentur. Quæ sententia mihi videtur olim in Conc. Arausicano II. damnata; sicut in initio libelli de peccato originis conatus sum ostendere.

(b) Exc. 7.l. de *pecc. orig.* malè collecta, & adulterata.
(c) Al. *erit.*

XLVII. (b) *Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium; & habitualiter dominatur parvulo, eò quòd non gerat contrarium voluntatis arbitrium. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus* (c) *est, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.*

(d) Al. corruptus locus in editis.

Ex his, quæ hâc sententiâ continentur, nihil ampliùs in libello dicitur, quàm quòd infans ex hoc nascitur filius iræ, quia nascitur cum vitio ex sua ratione divinæ legi contrario, quod illi non quidem actu, sed habitu dominatur, sic ut non gerat contrarium mentis affectum: (d) quod quomodo negari possit nescio; quia sicut Spiritus Sanctus & gratia habitualiter baptizato parvulo dominantur; sic etiam peccatum originis habitualiter dominatur non baptizato. Ratione cujus, Job deplorans suæ conceptionis originem, & reliquias adhuc ex ea relictas: *Quare me*, inquit, *posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?* An verò ratione hujus dominii possit peccatum originis etiam voluntate parvuli dici voluntarium, sicut videtur hâc damnatâ propositione significari, relinquo iis disputandum, quibus sic loqui placet. Porrò qualis efficiatur parvulus, qui hinc sine baptismo discedit; & quid agat, cùm rationis usum fuerit consecutus, non disputavi. Peto tamen à Collectore, ut dignetur explicare, quis infantem, qui non rectus sed Deo contrarius nascitur, si sine baptismo discedat, post hanc vitam faciat rectum, & adversario suo Deo & legibus ejus consentientem. An Deus suâ misericordiâ, an parvulus suâ naturali potentiâ.

(e) L. de peccato originis, c. 2.

XLVIII. (e) *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto:* NON CONCUPISCES.

Hæc est expressa sententia Hugonis à S. Victore super epist. ad Rom. q. 156. his verbis: *Quæritur quid illud sit quod lex prohibet, & Apostolus nolens faciebat? Sed isti dicunt, quòd lex consensum prohibet: sed constat quòd Apostolus non consentiebat, quia si consentiret concupiscentiæ, nullo modo legi consentiret. Augustinus autem ostendit apertè quid sit, quod Apostolus nolebat, & tamen faciebat; motum videlicet concupiscentiæ sentiebat, sed tamen non consentiebat, imò non sentire volebat. Unde liquet, quòd motus primos concupiscentiæ Lex prohibet.* Hactenus Hugo. Et rursus q. 159. *Quæritur*, inquit, *quare Deus vel prohibuit, quod non potest vitari? Vel præcepit, quod non valet impleri? Videtur enim crudelis, & non æquus.* Richardus verò de S. Victore sic habet super epist. ad Rom. *Hic non immeritò quæritur, quâ ratione illis imputetur, vel quomodo lex in eis iram operetur, quòd legem non impleverunt, qui eam implere non potuerunt?* Et infrà clariùs: *Quod lex prohibet à carne omni hora peragitur: quod præcipit verò, numquam a carne impletur.* Hactenus Richardus. Quòd si quæras ubi Augustinus hanc sententiam afferat,

afferat, ficut teftatur Hugo de Sancto Victore: Refpondeo, quòd licèt meritò tanto Authori credi deberet, etiamfi locus non (a) proferretur; attamen fi Collector caput fecundum libelli *de peccato originis* (unde fententiam hanc damnandam fumpfit) attendiffet loca, quæ ex Auguftino citantur, facilè verba ejus reperiffet; nempe lib. 1. Retract. cap. 15. Et *de nat. & grat.* cap. 17. Nam lib. 1. Retract. fic habet: *Qui cogenti cupiditati bonâ voluntate refiftere non poteft; & ideò facit contrà præcepta juftitiæ; jam hoc ita peccatum eft, ut fit etiam pœna peccati. De nat.* verò *& grat.* cap. 17. fic habet: *aliud eft non curaffe fcire; aliud intelligere velle, nec poffe: & facere contra legem non intelligendo, quid fieri velit.* Nam in priori teftimonio dicit eum, qui cogenti cupiditati refiftere non poteft, facere contra præcepta juftitiæ: in pofteriori verò eum, qui vult intelligere, nec poteft, dicit facere contra legem, non intelligendo quid Deus fieri velit. Exiftimo tamen utrumque, videlicet Hugonem & Richardum de Sancto Victore, potiùs refpexiffe ad fermonem quintum Auguftini, *de verbis Apoftoli*, quàm ad ea loca, quæ citavi. Auguftinus enim eo fermone tractans verba Apoftoli ad Rom. 7. *Mente fervio legi Dei, carne autem legi peccati*; videtur loqui de eo, qui mente fpiritualis eft: *Si concupifcis*, inquit, *quod lex vetat, cùm dicit:* non concupifces: *fervas autem aliud, quod item lex jubet*; poft concupifcentias tuas non eas; *mente fpiritualis es, carne carnalis: aliud eft enim non concupifcere, aliud poft concupifcentias fuas non ire; non concupifcere omninò perfecti eft; poft concupifcentias fuas non ire, pugnantis eft:* ait enim de eo, qui poft concupifcentias fuas non it, id eft, qui nullo modo confentit, quòd concupifcat quod lex vetat: id quod in eodem fermone latè profequitur. Nec mirum, ficut enim qui alienum abftulit, nec habet, unde reftituat, per hoc factus impotens ad reftituendum, non eft liberatus ab obligatione reftituendi: nam alioquin non teneretur habere voluntatem reftituendi & propofitum, fi quando facultas daretur: fed voluntas tamdiu pro facto ei reputaretur, quamdiu factum excludit neceffitas: fic, ut non fit reus tranfgreffionis, quod de facto non reftituit. Sic etiam unufquifque fidelium ex præcepto: *Non concupifces*; tenetur non concupifcere; fed quamdiu id facto præftare non poteft, tamdiu voluntas ei pro facto reputatur, ut peccati reus non habeatur, etiamfi hoc facto non præftet, fed tantùm voluntate & defiderio, dicendo cum Apoftolo: *Velle mihi adjacet*; perficere autem bonum non invenio.

(a) Al. reperitur.

XLIX. (b) *Concupifcentia, five lex membrorum, & prava ejus defideria, quæ inviti fentiunt homines, funt vera legis inobedientia.*

(b) Libro de pecc. orig. c. 4. & 15. & 16.

De pravis defideriis diximus fententiâ proximâ. Cæterum quid me moverit, ut exiftimarem concupifcentiam (c) habitualem divinâ lege prohiberi, dixi in libro de peccato originis cap. 11. proferens multa veterum Sanctorum teftimonia. Quæ fi alios non movent, oro fuppliciter, ut dignentur me docere, & quomodo his teftimoniis ad fatisfaciendum hæreticis convenienter refpondeatur; & quomodo concupifcentia apud Auguftinum peccatum effe defendatur, fi non fit contra præceptum; ne fortè objiciatur nobis ab hæreticis, quod Donatiftis objecit Auguftinus: *Quod volumus, fanctum eft.*

(c) A omit.

(a) Lib. *de pecc. orig.* c. 11.

L. (a) *Omne scelus ejus est conditionis, ut suum auctorem, & omnes ejus posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.*

Miror si Adam de pomo non comedisset, sed aliud quodvis scelus commisisset; utrùm se, & totam posteritatem non eo modo damnasset, quo damnavit comedendo de pomo? Id quod si verum est, quomodo negari potest omne scelus ejus esse conditionis, ut suum auctorem, & omnes ejus posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio? Si enim quodlibet scelus primum hominem cum tota sua posteritate infecisset, si illud admisisset: ergo ex natura sua ejus est conditionis, ut eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio: sed quod nunc non inficit, provenit non ex alia conditione naturali peccati, sed ex dispositione subjecti. Sed Collector forsitan damnandam hanc sententiam obtulit, quia illam non aliquo discursu rationis, sed divinis testimoniis conatus sum adstruere. Nam cap. 11. libelli, ut ostenderem quodlibet scelus ejus esse conditionis, ut suum auctorem inficiat, protuli testimonium D. Petri dicentis: *Qui facit peccatum, servus est peccati:* id est, meretur esse servus peccati. Et ut ostenderem hanc servitutem debere ad posteros transire, adhibui rationem cum Scriptura Sacra, & dixi: quòd servus servos generet, juxtà illud: *Quod natum est ex carne, caro est.* Homo enim caro ideò dicitur, quia servus est peccati; adeò ut etiam mente liberatus, & serviens legi Dei, carne tamen adhuc serviat legi peccati. Fieri potest ut fallar: sed obsecro ut aliquis eruditus ante me conetur instruere, quàm damnare; aut saltem ut hoc præjudicio non impediatur, quominùs me conetur instruere.

(b) Ex lib. *de pecc. orig.* c. 6. male collecta, & adulterata.

LI. (b) *Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.*

(c) Al. *vidi.*

D. Thomas, consentientibus omnibus Doctoribus, quos (c) de hac re disputantes me videre contigit, docet peccatum originis in omnibus infantibus esse æquale: id quod ego volens juxta Augustini sententiam defendere, qui (testibus etiam Pighio & Catharino, qui ejus sententiam non recipiunt) docet concupiscentiam & carnis libidinem esse peccatum originis: sic objeci in capitulo 6. libelli mei *de peccato originis: Peccatum originis est in omnibus æquale: concupiscentia & libido carnis non sunt in omnibus æquales: ergo non sunt peccatum originis.* Deinde respondi, quòd licèt concupiscentia non sit in omnibus actu æqualis, est tamen æqualis reatu: sicut in iis, qui prorsus sunt ejusdem voluntatis & conatus; sed alius propter impotentiam tantùm furatur decem, alius verò furatur mille; diversus est actus, sed idem reatus. Et quia obiter dixi, quòd is, qui ex Dei dono sortitus est animam bonam, quantum est ex vi transgressionis Adæ, tam malæ indolis justè nasci potuisset, quàm nascitur alius, cui Deus tam bonam indolem non largitur. Ideò Collector suæ sententiæ aliquid etiam de vi transgressionis inseruit. Et, ut sententiam admirabilem & damnandam fabricaret, humano capiti cervicem junxit equinam, quam tamen ad hoc spero profuturam, ut lectores illud caput sextum libelli attentiùs legant,

legant, & attentè legendo intelligant, quod Collector maluit damnanda proponere, quàm discere.

LII. (a) *Definitiva hæc sententia; Deum homini nihil præcepisse impossibile, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.* (a) Exc. 12. l. de pecc. orig. malè collecta, & adulterata.

Capite 12. ejusdem libelli conatus sum explicare, quo sensu verum sit, quòd Deus homini nihil præcepit impossibile: in qua explicatione, quia Collector nihil, quod damnaret invenit; ideò more suo aliquid suum addidit, significans me eo capite dixisse quòd definitiva hæc sententia: *Deum homini nil præcepisse impossibile, falsò tribuatur Augustino.* Cùm quivis Grammaticus, qui partes orationis jungere novit, facilè ex verbis meis intelligat, me dictum illud: *Deum homini nihil præcepisse impossibile:* nec sententiam definitivam vocasse, nec dixisse esse, aut non esse Augustini; sed tantùm de hac sententia definitiva esse locutum: nec impossibile aliquid potuit imperare Deus, quia justus est, nec damnaturus est hominem pro eo quod vitare nequit, quia pius est: hanc, inquam, vocavi definitivam sententiam, & de hac dixi, quòd non sit Augustini, sed Pelagii. Quid autem me moverit, paucis indicabo. Hæc sententia ad verbum desumpta est ex epistola ad Demetriadem Virginem, quæ prima ponitur tom. 4. operum Hieronymi, contra quam scripsit Augustinus & Alypius epistolam ad Julianam matrem Demetriadis Virginis, quæ apud eundem Hieronymum statim subsequitur. Hanc epistolam ad Demetriadem ex professo refellit Beda lib. 1. super Cantica, dicens eam non esse Hieronymi, ut quidam putant, sed Juliani Pelagiani: Et nominatim etiam refellit definitivam sententiam, de qua sermo est, tamquam Scripturæ Sacræ apertè contrariam; quia in ea de homine corrupto dicitur, quòd Deus non sit eum damnaturus pro eo quod vitare non potuit. Ex quo sequitur, quòd nemo damnandus sit pro peccato originis. Ego autem hanc epistolam ad Demetriadem omnino existimo esse Pelagii, siquidem Augustinus lib. *de gratia Christi*, cap. 22. ad verbum longam satis sententiam ex hac epistola citat, sub nomine libri Pelagii ad Sacram Virginem. Cujus sententiæ rursus meminit cap. 27. ejusdem libri; quæ sententia adhuc hodiè ad verbum in illa epistola continetur. Item cap 37. ejusdem libri introducit Pelagium dicentem: *Legant epistolam, quam ad Sacram Virginem Demetriadem in Oriente scripsimus.* Statimque subjicit se eam legisse; ac sententiam illam refert ex initio ejusdem epistolæ desumptam, quæ adhuc ad verbum in ea continetur. Si quis fortè putet me in istis testimoniis errare; oro, ut tentet (b) ea refellere, & me veritatem doceat. Scio quidem hanc eandem definitivam sententiam, de qua quæstio est, in serm. 61. de tempore, qui fertur nomine Augustini, ad verbum reperiri: sed ego hunc sermonem apocryphum existimo, non tantùm propter illam à Pelagio profectam sententiam, quam Augustinus in suis sermonibus, opinor, ad verbum non referret; sed quia circa finem ejusdem sermonis dicitur: *In potestate nostra positum est qualiter in die judicii judicemur:* quod, puto, non tam libenter diceret Augustinus, præsertim post natum Pelagianismum, quàm ipse Pelagius: *Non est enim hominis via ejus, nec viri, ut dirigat gressus suos.* Utut tamen res

(b) Al. ea refellat.

res ista se habeat, etiamsi fortè hàc in re errassem, attamen ex eo viderer non damnandus, sed tolerandus & docendus, quòd in hac definitiva sententia Bedam secutus fuerim, lib. 1. super Cantica; ubi eam numquam Scripturis contrariam asseruisset, neque Juliano adscripsisset, si eam Augustini esse putasset.

(a) Ex l. 4 *de pec. orig.* c. 5. male collecta.

LIII. (a) *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.*

Deus non potuisset ab initio esse author peccati originis, in quo, juxta fidem Catholicam, omnes concipimur. Sed si creasset talem hominem, qualis nunc nascitur (id quod eum puto facere potuisse, nec umquam docui contrarium) tunc quod in eo, qui nunc nascitur, est culpa; in illo, quem Deus creasset, non fuisset culpa, sed natura. Non enim fas est cum Manichæis dicere unum & idem naturale & originale peccatum esse, sicut Pelagiani dixerunt, uti in libello suæ fidei refert Maxentius vir Dei. In quem errorem, an illi incidant, qui dicunt concupiscentiam malam, & legem carnis in infante recens nato, qualitatem esse naturalem, quam Augustinus peccatum originis asserit, (b) videant studiosi.

(b) Al. *incidunt*.

EX

EX TRACTATU DE ORATIONE PRO DEFUNCTIS.

LIV. *IN peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium sacerdotum solum liberat à reatu.* (a) Ex tract. de oratione pro defunctis. c. 4. malè collecta & adulterata.

Capite 4. hujus Tractatus secutus Augustinum (cujus etiam verba recitavi) dixi quòd in peccato duo continentur, actus, & reatus; sicut etiam docet Durandus: an verò præter hæc duo in peccato numeranda sit malitia ab actu & reatu peccati distincta, quæ actu transeunte, simul cum reatu remaneat, sicut contendit D. Thomas, ibi non disputavi; sicut nec Augustinus iis locis disputat, quos ibi citavi. Ipse verò Collector hanc sententiam ita confinxit, ac si contra D. Thomam dixissem, actu transeunte, non malitiam, sed reatum duntaxat permanere. Id quod ego ex professo intactum reliqui, licèt non satis intelligam quomodo damnari possit, quod inter Scholasticos Doctores habetur controversum, nec videtur posse certo Scripturæ Sacræ Testimonio, aut alicujus Concilii authoritate definiri. Sed, ut dixi, id nihil ad me. Deinde eodem capite dixi, quòd quamdiu in hac vita sumus, non tantùm in levioribus peccatis, sed etiam in sceleribus, & ab actu, & à reatu purgari possumus: Deus enim per semetipsum intus voluntates hominum ab actu peccati purificat; & per eos, quibus dictum est: *quorum remiseritis peccata*, &c. etiam eos à reatu liberat. Ipse verò Collector suam sententiam damnandam sic confinxit, quasi dixissem, baptismi aut absolutionis nullum alium esse effectum, quàm tollere reatum, non autem dari Spiritum Sanctum. Quod quàm non possit verbis meis, nisi per calumniam affingi, facilè quivis intelligit. Posui enim distinctionem inter actum & reatum peccati, quòd actum peccati removeat Deus sine sacramento; reatum verò per sacramentum. An verò sacramentum plus removeat, quàm reatum, eo loco non disputavi. Non ignoro,

ro, D. Bonaventuram in 4. dist. 18. q. 1. & 2. docere quòd potestas clavium propriè non se extendit super culpam, neque super pœnam æternam; sed tantùm super pœnam temporalem, partim relaxando, partim taxando.

Sed ego illam sententiam non probo; & ideò quod hîc refert Collector, non nisi per calumniam mihi & libello meo affingitur, ut dixi.

(a) Ex verbis Augustini confecta relatis in cap. 4. tract. *de oratione pro defunctis.*

LV. (a) *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur.*

Sententia hæc, sicut ex 4. cap. ejusdem tractatus perspicuum est, non ex verbis meis confecta est, quia nusquam usus sum verbis, *vivificatur*, *vivificat*, & *resuscitat*: sed ex verbis Augustini ibi prolixè citatis, quibus Collector, ut puto, per inadvertentiam non sentiens esse Augustini, non minùs insidiatus est, quàm meis, addens & immutans quæ voluit: & sicuti præcedenti sententia per manifestam calumniam affingens, quòd ministerio sacerdotum solus tollatur reatus, cùm ibi nihil aliud dicatur, quàm quòd Deus per seipsum ab operibus, & per ministerium Sacerdotum etiam à reatibus peccatorum nos liberat. Ipse verò Collector pro voce, *etiam*, quæ in libello habetur, posuit in suâ sententiâ vocem, *solum*, quæ totam sententiam invertit.

EX TRACTATU DE INDULGENTIIS.

LVI. *Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus; sicut quidam errantes autumant; nam alioquin essemus, saltem aliqua ex parte, nostri redemptores: sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.* Exc. 8. Libri *de Indulgentiis:* non accurate collecta.

Hæretici disputantes de satisfactionibus, nobis improperant; quòd licèt in baptismo universam peccatorum remissionem Christi passioni tribuamus, attamen in reconciliationis sacramento illum dividamus; remissionem culpæ Christo tribuentes; remissionem verò & (a) abolitionem pœnæ restantis, nobis duntaxat, & nostris Sanctorumque satisfactionibus arrogantes, contrà Scripturam quæ dicit, quòd Deus posuit in Christo omnes iniquitates nostras, & quòd ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Et quòd omnia instaurantur in Christo; & sine sanguinis effusione non fit remissio. (a) Al. *ablutionem.*

Ego igitur volens hanc hæreticorum calumniam latenter diluere, dixi verbis Leonis Papæ, quòd quamvis multorum Sanctorum in conspectu Domini mors pretiosa fuerit, nullius tamen insontis occisio reconciliatio fuit mundi, nec alterius quisquam debitum suo fine seu morte persolvit: Id est, Sic nostris, & Sanctorum passionibus vim satisfaciendi attribui, ut tamen illam passionibus Christi non adimerem, cujus solius satisfactio sine cujusquam alterius subsidio, secundùm Dei justitiam sufficit: sed cujusvis alterius satisfactio, sine illius passione non sufficit.

Dixi igitur, quòd nostræ, nec Sanctorum pro nobis satisfactiones non teneant locum passionis Christi, nec eo modo sunt justum pro peccatis nostris pretium, quomodo est Christi satisfactio, sicut hæretici nobis impingunt: sed quòd innitantur satisfactioni Christi; seu, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. can. 14. quòd pœnitentes satisfactionibus per Jesum Christum peccata sua redimant; seu, ut habet doctrina ejusdem sessionis c. 9. quòd per Jesum Christum satisfacere valeant. Quam sententiam etiam expressè sequuntur Bonaventura, & Durandus in 4. sent. Sed Collector non intelligens ad quam utilitatem referrem, quod referrem, suâ arte effecit, ut etiam Sanctissi-

mus D. noster Hæreticorum calumniam, quam fidelibus imponunt, quòd rejectis Christi satisfactionibus, partem remissionis peccatorum suis Sanctorumque satisfactionibus adscribant, suis litteris adversus eos, qui fidem Catholicam defendunt, defendere videatur: quod quàm scandalosum sit, nemo est, qui non intelligat. Tales fructus parit æmulatio.

(a) Ex c. 8. l. *de Indulgentiis*, malè collecta, & adulterata.

LVII. (a) *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

Ut Collector magis confirmaret, quod hæretici nobis impingunt, quòd non tantùm nostras, sed etiam Sanctorum satisfactiones in nostræ redemptionis parte, loco passionis Christi constituamus: etiam Sanctissimo Domino nostro obrepsit, ut, damnando quæ diximus, apertè confiteri videretur, quòd per passiones Sanctorum nostra delicta propriè redimantur; nempè directè contra verba Leonis suprà citata, quibus ait, Quòd nemo Sanctorum alterius debitum suo fine, id est suâ morte persolvat. Ut tamen res plausibilior appareret, in fine sententiæ damnatæ, pro eo quod libellus habet: *Ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi à peccatis* (b) (*redimeremur*; ipse posuit, *ut digni simus qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*) Videtur enim timuisse, ne nimis durum appareret, si damnando verba mea, sicut in libello habentur, palàm assereret, quòd per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas, propriè redimantur nostra delicta, & quòd per easdem propriè sine pretio Sanguinis Christi à peccatis liberemur; sic, ut sint justum pretium pro peccatis nostris, & passionis Christi locum teneant. Hæc enim sunt verba libelli mei, quibus explico quid sit propriè redimere delicta, sicut videre est capite ult. tractatûs *de Indulgentiis*, unde istæ duæ sententiæ penè ad verbum desumptæ sunt.

(b) Al. omit. ista.

LVIII. *Celebris illa Doctorum distinctio; divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorium, commentitia est, & explodenda.*

Hujus distinctionis in libellis meis nullam mentionem fieri dico, nisi fortè Collector me existimet illam damnasse, quando dixi super sententiâ 16. forsitan non absurdè intelligi posse, quæcumque sine charitate fiunt (id est, bonâ voluntate, quæ esse potest ante etiam remissionem peccatorum, ut in Catechumenis; & post baptismum, in relapsis pœnitentibus) non esse veras legis obedientias. Ibi enim videtur unicus adstrui modus implendi mandata Dei, quem Christus in Evangelio posuit, cùm ait: *si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Et Apostolus dicens: *plenitudo legis est dilectio.* Et alterum modum videtur excludere cùm ait: *qui non diligit me, sermones meos non servat.*

LIX.

LIX. *Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum; vel quia ex objecto & ex omnibus circumstantiis rectum est, quod moraliter bonum appellari consuevit: vel quia est meritorium regni* (a) *æterni, eò quòd fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda putatur.* (a) Al. *cælestis.*

Hujus distinctionis non memini in libellis meis, nisi fortè suprà sententiâ 18. putetur rejici, ubi dicitur, cuipiam videri posse, quòd opera Catechumenorum, etiam ante remissionem peccatorum, sint merita regni cælorum. De qua re ibi dictum est. Qui tamen hanc distinctionem tamquam rem certam asserere nituntur, videant, ne simul asserant quempiam esse steriliter bonum: quod Augustinus testatur fieri non posse, quia bonum non sumus quidquid steriliter sumus, inquit contra Julia. l. 4. c. 3.

LX. *Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ: alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem: alterius verò quæ fit ex inspiratione Spiritus Sancti cor ad pænitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur, odiosissimè & pertinacissimè rejicitur.*

Hæc distinctio odiosè rejicitur, non quidem à libello, qui nullam ejus mentionem facit, sed ab ipsomet sententiarum Collectore, qui suprà sententiâ 43. damnandum putavit, quod ait libellus; *Catechumenum aut pænitentem ante remissionem peccatorum habere aliquid justitiæ;* qui enim hoc damnat manifestè significat, ex inspiratione Spiritus Sancti cor nondum inhabitantis, nullam peccatori inesse posse justitiam, ac proinde posteriorem supradictæ (b) distinctionis partem, quâ dicitur esse aliqua justitia ex inspiratione Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, odiosè & pertinaciter reprobat. (b) Al. *sententiæ.*

LXI. *Denique & illa distinctio duplicis vivificationis: alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pænitentia & vitæ novæ propositum, & inchoatio, per Dei gratiam inspiratur: alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in Christo vite efficitur; commentitia judicatur, & Scripturis minimè conveniens.*

Hanc distinctionem, quæ verissima est, libellus, & libelli author usque adeò non improbavit, nec adhuc improbat, ut etiam vehementer doleat, quòd eam Collector suprà sentent. 55. non attenderit. Si enim ibi eam attendisset, tunc ex verbis Augustini, quæ non de posteriore vivificatione, sicut ibi prætendere videtur, sed de priore loquuntur, sententiam damnandam non confecisset. Et ideò quod fingit Collector, distinctionem hanc à nobis commentitiam judicari, mera calumnia est; cùm hujus distinctionis nullam umquam fecerimus mentionem. Sed si querelam intellexissemus, quam supra movit ex verbis Augustini; tunc indubitanter hanc distinctionem adhibuissemus, & D. Augustini sententiam verissimam esse defendissemus.

Unde confictæ sint sequentes sententiæ nescio, nisi fortè in quantum coin-

cidunt cum prioribus: conabor tamen eas, prout Deus dederit; explicare.

LXII. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.*

Si sententia accipiatur, sicut verba sonant, ut significet, quòd absolutè nullus sit bonus usus liberi arbitrii, etiam cum adjutorio gratiæ Christi, tunc apertè hæretica est, quia significat omne opus liberi arbitrii esse peccatum: si verò intelligatur, quòd sine adjutorio Christi nullus sit bonus usus liberi arbitrii, sicut eam intelligendam significat mentio Pelagii & injuriæ gratiæ Christi; tunc videtur esse regula Apostolicæ Sedis à Cælestinò Pontifice in Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 7. posita his verbis: *Nemo, nisi per Christum, bene utitur libero arbitrio.* Quæ regula quo sensu accipienda sit, videtur quærendum ex fine primi libri D. Augustini contra duas Epistolas Pelagianorum, unde videtur esse desumpta. De qua regula dicit Cælestinus Pontifex in fine epistolæ suæ, quòd non opinetur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.

(a) Al. *convinci.* Ex quo (a) conjici potest, quantùm periculi habeat ista damnatio, saltem apud eos, qui sententiam posteriori sensu damnatam intelligent.

LXIII. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

LXIV. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.*

LXV. *Infidelitas purè negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Hæ sententiæ meritò damnantur; nec puto eas, nisi per calumniam, cuiquam eorum posse imputari, propter quos hæ sententiæ ab æmulis sunt confictæ.

LXVI. *Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis; non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos facit implere legem.*

De hujus sententiæ calumnia suprà diximus sent. 42. quæ reipsa eadem est cum ista; licèt Collector eam verbis nonnihil distinxerit ad augendum numerum.

Prior ejus pars ex c. 7. l. *de char.* malè collecta est. LXVII. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta potest consistere etiam cum reatu æternæ damnationis.*

Prior

Prior hujus ſententiæ pars in libello meo *de charitate* cap. 7. ſub his verbis diſputanda proponitur: An is animi motus, qui charitas dicitur, remiſſionem peccatorum præcedere poſſit? Adducuntur multa Scripturæ ſacræ, ac veterum ſcriptorum teſtimonia, quibus id oſtendi videtur: inter quæ ſunt etiam verba Concilii Tridentini, quæ puto à Sanctiſſimo D. noſtro non damnari. Hanc igitur partem puto non damnari, niſi fortè quia verbis Collectoris incommodis proponitur, dum ait: quòd homo exiſtens in peccato mortali poſſit habere veram charitatem: per quod vulgò intelligitur, quòd poſſit habere Spiritum Sanctum ſibi inhabitantem, quod abſurdiſſimum eſt. Cùm tamen à nobis nihil aliud dicatur, quàm quòd homo exiſtens in peccato mortali poſſit habere bonum animi motum, ſeu bonam voluntatem ſibi à Deo inſpiratam. De poſterioris partis calumnia diximus ſuprà ſent. 31. quam ſententiam Collector hîc ſuo more aliis verbis refricat.

LXVIII. *Per contritionem etiam charitate perfectam, & cum voto ſacramentum ſuſcipiendi conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

In Provincia Flandriæ quidam fratres hanc traditionem ſervabant, ut ſiquando præſentem non haberent ſui Ordinis Confeſſarium, etiamſi palàm aut inebriati fuiſſent, aut fornicati, attamen ſacra myſteria potiùs conficerent, & Euchariſtiam ſumerent, abſque omni confeſſione & abſolutione, quàm alicui ſeculari ſacerdoti, quem præſentem habebant, confiterentur: contendentes, & ſcripto etiam defendentes, confitendi propoſitum ad remiſſionem peccatorum ſufficere, non tantùm quando factum excludit neceſſitas, ſed etiam quando factum excludit juſta & probabilis aliqua ratio, qualem in prætacto caſu ſubeſſe cenſebant, ne videlicet ſeculares ſacerdotes infirmitates fratrum cognoſcerent. Quam ſententiam ex confeſſionibus comperi, etiam ſecularibus presbyteris ejuſdem provinciæ eſſe perſuaſam, adeò ut admiſſo ſatis gravi crimine, licèt haberent Sacerdotum copiam, attamen auderent bis terve Corpus Domini conſecrare, & ſumere ſine prævia confeſſione, confiſi in ſolo propoſito confitendi ſimul omnia intrà paucos dies. Et magna ex parte ſequentes eorum doctrinam, qui tradunt duos modos pœnitendi ad remiſſionem peccatorum: alterum difficiliorem, videlicet per ſolam contritionem: alterum autem faciliorem per ſacramenti ſuſceptionem. Adverſus hunc graviſſimum abuſum, quibuſdam inſinuavimus, & Deo cooperante etiam perſuaſimus, id fieri non debere, eò quòd veteres ſcriptores ſacramentum baptiſmi & reconciliationis ad remiſſionem criminum regulariter traderent eſſe neceſſaria extra caſum martyrii & neceſſitatis, quibus caſibus voluntas pro facto reputatur, quia factum excludit neceſſitas. Non ignorabamus, ſiquis curioſiùs inquireret, poſſe plures caſus inveniri, in quibus non abſurdè poſſet de divinâ miſericordia confidi, quod ſine ſacramento realiter ſuſcepto accipi poſſet remiſſio peccatorum: nam caſum unum indicat Cyprianus in epiſtola ad Jubaianum, reſpondens objectioni, quam ſibi proponit; nempe ſi hæretici baptiſmum

non conferant, quid fiet de iis, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt? Deinde respondet: *potens est Deus misericordiâ suâ indulgentiam dare, & eos, qui simpliciter admissi in Ecclesiam dormierunt*, ab Ecclesiæ *suæ muneribus non separare*: loquitur enim de iis, quos præsupponit non esse baptizatos. Quam sententiam refert Aug. lib. 5. contra Donat. circa finem, nec improbat. Alterum casum indicat idem Augustinus epist. 122. ubi docet (a) [eos qui inter Infideles in captivitate positi Sacramenta percipere non possant, ut orantes Danielis socios imitentur dicentes, non esse locum percipiendi sacramenta, & orantes ut in corde suo contrito suscipiantur, sicut in holocaustis arietum &c. sed propter hæreticos hujus temporis qui sequentes doctrinam Wiclephi sic fidei omnia tribuunt ut] sacramentis nihil relinquant, & propter hunc abusum, qui apud multos invaluerat, docendo & disputando magis in eam partem propendimus, quæ negari non potest, & utilior esse in Ecclesia & tutior; nempe quòd regulariter extra prætactos duos casus, non daretur remissio peccatorum sine actuali perceptione baptismi, aut reconciliationis; & quòd nemo de se præsumere deberet, quod extra duos illos casus haberet remissionem criminum sine sacramenti perceptione. Quas duas sententias audivi aliquando ex consensu omnium Magistrorum nostræ facultatis probari. Unde etiam scriptum reliquit D. Ruardus tomo 2. Articulorum, quòd præsumptio & temeritas esset expectare à Deo remissionem peccatorum sine his sacramentis, quando necessitas ea non excludit. Licet nunc non desint, qui confidentiâ litterarum Apostolicarum, de quibus agimus, audeant palam asserere, certum esse quòd quisquis diligit Deum super omnia, hoc ipso habeat remissionem peccatorum; quod quomodo conveniet iis Doctoribus, qui definiunt quòd homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia, studiosis discutiendum relinquo. Certè Thomas Waldensis extra duos prædictos casus, usque adeò urget necessitatem sacramentorum, ut etiam Cornelium Centurionem, & alios charitate flagrantes dicat non habuisse remissionem peccatorum, nisi cum perceptione Sacramentorum; idque in eo libro, qui per Fœlicis Recordationis Martinum V. in Consistorio Cardinalium contra hæresim Wiclefi approbatus est, sicut suprà (b) latè prosecuti sumus sent. 32. & 33. Quia igitur ad prædictas utilitates in hanc partem propensiores fuimus, ideò nostri æmuli hanc & plures alias sententias pro suo arbitratu cum verborum exorbitantiis confixerunt, quasi defendissemus contritionem etiam charitate perfectam non obtinere remissionem peccatorum, aut quasi sententias aliquas (c) contentiosè disputandas proposuissemus, quod apertissimè falsum est. Licèt non ignoraretur nos id sentire, quod diximus, sicut etiam doceri videtur in Actis; ubi Paulus sibi priùs ingenti devotione converso dictum ab Anania fuisse refert: Et nunc quid moraris? exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius. Si enim Apostolus post tantam animi conversionem adhuc peccata sua debebat abluere; miror quis extra casum necessitatis audebit sibi de remissione peccatorum ante sacramenti susceptionem blandiri. Augustinus etiam magnâ animi devotione ad Deum conversus erat, sicut refert in suis Confessioni-

(a) deerant in editis.

(b) Al. dictum est.

(c) Al. contumeliose.

 552

sionibus, & tamen audacter pronuntiat peccata sibi in sacramenti susceptione demum remissa. Unde lib. 9. cap. 2. *Hoc peccatum*, inquit, *cum cæteris horrendis & funereis in aqua sancta ignovisti & remisisti mihi*: (a) (Item capite 4. ejusdem libri cùm retulisset se mirabiliter curatum à dolore dentium; attamen subdit de fide quam etiam cum suis sociis impetravit.) *Et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tunc remissa nondum erant*. Et cap. 6. *Baptizati sumus*, inquit, *& fugit à nobis sollicitudo vitæ præteritæ*. Item tractat. 13. in Joan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat*; non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad baptismum. Quæ autem baptismatis, eadem est reconciliationis ratio; ut habet idem Augustinus in fine prioris libri *de adulterinis conjugiis*. Ex quibus omnibus intelligimus, neminem relapsum in crimina regulariter posse præsumere, se extra casum necessitatis remissionem peccatorum accepisse, sine actuali reconciliatione: sicut etiam docet Hugo de Sancto Victore, & Bernardus ep. 77. Id quod si verum est, quam utilitatem habet illa doctrina, quæ per charitatem sine perceptione sacramenti tantopere urget remissionem peccatorum, nisi ut homines in suâ contritione confisi, aut negligant aut differant perceptionem sacramenti & semetipsos decipiant, sicut suprà ostendimus? Nec puto ad alium finem petitam esse à Collectore damnationem hujus sententiæ, quàm ut prætactum errorem latenter defenderet; quia mihi satis constat eum ex iis fratribus esse, qui Traditionem initio hujus disputationis positam urgebant, contra Decretum Concilii Tridentini, quo prohibetur sub pœna excommunicationis, ne quis doceat licere habitâ sacerdotis copiâ, post admissum crimen, sacram Eucharistiam sumere sine absolutione sacerdotis. Quod de contritione etiam charitate perfectâ additur, omnino fingitur, quia nihil tale umquam aut diximus aut sensimus; perfecta enim charitas foras mittit timorem; qui timor foras non mittitur, quamdiu is, qui conteritur, æternæ damnationis reus invenitur: nisi fortè ea charitas etiam perfecta intelligatur, quâ quis paratus est pro justitia aut pro fratribus animam ponere; majorem enim charitatem nemo habet, (b) quàm ut ponat animam suam pro amicis suis: Et tamen Catechumeni, qui talem habent charitatem, non cùm ad mortem subeundam sunt parati, sed cùm martyrium subeunt, & per martyrium quod subeunt dicuntur à peccatis suis liberari.

(a) deerant in editis.

(b) Al omit.

Fatemur tamen, Omnipotentis benignitatem id, quod ex baptismo deest, supplere, quando ad celebrandum baptismi mysterium, in angustiis temporum fidelibus & corde conversis succurri non potest, quia id docet Augustinus lib. 4. contra Donat. c. 24. & 25. Ambros. de obitu Valentiniani: & Bern. ep. 77. juxta Scripturam: *Non dereliquisti quærentes te Domine*: Item: *qui credit in eum non confundetur*. Quod verò Augustinus ep. 180. ad Honorat. dicit, perire eos, qui ministrorum defectu in extrema necessitate baptismo, vel sacramento reconciliationis destituuntur; quantùm attinet ad scelus eorum, qui ministerium expetunt, dixisse intelligendus est. Sicut similia Cypriani verba interpretatur ipse Augustinus ep. 23. ad Bonifacium.

Sunt

Sunt qui putant Dei misericordiâ in extrema necessitate per fidem & devotionem sine sacramento non salvari eos omnes, qui accedente sacramento salvarentur: quia existimant divinam misericordiam non supplere id, quod ex defectu Sacramenti deest, nisi ex merito cujusdam eminentis contritionis sive (a) devotionis, quam etiam extra necessitatem sine sacramento sufficere arbitrantur. Sed quantùm nobis videtur, hæc sententia neque satis consolatur eos, qui in necessitate positi non possunt consequi sacramenta; neque eos, qui sunt extra necessitatem, satis docet sacramenta necessaria honorare. In priori sua parte contradicit his & similibus scripturis: *Non dereliquisti quærentes te Domine:* & capitulo, *debiti, de baptismo & ejus effectu:* item D. Bernardo in serm. de Innocentibus. In posteriori autem parte contradicit his & similibus scripturis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c.

(a) Al. *dispositionis.*

Et certè si consideretur, quanta necessitatis ratio habeatur in humano tribunali, in quo relucent quædam divini judicii vestigia; facilè deprehendetur etiam rationi consonum esse quod diximus; nempe quòd apud supremum Judicem ad peccatorum remissionem sine sacramentis in necessitate valeat ea contritio, quæ extra necessitatem sine illis non sufficeret. Hanc sententiam etiam secutus est Magister noster Jacobus Latomus in lib. *de confessione secreta*, ostendens ex veteribus, quòd remissionem peccatorum in cælis præcedere debeat remissio quæ fit in terris.

LXIX. *Omnes omninò justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde & Job & sancti Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.*

Collector sententiarum hîc more suo non prætermisit verborum exorbitantias, quibus sententiam hanc ita exprimeret, ut faciliùs damnationem obtineret, dicens; *omnes omninò justorum afflictiones* &c. Cùm nihil aliud umquam dixerimus, quàm quod dicit D. Thom. 1. 2. q. 87. a. 7. nempe quòd omnis poena sit propter culpam aliquam etiam propriam, ut habet in corpore: vel, sicut idem citat ex lib. 1. Retract. Sancti Augustini c. 9 quòd omnis pœna justa sit, & quòd pro peccato aliquo impendatur: nam licèt pœna à Deo puniente propter varias causas finales inferatur, quas explicat D. Gregorius in præfat. Moral. in Job cap. 9. attamen semper præsupponit peccati meritum. Nec ponit D. Thomas aut Bonavent. (qui in 2. dist. 19. a. 2. q. 1. in hac re illi consentit) differentiam aliquam inter Martyres aliosque excellentes Sanctos, & inter communes fideles; quasi videlicet communes fideles semper pro peccatis suis puniantur; Martyres verò, & alii excellentes sancti, ut Job, aliquando sine aliquo peccati merito, sicut prætendere videtur hujus sententiæ damnatio: sed de his omnibus, tam bonis, quàm malis uniformiter loquitur; sicut etiam de fidelibus generaliter loquitur Apostolus: *si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum*, id est, merito peccati, inquit Augustinus lib. 1. de pecc. mer. cap. 6. *spiritus verò vivit* (vel, ut ipse legit) *vita propter justitiam*, id est, merito justitiæ.

Cæte-

Cæterùm quia Collector hîc pro re absurda adducit, quòd Martyres omnia, quæ patiuntur, pro peccatis suis patiantur; miror an pro Martyribus non habeat tres pueros, qui in medio flammæ ignis sibi mirabiliter parcentis, laudantes Deum confitebantur quòd Deus in veritate & judicio induxisset omnia hæc propter peccata sua: similiter etiam septem fratres Machabæos, quorum sextus in mortis afflictione positus aiebat. *Nos propter* nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum. Et septimus: *nos propter peccata nostra hæc patimur.* (a) [An verò putat eos adulando esse mentitos? Non hoc sentit Augustinus epist. 122. ubi horum Martyrum dicta prosequitur. Sed de hac re latiùs diximus in eo scripto quod nuper Romam misimus Sanctiss. D. Nostro porrigendum.] (a) decerant in editis.

LXX. *Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.*

In hac sententia, quam Collector damnandam obtulit, ingeniosè convolvitur quæstio de Conceptione B. Mariæ Virginis; ut videlicet saltem in speciem per litteras Sanctissimi D. Nostri damnata videatur sententia dicentium B. Mariam in peccato originali conceptam. Nam licèt à Fœl. record. Sixto IV. & Concilio Tridentino definitum sit, hanc quæstionem debere esse liberam: & licèt non tantùm universi Patres, sed & Scholastici Doctores, qui in scriptis suis hujus quæstionis meminerunt, sentiant B. Virginem conceptam in peccato originali; attamen qui hæc sollicitaverunt, non patiuntur ut quis ea de re dubitet; adeò ut in ejus rei confirmationem per totam provinciam Flandriæ ordinaverint singulis diebus sabbathi per totum annum in suis cœnobiis solemniter cantari Missam de Conceptione B. Mariæ Virginis: statimque datis litteris Apostolicis, quibus hæc sententia damnatur, quidam ex horum consortio litteris ad me missis, hoc unicum me cum expostulaverint, quòd ausus fuissem dicere B. Virginem conceptam in peccato originis: id quod licèt verum non esset, quia ego hanc quæstionem numquam disputavi; attamen ostendit, quid Collector cum suo consortio in hujus sententiæ damnatione quæsiverit, & quàm dolosè Sanctissimo Domino Nostro obrepserit, ut hæc sententia non tantùm per Concilium Basileense, sed etiam per Sanctissimum D. N. Pium V, contra decretum Fœlic. record. Sixti IV. & contra determinationem Concilii Tridentini damnata putetur. Si igitur dicatur D. Virgo concepta in peccato originis, id quod prohiberi non potest sine pœna excommunicationis, ut patet ex Decreto ipsius Sixti; nescio an absurdius sit dicere, quòd etiamsi Christus in ea fuerit, tamen corpus ejus mortuum fuerit propter peccatum, quàm de aliis Sanctis: maximè quia hoc etiam nominatim dicere videtur Augustinus, sicut in scripto, cujus præcedenti sententiâ meminimus, latiùs ostendimus. Ego tamen antehac quæstionem hanc numquam disputavi.

(a) Ex c. ult. libri *De pecc. orig.* malè collecta.

LXXI. (a) *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.*

De hac quæstione nihil umquam ampliùs audivi: attamen cùm habitus ille ex genere suo malus sit, sicut & proprius ejus actus; non satis assequor, quomodo plenus consensus in actum ipsius peccatum sit simul cum ipso actu, & non etiam peccatum sit plenus consensus in habitum simul cum ipso habitu? *Multùm enim fallitur homo*, (b) inquit August. *de nupt. & concupisc.* lib. 1. cap. 28. *qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, putat sibi adhuc esse dicendum: non ego operor illud*; ut videlicet à peccato excusetur. Nam si à peccato concupiscendi non excusatur, quisquis illi consentit, quomodo à peccato habitus mali excusatur, qui illi consensum præbere invenitur; & similis videtur de aliis etiam habitibus malis ratio.

(b) hic locus in editis omnino coruptus.

(c) Ex c. 2. *de pecc. orig.* collecta.

LXXII. (c) *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto:* non concupisces: *unde homo eos sentiens, sed non consentiens, transgreditur præceptum,* Non concupisces; *quamvis transgressio in peccatum non deputetur.*

Collector suggerens damnandum quòd motus pravæ concupiscentiæ sint prohibiti pro statu hominis vitiati, satis significat se sentire quòd omnes motus concupiscentiæ malæ prohibiti fuerint pro statu hominis integri. Oro igitur ut explicet quomodo præceptum illud; *non concupisces*; quod naturale est & immutabile, sic immutatum sit per hominis lapsum, ut post peccatum non ampliùs prohibeat eos motus, quos ante peccatum prohibebat. Sed de hac re latiùs diximus sent. 48. quæ sine ulla necessitate hîc aliis verbis iterum replicatur.

LXXIII. *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Hæc sententia hæretica est, quia *qui diligit proximum legem implevit, & qui non diligit, manet in morte.* Sed quamdiu hîc vivitur, præceptum illud non impletur eâ perfectione, ut ampliùs non peccetur. Imò, ut ait Augustinus *de perfect. justitiæ*: cùm adhuc aliquid est carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omninò ex tota anima diligitur Deus. Quam D. Augustini sententiam, an Collector alicubi repertam aut auditam, more suo omissis ac immutatis aliquot voculis damnari intenderit, ipse viderit. Nos enim nihil umquam tale aut diximus, aut sensimus; sed potiùs contrarium.

LXXIV. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Ex c. 1. de Indulg. malè collecta.

(a) Hæc sententia continetur suprà in sententia 56. de qua ibi diximus. Et videtur esse sententia Bonaventuræ, Durandi & Concilii Tridentini. (a) hæc deerant in editis.

LXXV. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

Multi Doctores asserunt primum hominem conditum quidem rectum: nam hoc dicit Scriptura sacra: sed tamen in puris naturalibus sine beneficio gratiæ. Si igitur Deus eum talem reliquisset, qualem eum, secundùm eorum opinionem, fecerat, & sine omni peccato se gubernasset, (hoc enim sine gratia fieri potuisse testatur Bonaventura) miror, an lege naturæ, sine ullius culpæ merito aliquando mortuus fuisset; præsertim cùm dicat Augustinus lib. 13. *de Civit.* cap. 15. ipsam corporis mortem, non lege naturæ, sed merito peccati inflictam esse. Et lib. 1. Retract. cap. 11. Nullam ægritudinem corpora nostra pati possent ante peccatum. Et Bonaventura dicit, ordinem justitiæ non permittere punitionem sine prævia culpa. Ego quidem hanc quæstionem numquam disputavi, attamen cuperem doceri, quibus Scripturæ sacræ, aut veterum scriptorum testimoniis moveantur, qui hanc sententiam tam absurdam putant, ut damnari mereatur.

LXXVI. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitiâ naturali.*

Doctores multi, imò ferè omnes, unico excepto D. Thoma, dicunt primum hominem non tantùm potuisse creari sine gratia, sed etiam sic esse creatum, & posteà beneficio gratiæ sublimatum; eo modo, quo Pelagius infantes nasci docebat; & posteà Christi beneficio per baptismum in Dei filios sublimari.

Sed an creatus sit, an creari potuerit sine justitia naturali, nec umquam disputavi, nec apud ullum Doctorem disputatum inveni. Quapropter nescio quorum Doctorum sententia sit, quam Collector hic fingit reprehendi. Scio hominem à Deo rectum fuisse conditum, nec potuisse creari vitiosum ac injustum, qualis nunc nascitur. Sed an homo habens rationem & voluntatem, talis à Deo fieri potuerit, ut ratio & voluntas ejus neque recta, neque curva esset aut vitiosa, sed inter utrumque media; alia quæstio est, quam neque umquam disputavi, neque ab aliquo disputatam inveni. Nam quod ait Augustinus lib. 2. *de pecc. mer.* cap. 18. *Mirum si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit*; non de potentia, sed de actu tantùm videtur dicere. Vellem tamen quæstionem, quam ex Scripturis sacris dissolvere non possum, priùs invenissem ab aliquo ex professo disputatam, quàm damnatam.

Hæc breviter circa damnatas sententias adnotanda putavi, non tantùm ut artes & calumnias eorum ostenderem, qui illas ex æmulatione confictas ad subversionem proximorum, longâ & diligenti instantiâ damnari curaverunt; sed etiam ut Sanctissimo Domino Nostro nonnulla eorum suggererem, quæ circa quarumdam damnationem eruditos forsitan non sine scandalo movere possent.

REVERENDISSIMO
ATQUE
ILLUSTRISSIMO
DOMINO
DOMINO LUDOVICO
SIMONETÆ CARDINALI
TIT. S. CYRIACI
IN THERMIS.

Reverendissime & Illustrissime Domine Cardinalis, non lubens interturbo densissimas gravissimarum occupationum (a) curas, quibus non dubito Illustrissimam Gratiam tuam quotidie distineri. Sed quia id quod scribere constitui, non tantùm meam existimationem, sed (b) etiam doctrinam pietatis, & sedis Apostolicæ reputationem contingere videtur, non me continui, quin illud paucis aperirem. Ante annos octodecim, cùm primùm cœpi publicè & quotidie sacram Theologiam in Scholis nostris profiteri, partim ob Hæreticos, qui nihil audire volunt, nisi Scripturam sacram & veterum dicta Sanctorum, partim etiam ob consortium cum optimo quodam & eruditissimo viro Joanne Hessels, Sacræ Theologiæ Professore, qui eandem docendi normam sequebatur in lectione, quam nunc plusquam octodecim annos continuos Deo me confortante quotidie prosecutus sum; post lectionem Petri Lombardi & alicujus Doctoris.

(a) Al. *turbas*.

(b) Al. *sed &c.*

ris Scholaſtici, conatus ſum ſacræ Theologiæ ſtudium ſtatim revocare ad Scripturam ſacram, & veterum ſcripta Sanctorum, Cypriani, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Leonis, Proſperi, Gregorii, & ſimilium, quos etiam Hæretici ſaltem aliqua ex parte venerantur. Sicut autem qui Scotum ſequuntur, nonnulla afferunt, quæ Beati Thomæ aut Bonaventuræ ſtudioſis minùs arrident, ſic etiam dum nos totos ad horum Veterum, & præſertim D. Auguſtini (qui in tractandis quæſtionibus omnium diligentiſſimus fuit) imitationem formare conamur, & in lucem proferre, quæ in illis videbantur abdita contineri; nonnulla occurrerunt, quæ aliter aſſuetis minùs placuerunt, & iis potiſſimùm, qui ſine magno ſtudio id potiùs ſequendum putabant, quòd apud plures receptum erat, quàm quòd ex ſolis Scripturæ ſacræ fundamentis diligenti ſtudio conſtituebatur; & ſuam reprehenſionem interpretabantur, quidquid aliter, aut aliis verbis dicebatur, aut diſputabatur, quàm ipſi dicere, aut in ſuis ſummariis Doctoribus legere conſueverant. Hac occaſione natæ ſunt æmulationes, & à nonnullis (ſuppreſſis ſuis nominibus) in noſtram reprehenſionem excogitatæ, ac quibuſdam Magnatibus ante ſeptem aut octo annos oblatæ neſcio quæ ſententiæ, quas Magiſtro noſtro Joanni Heſſels & mihi impingebant; licèt nonullæ eſſent à noſtro ſenſu alieniſſimæ, nonnullæ verò numquam à nobis neque in unam, neque in alteram partem diſputatæ; omnes verò, vel ſaltem pleræque eo artificio ab eis excogitatæ & expreſſæ, ut vel ob ſolum ſermonem ſuſpectæ haberi poſſent, præſertim apud eos, qui ejuſmodi quæſtionibus ex profeſſo non ſatis incubuiſſent. Reſpondimus tunc ſcripto, de quo hactenus adhuc nullam querelam audivimus; licèt illud ante annos ſex tradiderimus Reverendiſſimo atque Illuſtriſſimo Domino Granvellano, qui ſententias nobis tradiderat. Cùmque putaremus univerſa hæc jam dudum eſſe ſopita, (nam à pluribus annis in univerſitate Lovanienſi nulla extitit hujus rei mentio) occaſione quarumdam contentionum, quæ circa id temporis inter quoſdam Fratres Minores in Provincia Flandriæ exortæ ſunt, quorum alii, nobis inſciis, libellos noſtros allegabant, alii verò eos improbabant; pars una, nobis nihil tale ſuſpicantibus, ad Confratres Hiſpanos cum ſententiis non tam collectis, quàm in alterius partis accuſationem à ſe excogitatis, & propriis verbis expreſſis recurrit. Per quos (a) primùm præjudicia, deinde poſt multam (a) Al. & longam ſollicitationem etiam tempore Pii IV. fœlicis recordationis in- *prius.* ceptam, ut intelligo, tandem à Sanctiſſimo Domino Noſtro Pio V. obtinuerunt Bullam datam Calendis Octobris anni 1567. in qua damnantur 76. ſententiæ; quarum priores ſexaginta aut circiter, tacito quidem nomine, attamen intelligentibus ſatis apertè ſignificantur expreſſæ ex quibuſdam libellis meis, ſicut etiam palam, & nominatim in congregatione facultatis noſtræ teſtatus eſt, qui Bullam ex commiſſione Reverendiſſimi atque Illuſtriſſimi Domini Granvellani nobis exhibuit, recipiens ad ſe libellos meos, qui adhuc apud impreſſorem reſtabant, ac ſcripta Domini Heſſels jam defuncti, cum libello quodam, qui tunc imprimebatur: reliquæ verò ſententiæ neſcio unde ſint deſumptæ, in quibus colligendis quâ fide uſi ſint, qui eas ſuppeditaverunt, poterit Illuſtriſſima prudentia tua ex ſcripto hîc annexo, &

libello impresso, quem transmitto, inter se collatis conjicere. Designavi enim libellos meos ex quibus excerpuntur, & loca libellorum per numeros sententiis præmissos in margine descripsi, ut sine labore ab iis reperiri queant, qui relationis meæ veritatem excutient. Erant plures sententiæ non satis fideliter excerptæ; sed has puto sufficere, ut demonstretur sinceritas & vigilantia eorum, qui sententias damnandas suppeditaverunt. Scriptum istud nemini adhuc in hac regione tradidi describendum: sentio tamen multa in eo contenta à studiosis, qui sententias contentas in bulla habent, quotidie observari, & per totam hanc patriam rerum novarum plus satis avidam, paulatim dispergi, non sine detrimento existimationis sanctissimæ Sedis Apostolicæ, non solùm apud vulgus & alios plures, qui erga illam malè animati quidvis facilè de eâ suspicantur; sed etiam apud multos eruditos, & sedis Apostolicæ strenuos alioqui defensores, quos ex hac re metuo, imò satis scio, in cordibus suis scandalum pati. Mei ac Domini Hessels, nec non libellorum nostrorum in re tanta forsitan exigua habenda est ratio, quia Dominus Hessels jam defunctus est, & ego non diu vivam, nec libelli nostri eo genio scripti sunt, ut diu superesse queant, etsi eos nemo violenter interimat, (ut interim taceam quòd per hanc contradictionem apud multos veluti revixerunt:) sed maxima habenda est ratio veritatis, & veterum scriptorum, qui per hanc bullam multis videntur improbari. Magna etiam habenda est ratio existimationis Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Sanctissimi Domini Nostri Pii V. qui nunc in ea feliciter residet, ne per quorumdam astutam obreptionem hoc pessimo rerum statu doctrinæ Sanctorum Patrum, ex qua fides Catholica defenditur, & viris Catholicis in aliquo præjudicasse putetur. Nam ejus rei suspicionem forsitan etiam augebit, quòd licèt penè per totam hanc regionem evulgatum sit, nescio an industriâ eorum, qui bullam sollicitaverunt, me & Dominum Hessels, tamquam novæ doctrinæ Authores, damnatis libellis nostris esse per Summum Pontificem excommunicatos ob hæresim, exultantibus hæreticis, qui ob officium Sanctæ Inquisitionis, quo usque ad turbationem patriæ hujus sum functus, & ob alia multa nos ex solis nominibus oderunt. Attamen negatur Bullæ copia, perinde ac si exequentibus eam suscepta foret. Scripsissem de hac re Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Granvellano, cujus erga me benevolentiam hactenus in pluribus sum expertus; nam ejus discretioni commissa est Bullæ executio: sed metuo ne animus ejus sit ab iis præoccupatus, qui Bullam impetraverunt. Quapropter non existimavi meo muneri satisfactum, nisi rem totam, quantùm exemplaris patiebatur angustia, alicui exponerem, de quo omnino confiderem, quòd illam Suæ Sanctitati sincerè exponeret, saltem si id judicaret expedire; nam si id non expediat, possunt universa, quæ mittò, exiguo chartæ detrimento aut supprimi, aut cremari: utcumque enim eveniat, conatus sum conscientiæ meæ satisfacere coram Deo, cui ego negotii successum relinquo; licèt me & alios plures non parum excruciet. Mitto quod ante annos quinque Dominus Hessels & ego scripsimus; & primùm per Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Granvellanum; deinde etiam per Eximium virum Fratrem Petrum de Soto,

qui

qui paulò ante adventum nostrum Tridenti defunctus est, fœlicis recordationis Pio IV. misimus super una sententia, quam nunc in Bulla etiam damnatam reperio; ut (si ita videatur) legi possit & discuti; nam ego hactenus illud nemini in hac regione tradidi. Scio horum omnium judicium Sacro sanctæ Sedi Apostolicæ jure divino competere: cui etiam decrevi in his, & aliis omnibus obedire; attamen non existimavi me ab obedientiæ officio recessurum, si per exonerationem conscientiæ meæ nonnulla eorum, quæ me movent, illi indicari curarem, ut ex illorum consideratione, si ita videretur, posset attendere, ne fortè sibi ab iis imponi permiserit, quibus ad statuendas suas opiniones, magis studio est quâvis arte homines in hac vitæ miseria veritatem sollicitè quærentes vincere, quàm errores. Sin verò aliud videbitur, ego saltem in hac parte videbor mihi meo functus officio; nec aliud superent, quàm ut me ad patientiam componam, & imminenti morti præparem. Deus Reverendissimam & Illustrissimam gratiam tuam diu Ecclesiæ suæ servet incolumem. Lovanii 16. Martii stilo Romano.

Reverendissimæ atque Illustrissimæ Gratiæ tuæ addictissimus servitor.

Michaël du Bay.

Cardinalis iste obiit Romæ priusquam hæ litteræ ad manus ejus pervenirent.

MAXIMILIANI MORILLON

EPISTOLA

CARDINALI GRANVELLANO

MONSEIGNEUR,

Ex Cardinalis Granvellani Registro primùm edita.

(a) Michael Baius.

(b) Breve Pii V. Michaeli Baio: ut suprà relatum est.

(c) Michaelem Baium.

(d) Baio crimini ducitur quòd Apologiam scripserit.

(e) Baii humilitas.

(f) ejuratio ab eo exigitur.

(g) inde arguitur articulos non fuisse damnatos in rigore & proprio verborum sensu ab autore intento.

Comme (a) celui à qui s'adressoit le (b) Bref se trouva aujourdhuy cheans ung peu aprés midi ainsi que j'estois chez mon Beaufrere, je mandis au même instant Mr. le Curé de Sainte Goule, l'informant sommairement de ce que j'avois à negocier avec le susdit, le priant d'attendre au jardin jusques je l'appellerois: & passant outre en vôtre Maison j'allis trouver le dit (c) personnaige, au quel aprés aucuns divixs communs je declairis ma charge, lui presentant le dit Bref, & la lecture de vôtre lettre. Il trouva de prime face estrange que l'on le jugeoit avoir failli d'avoir recouru (d) vers sa Sainteté, & que pour cela il fust tombé en Censures & Irregularitez. Je lui remis au devant le point de l'obeissance qu'il avoit toûjours fais profession porter au saint Siege Apostolique. Il me dist qu'il estoit prest d'obeïr, & (e) se mist à genoux pour l'absolution. Je lui dis que je lui baillerois pourveu qu'il (f) abjurà. Il me demanda quê chose il abjueroit. Je dis, les propositions reprouvées par sa Sainteté. Il se leva & dist qu'il ne le pouvoit faire s'il navoit copie de la Bulle, pour estre par icelle dit QUE (g) AULCUNES PROPOSITIONS SEROIENT SOUTENABLES IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU. *Je dis que je ne la (h) pouvoie donner, & qu'il sçavoit bien que ayant écrit à Rome pour les avoir, il ne les avoit sceû obtenir, comme aussi n'avoient ses adversaires, pourceque le vouloir de sa Sainteté estoit de mettre tout sous les pieds. Il me dist que cela lui sembloit tres bien, priant que l'on donna ordre que l'on ne les disputa plus à Louvain, dont je parlerai à Mr. Tileto; car il n'en peut bien venir. Il dist davantage que les dites propositions sont semées par tout, même jusqu'à Paris: dont je sçais que la faute vient dudit (i) Tileto qui les a communiqué, comme je pense avoir autrefois ecrit à Vôtre Illustrissime Seigneurie, à Messeigneurs (k) d'Ypre & de Ruremonde, & eux à leurs amis. Et ajoustoit le dit personnaige qu'il y auroit lieu d'accommodement si les censures papales fussent jointes pour donner icelles la distinction & difference. Je lui dis que je remettois cela à sa Sainteté, pour n'en avoir charge, & le sommis de sans autre replique satisfaire au dit Bref, le priant de le retirer & aussi vôtre lettre. Il lui echappa de dire qu'il estoit en opinion que vôtre Illustrissime Seigneurie avoit procuré le dit Bref. Je repondis que je le*

(h) nullum Bullæ Pii V. exemplum ipsis Doctoribus Lovaniensibus datum. (i) Tiletanus articulorum censuram disseminat contra Pontificis prohibitionem. Hinc novæ rixæ. (k) Martino Rythovio & Guillelmo Lindano.

cro-

croiroie s'il confessa que lui aviez esté auteur de repliquer par lettres comme il avoit fait; & que c'estoit mal reconnoitre ce qu'aviez fait pour lui afin qu'il ne fust traité avec rigueur: & requerant derechef de ne sortir de l'obeïssance qu'il devoit au Chief de l'Eglise; & que je lui avoie souvent oui dire estre le juge de la doctrine; & qu'il regarda de ne se perdre. Il releut le dit Bref & vôtre lettre: & l'ayant achevée, me pria de lui pardonner ce qu'il avoit dit contre vôtre Illustrissime Seigneurie, reconnoissant qu'il avoit tort; & adjousta qu'il estoit prest pour obeïr, & de jamais plus rien toucher quant aux dites propositions, & qu'il desiroit estre absous. Je lui dis que (a) *l'abjuration devoit preceder. Il repliqua que cela lui donnoit* (b) *grande perplexité, pour la diversité des propositions. Et comme je me commençoie à fascher, d'autant qu'avions esté bien heure & demie ensemble, parce qu'il avoit entrelassé un monde de propos & raisons qui seroient trop longues à ecrire, aux quelles* (c) *je ne lui pouvoie donner telle solution que feroit ung de sa profession. Je lui demandis s'il ne trouveroit bon que je fisse entrer* (d) *le dit Maitre que j'avois mandé pour se nous en eussimes à faire. Il me dist qu'il le verroit fort volontiers. Venu qu'il fut, je lui fis entendre la difficulté que passoit sur l'abjuration des propositions, pour la diversité d'iceux. Le dit Curé commença par grande douleur, mais apres il lui lava fort bien la teste, disant puisque nôtre Saint Pere defendoit les dites propositions, ce n'estoit à lui d'en parler, & qu'il estoit plus tenu d'obeïr au Pape, que à lui les Bacheliers de Theologie aux quels il commandoit; desorte que le dit Curé par laid & moi par beau lui representâmes l'evident dangier où il se mettoit, s'il ne s'accommoduit. Et pource que afin de l'appaiser j'avoie consenti lui donner vision de ladite Bulle, que je feignit estre chez mon Beaufrere, je heus le moyen les laisser tous deux ensemble, & retournis au bout d'ung quart d'heure disant que la dite Bulle n'y estoit. Lorsque le dit* (e) *personnaige respondit que cela n'emportoit, & qu'il ne la vouloit voir, estant resolu & prest sans jamais vouloir repliquer, d'obeïr absoluement à nôtre Saint Pere, & suivre le bon avis que lui avoit donné le dit Curé, qu'estoit* (f) *d'abjurer toutes les propositions contenuës en la Bulle suivant le Decret, censure, & intention de sa Sainteté, & se prosterna à genoux. Je receus son abjuration tenant ses mains entre les miennes, & l'absolvit, & rehabilité selon que verrez par l'Acte. Esperant que pour la presence du dit Curé vôtre Illustrissime Seigneurie ne jugera que le secret qu'elle m'a tant enchargé, ne soit esté gardé, puisque le dit personnaige s'en est tenu content. Aussi ay-je enjoint au dit Curé le secret: il est homme grave & confident: aussi servira l'Acte de plus grande preuve de mon devoir en ce que vôtre Illustrissime Seigneurie m'at de la part de sa Sainteté si expressement commandé, n'ayant perdu une minute de tems pour l'executer depuis vôtre lettre reçûe. Je loüe dieu que ce soit avec si bon succez, que je tiens m'avoir inspiré de prendre l'aide du dit Curé, sans laquelle je n'en fusse si tost venu à chief.* MONSEIGNEUR, *apres m'estre recommandé tres humblement à la bonne grace de vôtre Illustrissime & Reverendissime Seigneurie, je prie le Createur de lui donner ses desirs.*

(a) à Baio exigitur ejuratio.
(b) Cur Baius ejurare refugit.
(c) Morillon iterum fatetur se non esse Theologum.
(d) Plebanum Sanctæ Gudulæ.
(e) Michael Baius.
(f) Baius minis territus ac falsis criminationibus oppressus tandem ejurat Articulos ad mentem Pontificis, sed sine ulla subscriptione, & absolvitur.

DE VOTRE ILLUSTRISSIME SEIGNEURIE.

de Bruxelles ce 20. Juin 1569.
Le dit personnaige retourne encore se soir se montrant content & à repos.

Tres humble & tres obeïssant serviteur
MAX. MORILLON.

Je n'ay heu temps de parler à M. le Confeſſeur, parceque je crains l'on vouldra ſerrer la male, & je ne la veulx laiſſer partir ſans advertir le progrez de mon beſongné, du quel je ne fauldray donner compte à ſon Excellence par le moyen du dit Confeſſeur s'il me procure accez.

Le vrai ſeroit maintenant retraer (a) *le perſonnaige de là où il eſt, y entremettant l'autorité de* (b) B. *ſe ſa Sainteté voulut donner la Prebende que pretendoit* (c)... *Monſeigneur de Cambray luy donnera auſſi ſa Collation. Il ne duiſt là où il eſt. Il at trop de gens aux oreilles.*

(a) Michaëlem Baium.
(b) Littera B. in ciftis Granvellani denotat Regem Catholicum.
(c) Amanuenſis legere non potuit nomen quod hoc ſpatium implet.

EXTRACTUM ALTERIUS EPISTOLÆ MORILLONII.

IL *fut eſté trop* (d) *difficile de faire ſouſſigner celui qui at paſſé l'abjuration* PROPTER PERPETUAM INFAMIAM. *Je ſuis joyeux que ſa Sainteté ait heu contentement de mon beſongné, comme ont heu ſon Excellence & le dit Confeſſeur.* (e) *L'Abjurant eſt malade. Ce ſera bien fait de le tirer hors d'icy, le pourveant à Cambray, ou Tournay à ce que je penſeray.*

De Bruxelles le 14. *Aouſt.* 1569.

(d) Baius ne ſuæ ejurationi quidem ſubſcripſit.
(e) Baius in tantis anguſtiis æger decumbit.

BREVIS ALTERA MICHAELIS BAII APOLOGIA,

Ex MS. F. K. primùm edita.

SIVE

Declaratio sententiarum ex libris per litteras Apostolicas designatis non benè excerptarum, ad Cardinalem Simonetam, cum præfixis numeris cujusque sententiæ, sicut ordine in declaratione (*seu Apologia*) ad Sanctissi. Patrem Pium V. sunt positæ.

Ex libro 2. de meritis operum.

In sententiam 13.

HÆc sententia in libello non asseritur, sicut prætendit hæc narratio: sed contrario modo quàm hîc refertur. Tantùm proponitur disputanda, hoc videlicet modo: utrùm bonis operibus, quia sunt divinæ legis obedientia, an solùm ex prævia operantis dignitate, vita debeatur æterna: diciturque in responsione quòd personæ dignitas tantùm augeat rationem meriti, quantùm auget rationem virtutis & boni operis: id quod Collector sententiarum subticuit.

In sententias 14. & 15.

In libello de his sententiis nihil asseritur; sed tantùm ostenditur quòd salvâ pace catholicâ possent disputari: id quod videtur Collector dissimulasse, ut sedi Apostolicæ faciliùs obreperet.

In sententiam 16.

Istud verum non est: quia in hoc libro (2. de mer. oper.) nulla fit hujus rei mentio nisi capite 1. ubi citatâ hâc Scripturâ: *qui non diligit me, sermones meos non servat:* subinfertur non absurdè intelligi posse, quæcunque sine chari-

charitate fiunt, non esse veras legis obedientias. Hoc enim videtur illa Scriptura significare: *qui non diligit me, sermones meos non servat*: nec de hac re amplius aliquid dicitur.

In sententiam 17.

Capite quarto libelli (2. de mer. oper.) dicitur quòd hi potiùs consentiant Pelagio, qui asserunt bona opera non esse regni cælestis merita, nisi ab eis facta qui priùs in filios Dei adoptati digni sunt regno Dei: quàm qui dicunt ex eo esse merita quòd sint obedientiæ mandatorum Dei: id est, quòd illi sint viciniores sententiæ Pelagii, quàm isti. Sed quod Collector in sua (à se conficta) sententia prætendit, hoc libellus non dicit.

In sententiam 18.

Dicit libellus (2. de mer. oper. c. 6.) ad quoddam argumentum hoc dici posse: sed tamen hoc non definit.

In sententiam 20.

Dicit libellus (2. de mer. oper. c. 7.) quòd licèt quidam Catholici, ut Staphilus, hanc sententiam inter hæreticas numeraverint: attamen eruditiores, ut Joannes Episcopus Roffensis, illam inter opiniones habuerint. Nam articulo 32. contra Lutherum, apertè confitetur se in hac parte cum Luthero sentire. Quamobrem libellus quæstionem hanc inter fideles dicit salvâ pace catholicâ posse disputari.

Ex 1. *libro de prima hominis justitia.*

In sententiam 24.

Capite octavo dicti libelli (de prima hom. just.) dicitur quòd naturalis beatitudo, quæ in Scripturis sacris non invenitur, & quam Pelagius suis infantibus sine baptismo decedentibus promittebat, à vanis & otiosis hominibus ex philosophia confingatur. Sed quod libellus de jam dicta beatitudine dicit, hoc Collectoris industria de supernaturali humanæ naturæ exaltatione dictum proponit, quod est apertè falsum.

Ex libro de virtutibus impiorum.

In sententiam 29.

Capite octavo (hujus libri) citatur Augustinus epistola 106. dicens quòd Pelagius definierit, Potestatem voluntatis aliquantulum ad non peccandum valere: sed libellus verbis in sententia positis non utitur: Quapropter sententia (hæc 29.) non tam ex verbis libelli, quàm ex verbis Augustini, quæ Collectori displicuerunt, videtur esse excerpta.

In sententiam 30.

Prior hujus sententiæ pars ad verbum sumpta est ex fine capitis noni (lib. de virt. imp.) sed posterior pars, videlicet an tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere homo possit, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur. Hæc, inquam, pars est à Collectore & contra veritatem & contra Autoris sententiam manifestè conficta. Significat enim quòd quisquis aliquâ tentatione pulsatur, ut putà, fornicationis, aut homicidii, is necessariò in illam eandem tentationem inducatur, nisi adjutorio gratiæ Dei liberetur: Id quod neque habet libellus; verba enim ejus sunt: *aut tentationes ullas superari sine illius adjutorio posse contendunt.* Neque etiam verum est, quia qui tenta-

tentatur ad fornicandum, is ex amore gloriæ aut pecuniæ ſæpe ab hoc pernicioſo affectu ſine Dei adjutorio revocatur: ſicut idem Autor expreſſè docet in libro *de libero arb.* c. 10. circa finem addens ex Auguſtino tunc rectà vitia deputanda eſſe cùm Dei amore vincuntur, non autem cùm vitiis vincuntur occultis. Et ideò manifeſtum eſt quòd Collector relictis verbis libelli quæ ſententiam habent Catholicam, contra ſenſum Autoris poſteriorem hujus ſententiæ partem pro ſuo arbitratu confinxit, ob id forſitan quòd non ſatis illi placuerit ſententia Innocentii I. quam in ſua epiſtola tanquàm definitivam referre videtur Cœleſtinus Pontifex; videlicet, *neceſſe eſt ut quo adjuvante vincimus* tentationes, *eo non adjuvante vincamur:* quam ſententiam Autor libelli eo loco (c. 9.) quantâ potuit diligentiâ proſecutus eſt.

Ex libro 1. *De charitate.*
In ſententiam 31.

Hæc ſententia prout exprimitur, nec ad verbum nec ad ſenſum invenitur in libello (*De Charitate*,) nec etiam juxta intentionem libelli eſt vera: quia non poteſt eſſe bona conſcientia, ubi non eſt peccatorum venia. Ideò dicitur inter calumnias reputari.

In ſententiam 36.

Hæc ſententia, quæ ad caput quintum hujus libelli alludit, nec ad verbum nec ad ſenſum in libello habetur: ſed eſt à Collectore odioſè conficta & manifeſtè falſa, quia amor naturalis quo parentes ex viribus naturæ diliguntur, ſine injuria Crucis Chriſti legitimè defenditur: præſertim ſi altiori conſideratione ad dilectionem Dei referatur. Sed quod libellus de Dei dilectione dicit, hoc parum attentus Collector, additis neſcio quibus odioſis ſermonibus de amore naturali qui ex viribus naturæ exoritur, generaliter dictum refert: quod apertè falſum eſt, niſi intelligatur de amore quo aliquid tanquam finis ultimus amatur.

In ſententiam 37.

Hæc ſententia eſt ejuſdem farinæ cum priore: quia hoc tantùm de fidei, ſpei & dilectionis Dei motibus dicitur: quod per inconſiderationem Collector addito etiam Pelagii nomine, ſuis propriis verbis de omni bono naturali dictum interpretatur. Vide caput quintum libelli *de Charitate.*

In ſententiam 38.

Huic ſententiæ ex capite ſexto libelli (*De charitate*) deſumptæ, ex ſolita ſua liberalitate Collector adjecit verba hæc: *per Spiritum Sanctum in corda diffuſum:* per quæ non tantùm odioſa, ſed etiam juxta intentionem libelli falſa redditur ſententia. Quia licèt is dilectionis motus, quo Deus ante remiſſionem peccatorum diligitur à Spiritu Sancto foris exiſtente inſpiretur, non tamen inſpiratur per Sanctum Spiritum in corda diffuſum ſeu inhabitantem. Et

ita hic motus sub neutra divisionis parte continetur: licèt sit amor finis, de quo intelligitur sententia quæ proponitur.

Ex libro de libero arbitrio.
In sententiam 39.

Capite septimo hujus libelli (De libero arb.) dicitur quòd libertati à servitute peccati, quâ liber est Deus & Angeli sancti, etiam in iis quæ sic volunt, ut ea non possint non velle; huic, inquam, libertati impertinens est utrùm id quod fieri liberè dicitur, etiam possit non fieri. Ex quibus verbis quanto candore Collector absurdam hanc sententiam verbis à se excogitatis confecerit, consideret lector candidus.

Ex libro 2. de justitia.
In sententiam 42.

Hæc sententia nec ad verbum nec ad sensum habetur in libello; sed est merè calumniosa, & contra sensum tam libri quàm Autoris, verbis Collectoris expressa, præcipuè quoad eam partem, quæ dicit justitiam non consistere in gratia animo infusa. Nam licèt libellus (2. de justitia) nomine justitiæ actum justum intelligat, sicut frequenter intelligit Scriptura sacra: hoc tamen non facit ut habitum gratiæ aut charitatis neget esse justitiam, sicut ista sententia prætendit; sed tantùm ut nostri temporis hæreticis resistat, qui actum justitiæ contendunt nec esse meritum, nec hominem facere meliorem: quod falsum esse convincitur, quando ipsa juxta Scripturas sacras justitia etiam nobis inhærens esse demonstratur. Cui errori non ita resistunt qui justitiam, quæ ex fide est, expressè negant in actionibus consistere, sed in sola habituali renovatione constituentes, de actibus non nisi tanquam de justitiæ effectibus loquendum existimant.

In sententiam 43.

Divus Augustinus epist. 105. habet quòd homo justificatur non solùm remissione peccatorum, sed priùs inspiratione fidei & timoris Dei: & contra Don. libro 4. c. 21. sicut non debemus improbare justitiam hominis, quæ priùs esse cœpit quàm conjungeretur Ecclesiæ; sic non esse improbandum Evangelicum baptismi Sacramentum, etsi extra Ecclesiam fuerit acceptum. Quæ verba secutus libellus capite 7. dicit Catechumenum aut poenitentem ante remissionem peccatorum aliquid habere justitiæ. Sed quia hic sermo videbatur Collectori non satis reprehensioni obnoxius; ideò hanc sententiam verbis suis expressit, dicens quòd in Catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum: Quam tamen sententiam hîc à se damnatam infrà sententiâ 59. manifestè comprobat, damnans eos qui non agnoscunt illam justitiam quæ fit quidem ex inspiratione Spiritus sancti sed nondum corda inhabitantis: quia necesse est ut talis justitia sit separata à remissione peccatorum, quam tamen hîc recusat agnoscere.

Ex

Ex libro 3. De justificatione.
In sententiam 44.

Capite quinto hujus libelli (*de Justificatione*) dicitur expressè quòd etsi cuncta bona quæ facimus culpas quas fecimus diluere certum est, sub quo etiam intelliguntur incrementa virtutum; ex his tamen operibus quæ à Fidelibus non ob id fiunt ut vel remissionem peccatorum vel incrementa virtutum consequantur, sed solùm ut Dei mandatis pareant: ex his, inquam, operibus dicimur in Scripturis sacris justificari, quia sunt legis obedentia, & vera legis justitia, juxta illud: *qui facit justitiam justus est*: non quia his obtinemus remissionem peccatorum aut incrementa virtutum. Collector autem hæc non attendens in sententia sua (*à se conficta*) ponit quòd dictis operibus bonis non obtinentur incrementa virtutum: quod est verbis & sensui libelli planè contrarium. Hujusmodi enim operibus obtinentur quidem incrementa virtutum: sed Scriptura sacra dicens nos ex istis operibus justificari, ad illud respicit, quòd non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores: non autem ad hoc quòd per hujusmodi opera etiam meremus incrementa virtutum.

Ex libro de Sacrificio.
In sententiam 45.

Legatur libellus (*de Sacrificio*) præsertim cap. 6. ubi assignantur quatuor rationes cur sacræ Eucharistiæ confectio præ cæteris sacrificiis generaliter dictis peculiariter nomine sacrificii celebretur: & deprehendetur quòd hæc sententia apertè hæretica, non sit nisi mera & aperta calumnia: ut libelli autor & alii qui nil unquam tale cogitaverant, per calumniam infamarentur: quod Collectori parum honorificum est.

Ex libro de peccato Originis.
In sententiam 46.

De posteriori hac parte, videlicet unde peccatum originis verè habeat rationem peccati, &c. nulla fit in libello (*de pecc. Orig.*) mentio nec affirmativè nec negativè: sed videtur Collectori doluisse quòd libellus eorum sententiam non expresserit, qui docent peccatum Originis relativè ad primi parentis voluntatem; id est ideò dici peccatum, quia in nascentibus est pœna ex peccaminosa primi parentis voluntate proveniens.

In sententiam 47.

De hac posteriori parte, videlicet, *ex habituali voluntate dominante*, &c. nullam mentionem facit libellus (*de pecc. Originis:*) sed tantùm est ipsius Collectoris commentarius.

In sententiam 52.

Colle-

Collector valde dormitavit, quando hanc ſententiam ex libello (*de pecc. orig.*) collegit: videlicet quòd hæc definitiva ſententia, Deum homini nil præcepiſſe impoſſibile, falſò tribuitur Auguſtino: quia hanc ſententiam neque definitivam vocavit, nec eam Auguſtini eſſe aut non eſſe dixit *libellus*: ſed hanc duntaxat: *nec impoſſibile aliquid potuit imperare Deus, quia juſtus eſt; nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuit vitare, quia pius eſt:* de hac, inquam, definitiva ſententia dicit libellus (*c.* 12.) quòd non eſt Auguſtini, licèt à quibuſdam ſub nomine Auguſtini citetur, ſed Pelagii. Eſt enim ſumpta ad verbum ex epiſtola ad Demetriadem Virginem, quam, ſi attendantur quæ in libello (*de pecc. orig. c.* 12.) dicuntur, evidens eſt Auguſtini non eſſe, cùm Beda eam nominatim improbet, tanquam ſit Juliani (*Epiſcopi Pelagiani.*)

In ſententiam 53.

Hæc ſententia in libello (*de pecc. orig.*) non habetur, nec ad verbum, nec ad ſenſum: ſed potiùs indicatur contrarium.

Ex tractatu de oratione pro defunctis.
In ſententiam 54.

Verba libelli (*hujus*) cap. 4. ſic habent: Quandiu in hac vita ſumus, *etiam in ſceleribus ab actu & reatu purgari poſſumus: Deus enim per ſemetipſum intùs voluntates Fidelium ab actu peccati purificat: & per eos quibus dictum eſt:* quorum remiſeritis &c. *etiam eos à reatu liberat.* Et infrà: *Deus igitur per ſemetipſum ab operibus, & per miniſterium Sacerdotum etiam à reatibus peccatorum nos liberat*, &c. Ex quibus verbis Collector, pro ſuo arbitratu, non libelli ſed ſuam confecit ſententiam, addendo quod voluit, videlicet *nihil, duntaxat, ſolùm*, & ſimilia. Et ex iſtis intelligeretur libellus (*c.* 4.) docere quòd per miniſterium ſacerdotum confitentibus non daretur Spiritus Sanctus: ſicut infrà ſuâ ſententiâ 65. manifeſtiùs ſignificat: quod neque in libelli neque in Authoris intentione ullo modo reperitur.

In ſententiam 55.

Sententia hæc ſicut ex eodem capite 4. libelli (*de orati. pro defunctis*) manifeſtum eſt, non ex verbis libelli, qui non utitur verbo *vivificare*: ſed ex verbis Auguſtini ibi recitatis, & per Collectorem, prout illi placuit, immutatis per inadvertentiam excerpta eſt, addendo *ſolus*, ex quo intelligitur quòd Collector non minùs ſtudeat abolere ſenſum Auguſtini, quàm libelli.

In ſententiam 58.

Hujus ſententiæ nullam in libello mentionem invenio.

In ſententiam 60.

Hæc

Hæc distinctio odiosè rejicitur, non quidem à libello qui ejus nullam facit mentionem, sed ab ipsomet Collectore, qui suprà sententiâ 42. damnandum putavit quod ait libellus (de justitia c. 7.) Catechumenum aut pœnitentem ante remissionem peccatorum aliquid habere justitiæ. Qui enim hoc damnat, manifestè significat ex inspiratione Spiritus Sancti nondum cor inhabitantis nullam peccatori inesse posse justitiam, ac proinde posteriorem suprà dictæ distinctionis partem odiosissimè & pertinaciter reprobat.

In sententiam 61.

Hanc distinctionem quæ verissima est, libellus & libelli Autor usque adeo non improbavit nec adhuc improbat, ut etiam vehementer doleat quòd eam Collector suprà sententiâ 54. non attenderit: si enim eam ibi attendisset; tunc ex verbis Augustini, quæ de priore vivificatione loquuntur, sententiam damnandam non confecisset. Et ideò mera calumnia est, quando fingit Collector distinctionem illam in libellis designatis improbari: cùm in illis nulla fiat istius distinctionis mentio.

Reliquæ sententiæ, quæ sequuntur, non videntur peculiariter ex aliquibus libellis excerptæ: sed vel ex relatu, vel ex fama, vel ex Collectoris conjectura: in quibus quâ fide usus sit ostendere non possumus, sed potest ex jam dictis conjici.

Porrò de veritate sententiarum nihil dico, tum quia nescio an id esset suæ Sanctitati gratum: tum quia videtur mihi in Bulla significari quòd illæ etiam sententiæ damnentur quæ in rigore & proprio sensu verborum veræ sunt. Id quod si ita habet, mirum est ad quid ista damnatio respiciat, an ad verba inordinatè posita, quæ Collector pro suo arbitratu in omnibus pene sententiis effinxit, an ad rem ipsam significatam. Si enim verba tantùm damnentur; tunc ipse Collector culpatur, qui veritatem ab aliis, ut prætendit, assertam, ejusmodi verbis expresserit ut damnari mereatur. Deinde poterunt sententiæ verbis aliis expressæ doceri & defendi. Si autem veritas ideò damnatur; quia quibusdam Doctoribus aliter institutis displicet, tunc videtur Deo repugnari: sicut legimus in Actis: *Discedite ab hominibus istis, ne fortè & Deo repugnare inveniamini. Non enim possumus aliquid adversus veritatem*, inquit Apostolus, *sed pro veritate.* Et Christus in Evangelio. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati.* Et, *omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.*

FINIS.

DE his sententiis quarum hîc non fit mentio, sic breviter habet *Auctor libellorum.* In MSS. F. & K subjiciuntur quæ hic non duxi omittenda.

Sententia prima non habetur nisi in sententia 7. cum sua declaratione, & sententia 7. 8. & 9.

Sententia 2. est titulus capitis 2. lib. 2. *De meritis operum.*

Sententiæ tertiæ sensus habetur c. 4. l. prioris de meritis oper. similiter & cap. 3.

Sententia 4. habetur in c. 2. ad secundam objectionem in priore libro *De merit. oper.* cujus posterior pars habetur sub finem ultimæ paginæ.

5. sententia statim sequitur in eodem cap. ejusdem libri.

6. sententia ponitur cap. 3. libri 1. *De meritis oper.*

De sententia 10. *dicit*: Subticet Collector declarationem.

De sententia 11. *dicit*, Collectorem in sua sententia substituisse, *propriè*, pro, *proposito*.

12. *sententia* est titulus capitis 4. l. 2. *De mer. oper.* & à quavis Pelagii sententia non statim quis Pelagianus debet intelligi.

De sententia 16. dicit: hujus non fit mentio. Et post adjecit sententiam Apostoli, & Augustini verba in psal. 118. conc. 7. *non possunt custodiri verba Dei nisi per fidem quæ per dilectionem operatur.*

De sententia 19. *dicit*: Collector malè refert.

De sententia 21. *ait : Collector more suo sententiam longè aliis verbis & alio sensu expressit quàm in libello continetur.*

Ad sententiam 22. *dicit : facilè contingit ut cum hæreticis aliqua sentiamus etiam si hæretici non simus.*

De sententia 23. *dicit*: hæc non sunt verba libelli, sed commenta alicujus æmuli.

Ad sententiam 24. Collector malè refert : non hoc dico, vide c. 8. libri *De prima hom. just.*

Ad sententiam 25. miratur cur damnatur id quod Scripturis & sanctis Patribus longè videtur esse conformius.

Ad sententiam 26. dicit, eam esse Hieronymi, Ambrosii, Augustini & Prosperi.

Ad sententiam 27. Est titulus capitis 4. l. de prima hom. just. & attendendum an probationes libelli non sint legitimæ.

De sententia 28. Est titulus capitis 8. libri *De virtutibus impiorum* : & ipsissima sunt verba Augustini l. 3. ad Bonif. contra duas epistolas Pelag. c. 8.

De sententia 29. *ait*: Collector malè refert.

De sententia 31. falsa est sententia.

In sententiis 32. & 33. Mirum quòd in iis sensus Thomæ Wasdensis, cujus liber à Martino V. in consistorio Cardinalium post diligens examen approbatus est, modo damnetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

De sententia 34. non satis rectè refert (*Collector.*)

De sententia 35. hæretica est.

De sententia 39. absurda.

De sententia 40. hæretica.

De sententia 41. Rem probo simul & vocem; sed eam in Scripturis nondum reperi.

De sententia 42. apertè falsa. Idem dicit de 44.

De 45. hæretica.

De sententia 47. Est Collectoris commentarius.

Ad sententiam 48. Attendantur loca quæ ex Augustino citantur.

Ad sententiam 49. Ad id existimandum me moverunt multa veterum Sanctorum testimonia.

Sententia 50. desumpta est ex lib. *de pec. orig.* c. 13.

Sententia 51. est desumpta ex c. 6. ejusdem libri.

De sententia 52. Collector malè refert.

De sententia 55. Collector malè refert & falsè.

De sententia 56. Collector suâ arte effecit ut Sanctissimus Dominus noster Hæreticorum calumniam quam Catholicis imponunt, suis litteris defendere videatur.

In sententiæ 57. secunda parte Collector dicit: *à pœnis pro peccatis debitis*; & liber habet: *à peccatis*.

In sententia 58. hujus distinctionis nullam mentionem feci.

In sententia 59. hujus sententiæ non memini.

De sententia 60. *dicit:* Distinctio legitima est. *Idem dicit de sententia* 61.

De sententia 62. *ait:* hæc sententia hæretica est: & addit in margine Cœlestinus can. 9. Nemo nisi per Christum libero benè utitur arbitrio.

Et addit de sententia 63. *& dicit*: Absurda.

De sententia 64. Absurdè sonat.

De sententia 65. falsa.

Sententia 66. apertè falsa.

Sententia 67. falsa.

Sententia 68. falsa & præsupponit falsum.

De sententia 69. Collector malè refert.

De sententia 70. Quæstionem hanc nunquam disputavi.

De sententia 71. falsa.

De sententia 72. idem quod de 48.

De sententia 73. falsa.

De sententia 74. idem quod de 56.

De sententia 75. hanc quæstionem nunquam disputavi.

De sententia 76. falsa.

In MSS. Codicibus unde hæc ultima excripsi nonnullæ omissæ sunt sententiæ quas ex Apologia suppleri posse existimavi, ut nulla sit circa quam prolatum à Michaele Baio judicium non habeatur.

BREVE

PII V. SUM. PONTIFICIS

MICHAELI BAIO.

DILECTO FILIO MICHAELI BAIO.

DILECTE FILII, *Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Quamvis ea quæ super libro & propositionibus ad nos missis per litteras nostras Apostolicas sub plumbo superioribus diebus decrevimus atque statuimus, non sine matura deliberatione & consideratione à nobis decreta statutaque fuerint, quemadmodum & ipsius causæ gravitas & hominum alioquin de hâc Sancta Sede Apostolica bene meritorum conditio postulabat, tamen nos omnem novarum querelarum causam auferre volentes, simulque postulatis vestris satisfacere cupientes mandavimus ut & libri & ipsæ propositiones & scripta vestra, proximè ad nos missa, diligentissimè & accuratissimè iterum considerarentur & perpenderentur; quibus omnibus maturè admodum consideratis, quæ super hoc ipso jam decreveramus, nisi anteà à nobis decreta fuissent; eadem, prout facimus, de integro decernenda statuendaque esse judicavimus. Itaque tibi & cæteris prædictarum propositionum assertoribus ac defensoribus pro earum assertione & defensione perpetuum silentium imponimus. Vosque tanquam nostros hujusque Sanctæ Sedis obsequentissimos filios in Domino hortamur ut his quæ nunc vestra atque omnium Christi Fidelium Mater ac Magistra præcipit & jura decernunt, sine ulla recusatione obtemperetis, eaque omnia faciatis, quæ dilectus Filius Maximilianus Ariensis Ecclesiæ præpositus, Venerabilisque fratris nostri Archiepiscopi Mechliniensis Generalis Vicarius vobis facienda proponet. Erit hæc vestra erga nos, Sanctamque hanc Sedem, reverentia dignum obsequium, nobisque præterea gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 13. Maii 1569. Pontificatûs nostri anno quarto.

ALDOBRANDINUS.

EXPLI-

563

EXPLICATIO
ARTICULORUM A PIO V. DAMNATORUM,
AB IPSO
MICHAELE BAIO
LOVANII IN SCHOLIS THEOLOGORUM
FACTA. ANNO 1570

ANno 1570. decimo Septimo Aprilis horâ decimâ in Scholis Theologorum hoc modo declaravit se Eximius M. N. Michael Bay. Ex Codice G. scripto eodem tempore, nunc primùm edita.

Dicam vobis aliquid quod nunquam anteà dixi. Ante duos propemodum annos scitis missam fuisse Bullam ex Urbe (*Roma*) in qua damnantur articuli, quorum quidam sunt falsi, & rectè damnantur: Alii malè intellecti: Aliqui à Collectoribus non rectè collecti: Aliqui verò tantùm odiosi, eò quòd in eis servatus non sit consuetus usus loquendi Scholæ, videlicet secundùm Scholasticos receptos; quùm tamen aliquoties Patres reperiantur eodem modo loquuti.

De qua re nihil anteà vobis dixi, nec dicere volui ob certas causas. Prima est, ut res ista silentio sopiretur, & non nasceretur major contentio aut turbatio, dum aut Collectores viderentur insimulari falsitatis & calumniæ; aut sedem Romanam negligentiæ & præcipitis sententiæ; quam nunc vel maximè, propter turbatissima tempora, in summa veneratione, authoritate & dignitate esse docet. Secunda: eò quòd multa essent quæ ad me non pertinent, & de quibus ne cogitaverim quidem; per circiter quadraginta articulos. Tertia: ne quem exasperarem aut exagitarem magis; quùm potissimùm in diluendis criminibus, quæ falsò objecta sunt, non possit se homo omnino modestè continere, & affectibus temperare. *Qui enim non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Tamen temperavi mihi quantùm potui. Nam tractata hæc fuerunt in Collegio Theologorum (videlicet in Sabbathinis disputationibus à Cunero.) Tractata fuerunt etiam in concionibus (videlicet à F. Godefride Leodio in Quadragesima apud Minores:) & semper tacui & adhuc tacuissem, nisi Reverendissimis Dominis aliter visum fuisset expedire. — *Modestia Michaelis Baii.* — Jac. 3. 2.

Consolatus autem sum me hactenus illâ sententiâ Leonis, quam habet de Passione Domini: *Dominus elegit tacere: Quando enim non potest utiliter responderi, tunc præstat tacere.* Et cogitabam hoc quoque pertinere ad afflictionem justorum & dicebam mihi: si benè fuit, debeo habere patientiam; si malè, Dominus remunerabit: si fortè Dominus pro hac maledictione, reddat mihi (ut ait David) benedictionem.

Nunc autem (videlicet undecimo Aprilis) visum est Reverendissimis Dominis (videlicet Martino Ryshovio Iprensi *Episcopo*, Francisco Sonnio Buscoducensi, & Cornelio Jansenio Gandavensi) expedire ut aliquid hac de re vobis dicerem, & meipsum explicarem, ut hæc infamiæ nota à me amoveretur. Nam dicebant quòd ubique constantissimè fama deferretur me post obitum Magistri Nostri Tiletani omnia denuò turbare & innovare, & hujusmodi articulos docere; quòd quàm falsum sit scitis, quin & unico argumento vobis manifestissimè declarabo.

Scripsit mihi quidam Licentiatus, me propemodùm annis decem senior, ex Gandavo, passim illic hoc proclamari: ego autem diligenter inspectis litteris, & tempore quo scriptæ erant, cum prima lectione quam post mortem *Judoci Ravesteyn* Tiletani feceram, collato; comperi tantùm tres dies intercessisse. Ex quo videtis non potuisse istud nuncium tam subitò illinc transferri, & litteræ illinc ad me transmitti.

Plùs minùs viginti annis in hac Schola *Lovaniensi* docui: nunc propter hunc tumultum decreveram & à lectione & à disputationibus in totum abstinere, ne major contentio nasceretur. Hinc etiam quando positiones disputandæ mihi exhiberentur, si quid hujusmodi haberent, jussi deleri; vel si quid hujusmodi inter disputandum tractaretur, tacui; ut silentio tandem sopiretur. Qui enim præsidet Disputationibus, sedet quasi lepus canibus expositus: alius trahit hinc, alius illinc vellicat: nec semper fieri potest ut homo tam consideratè respondeat, ut omnibus placeat. Nam aliqui aut non rectè intelligunt, aut malè referunt: alii sunt zelantes pro alterius sententia. Hinc nascitur contentio & calumnia.

Ne tamen id facerem, aliæ me rursus rationes prohibebant: quia videlicet singuli de suo talento rationem sunt reddituri: nec ille excusatur, qui talentum in terra foderat, dicens: *sciebam quia austerus esses & durus*, &c. secundò, quia, sicut dicit Augustinus l. 22. de Civit. c. 23. *justus non debet ob maledicta aut calumniam* ab impartiendis beneficiis retardari.

His ita præmissis jam ad Articulos progreditur; è quibus turbato ordine hinc inde quibusdam lectis; ad falsos articulos sic dicit: Hæc sine dubio falsa sunt, & rectè damnantur; sed non sunt mea: hæc nunquam cogitavi; nec in libris meis invenietis. *Ad articulos dubios & obscuros, qui non sunt in sensu ab ipso intento intellecti, dicit:* Si tamen scivissem eorum occasione propter inconsuetum modum loquendi, aliquos offensum iri, tacuissem; & vellem me non sic scripsisse.

Sequitur nunc quorumdam Articulorum declaratio per ipsum M. N. Michaelem Bay.

Ad Articulos de Gratia. Primus, tertius, septimus, nonus qui de Gratia loquuntur, coincidunt. *Nec Angeli, nec primi hominis gratia,* &c. Alia est gratia, quæ datur peccatoribus per Christum Redemptorem: alia est gratia, & paulò alterius conditionis, quæ data fuisset hominibus si in statu puræ integritatis perseverassent. *Dicit itaque se intellexisse de gratia Christi; quia nec Angeli nec primi hominis merita rectè vocantur gratiæ, per Christum videlicet mediatorem & redemptorem facta.* Art. 1.

Ad Articulos de naturali & supernaturali. Naturale aliquando vocatur id quod homo habet à nativitate, sicut nunc nascitur, videlicet corruptus: & sic homini sunt naturalia non solùm corpus & anima, sed etiam peccatum. Hinc Apostolus, *eramus naturâ filii iræ.* Si sic loquimur de naturali, fides, charitas, & alia dona sine dubio sunt supernaturalia. Aliquando verò Augustinus vocat naturale, quod habet homo in primo statu. *Et sic dicit Michael Bay se aliquando cum Augustino locutum; ut appellaret ea dona naturalia, quæ homo habebat ex ordine naturæ à Deo institutæ.*

In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. Artic. 1. *Dicit M. N. Michael Bay* se hoc dicere non quòd *homo tunc sit indignus quando gratia confertur; sed considerando statum nostræ corruptionis in quo antea fuimus. Expedit enim hoc semper cogitare, & pro eo Deo gratias agere, quòd ex illo statu per Christum non solùm liberati sumus, sed etiam in statum filiorum Dei translati. Sic Apostolus se dicit minimum Apostolorum, indignum qui vocetur Apostolus, respiciendo statum in quo anteà fuerat. Sic enim maximè docet Paulus commendare & exaggerare Dei gratiam & beneficium: quòd dilexit nos cùm inimici essemus, & tradidit semetipsum pro nobis.*

Sacrificium Missæ non aliâ ratione dicitur Sacrificium, quàm generaliter, quâ ratione opus quod fit ut sanctâ societate inhæreatur Deo. Artic. 45.

Dicit Michael Bay se hoc nunquam docuisse, imo ne cogitasse quidem: nec aliud magis dolere quàm quòd hoc ei tam falsò imponatur. Dicit duobus modis aliquid homini offerri. Primò, quando aliquid simpliciter homini dono datur: ut, offero aliquid, id est, do alicui, pomum, nummum, vel aliquid aliud. Secundò, quando aliquid ad alterius honorem, utilitatem, gloriam, vel ad ipsum reficiendum, recreandum, vel consolandum, consumitur: utpote cùm Maria Magdalena ad gloriam Christi, & ad ipsum reficiendum & recreandum effudit pretiosum unguentum super caput ejus, ex cujus odore tota domus bene redolebat; Judas quidem voluisset ut priori modo obtulisset Domino: id est, ut simpliciter Domino dono dedisset, & non consumpsisset; ut ex eo vendito potuisset posteà aliquid furari. Sed ipsa obtulit posteriori modo, quia consumpsit ad ejus honorem & gloriam. Et sic distinguuntur oblatio & sacrificium; quia quando res quæ offertur, non immutatur, est oblatio; ut pote dum in Altari offeruntur vinum, poma, uvæ &c. Quando verò consumitur res, est sacrificium: ut cùm offerimus incensum, & adolemus thus ad Dei gloriam & honorem. Sic in Sacrificio Missæ si respicias terminum à quo, videlicet panem & vinum quæ Deo offeruntur; est oblatio, sive munus, donum, quæ Deo offeruntur. Unde dicitur in Canone Missæ: HÆC DONA, HÆC MUNERA. *Si verò respicias terminum ad quem, videlicet corpus & sanguinem Christi, in quæ panis & vinum transmutantur; est propriè dictum Sacrificium, & vero nomine* pro-

propitiatorium; quia offertur is, qui est propitiatio pro peccatis nostris. Si verò loquimur generaliter de Sacrificio, quatenus id dicitur sacrificium, quod fit ut sanctâ societate inhæreatur Deo: sic respiciendo ipsam actionem, etiam verè dicitur generali ratione sacrificium, quia est opus ad honorem Dei factum, ut ei sanctâ societate inhæreatur.

circa Artic. 31. 32. 67. *De Charitate: an possit consistere cum peccato mortali. Dicit M. N. Michael Bay hîc erratum esse in modo loquendi scholæ. Quòd in Catechumenis sit bona voluntas, dilectio, amor, apud omnes est extra controversiam. Sed difficultas ex eo nascitur quòd non distinxerim inter bonam voluntatem, & charitatem, secundùm consuetum modum loquendi scholæ. Charitas enim à schola non aliter accipitur, quàm quomodo Paulus accipit 1. ad Timoth. 1.* Charitas de corde puro *&c. hoc est, de charitate perfecta, quæ est actus vel habitus, quem operatur Spiritus inhabitans & propitius. Et talis charitas non est in eis qui nondum habent remissionem peccatorum. Habent quidem dilectionem, quâ incipiunt Deum amare, ut loquitur Concilium Tridentinum; habent bonam voluntatem, amorem & inchoatam charitatem, licèt nondum perfectam. Augustinus quodam in loco inter ista non distinguit, sed dicit bonam voluntatem, dilectionem, amorem & charitatem in Scripturis indifferenter accipi. Peccatum est igitur in eo quod secutus Augustinum non servaverit consuetum usum loquendi scholæ. Sic responsum est tribus istis articulis:* homo existens in peccato mortali &c. *art.* 67. Charitas perfecta &c. *artic.* 32. *&* Catechumenus justè, rectè, *&c. artic.* 33.

Artic. 12. *Pelagii sententia est; opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium. Dicit Michael Bay se semel tantùm, ut putat, id dixisse esse Pelagianum, aut sententiam Pelagii. Et dixit hoc non quasi velit dicere hoc esse hæreticum, sicut Collectores hoc forsitan intelligunt. Sed dicit quòd Pelagius istud senserit, non quòd in eo malè senserit. Sicut Augustinus contra Julianum, ubi agit de multiplici sanctificatione, tractans illud Apostoli 1. Corinth. 7.* NUNC AUTEM FILII VESTRI SANCTI SUNT, *citat unum commentarium ex sensu quem habet Pelagius, qui tamen verus & bonus est, non sic intelligens:* hoc est Pelagii: *id est hæreticum; sed,* Pelagius sic sentit. *Hoc igitur non est benè intellectum, vel est nimis odiosè & durè dictum.*

Artic. 19. *Opera quæ Christus fecit non habere majorem valorem ex dignitate Christi operantis.*

Dicit hoc falsum esse, & rectè damnatum: & se semper docuisse opera bona quæ Christus fecit, ex dignitate tantæ personæ infiniti esse valoris.

Art. 30. Non solùm fures &c. *hoc verum est: sed additur aliquid quod debet adjectum esse: nec in suo libro inveniri; videlicet quòd liberum arbitrium absque Dei adjutorio non valeat ad resistendum ulli tentationi, sic ut in eam non inducatur vel ab ea superetur. Hoc falsum est, quia liberum arbitrium absque gratia Christi potest alicui tentationi resistere. Nam possumus superare tentationem libidinis per agriculturam, vel per ambitionem, videlicet, unum vitium per aliud; aut per aliquod aliud opus naturale: sicut dicit Augustinus l. 21. de Civit. Dei c. 16. occultis vitiis sæpe apertè vinci & superari.*

Altero die, videlicet decimo nono Aprilis: Absolvamus, *inquit M. N. Michael Bay,* quod restat. Si quam unquam habuimus inter nos turbationem,

curavi

curavi quantùm potui ne veniret in publicum: quia vitiosum est quod de Herode in Evangelio dicitur: *turbatus est Rex & omnis Jerosolyma cum eo*: & nisi, ut dixi, quibusdam visum fuisset expedire ea de re nonnihil dicere, maluissem cum mei nominis honore tacere. Math. 2. 3

Articuli qui sequuntur sunt ferè omnes falsi, & rectè damnantur; sed ad me non pertinent.

Definitiva hac sententia: *Deum homini nihil impossibile præcepisse falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit. Artic.* 52. 53. Per illud conabatur Pelagius excludere peccatum originale: & in eo sententia optimè damnatur. Art. 52.

Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur: est absolutè falsum: sed potest dici quòd si talem creasset, non creasset peccatorem; quia talis fuisset ex Dei ordinatione. Quòd autem nunc tales simus, nobis imputatur rectè in peccatum, quia contra ejus ordinationem tales sumus. Sicuti si cui Deus ordinasset habere plures uxores, non esset illi peccatum; si tamen alius sine speciali dispensatione contra ejus ordinationem vellet etiam plures habere, sine dubio peccaret. Artic. 53.

Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo... ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur. Item: Art. 55.

Denique & illa distinctio duplicis vivificationis &c.

Optimè hæc damnantur: estque bona distinctio, atque in Scripturis sacris satis fundata. Prima vivificatio est, quando cor immutatur. Sic dicit Augustinus: *qui peccata confitetur, vivit: littera occidit, spiritus vivificat*: quia littera non facit legi obedire, quod facit Spiritus. Altera vivificatio est, quam operatur vel baptismus, vel absolutio. Etiam addi potest & tertia vivificatio, de qua dicitur: *vivificabit mortalia corpora nostra propter inhabitantem spiritum. Tertio die vivificabit: ut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, videlicet in extremo judicio.* 2. Cor. 3. 6. Gal 3. 21. Rom. 8. 11. Ozee 6, 3. 1. Cor. 15. 22.

Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ &c. est optima; & ideò qui improbant illam, rectè damnantur: quia apertè repugnant Augustino, epistola 105. vel 106. Artic. 60.

Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, &c. Illam quæstionem solvit eleganter Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Galliæ c. 7. *Infidelitas purè negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*: falsum est, & est contra Evangelium: *si non venissem, peccatum non haberent*. Sed est illis peccatum, quòd non credunt in unum Deum creatorem cœli & terræ; cùm illis hoc tota mundi fabrica prædicet & doceat. Art 62. Artic. 65.

Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, &c. utrumque est: & spiritus inhabitans, per quem primò fit justus in habitu: deinde opera bona requiruntur, per quæ fit bonus in actu. Artic. 66.

Homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis: falsum est, & contra Scripturam. Perfecta charitas foras mittit timorem; qui autem est in reatu, non potest non timere. Artic. 67

Art. 73. *Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum:* diliges Dominum deum tuum ex toto corde tuo. Absolutè falsum est. Si diceretur, non facit totum quòd in præcepto est; verum dixisset: sed non propterea dici potest: non facit mandatum.

Art. 75. *Immortalitas primi hominis* &c. fuit magna gratia, sed non per Christum facta.

Art. 76. *Falsa est Doctorum sententia: primum hominem potuisse à Deo creari vel institui sine justitia naturali.* Multùm laboravi priusquàm intelligerem quid sibi hæc sententia velit. Thomas dicit: *in prima gratia:* sed illa distinguitur à justitia naturali. Disputare autem de Dei potentia, non est utile: nam potuisset Deus creare hominem stupidum sine justitia.

Hactenus de Articulorum declaratione. Insuper adjecit *M. N. Michael Bay & hæc sequentia.*

Fatetur se aliquando disputasse in alteram partem certò definitam; & insuetas difficultates aliquando tractasse, & contra consuetum modum & usum loquendi scholæ loquutum. Et dolet se hoc fecisse; & si scivisset per hoc aliquem turbatum aut offensum iri, abstinuisset: sicut nunc edoctus facturus est.

Reliquos articulos dicit vel non esse suos, vel malè collectos, vel non esse eo sensu intellectos, quem ipse intendit. Malè autem ipsum habebat primò quòd multi Articuli, videlicet circa quadraginta, (præter malè collectos) *ipsi imputarentur, de quibus ne cogitaverit unquam. Secundò quòd multi sibi persuaderent omnes istos articulos, qui in hac* Pii V. *Bulla damnantur, esse falsos & hæreticos: quum aliqui falsi esse non possint, sed damnentur tantùm quia offensivi sunt & scandalosi seu odiosi, ut in Bulla dicitur: sic enim habet:* DAMNANTUR TANQUAM RESPECTIVE ERRONEI, HÆRETICI, SCANDALOSI, VEL PIARUM AURIUM OFFENSIVI; QUANQUAM NONNULLI SINT, QUI JUXTA SENSUM AB ASSERTORIBUS INTENTUM VERI SINT: &c. Et dixit mihi, *inquit ipse,* Reverendissimus Buscoducensis Episcopus Sonnius, qui eo tempore erat Romæ quando catalogus librorum prohibitorum colligeretur, multos libros ob hoc prohiberi & damnari, non quia hæretici, sed quia propter aliquam novitatem offensivi & scandalosi. Sicut solet alicubi moris esse, ut publicè in templo disputaretur aliqua quæstio in concione; quod ne rei novitate turbaretur populus, Romæ prohibitum est in ordinationibus. Item dicit *Michael Bay; si quædam non satis rectè explicuerit, aut nimis obscurè, propterea non insimulandum hæreseos: quia aliud est ignorare, aliud hæreticum esse. Sicut quidam eum malè intellexerat; postquàm verò ei sententiam suam explicuisset, consensit ille, & fassus est se anteà nunquam eum intellexisse, precatusque est veniam, si quid durius aliquando in eum dixisset: cujus testimonium dicit se adhuc domi in scripto habere.*

Hæc, *inquit M. N. M. Bay,* est mea apud vos excusatio; si tamen excusatione sit opus; quam puto sufficere. Hanc mecum feram non solùm in charta; sed etiam coram judice Deo in memoria mea. (*Hæc ait modestè:*) Vivamus in pace, & abstineamus ab his quæ vel nos vel alios perturbare possint. *Dixit.*

DECRE-

DECRETUM R. P. JULIANI DE QUERCU MINISTRI FF. MINORUM PROVINCIÆ FLANDRIÆ PRO CENSURIS SS. D. N. PII. V. IN QUOSDAM ARTICULOS.

VENERABILES PATRES ET FRATRES,

Gratia vobis & pax à Deo patre per Jesum Christum Dominum nostrum.

CUm mihi ex pastorali officio necessitas incumbat vigilandi super gregem meum & vineam in solo Flandriæ plantatam, mihi ad custodiam commissam, ne vulpeculæ eam demoliantur, visitandi; quod personaliter propter novas & urgentes causas quotidie accidentes non possum, per litteras facere contendo. Porrò cùm nuper emanaverint in septuaginta quinque articulos certæ Censuræ SS. D. Pii Papæ V. licèt in Comitiis Nivellensibus ann. 1568. *Patres illos Articulos abjuraverint pro se & pro tota Provincia; judicavimus necessarium eosdem Articulos cum suis Censuris ad vos mittere, ut iterum vestrûm quilibet eos abjuret. Itaque tam Sacerdotibus & Clericis, quàm Laicis, Capitulariter congregatis, legantur præfati Articuli cum suis Censuris, quibus lectis pater Guardianus (postquam prior ipse abjuraverit) jubebit ut quilibet publicè & altâ voce abjuret, promittatque tradíturum ante viginti quatuor horas post abjurationem factam, omnia scripta, si quæ penes se vel alibi habeant, M. Michaelis Baii, nullam denique se facturum querelam propter defensionem dictorum Articulorum, aut eorum qui eos quandoque docuerunt aut defensarunt; sed operam daturum paci provinciæ, quæ aliquoties turbata fuit propter illam doctrinam. Et postquam singuli abjuraverint & hæc promiserint, Guardianus conficiet litteras hæc & singula omnia continentes, quas muniet sigillo Conventûs & syngraphâ suâ cum annotatione anni, mensis, & diei: Sicque clausas tradet nobis quò citiùs poterit omni fraude seclusâ. Necessum autem fuerit ut sibi quisque prospiciat, ne post hæc acta ullo modo recidat in illam doctrinam, aut in aliquem ejus articulum: haberetur enim pro relapso, & dignus esset pœnis juris & in*

Bulla SS. D. contentis, quæ tales sunt ut propter crimen hæresis mereatur projici ab Ordine *omni Ecclesiastico præsidio spoliatus, & tradi Justitiæ sæculari mulctandus extremo supplicio. Et quoniam non solùm is qui recidit in doctrinam damnatam & abjuratam; sed etiam qui favet personæ hæreticæ, eam recipiendo, mittendo munera, defendendo quomodo libet, singularem amicitiam ostendendo, censetur esse relapsus; vigilandum erit ne quid horum per vos vel per aliquem vestrûm committatur: ne, quòd absit, in notam relapsûs veniatis. Ad hoc enim laboramus ut restituamus Provinciam in eo statu, in quo erat ante has doctrinas in eam introductas, & vos & singulos vestrûm servemus integros in Ecclesia &* Ordine *nostro, absque ulla hæreseos aut peregrinæ doctrinæ suspicione, ut liberi ac liberati omni tali sorde serviatis Domino Deo in unitate fidei, & spiritûs libertate. Lectis his Litteris curabit Pater Guardianus eas remittere ad proximi Conventûs nostræ Provinciæ Guardianum, ut etiam faciat respectivè quæ hic intendo. Et quia sorores habent etiam propter hanc doctrinam aut eos qui eam tenuerunt, inter se nonnullas etiam graves querelas; Guardianus exponet illis harum tenorem, & præcipiet omnium querelarum propter hujusmodi doctrinas aut personas abjurationem, sub gravissimis pœnis etiam usque ad relapsûs, si iterum incipiant ejusmodi contentiones sive querelas movere, ut in pace possint servire Deo juxta quod illi promiserunt. Datum Nivellæ sub mei Officii sigillo, meoque syngrapho Anno* 1569. *mensis septembris die primo.*

MAR-

MARTINI RYTHOVII IPRENSIS EPISCOPI, ET CORNELII JANSENII EPISCOPI GANDENSIS LITTERÆ FACULTATI THEOLOGIÆ LOVANIENSI, PRO SUBSCRIPTIONE BULLÆ PII V.

hactenus inedita.

EXIMII DOMINI, *& colendissimi magistri Nostri.*

Litteris suis nobis exposuit D. Vicarius Morillonius quòd apud Vestras Dominationes accusetur, ut qui privato facto suo alienum nomen prætexere voluerit, dum nuper tanquam ex Commissione eorum Patrum, qui Mechliniæ Provincialis Concilii causâ congregati erant, in scholis Theologicis publicationem fecit ejus Rescripti Apostolici, quod de quibusdam propositionibus ad se missum acceperat; à qua suspicione vehementer liberari cupit. Nos verò ingenuè fatemur hanc Commissionem ei datam fuisse, tum ut fidem nostram liberaremus apud Ducem Albanum, cui id ante menses aliquot promiseramus; tum etiam quòd res antea quidem solis Magistris Facultatis Sacræ Theologiæ indicata, & ut tum sperabatur, silentio premenda, jam longè latèque innotuisset, & non pauci obloquerentur & ægrè ferrent non proponi publicè quod omnes ex æquo concerneret, quodque Censurarum commininationem conjunctam haberet. Unde nobis videbatur occultatio ultra cætera incommoda etiam Facultati indignationem & mali nominis periculum allatura. Approbationem autem & subscriptionem existimamus nihil difficultatis habituram esse. Nam cùm solemne sit Sacræ Theologiæ Professoribus in omni resolutione difficiliori promittere apertam protestationem obedientiæ erga eos quorum est errantes in viam veri-

veritatis reducere; quid promptius erat, quàm ut Summi Pontificis etiam iteratæ definitioni acquiesceretur: præsertim dum satis constaret eos qui occasionem quæritare dicuntur, dilationem interpretaturos esse recusationem, & inde traducendi majorem occasionem accepturos. Accedit quòd cùm Eximio D. M. N. Michaeli seniori Facultatis hæc tota res anteà fuit communicata, & inde relata ad Suam Excellentiam, cui sic placuit, ut conceptam indignationem pro maxima parte ei exemerit, placuit & præsidi Viglio. Patribus autem quorum consilio Lovanium veneramus, imprimis verò Reverendissimis Dominis, Archiepiscopo Comeracensi, piæ mem., & Episcopo Atrebatensi, usque adeò grata fuit, ut nos optimam operam navasse testarentur. Quod igitur tanto applausu ab omnibus probatum fuit, nescio an sine gravi causa posset omitti. Dominus Morillonius scribit quosdam esse, qui ex subscriptione æstimant relapsûs insidias alicui strui posse, & ob id tardiores esse ad subscribendum. Nos verò ne lapsum quidem agnoscendum jam putamus si bonâ fide probetur, & in signum candidioris mentis, etiam subscriptione corroboratur decisio Suæ Sanctitatis, ad cujus sententiam & definitionem ex more Lovaniensis scholæ semper omnia referunt. Proinde nisi aliis & gravioribus de causis Dominationes Vestræ moveantur, rogamus ut quod tantorum virorum judicio ad sopiendam odiosissimam causam visum fuit utilissimum, & tam concorditer decretum non differatur propter vanum metum: nostraque monitio ex candore animi & sincero affectu procedens boni consulatur. Benignissimus Deus Vestras Dominationes conservet nostri memores. Decemb. vigesima tertia: 1570.

Vestris Dominationibus

Addictissimi

MARTINUS RYTHOVIUS.
CORNELIUS JANSENIUS.

BULLA

BULLA GREGORII XIII.

In qua declarat se Pii V. Bullam in ejus Registro reperisse, ac præcipit ut exemplo quod huic inserit, fides integra habeatur.

GREGORIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut ea quæ à Prædecessoribus nostris emanarunt, suadente maximè fidei catholicæ conservatione, ubicunque ipsis opus est, producantur. Quare Nos tenorem Litterarum foelic. Record. Pii PP. V. prædecessoris nostri in ejus Registro repertum describi, & præsentibus annotari fecimus, qui talis est.*

Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus &c. *ut suprà eam retulimus. Cæterum volumus ut earumdem Litterarum tenori sic inserto illa ipsa omnino fides adhibeatur ubicunque & quandocunque sive in judicio sive alibi ille fuerit exhibitus vel ostensus, sicut illius originalibus Litteris prædictis adhiberetur, si ipsæ exhiberentur vel ostenderentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo nono, quarto Kal. Februarii: Pontificatûs nostri anno octavo.* Sic Subscriptum: JOANNES BAPTISTA CANOBIUS. In plica scriptum fuit: *A. de Alexiis*. In dorso verò: *Rota apud M. Datar.*

CONFESSIO MICHAELIS BAII.

EGo Michael de Bay, Cancellarius Universitatis Lovaniensis, & in eadem professor Sacræ Theologiæ, agnosco & profiteor me ex variis colloquiis & communicationibus habitis cùm R. P. D. Francisco Toleto, Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter misso, super diversis sententiis & propositionibus jam olim à Sanctissimo D. N. Pio V. foel. record. sub data Kal. Octobris 1567. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Max. sub data quarto Kal. Februarii, anno 1579. iteratò damnatis & prohibitis, ita motum & eò perductum esse ut planè habeam mihi persuasum earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritòque, ac non nisi maturo judicio, ac diligentissimâ discussione præmissis factam atque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis in nonullis libellis à me olim & ante emanatam Sedis Apostolicæ super eis censuram, conscriptis & in lucem editis contineri & defendi, etiam in eo sensu in quo reprobantur. Denique declaro me impræsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à Sancta Sede factæ acquiescere, neque posthac ullam earum docere aut defendere velle. Actum Lovanii die 24. Martii, anno 1580.

MICHAEL DE BAY.

BRE-

569

BREVE GREGORII XIII.

DILECTO *Filio Michaeli Baio, Cancellario Universitatis Lovaniensis, & in eadem Sacræ Theologiæ professori;*

DILECTE FILI, *Salutem & Apostolicam Benedictionem. Mittimus exemplum publicum Litterarum sanctæ memoriæ Pii V. quas tum per litteras tum per dilectum filium Franciscum Toletum postulasti. Quicquid autem acciderit in quo possimus tuæ charitati gratificari, nunquam committemus ut ullum à nobis amantissimi parentis munus desiderari possit, hocque certum te habere volumus. Te quoque vicissim tuæ pietati optimique filii officio summæque bonorum omnium expectationi omnibus in rebus cumulatissimè satisfacturum esse persuasum habemus. Quo nomine omnem tibi à Domino Deo nostro tùm in hac tum in futura vita fælicitatem precamur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15. Junii, anno 1580. Pontificatûs nostri anno nono.* Subscriptum erat: ANTONIUS BUCAPADULIUS.

EPISTOLA D. in S. T. LICENTIATI FRANCISCO SONNIO EPISCOPO SYLVÆ-DUCENSI: SEU

NARRATIO EPISTOLARIS eorum quæ Lovanii contigerant circa Articulos M. N. Michaeli Baio impositos, & à Pio V. damnatos, eo præsertim tempore quo R. P. Franciscus Toletus ex commissione Apostolica ad Facultatem Sacræ Theologiæ destinatus, Breve quoddam (Bullam) Gregorii XIII. publicavit 21. Martii anni 1580.

Ex Mſ. L. primùm edita.

Iterata ista articulorum Domino Cancellario impositorum condemnatio, R. D. per quosdam Facultatis Theologicæ Magistros & intercessione summorum aliquot virorum apud Romanum Pontificem procurata est; idque ex ea potissimùm occasione quòd D. Cancellarius post priorem quæ à Pio V. facta fuerat condemnationem, inter disputandum in scholis ea nonnunquam objecerit argumenta quibus plerique articuli olim ab ipso asserti ac docti statui viderentur, & oppositæ aliorum sententiæ in omnium Academiarum scholis receptæ convelli ac dilui: quod tametsi credibile videretur illud non eo fecisse animo ac studio, ut reprobatos ab Apostolica sede articulos assereret aut doceret, sic enim Censuram Bullæ Pontificiæ jam pridem & frequenter incurrisset; sed ut rei veritas argumentorum inter se collisione & dissolutione innotesceret, uti fieri solet in illis etiam nostræ Religionis controversiis quæ inter Catholicos

&

& Hæreticos disputantur; secus tamen ab iis hoc est acceptum, qui apud Pontificem illum deferri curaverunt & tanquam in pristinos relapsum errores accusaverunt. Itaque res eò perducta est, ut sua Sanctitas cùm ea de re litteras quoque à Regia Majestate accepisset, R. P. Franciscum Toletum, suum Ecclesiastem, qui inter alios ad Articulorum istorum examen atque judicium adhibitus fuerat, ad Academiam hanc nostram destinaverit eâ potissimùm de causâ, ut in Facultate sacræ Theologiæ Gregorianam Bullam, cui Pii V. Bulla ad verbum inserta est, & quam confirmat, publicaret. Quâ publicatione vigesimo primo mensis Martii coram toto Auditorio factâ, ad D. Cancellarium, & deinde ad reliquos Magistros, Licentiatos & Auditores comitatûs, quærebat ab iis num lectos in Bulla Articulos condemnarent; quibus omnibus annuentibus, è schola discessum est. Et quanquam res ista cum multis privatis accusationibus & calumniis, quæ à Commissario Apostolico jam satis innotuerunt atque detectæ sunt, D. Cancellarii animum non parum affligeret; nihilominus tantâ ille fortitudine, tantâque modestiâ hæc omnia devoravit, ut dictus Apostolicus Commissarius diceret se hac viri istius modestiâ, humilitate & mansuetudine plurimùm ædificatum & recreatum fuisse; hæc etiam adjiciens, quòd quantùm in se esset, honorem ipsius, quem alii labefactare conati fuerant apud Ro. Pontificem, esset reparaturus. Adjecit quoque Pontificem mox Regi Hispaniarum rescripturum esse. Porrò inter alia colloquia quæ D. Cancellario cum Apostolico Commissario intercesserunt, hæc etiam objecta sunt, quòd adversarii D. Cancellarii dicerent, eum privatim discipulos suos istis opinionibus imbuere. At Cancellarius respondit: isti sunt testes dormientes quales erant custodes Dominici Sepulchri. Audias si places sub juramento eos qui supersunt discipulos, & qui hæc dicunt & me relapsum esse probari posse suggerunt, ponant rem in judicio. Ex eo non mihi sum conscius: quòd si me convincant, paratus sum omnem pœnam subire. Et ut Goudanus vel Gravius, quos hæc suggessisse puto, incipiant in jure agere, rogo, rem etiam mihi pergratam facturi sunt qui apud Judicem me urgebunt. Misit præterea per D. Commissarium ad Pontificem litteras D. Cancellarius, in quibus inter alia ita scribit: [Possem Vestræ Beatitudini exponere quantas & quàm iniquas calumnias duodecim abhinc annis occasione horum Articulorum passus sum: sed ad patriam properanti, ubi omnia clara & manifesta erunt, alia cogitanda videntur.] Et in calce earumdem litterarum, se suaque omnia Sanctæ Sedi Apostolicæ committit & subjicit. Quod verò ad libellos olim à D. Cancellario editos attinet, declaravit D. Commissarius illorum lectionem non esse interdictam, quæ etiam adversariorum fuerat sententia. Mihi verò, ut ingenuè loquar, etsi judicium mihi nolim de Præceptoribus aut Majoribus meis distrahere, nimis intempestiva fuisse videtur Bullæ istius impetratio, hoc præsertim rerum nostrarum statu, tum quòd magnam hinc verear ansam fuisse datam luxatæ violatæque inter Theologos nostros si non prorsus extinctæ charitatis: tum etiam quòd metuendum valde sit quòd hi qui in fide sunt infirmi, & Religionis nostræ adversarii, ex ista publicatione, & veteris dissidii renovatione, sacræ Theologiæ professionem elevare studebunt. Non velim etiam illud R. Gratiam Tuam latere, non omnes qui in Bulla continentur articulos à D. Cancellario assertos ac doctos fuisse, tametsi per calumniam hoc ei adversarii imputant; nam ipse ante complures annos, quorumdam hujus Provinciæ Episcoporum hortatu in schola publica, me audiente, Articulos omnes recensuit, & plures inter illos fuisse pronunciavit hæreticos, pestilentes, falsos & quos ipse nunquam opinatus fuerat.

fuerat. Accedit quòd in Bulla articuli isti tanquam hæretici, scandalosi, & piarum aurium offensivi, sed respectivè tantùm, damnantur: quodque sicut Bulla loquitur, PLERIQUE ILLORUM IN RIGORE VERBORUM, ET JUXTA SENSUM AB AUTORIBUS INTENTUM, VERI SUNT; *nec prohibitum sit propter istam respectivam damnationem quosdam ex illis veros esse existimare & credere: sed tantùm propter offensam docere, scribere vel disputare, sic enim Bulla loquitur. Ideoque maluissem in iterata ista prohibitione, maturiori judicio veros à falsis atque hæreticis selectos & discretos fuisse, sublatâ istâ respectivâ, & nimis, ut apparet, confusâ anathematizatione. Hæc ego candidè & liberè pro meo more ad Tuam Gratiam scribenda esse duxi, non quòd articulorum istorum, qui mihi nunquam probati fuerunt, aut Domini Cancellarii patrocinium suscipere velim; sed ut veritate intellectâ & habitâ eâ oportunitate eadem R. Gratia Tua aliquando det operam ut discordes isti dissidentesque Articuli inter se concilientur & ad amicam concordiam revocentur: tum etiam ut ex tua testificatione intelligant alii viri boni & Christianæ pacis & concordiæ studiosi Bullam istam non tantùm editam fuisse adversus D. Cancellarii opiniones, sed contra Ariminensem & quosdam Scholasticos, apud quos plerique istorum articulorum ita tractati & disputati inveniuntur. Præterea adversus quosdam qui Cancellarii scripta malè intellexerant, & contra Gosovinum de justitia scribentem, & similes scriptores. Deus enim mihi testis est, me nihil ita ex animo optare atque ut infirmis & fidei hostibus hoc præsertim infœlici sæculo omnis calumniandi via præcludatur; & inter Catholicos omnes, maximè verò inter Theologos, charitas illibata atque illæsa servetur. De Orantio non est opus multa scribere; non enim dubito quin R. Gratia Tua scriptum illud vidit quod adversus Cancellarium Coloniæ excusum in lucem emisit, quin illud cum D. Commissario Apostolico & Doctoribus, editione & scriptione indignum judicet. Benè vale. Lovanii, mense Aprili anni* 1580.

NARRA-

N A R R A T I O
BREVIS VERBORUM
QUÆ
LOVANII IN SCHOLA
S. THEOLOGIÆ INTERCESSERUNT
INTER MAGISTROS
NOSTROS
MICHAELEM
ET GOUDANUM: 12. NOVEMBRIS 1580.

Ex MSS. L. primùm edita.

D*isputatio erat de meritis operum, cujus disputationis Præses erat Dominus Michael. Et primæ Conclusionis initium istud:* JUDÆI IGITUR LEGE ET ORDINATIONE DEI &c. *Argumentans verò tertiæ Conclusionis partem istam impugnabat:* QUAM ILLI QUI CREDUNT. &c. *Cui argumento cùm D. Michael respondisset in hæc verba:* CREATUS EST HOMO UT BONA OPERA FACIAT, QUEMADMODUM AVIS UT VOLET: ET SICUT AVIS VOLARE NON POTEST FRACTIS ALIS, ITA NEC HOMO BENE OPERARI POTEST CONFRACTIS VIRIBUS: *subjecit Goudanus istam interrogationem: An igitur quemadmodum avi volatus, ita justitia primo homini fuerat naturalis? Ad quam interrogationem si affirmativè respondisset, in articulum per Bullam Pii V. condemnatum impegisset, eum scilicet qui primo homini justitiam asserit fuisse naturalem. Cujus rei periculum simul & interrogantis intentionem & studium persentiscens Dominus Michael respondit se hoc non dicere, sed tantùm in eo similitudinem statuere, quòd quemadmodum avis fractis alis volare non potest, ita nec homo destitutus Spiritu Sancto, qui & ei adinstar alarum est, & quo in sublime ferebatur, benè operari potest. Institit ulteriùs D. Goudanus hisce ferè verbis:* Dicitis in primo articulo tertiæ Conclusionis: EADEM LEGE ET ORDINATIONE &c. an ergo justitia & ejus meritum fuerunt homini naturalia in

primo statu? *Cujus interrogationis hæc videtur fuisse causa, quòd M. N. Michael ante publicatam Bullam dicere solitus fuerat, meritum primi hominis descendere ex lege naturali & non à gratuitâ Dei ordinatione. Id quod etiam in dictis verbis 1. Conclusionis Michaelem latenter insinuare voluisse opinabatur Goudanus, cujus opinionem irrationabilem declarare volens, in hæc verba interrogavit Magnificus D. Rector Joannes Lensæus Belliolanus:* SEQUITUR BENE, EADEM LEGE: ERGO NATURALI? NUNQUID ENIM RECTE DICERETUR: EADEM LEGE, QUIA SICUT TUNC LEX MERITI GRATUITA DEI ORDINATIONE CONSTITUTA FUIT, ITA ET NUNC INCONVULSA PERSISTIT? *Sed ab ipsis inter se altercantibus D. Rector auditus non fuit: Ad instantiam verò D. Goudani Respondit Michael ipse, de Responsali more scholæ loquens, non respondebunt tibi, quia timent sibi ab insidiis. Respondit Goudanus: si dicas veritatem, non est tibi periculum ab insidiis. Tum Michael: qui multa expertus est, meritò timet & cavet. Ad quæ Goudanus: non oportet hoc solemne auditorium celare veritatem. Contra Michael: vos estis Magistri nostri, Doce tu; non enim tenetur Responsalis ad quævis interrogata respondere, sed ad ea tantùm quæ ad præsentem positionem pertinent. Ipsa autem interrogatio est extranea positioni & captiosa, quæ trahit eum ad illud dicendum quod non vult dicere. Si tu esses tam diligens in docendo, quàm es in carpendo, melius faceres. Ordinatio Facultatis habet, quòd quando occasio harum controversiarum in disputatione sese offert, omnino taceatur de iis, & ad alia transeatur. Ad hæc Goudanus: cum venia, Domine Magister noster, ordinatio Facultatis habet ut veritas explicetur. Subjecit Michael: scilicet veritas, quam vos præscribetis. Ac deinde ad alia transitum est. In quibus verbis Magistrum nostrum Michaelem nihil contra Bullam Pii V. deliquisse manifestum est consideranti Bullam ante in ea contentorum scriptionem, prælectionem, ac disputationem, tantummodo prohibere & non ad contrariorum articulorum assertionem adigere. Spectabat autem prædicta Goudani interrogatio non ut D. Michael ab articuli damnati, de quo quæstio erat, assertione supersederet, quod solùm Bulla requirit; sed ut contrarium assereret, ad quod Bulla non adstringit. Nec solùm in hac disputatione Magistri N. Goudani, & alterius cujusdam Magistri nostri eò contendit studium. Id ipsum enim per artes ab Apostolicæ Sedis Commissario qui fuit, obtinere conatus fuit, sicut & librorum ejus condemnationem seu prohibitionem: sed ille pro sua modestia commissionis suæ limites excedere nolens, solo M. N. Michaelis in posterum promisso silentio contentus & gavisus fuit.*

EX

EX ACTIS UNIVERSITATIS LOVANIENSIS

ANNO 1585. IN NOVEMBRI, jam primùm editum.

Lovanium hoc anno 1585. venit Reverendissimus ac Illustrissimus Vercellensis Episcopus Sedis Apost. Nuncius, qui & scholæ nostræ disputationes suâ præsentiâ honorare dignatus est, & Præsidem earumdem disputationum cum plerisque Magistris ac Professoribus ad prandium secum abduxit. Post disputationem sub mensis hujus Novembris finem in scholis Theologorum habitam, retulit Decanus (Henricus Gravius.) vocatum se ab Archiepiscopo Mechliniensi, qui ei declaravit à Nuncio Apostolico mandatum se accepisse ut Theologicæ facultati per ejus Decanum proponendum & insinuandum curaret, quomodo pro Officii sui ratione & singulari erga ipsam affectu totus in hoc incumbat, ut extinctis atque abolitis damnatis à Pio V. nuper opinionibus, certa stabilisque pax & concordia inter scholæ tum professores tum auditores coalescat & confirmetur: Videri autem sibi fieri non posse, nisi unius ejusdemque doctrinæ consensione, neque etiam ad solidam perpetuamque satis esse pacem, si à damnatis sententiis concorditer abstineatur, sed opus præterea esse, ut de certa aliqua doctrinæ ratione in commune conveniat, quæ ex adverso tenenda & reprobatæ opponenda sit. Quare petere se uti brevem aliquam hujusmodi doctrinæ formulam seu explicationem concipere velint, quam eis suprà dictorum Articulorum damnatio (salvo semper Apostolicæ Sedis judicio) postulare videatur. Daturum se operam ut eam Ro. Pontifex cognoscendam suscipiat, & approbatam aut sicuti videbitur limatam, tenendam hic omnibus suâ autoritate proponat atque confirmet. Quâ Decani relatione auditâ, judicarunt Domini negotium hoc uni alicui committendum esse, qui ejusmodi formulam conciperet ac reliquis deinde Facultatis Magistris communicet, censuram judiciumque singulis suum, si quid fortè addendum, demendum, mutandumve existimarint, scripto comprehensuris, ut ex communi tandem sententia placitoque concepta doctrinæ petitæ formula Archiepiscopo Mechliniensi ac per illum Nuncio Apostolico tradatur.

Rogatus autem à Dominis M. N. Lensæus est, ut id operæ suscipere dignaretur, qui pressius tandem se facturum promisit; ac intra dies paucos confectum reddidit:

didit: Moxque Decanus quod ab eo ſcriptum acceperat in plura exemplaria diffundi juſſum, ſingulis Dominis communicavit, cenſuram eorum judiciumque depoſcens. Verùm ſupervenientibus variis diverſiſque impedimentis res ea longiùs protracta eſt; nec ſub hoc Decanatu abſolvi potuit; quare eam ad ſucceſſorem ſuum præſens Decanus perficiendam tranſmittere coactus eſt.

EXTRACTUM
EX
ACTIS DECANATUS
DOMINI WALLII.

STatim in initio concepta eſt doctrinæ forma per D. M. N. Balliolanum (id eſt Lenſæum) communi cæterorum Magiſtrorum ad hoc requiſitorum judicio probata eſt, & ad manus Illuſtriſſ. Nuncii Apoſtolici tradita.

DOCTRI-

DOCTRINÆ EJUS QUAM CERTORUM ARTICULORUM DAMNATIO POSTULARE VISA EST,

Brevis & quoad fieri potuit ordinata & cohærens explicatio, à Veneranda facultate sacræ Theologiæ in Lovaniensi Academia, Reverendissimi Illustrissimique D. Johannis Bonhomi, Vercellensis Episcopi, & Apostolici per utramque Germaniam Nuncii voluntate ac jussu concepta.

PRÆFATIO.

De consequentibus articulis quos *(a)* rectè atque ordine ab Apostolica sede damnatos esse non dubitamus, quid nobis videatur, quidque sentiendum arbitremur, brevi quadam explicatione demonstrandum esse censuimus, nostram interim sententiam atque judicium Sedis Apostolicæ censuræ, eâ quâ par est obedientiâ submittentes. *(b)* Si quis autem est qui doctrinæ hîc comprehensæ, vel uberiorem explicationem, vel probationem *(c)* operosiorem, locupletioremque desideret; aut majorem etiam in judicando severitatem, acrimoniamque in refellendo requirat: is cogitet non aliud nobis fuisse in hoc studii genere propositum, quàm ut Doctrinæ formula, quæ in hisce rebus Sedis Apostolicæ judicio congrueret, damnatisque sententiis ex adverso consisteret, proponeretur.. Quam quidem formulam eò commodiorem aptioremque, quò brevior ac moderatior esset, futuram esse judicavimus.

(a) Al. *recto ac bono ordine.*
(b) hæc omittuntur in MS. D. L.
(c) Al. *ampliorem.*
(d) Al. *judicabamus.*

ARTICULI DAMNATI.

1. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.*
7. *Primi hominis integri merita, fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur gratia: quo fit ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.*

9. *Dona concessa homini integro & angelo, forsitan non improbandâ ratione possunt dici gratia; sed quia secundum usum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus & indignis conferuntur; ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.*

CAPUT PRIMUM.

DEclaramus igitur videri nobis, & angeli & primi hominis adhuc integri merita rectè gratiam vocari: ut quæ ab eâ gratiâ fluxerunt, in qua conditi erant, juxta notissimam illam D. Augustini sententiam, quâ Deum asserit in Angelis simul & naturam condidisse, & gratiam esse largitum. Eam porrò gratiam in sancto amore, & divinitus per Spiritum Sanctum infusâ charitate præsentique Dei adjutorio positam interpretamur; sine qua gratia, neque hominis, neque Angeli eæ liberi arbitrii vires esse potuerunt, quibus beatificæ illius visionis Dei ullum meritum compararent: quoniam, ut ait (a) idem Augustinus, de primo etiam homine loquens, *liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*; ideoque nec primum hominem sine sua gratia esse voluit, sine qua (b) (inquit) nec ullum meritum tunc esse potuisset. Quocirca primi hominis adhuc integri merita sic primæ creationis munera fuisse fatemur, ut non tantùm merita, verùm etiam gratiæ deberent nuncupari, idque eâ loquendi ratione & modò, qui non sit à divinis Litteris alienus: in quibus gratiæ vocabulo significatum esse (c) perspicitur gratuitum hoc munus, quod supra naturæ facultatem, nullius meriti præcedentis intuitu ad spiritualem hominum utilitatem datur. Unde & Christum secundùm humanam naturam gratiâ plenum legimus, & in membris ejus divisiones gratiarum, unumque interim earum largitorem spiritum, qui dividit singulis prout ipse vult, non prout accipientium quisque meretur. Frequenter tamen specialior illa, planeque eximia & singularis divinæ miserationis gratia commendatur, quâ propter Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum peccatores justificantur, non solùm nullis præcedentibus meritis bonis, verùm etiam multis malis, quibus Dei gratiæ beneficio reddebantur indigni. Quam gratiam locis quidem variis asseruit, sed luculenter admodum explicavit B. Apostolus, cùm epistolæ ejus, quæ apud Titum capite tertio scriptum reliquit: *eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem; cùm autem benignitas & humani-*

lib. 12. de civi. Dei cap. 9.

(a) lib. de correp. & gratia cap. 11.

(b) ench. cap. 106.

(c) Al. *videtur* Joan. 1. 1. Cor. 12. Rom. 12.

humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum; ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. Major ergo hæc quidem gratia, quâ tantùm boni præstatur indignis: sed & illa gratia tamen fuit (quia gratuitum munus & indebitum naturæ beneficium) quâ primus homo (a) usque adeò in naturæ divinæ consortium evectus est, ut Dei per adoptionem filius esset, ideoque & illius beati ac cælestis regni hæres.

(a) Al. in tantum.

ARTICULI.

Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. 21.

Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret. 23.

A vanis & otiosis hominibus secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus. 24.

Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. 26.

CAPUT SECUNDUM.

Nam neque id verum arbitramur humanæ naturæ sublimationem & exaltationem in divinæ naturæ consortium, debitam fuisse primæ conditionis integritati, proindeque naturalem dicendam fuisse, non supernaturalem, tantùm abest ut absurdam censeamus illorum esse sententiam, qui hominem asserunt dono quodam supernaturali & gratuito, supra naturæ suæ conditionem fuisse initio exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret: aut à vanis & otiosis hominibus secundùm philosophorum insipientiam excogitatum esse quod dicitur, hominem sic ab initio constitutum, ut per dona Dei naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus: neque enim tantum honoris & gloriæ aut humanæ naturæ ratio postulabat, aut simplicis cujuspiam innocentiæ requirebat integritas: quasi videlicet aut non potuerit esse homo, nisi tam divinâ esset sapientiâ præditus; aut nequiverit esse rectus, atque ab omni vitio liber, nisi tam præclaris esset animi dotibus exornatus, tantæque similitudinis ac societatis excellentiâ suo Conditori propinquus. Itaque supra eum sensum quem habere naturaliter de suo Conditore potuit, quia mente ac ratio-

ne prædituserat; ſupraque eum affectum, quo de naturæ viribus in ſuum benefactorem valuit aſſurgere, ſapientiæ divinioris infuſum eſt lumen, quo illuſtrata mens hominis, non cognitione modò ſublimiore, verùm etiam præſtantiore dilectione ſuo Conditori tanquam parenti & amico, velut unus cum eo ſpiritus, arctiſſimo ſocietatis vinculo jungeretur. Ad eum verò finem ultimum, qui in Dei clara viſione poſitus eſt, quo nihil homini contingere poſſit aut ſublimius ad gloriam, aut efficacius ad exuberans & inamiſſibile gaudium, quando ſuis natura viribus eniti aut pertingere potuiſſet, niſi magnâ dignatione Dei, & munificâ, planeque liberali ejus benignitate, eò fuiſſet deſtinata, ordinata & evecta? Nam & ſervili conditione facere hominem (a) Al. potuiſſet. (b) Al. privari. (a) potuit, qui pro ſuis obſequiis aliam nullam mercedem expectaret; ac tametſi non potuiſſet alicujus ſuæ felicitatis fine (b) fruſtrari, longè minoris tamen beatitudinis inſeri potuit appetitus, ut ſublimiore illâ, nullâ moleſtiâ careret. At nunc hominem Deus tanto honore & gloria coronare dignatus eſt, ut non ſervus tantùm eſſet, ſed & filius; nec vulgarem ſibi finem haberet propoſitum; ſed eum quo excellentior, boniſque ad felicitatem pertinentibus cumulatior ne fingi quidem poſſet. Eam autem inſtitutionis humanæ dignitatem etſi non improbandâ quâdam ratione poſſemus dicere naturalem, tum quia cum ipſa natura exorta eſt, quomodo & hæc communis originis vitia naturalia eſſe dicuntur; tum quia naturæ humanæ apprimè conveniunt, eamque & perficiunt & exornant; Sap. 11. Ephes. 2. rectiſſimè tamen ſupernaturalem quoque dixerimus, dicendamque arbitramur, quòd humanæ naturæ longè exuperans facultatem ſingulari beneficio & virtute Conditoris ei ſuperaddita ſit: quo factum eſt ut utroque ſermone veteres uterentur, & quam Serm. 1. de jeju. (c) oratione 1. contra Arian. paulò poſt initium. S. Leo Pontifex naturalem hominis appellavit dignitatem, (c) Athanaſius & eum ſecutus (d) Cyrillus ſupernaturalem dicerent.

(d) lib. 1. in Joan. cap. 13. & 14. l. 10, c. 23, & l. 122. cap. 51.

ARTICULI.

3. *ET bonis Angelis & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſent uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces & non gratia.*

4. *Vita æterna homini integro & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum: & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.*

5. *In promiſſione facta Angelo & primo homini, continetur naturalis Juſtitiæ conſtitutio, quia pro bonis operibus ſine alio reſpectu vita æterna juſtis promittitur.*

6. *Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret in qua mori non poſſet.*

2. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.*

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

EX quibus non difficulter intelligi potest ipsam æternam vitam, quæ Angelo & homini in perseverantiæ suæ præmium promissa fuit, non tantùm mercedem justitiæ, sed & gratiam dici (a) debuisse: quemadmodum enim jam post hominis lapsum vita æterna ab Apostolo dicta est Gratia, propterea quòd, interprete D. Augustino, justitia, cui redditur, magno divinæ gratiæ beneficio tribuatur; ita etiam integro homini vita æterna futura fuerat gratia, quòd ea divini consortii filiationisque dignitas, ex qua jure quodam tantæ hæreditatis capescendæ pollebat (juxta id quod ab Apostolo Paulo expressum est: *si filii & hæredes:*) planè gratuito, sicuti anteà dictum est, indebitoque divinæ erga hominem dignationis beneficio, homini cùm crearetur fuerit attributa: quamvis interim inficiari nemo queat, propriâ quâdam peculiarique ratione homini jam perdito & damnato eamdem vitam æternam cœpisse gratiam esse, quam B. Apostolus commendare voluerit, cùm scriberet; stipendium quidem peccati esse mortem, gratiam verò Dei vitam æternam: cujus singularis gratiæ contemplatione dictum ab Augustino est, homini integro & Angelo si perseverarent, vitam æternam mercedem meriti fuisse futuram, quæ perdito per lapsum bono merito, in his qui liberantur, donum gratiæ facta est: alioqui ne tunc quidem lege naturali debita fuisset homini beata in Dei visione vita: quasi tantum tamque sublime bonum ita humanæ fuisset naturæ debitum, ut eo nisi interveniente peccato carere non posset. Supernaturalem omnino legem gratuitamque ordinationem, è munificentiæ divinæ erga creaturam suam fonte manantem asserimus eam, quâ effectum initio est, ut homini ad tam ineffabilem tamque eximiam suæ mercedis excellentiam aspirare liceret. (b) Quòd si tamen naturalem dici posse putet legem, quia sit ab initio ita constituta, non ei censemus pugnaciter esse resistendum: præsertim cùm dicat Augustinus naturalem esse legem, quâ boni beatam, mali miseram vitam mereantur. Porrò si potuit homo ab authore suo ita fieri naturaliter bonus, ut tamen ei supernaturale à Deo præmium minimè deberetur, multò minùs est in natura boni operis constituenda meriti ratio, quo ad vitam veniretur æternam. Etenim etsi esset opus malum sua ex natura mortis æternæ meritorium, non tamen consequens foret tanti præmii meritum ex boni operis natura profluere, cùm possit ad defectum dejectionemque natura sibi sufficere, non autem ad provectionem tantam & gloriam. Itaque nisi & hominem Deus eâ personæ qualitate exornasset, quâ cælesti regno dignus esset, & hoc ei suâ liberalitate in justitiæ præmium promisisset, nulla ejus meriti potuisset constare ratio, cui vita æterna justitiæ lege deberetur; non enim ob boni operis naturam æterna vita beneoperanti est debita, sed sic honorabitur quem rex voluerit honorare.

(a) Al. potuisse.

Rom. 6.

Epist. 105. & lib. de gra. & lib. arb. cap. 6. & sequ.

Rom. 8.

Rom. 5.

l. de corrept. & gra. cap. 10. & 11. & ench. cap. 7. & 106.

4.

6.

(b) Al. hæc omittuntur.

l. 1. de lib. arb. c. 6.

hester. 6.

ARTICULI.

51. *DEus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur.*

75. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

76. *Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine justitia naturali.*

CAPUT QUARTUM.

CUm autem explicatum sit qualem quantumque Deus hominem suæ gratiæ beneficio, primâ ejus conditione reddiderit: non magnum jam fuerit concipere, qualem alioqui, hoc est, quanto inferiore gradù, sorteque
53. minore, facere eundem potuisset. Talis enim fieri potuit, qualis nunc nascitur, non quòd peccator aut vitiosus, pravusque qualis modò nascitur institui à Deo potuerit, sed quia corpore quidem fragili & mortali, quod necesse esset temporum lapsu veterascere, infirmari ac emori; animo verò tardo, hebeti, atque ad percipiendam veritatem difficili, facili autem ad errorem, & in voluptatem seu oblectamenta sensuum (a) pendulo, pronoque. Tametsi enim mori nunc pœna peccati sit, neque naturæ necessitate (quòd Pelagiani volebant) in hominum genus irrepserit; sed ob transgressionis culpam, quæ vitari ab homine integro potuisset, inflicta sit: potuit tamen sic natura hominum institui, ut ea in parte nihil distaret à pecore,
75. & esset ei mortis molestia nullo præcedente peccato subeunda. Verùm quoniam gratuito Dei beneficio immortalis creatus est, tantoque præ cæteris animantibus honore donatus, ut posset si vellet nunquam mori: jure nunc ad suæ culpæ reprehensionem audit, *homo cùm in honore esset non intellexit; com-*
76. *paratus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Itaque mortalitas per quam mori necesse est nunc quidem homini est pœna damnati, propter non conservatam primæ conditionis dignitatem, quæ si ita Conditori visum esset, natura esse instituti potuisset: *ignorantia quoque & difficultas*, quemadmodum Augustinus ait, *etiamsi essent primordia hominis naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus.* Denique præterquam quòd offensionem habet generalis illa doctorum insimulatio, cùm (c) falsa eorum esse dicitur sententia; non satis etiam circumspectè negari arbitramur fieri potuisse, ut sine justitia naturali homo primus institueretur: sive justitiam intelligant naturalem eam ipsam, quam nos (d) verè supernaturalem fuisse statuimus; sive aliam quampiam in habitibus sitam virtutum moralium. Cur enim fieri nequiverit, uti sicuti neque sapiens neque insipiens; ita neque justitiæ habitu præditus, neque injustitiæ vitio laborans; sed utriusque capax crearetur? Magister quidem sententiarum, opinionem eam commemorat: quâ existimetur à nonnullis angelos in ipso creationis initio bonos extitisse, id est sine vitio, justosque, id est, innocentes fuisse; sed non justos, id est, virtutum exerci-

(a) Al. labili.
(b) Al. ditatus.
Psal. 48.
lib. 3. de lib. arb. cap. 22. & 22. lib. de dono persev. cap. 11. lib. 1. retract. cap. 9.
(c) Al. cum dicitur: falsa est Doctorum sententia; non.
(d) Al. veram.

exercitium habentes: nondum enim præditos fuisse virtutibus, quæ stantibus in confirmatione appositæ fuerint: Quam quidem opinionem, quamquam in eo quòd asserat contigisse, minùs vero consentaneam existimamus; tamen in eo quòd fieri potuerit, à vero non censemus aberrasse.

ARTICULI.

Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. 27.

Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia 25.

Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator; vana est & commentitia, & ad illudendum Sacris Litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata. 33.

Amor naturalis qui ex viribus naturæ exhauritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuriâ crucis Christi, deffenditur à nonnullis Doctoribus. 35.

Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur. 37.

Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, id est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. 36.

Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus sive non malus: & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet. 62.

Pelagianus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. 28.

Non soli fures hi sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde quàm per ipsum in viam justitiæ, id est, ad aliquam justitiam conscendi posse docent, aut tentationi ulli sine gratiæ illius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. 29.

Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. 34.

In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. 39.

CAPUT QUINTUM.

HÆc autem quæ hactenus quàm brevissimè fieri potuit absolvimus, eò pertinent ut magnitudo gratiæ ejus, quâ in prima sui constitutione hominum donata natura est, cogitetur: à quâ gratiâ propriæ voluntatis electione discedens & corruens, licèt in miserandam peccati servitutem semel præcipitaverit, graviterque vulneraverit, atque insitas liberi arbitrii vires permultùm debilitaverit: non sic tamen omnia boni principia evulsa sunt, ut liberum ejus arbitrium sine gratiæ Dei arbitrio non nisi ad peccandum valeret, multa quippe

Al. brevissimè absolvimus.

quippe sunt quæ vel ad humanos usus utiliter, vel ad excolendos ornandosque vitæ mores laudabiliter, vel ad respublicas constituendas industriè prudenterque ex primi honoris reliquiis protulit; neque ea in quantum hujusmodi sunt, peccata esse censeri ullo modo rectè possunt. (a) Quo fit ut vel eo nomine non rectè dicendum sit, liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere, sive id in hominibus fidelibus, sive in infidelibus spectetur.

(a) Ms. D. L. hæc omisit.

Sed neque solùm infidelium (b) opera omnia peccata simpliciter esse, aut Philosophorum virtutes vitia (c) dicenda judicamus: cùm supersit in hominum ejusmodi quoque pectoribus, præter indicium de multis vitæ officiis incorruptum, etiam amor naturalis recti atque honesti, qui de naturæ non funditùs depravatæ viribus exoritur. Si quidem omnino hoc à vero abhorrere censemus, omnem creaturæ rationalis amorem aut vitiosam cupiditatem esse, quâ mundus diligitur, quæque à D. Johanne prohibetur; aut laudabilem illam, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur, charitatem. Est indubiè medius quidam amor, quem naturæ Author inseruit, quo non modo beatitudinem omnes expetimus, sed & parentes, & amicos, liberos, & conjuges, & quâcumque aliâ ratione propinquos irreprehensibiliter ipsâque naturâ impellente, diligimus: qui etsi (d) longè abest ab illius excellentia charitatis, quam Deus per Spiritum Sanctum in eorum qui justificantur corda diffundit; tamen neque ita degener est, ut vitiosa debeat cupiditas æstimari: hæc ex Deo non est, ille Deum habet authorem: hæc damnanda atque prohibita est, illum naturæ lex omnisque honesti postulat ratio ac requirit: hanc charitas divinitùs infusa destruit atque evertit, illum firmat ac perficit.

(b) Al. omnium.
(c) Al. esse.
(d) Al. multùm.

Quocirca qui boni aliquid naturalis, id est, quod ex solis naturæ viribus, non ex illa per Christum speciali gratia ortum ducit, agnoscit; minimè is cum Pelagio ea in parte sentire, seu Pelagianâ hæresi errare & labi, dicendus est; sed perspicuæ acquiescere veritati.

Quis autem putet liberum arbitrium non valere ad ullum vitandum peccatum, quandoquidem & per gratiam adjutum valet omne vitare peccatum, & sine gratia etiam multa sæpe declinet? sive quia naturali quodam amore honesti melioreque indole nonnulla etiam suggesta repudiat: sive quia aliâ quâpiam occupatione, quæ plus oblectet, teneatur.

Nec verò sentiendum est omne id quod agit peccator aut peccati servus, peccatum esse: nec sic peccatum, quamvis dominetur ac regnet, vitæ sibi totius obnoxias habet actiones, ut inquinet ac polluat universas: nam fœda licèt omnia sint quæ à dominante cupiditate proficiscuntur atque imperantur, non tamen in omnibus actibus suis dominanti peccator servit cupiditati, sed quædam naturalis amor atque affectus, quem peccati quamvis magna tyrannis non prorsus obruit, sibi vendicat; quædam in his qui Christiani sunt, fides operatur; quæ tametsi per charitatem operari dicatur, neque ea in peccati servo inesse possit; tamen & per affectus quosdam bonos, quos etiam in peccatoribus Dei spiritus exsuscitat, sese exerit (e) profertque in opus: quemadmodum enim charitas in homine justo non sic regnum obtinet,

(e) Al. proferturque.

obtinet, quin aliquos sibi motus atque actus carnis concupiscentia suffuretur, propter quos si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est: ita etiam nec in peccati mancipiis 1. Joan. 1.
sic regnat cupiditas, ut omnes affectus animi bonos, sive de natura sive de gratia venientes, exterminet; neque ex iis quidquam boni operis existere patiatur: quemadmodum ut justus non omnia justè, nec fidelis omnia fideliter; ita neque peccator omnia vitiosè, neque infidelis omnia infideliter operatur.

ARTICULI.

Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Quod voluntariè fit, etiamsi 61.
necessariò fiat, liberè tamen fit. 38.

Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit. 64.

Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit. 52.

Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Rom. 2. GENTES QUÆ 22.
LEGEM NON HABENT, NATURALITER QUÆ LEGIS SUNT FACIUNT, *intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.*

Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in 40.
Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato.

CAPUT SEXTUM.

NUllo verò modo sentiendum est ita peccato extinctam esse libertatis naturalis facultatem, ut libertatis ejus ratio in solo nunc voluntario sita sit, solaque violentia repugnet libertati hominis naturali; ut quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fieri dicendum sit. Neque enim libertas esset naturalis, nisi quod ex ea fit, ita susciperetur, ut id posset non fieri: usque adeo ut per liberum arbitrium peccet nemo in eo quod necessariò faciat, sive in eo quod vitare non possit: ac sicuti per naturalem hanc (a) libertatem inest homini facultas vitandi peccatum; ita etiam adest possibilitas implendi præceptum: falsumque est Pelagio peculiariter adscribendum quod dicitur, Deum homini nihil impossibile præcepisse; cùm & Augustini Catholicæque Ecclesiæ ea certissima doctrina sit. Sed ideò verissimam hanc sententiam familiariùs Pelagiani usurpabant, suoque prætexebant errori, ut per solas liberi arbitrii vires impleri posse crederetur, quod sine gratia impleri non posse Catholici statuebant. Hinc Venerabilis Beda Juliani quædam scripta reprehendens, *quod dicit* (inquit) *Dominum non impossibile aliquid præcepisse, quia justus est; verum profectò dicit, si ad ejus respicit auxilium cui catholica vox supplicat,* DEDUC ME IN SEMITAM MANDATORUM TUORUM. *Si verò viribus animi sui fidit, refellit eum* (b) *veridica ejusdem justi Conditoris sententia, quia dicit:* SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE.

(a) Al. facultatem.

lib. 1. in cant. cant. de gra. Dei contra Jul. cap. ult.

(b) Al. veridica Conditoris.

 Tametsi

Tametsi autem gratiæ solius auxilio possit ab homine divina lex veraciter impleri, non pauca tamen quæ legis sunt, etiam ab iis præstari possunt, qui solam sequuntur naturam ducem, ut ad Pelagianismum nequaquam rejicienda eorum interpretatio sit, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes quæ legem *non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*: de Gentibus fidei gratiam non habentibus, intelligunt. Quamquam enim ea quoque vetus interpretatio sit, ut de Gentibus ad Christi gratiam conversis apostolicus ille accipiatur locus: tamen & alium illum sensum, qui de Gentibus est infidelibus, Veterum catholicorum commentariis reperimus approbatum. (a) Quod verò ad ipsum pertinet libertatis vocabulum; neque id verum est, eum libertatis modum, qui à necessitate est, non reperiri in Scripturis sub nomine libertatis; sed solùm à peccato libertatis nomen. Ubi enim Paulus ait subintroisse falsos fratres ad explorandam ipsorum libertatem, quam habebant in Christo Jesu, etiam libertatem significat quæ est à necessitate, nec tantùm libertatem à peccato, quæ interior & coram Deo est: sed exteriorem illam à necessitate observandæ circumcisionis cæterorumque servilium operum Mosaicæ legis: quemadmodum eum locum Veteres & Græci & Latini interpretati sunt; usque adeo ut præter eam libertatem, quæ est à necessitate naturæ, ex qua liberum arbitrium propriè nominatur, & illam quæ est à violentia seu coactione, agnoscenda sit non solùm libertas à peccato, quæ Sanctis Dei hominibus veteris legis tempore non defuit, sed etiam libertas quædam evangelica à jugo tam gravium tamque multiplicium cæremoniarum: quâ libertate & ii nunc per Christum fruuntur, qui tamen peccato servire non desinunt.

(a) hæc omittit MS. D. L.

ad Gal. 2. 1. Cor. 9. & 1. Cor. 10.

ARTICULI.

10. *Omne scelus est ejus conditionis ut suum authorem & omnes posteros eo modo inficere possit quo infecit prima transgressio.*

51. *Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.*

45. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium.*

46. *Unde peccatum originis verè habet peccati rationem, sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.*

47. *Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur in parvulo, eò quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium; & ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus discedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Dei legi repugnet.*

73. *Nemo præter Christum est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

Omnes

Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde & Job & Martyres quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. 69.

CAPUT SEPTIMUM.

CÆterùm etsi non ita est hominum peccato labefactata natura, ut non aliud sit quàm vitiorum seminarium, nihilque aliud parere ex se possit quàm peccatum: est tamen in nascentium singulis ex sua origine vitiata infectaque labe peccati: idque ex illius hominis transgressione prima, de quo scriptum est, *per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Et iterum: *per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*; quod non ideò propriè accidisse putandum est, quia gravis esset illius inobedientiæ culpa, sed quòd ejus esset personæ, quæ tanquam generis universi parens ac princeps non pro se modo, verùm etiam pro suis posteris originalem justitiam accepisset: quâ proinde dum se privavit per inobedientiam, non eam sibi modò, verùm etiam posteris amisit universis, seque in uno tanquam radice omnes de se prodituros infecit: quem unà cum natura oportebat naturæ transmittere vitium, sicuti integritatem ejus atque justitiam transmisisset. Unde perspici potest non omne scelus ejus esse conditionis, ut suum authorem & omnes posteros eo modo inficere possit, quo prima infecit transgressio. Neque verò plura quisquam de suis parentibus mala merita contrahit, sed uno originali peccato propter unius hominis delictum, de suo quisque parente prodit infectus. Neque sic est inæqualis hæc originalis infectio, ut alius alio pravior seu nequior, atque injustior nascatur: nec si ita esset, fieri posset, ut non plus in uno mali meriti graviorisque damnationis, quàm in alio reatus inesset. Ex quo apparet nec circumspectissimè nec sine offensione dici, quantum ex vi transgressionis est, tantùm meritorum malorum à generante contrahere, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus. Porrò hoc quod dicitur originale peccatum, neque peccatum esset, nisi voluntarium foret, (a) quòd ad rationem definitionemque peccati voluntarium pertineat: neque tamen voluntarium est propriâ ipsius parvuli voluntate seu habituali seu actuali, qui hanc sibi ipsi labem non contraxit, sed voluntarium est primi parentis voluntate. Ut autem habeat (b) verè peccati rationem sine ulla relatione aut respectu ad voluntatem, à quâ originem (c) sumpsit, fieri nullâ ratione potest. Voluntarium quippe hoc propriè est quod à voluntate procedit, (d) & in voluntatis situm est potestate; nec peccati habere rationem quidquam potest, nisi habeat & voluntarii. Sed neque tantæ plena malitiæ recens nati voluntas esse parvuli censenda est, ut in ea secundùm occultos habitus tantùm vitiorum insedisse putandum sit, quantùm se postea profert, cùm ad annos perventum fuerit ratione utentis ætatis: tanquam videlicet ex habituali aliqua voluntate dominante fiat, ut parvulus discedens sine regenerationis sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum oderit, blasphemet, legique Dei repugnet; sed magis existimandum communi parique in omnibus aversione mentis à Deo

Rom. 5.

(a) Al. cum ad.

(b) Al. veri.

(c) Al. habuit.

(d) Al. procedit nec peccati.

seu

(a) Al. illis. seu justitiæ, privatione ingenitam (a) illam parvulis pravitatem & maculam contineri. Quod autem ad ipsam pertinet generalitatem eorum qui hoc peccato oriuntur infecti, tametsi constet communi lege humanam originem hoc subire contagium, possitque eâ lege B. quoque Virgo comprehensa videri, nec ulli Sedis Apostolicæ Constitutioni repugnet, si quis opinetur aut etiam cum modestia affirmet, eam in originali peccato fuisse conceptam; quis tamen non intelligat falsò hoc statui, neminem præter Christum esse sine originali peccato? renatos quippe parvulos catholica tenet fides ab originali peccato liberos esse, ut (b) qui Christum novumque hominem induerint, veterem exuerint, qui abluti, sanctificati & justificati sint: sed priusquam id fiat, tenet communiter omnes damnationis æternæ reos originis labes: unde etiam veluti à fonte quodam generalis hæc ærumnosæ vitæ miseria manat, cùm dicat B. Apostolus, corpus mortuum seu moriendi necessitati addictum esse propter peccatum. Verùm tamen non sic ex peccato communis ista mortalitas, miseraque vitæ conditio exorta est, ut omnes justorum afflictiones, ac quidquid omnino justi perpessi sunt ad ultionem pertineat originalis actualisve peccati. Neque enim quoties Deus temporalibus quemquam premit incommodis, ulcisci ei propositum est, ac de peccato vindictam expetere: sed hoc interdum modo ad sui nominis gloriam servos reddit suos clariores, erigitque; ac proponit exempla patientiæ.

(b) Al. ut Christum.

Rom. 8.

ARTICULUS VIGESIMUS.

Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

CAPUT OCTAVUM.

PRæter originis vitia, alia sunt propriæ actionis vitæque peccata, quæ passim actualia nominantur: in quibus ea tenenda distinctio est, ut quædam venialia, quædam mortalia esse judicentur: usque adeo ut quod à nonnullis asseritur, nullum esse peccatum naturâ suâ veniale, sed omne illud pœnam mereri æternam; non sine gravi ratione repudiandum damnandumque videatur: Neque enim, (c) ut cæteras causas prætereamus, poterit cum eis peccatis quæ venialia dicuntur, quibusque nec sanctissimorum hominum mortalem hanc vitam agentium conversatio caret, vera consistere justitia, si omnia digna sunt morte.

(c) Al. neque poterit.

ARTI-

ARTICULIS 65.

INfidelitas purè negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

CAPUT NONUM.

ADversus peccati perniciem unum in Christo mediatore remedium est; neque enim aliud est sub cælo nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri à peccatis suis. Ideoque præter unius Dei fidem, etiam illa quæ in Christum est fides, omni tempore post generis humani lapsum, ad (a) justitiam salutemque recuperandam necessaria fuit. Magnâ autem Dei misericordiâ cœpit hæc fides novissimis temporibus toto terrarum orbe manifestè clarèque prædicari; ut & prodesset pluribus; & ii, qui non ignoratam hanc salutis parandæ rationem respuissent, inexcusabiles essent. Hæc enim demum infidelitas est culpabilis, convenientem de Christo prædicationem audisse, nec credere voluisse. Infidelitas verò purè negativa, quâ in Christum non creditur, in his quibus non est Christus prædicatus, peccatum esse non potest. Quomodo enim credent sine prædicante? quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur?.

(a) Al. justificationem.

ARTICULI.

JUstificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem. 66.

Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non in gratia aliqua animæ infusa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit. 41.

In hominibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis; & in catechumenis ante baptismum, est vera justificatio; separata tamen à remissione peccatorum. 42.

Sed & illa distinctio duplicis justitiæ: alterius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem; alterius, quæ ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur. 60.

Item & illa distinctio duplicis vivificationis: alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur; pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens. 61.

55. *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed à Deo solo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum & resuscitat; ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur.*

54. *In peccato duo sunt, actus & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam: unde in sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium sacerdotis solum liberat à reatu.*

CAPUT DECIMUM.

CHristi igitur piâ fide recepti gratiâ justificatur impius: quæ justificatio per occultam fit communicationem & inspirationem gratiæ Dei, quâ fit ut justificati legem impleant; quemadmodum scriptum est, *de peccato damnavit peccatum, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem*
Rom. 8. *ambulamus, sed secundùm spiritum.* Nec verum est, imò etiam divinarum Litterarum doctrinæ contrarium est, justitiam, quâ per fidem justificatur impius, ita consistere formaliter in obedientia mandatorum, quæ operum justitia est, ut non in gratiâ aliquâ animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit. Gratia siquidem infusa divinitùs, quâ interior ille homo noster renovetur, peccatorem justificari declarat ille ad Titum Pauli locus, ubi ait. *Quum apparuit benignitas & humanitas Salvatoris*
cap. 3. *ris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati*
2. Petri. 1. *gratiâ ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* Quomodo autem hæredes nisi filii? & quomodo filii, nisi divinæ effecti consortes naturæ? Si igitur per id hæredes, per quod justificati; profectò per quod justificati, per id ipsum filii divinæque naturæ consortes effecti sumus. Quocirca cùm nos gratia Dei per Spiritum Sanctum infusa justificet, verissimè dicitur justificari hominem intrinsecè atque formaliter per eam gratiam quâ adoptatur in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, divinæque naturæ consors efficitur. Hæc autem veræ justificationis gratia, neque in pœnitentibus ante reconciliationis sacramentum, neque in Cathecumenis ante baptismum inest, separata interim à remissione peccatorum. Nemo quippe ante remissionem peccatorum justus est, sed per fidem & orationem peccatique detestationem justificanti gratiæ animus præparatur, eamque præparationem sequitur justificatio, quæ ut Tridentini Concilii Patres rectè definiunt,
Seff. 6. non sola est peccatorum remissio, sed etiam renovatio. Non est interim
cap. 7. & odiosè pertinaciterque illa duplicis justitiæ rejicienda distinctio; alterius,
can. 11. quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum inhabitantis, & charitatem in eo diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur: uti nec illa commentitia, Scripturisque minimè congruens judicanda est dupli-

duplicis vivificationis distinctio; alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur: alterius, quâ vivificatur is qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur. Etenim ante remissionem peccatorum atque inhabitantem Spiritum, & justificationis & vitæ quædam inchoationes, dumtaxat sunt conceptionibus (ut loquitur Augustinus) similes: at non solùm spiritaliter concipi, verùm etiam nasci opus est, ac tum demum cœptum justificationis ac vivificationis opus infusione vivificæ charitatis absolvitur: ut tum primùm homo simpliciter justus esse, & vitam habere in Christo dicendus sit. Quo fit ut falsò quoque statuatur, non vivificari pœnitentem absolventis ministerio Sacerdotis; sed à Deo solo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum atque resuscitat; sacerdotis autem ministerio solum resolvi reatum. Quis enim vivificari neget eum cui Spiritus ille, quem peccata fugaverant, qui inhabitet, agat, regat, Sacerdotis ministerio divinâ redditur potestate? Quapropter D. Chrysostomus attributam Sacerdotibus remittendi peccata potestatem, vivificandi esse dicit potestatem: *non hoc* (inquit) *tantùm mirabile est, quòd vivificat Christus; verùm etiam, quòd aliis quoque præstat id faciendi potestatem.* Accipite (*inquit*) Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remissa sunt. Denique nec ea vera sententia est, cùm in peccato duo insint, actus & reatus; transeunte actu, nihil nisi reatum sive obligationem ad pœnam remanere: ideoque in baptismi sacramento aut Sacerdotis absolutione propriè reatum duntaxat peccati tolli, Sacerdotumque ministerium à reatu nos tantùm exsolvere. Neque enim propter nudam reatus solutionem, regenerationis renovationisque lavacrum esse baptisma diceretur, aut per id abundè effusus in hominem Spiritus Sanctus esset: cùmque utroque sacramento verè justificentur homines, justificatio autem non sola sit peccatorum remissio, sed sanctificatio etiam, renovatioque interioris hominis; fieri non potest ut nuda reatûs solutio divino Sacramento Sacerdotisque ministerio relinquatur.

[Margin notes: quæst. 2. ad Simpl. — hom. 6. in 2. ad Cor. — ad Tit. 3.]

ARTICULI.

Per contritionem etiam cum charitate perfectâ & cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti. 68.

Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. 67.

Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bonâ, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quàm in pænitentibus potest esse sine remissione peccatorum. 30.

Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cùm remissione peccatorum. 31.

Cathecu-

31. *Cathecumenus justè, rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi demum lavacro percipitur.*

16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.*

CAPUT UNDECIMUM.

Quamvis autem nemini de sua à mortali peccato justificatione, non adhibito baptismi aut reconciliationis sacramento, concipienda facilè præsumptio sit: tamen non solùm in casu necessitatis aut martyrii, verùm etiam extra hos casus, per contritionem charitate perfectam, & cum voto sacramentum suscipiendi conjunctam, (a) remitti peccata sentiendum est, etiam sine actuali susceptione sacramenti:. falsumque est hominem in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis existentem posse veram habere charitatem. Etsi enim ante suam justificationem insit in pœnitente amor aliquis justitiæ, eaque dilectio, quâ Deum diligere incipit tanquam totius justitiæ fontem; is tamen amor, qui charitatis (b) naturam assequitur, seu (c) vera illa & sincera charitas, quæ est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, cùm æternæ damnationis reatu non consistit, semperque illa charitas, quæ legis est plenitudo, quâque Deus ex toto corde totâque animâ diligitur, cum peccatorum est remissione conjuncta. Quòd si dixerit quispiam veram agi pœnitentiam non posse sine obedientia legis, hanc autem ipsam legis obedientiam à charitate non posse esse sejunctam: Respondebitur ei ne id quidem verum esse, non esse veram legis obedientiam quæ sine charitate sit: neque enim eandem vim habent obedientia legis & ejusdem plenitudo; siquidem legi obediens est, qui voto saltem desiderioque animi ac sincero conatu legi obsequitur, etiamsi ipsa nondum ab eo legis plenitudo præstetur.

(a) Al. interdum.

(b) Al. præstantiam.

(c) Al. perfecta. 1 Timo. 1. 31. 3. 2. Rom. 1.

ARTICULI.

48. *Prava desideria quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto,* NON CONCUPISCES.

49. *Concupiscentia, sive lex membrorum; & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt legis inobedientia.*

72. *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto,* NON CONCUPISCES, *quamvis transgressio in peccatum non deputetur.*

73. *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum:* DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO.

71. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.*

CAPUT DUODECIMUM.

NUllo autem pacto vera esset renatorum justificatio, si motus ii carnis, quos inviti adversus spiritum rebellantes sentimus, eandem, quàm priùs cùm voluntarii essent, retinerent peccati rationem: nec possent tamen veram propriamque peccati rationem exuere, si veram legis transgressionem & inobedientiam continerent: quocirca statuendum est motus concupiscentiæ pravos pro vitiati hominis statu, prohibitos non esse præcepto: *non concupisces:* hominemque eos sentientem, sed non consentientem, legis prædictæ pronuntiari non debere transgressorem. Quemadmodum enim Deus homini non præcipit ut faciat quod facere non potest; ita neque prohibet, quod vitare, etsi maximè velit, non valet: nec quicquam omnino sub præceptum aut prohibitionem cadit, nisi in quantum humanæ possibilitati subjicitur. Quantum itaque efficere homo potest ne hujusmodi carnis motus exurgant, tantum ut id fiat obligatur: quod autem præstare non potest, quantumvis id sibi suâ culpâ ut non posset accersierit, nemo sapiens lege propositâ exigendum putet. At impediunt quidem hi motus, ne omni modo ex toto corde diligatur Deus; non tamen efficiunt, ut ea quæ de diligendo lex est, non veraciter impleatur: charitas enim quam secum consistere patitur violenta quantumvis carnis rebellio, idcirco etiam legis dicta plenitudo est, quòd per eam divina lex impleatur. Unde perspicitur nec id ferendum esse quod sic expressum est, quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente inhæreat, non fieri præceptum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: quæ autem inest concupiscentia in iis renatis, qui in mortale peccatum relapsi sunt, tametsi peccatum esse verè dici queat, quia voluntaria sit atque dominetur; (a) tamen non de nihilo offendit quod adjungitur: sicut alii habitus pravi: tanquam videlicet omnes pravi habitus peccata esse dicendi sint: quod falsum esse Sanctorum convincit experientia, qui gravi sæpe contra pravos habitus susceptâ luctâ, à peccati consuetudine ægrè se abstrahunt, regnumque cælorum, sicut scriptum est, violenter rapiunt.

Aug. de perfect. justit. cap. 8.

(a) Al. tamen offendit.

Matt. 11.

ARTICULI.

OPera Catechumenorum, ut fides & pœnitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita; quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur. 11.

Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo quòd sunt conformia legi, quòdque per ea præstatur obedientia legi. 13.

Ratio meriti non consistit in eo quòd qui benè operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solùm quòd obedit divinæ legi. 15.

Opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem. 19.

12. *Pelagii sententia est; opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni cælestis meritorium.*

17. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.*

58. *Illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo, quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, id est, ad modum meritorium; commentitia est & explodenda.*

59. *Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum; vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est & bonum, quod moraliter bonum appellare consueverunt: vel quia est meritorium regni æterni, eò quòd fit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis; rejicienda est.*

11. *Quod piè & justè in hac vitâ mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est, neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur; sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

2. *In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum quod non sit gratis indigno collatum.*

43. *Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt solùm ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientiæ; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.*

14. *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.*

CAPUT 13.

JUstificationis fructus, bonum opus est regni cælestis meritorium: nam ante justificationis gratiam licèt rectè bona vocentur catechumenorum opera, quæ à fide & pœnitentia proficiscuntur, non tamen regni cælestis sunt meritoria, propereà quòd ad tanti meriti rationem non satis sit, opus quod agitur legi esse conforme; verùm etiam requiratur ea personæ dignitas atque præstantia, quâ per adoptionis spiritum divinæ naturæ consors, dignaque Deo effecta sit. Quæ quidem personæ operantis qualitas sicuti hominem Deo conjunctiorem melioremque reddit, quàm priùs fuerat; ita etiam in opus transiens, ipsum afficit ac perficit æternæque vitæ retributione dignum reddit. Etenim personæ operantis dignitatem nihil conferre ad operis præstantiam vel Christi redemptoris exemplo, à vero alienissimum esse docetur: cujus opera justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, cæterarumque ejus virtutum ex personæ ipsius dignitate, majorem multò quàm alioqui habitura fuerant, traxere valorem. Ac sicuti (a) pretiosiora illa fuerant opera, quòd opera essent filii Dei naturalis; ita etiam Deo digniora sunt, quæ à filiis ejus

(a) Al. præstantiora.

ejus spiritu adoptionis effectis, per infusum charitatis (a) donum producuntur. Itaque licèt Pelagius tollens originale peccatum, cuidamque naturali parvulorum innocentiæ vitam promittens etiam sine baptismo Christi beatam, hoc colore sit usus, quo doceret baptisari oportere ut ad regni jus possessionemque adoptarentur: non tamen Pelagianismus est, si quis dicat, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non esse regni cælestis meritorium; aut si quis dicat, necessarium esse ad meriti rationem, ut homo per gratiam adoptionis ad statum deificum sublimetur: præsertim cùm jam post ruinam illam generis nostri communem ante hanc adoptionis gratiam, non innocens quisquam ac sine peccato, naturalique justitiæ dote locuples (quod Pelagius (b) errore suo fingebat) sed peccator ac mortis reus quilibet nostrûm reperiatur: nec possint æternæ vitæ merita cum mortis damnationisque meritis esse conjuncta. Nec verò hîc obsistit quòd Catechumeni ante adoptionis gratiam benè vivant, moresque ad divinæ legis normam & conformitatem exigant. Non enim commentitia & explodenca celebris illa Doctorum sententia est: divinæ legis mandatum bifariam impleri; altero modo, quantùm ad operum quæ præcipiuntur substantiam; altero, quantùm ad certum quemdam modum, secundùm quem videlicet operantem valeant ad regnum æternum perducere, id est, ad modum meritorium: uti nec illa repudianda distinctio est, quâ dicitur opus bifariam bonum; vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum & bonum est, quod moraliter bonum appellari consuevit: vel quia regni est æterni meritorium, eò quòd fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis. Porrò quia, quòd piè & justè in hac mortali vitâ in finem usque conversamur, Christi propriè adscribendum est gratiæ, ideò quòd ejus conversationis intuitu vitam consequimur æternam, quamvis justæ retributionis retineat rationem, non ordinationi deputandum est naturali, sed gratiæ Dei per Christi meritum, quemadmodum illa præ se fert Pauli notissima sententia, *gratia Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Non sic tamen in hominum justificatorum meritis Christi prædicanda est gratia, ut statuamus in redemptis per gratiam Christi nullum posse bonum meritum inveniri, quod non sit gratis indigno collatum: siquidem & ipsis justitiæ merentur incrementis, quæ non indignis tributa sunt, sed ipsius in qua se exercebant justitiæ intuitu. Sicut enim dignum est ut qui in sordibus est, sordescat adhuc; ita dignum est, ut qui justus est justificetur adhuc. Ideoque suis operibus fideles quæ faciunt ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, non solùm justificantur, quia legis obedientiæ sunt, veræque legis justitiæ; verùm etiam iisdem obtinent incrementa virtutum: nec vitam tantùm æternam, sed & gratiæ augmentum promerentur, quemadmodum id est à Concilii Tridentini Patibus sub anathemate definitum. Postremò etsi in retributione vitæ æternæ justæ mercedis, secundùm Dei cum homine conventionem, redditio est; non ea tamen debet esse nostræ assertionis temeritas, ut opera bona justorum ampliorem in die judicii acceptura negemus mercedem, quàm justo Dei judicio accipere mereantur: quòd hoc & Patres quidam ita senserint, & non sit

(a) Al. munus.

(b) Al. ore suo.

Rom. 6.

Apoc. 22.

Sess. 6. can. 32.

sit à divinæ munificentiæ ratione profusissimaque in suos filios bonitate & liberalitate alienum.

ARTICULI.

10. *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe remanet, & corporis resurrectio propriè non nisi meritis Christi adscribenda est.*

74. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

56. *Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus, pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant; nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte nostri redemptores: sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio applicatur & communicatur.*

57. *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis eorum nobis passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

44. *Sacrificium Missæ non aliâ ratione est sacrificium, quâm generali illâ, quâ omne opus quod fit ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Ut autem æterna vita beataque justorum immortalitas sic Christi mediatoris accepta ferenda est meritis, ut eam tamen propriis sibi quisque meritis, quæ à Dei gratia profecta sint, tanquam suæ perseverantiæ mercedem acquirat ita etiam pœnarum temporalium, quæ culpâ remissâ plerumque supersunt, abolitionem mereri satisfactione suâ potest; ideoque verum non est quod sic asseritur: solutionem pœnæ temporalis quæ peccato dimisso sæpe remanet, & corporis resurrectionem propriè non nisi Christi meritis adscribendam esse. Tametsi enim bona hæc ad instaurationem reparationemque nostri pertineant; nihil tamen prohibet quominus ipsis nostræ instaurationis initiis, quæ à Spiritu Sancto inhabitante procedunt, reparationis perfectionem consummationemque mereamur, præsertim cùm ipsum Dei in nobis regnum, quod Sanctorum constat esse mercedem, & ipsa justitiæ (a) pacisue plenitudo, in quibus Dei regnum à B. Apostolo consistere declaratur, ad perfectam absolutamque naturæ nostræ restitutionem pertinere noscantur. Quocirca & pœnam temporalem culpâ (b) condonatâ restantem laboriosæ justificatorum expiare de condigno satisfactiones valent: & quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera pro temporalibus Deo satisfacimus pœnis; non aliquid solùm facimus, cujus intuitu Christi nobis applicetur & communicetur satisfactio: verùm etiam dignum Deo pro peccatis nostris pretium offerimus. Neque id (c) repudiandum tantopere arbitramur, (d) ut per ea quæ Christi in nobis spiritus tanquam in vivis suis membris operatur, aliquâ dicamur ex parte nostri esse redemptores: non quia cum Christo

(a) Al. pietatisque. Rom. 14.
(b) Al. expiati.
(c) Al. refugiendum.
(d) Al. si.

Christo in nostræ redemptionis munere dividamus, ut ille nos ex parte unâ, nos verò ex altera nosmetipsos redimamus; sed quia tota perfectaque nostri à peccatis liberatio, sic pretio Christi asignanda sit, ut tamen per ejusdem (a) pretii virtutem, offerre & ipsi aliquid Deo dignum, istoque modo ad nostri liberationem & salutem cooperatores (b) Deo esse, valeamus. Et quia *pretiosa est* (sicut psalmista testatur) *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*; fatemur non per communionem modò charitatis eorum nobis (c) passiones in Indulgentiis impertiri, ut hoc pacto digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis restantibus liberemur; verùm etiam par easdem passiones nobis communicatas & applicatas, delicta nostra propriè redimi: usque adeò sanè ut sive in nostris, sive in alienis pro nobis passionibus non generalem tantùm medii rationem, per quod meritorum (d) Christi reddamur participes, verùm etiam nihil obstante plenissimâ satisfactione Christi, satisfactionis, quâ divinæ justitiæ satisfiat, agnoscere proprietatem debeamus. Sicut etiam in Missa propriam sacrificii rationem in oblatione Dominici corporis constitutam agnoscimus; damnantes omnino detestantesque, siquis afferat Missæ sacrificium non aliâ sacrificium esse ratione, quàm illâ generali quâ omne 44.
opus quod fit ut sanctâ societate Deo inhæreamus (e). Quia, si ita sit, tunc Sacerdotium speciale nullum relinquitur, quod non sit Christianis omnibus perinde commune. Si enim ideò tantùm sacrificium est, quia opus bonum est; cur Sacerdos quisquam est, aut quare sacrificare dicendus est, nisi quia sanctè benèque operetur? Ex quo conficitur Sacerdotium Novi Testamenti non quibusdam peculiariter ad hoc consecratis & inunctis esse proprium; sed bonis omnibus Laïcis esse commune. Denique jam cesset oportet inter nos & Christianæ ecclesiæ adversarios mota de sacrificio missæ controversia, quòd nemo eorum sit, qui in suâ novitate non prorsus insaniunt, qui actionem Dominicæ cœnæ, quam Missam veteri vocabulo Catholici nuncupant, non bonum opus agnoscat, quod ideò fiat, ut sanctâ societate Deo inhæreamus.

(a) Al. pretii in nobis virtutem.

(b) Al. Christi. Psal. 115.

(c) Al. passionibus.

(d) Al. quisque.

(e) Al. additur. dicitur Sacrificium.

In Codice Mſ. D. qui a. 1607. scriptus est, hæc adduntur: Composuit hanc Articulorum explicationem nomine Facultatis Theologicæ Eximius D. M. N. Joannes Lensæus Belliolanus, cujus memoria in benedictione sit. Amen.

FINIS.

INTERROGATORIA
AB ÆMULIS
MICHAELIS BAII
SUPPEDITATA
PRO INSTRUCTIONE

hactenus inedita.

D. COMMISSARII
IN NEGOTIO
ARTICULORUM
PER
BULLAM PII V.
AC GREGORII XIII.
PROHIBITORUM.

An verum sit.

1. *QUòd D. ac M. N. Michael de Bay, non ita multò post exhibitam, lectam, publicatam atque receptam per totam Theologicam Facultatem Lovaniensem, in qua ipse tunc erat Legens & Regens, Bullam S. D. N. Pii Papæ V. super certis articulis seu sententiis in eadem Bulla specificatis, damnatis & prohibitis, parvum quoddam scriptum composuit directè & ex professo contra ejusdem Bullæ censuram, illudque permiserit in multorum manus exire. An testis scriptum illud aut ejus transsumptum viderit, legerit, aut legi audiverit? an habeat? Si sic, exhibeatur.*

2. *Quòd idem alìud quoddam scriptum circa idem tempus composuit multò majus pleniusque ejusdem argumenti, quòd ipsum quoque fuit in varia exemplaria descriptum,*

ptum, atque etiam ad Urbem missum cùm epistola ipsius D. Baii ad Summum Pontificem. An testis viderit, legerit, audiverit &c. ut suprà. An fuerit.... An testis viderit resp.... (hîc pauca aliquot verba detrita sunt in Mſ.)

3. *Quòd idem jussus plerasque Sententias confutare, ac in aliis seipsum declarare publicè in Scholis Theologicis, duobus diebus continuis, ea dixit quæ auditores graviter offenderunt, conformia duobus Scriptis, de quibus præcedit, per quæ in summa magis visus sit Collectores prædictarum sententiarum insimulare falsitatis & calumniarum, ipsamque sedem Romanam notare negligentiæ & præcipitis sententiæ, quàm errores suos ingenuè confiteri atque confutare. Quòdque ea ab auditoribus ex dicentis ore conscripta per multorum manus transierunt, non sine gravi scandalo legentium. An testis dicentem audiverit: an scriptum ex ore dicentis exceptum viderit &c. ut suprà?*

4. *Quòd idem in Congregatione quadam Facultatis Sacræ Theologiæ, cùm de Articulis ac sententiis prohibitis ageretur, dixit esse in illis quædam, pro quibus deberemus forsitan mori potiùs quàm ea damnare. An testis fuerit præsens: an dixerit hoc de partibus aliquarum Sententiarum, an verò de integris sententiis seu articulis?*

5. *Quòd idem diversis vicibus susceperit publicè in scholis Theologicis defendere positiones continentes clausulas offensivas, & signanter de Conciliis generalibus, quasi ea à Romanis Pontificibus contingeret aliquando non liberè, non constanter, non canonicè approbari, & ob id etiamsi essent approbata per Romanum Pontificem, non priùs tamen eorum definitiones essent fidei tenendæ quàm ab Ecclesiis Catholicis jam susceptæ fuerint. An testis habeat aliquas tales positiones? Si habuerit, exhibeantur.*

6. *Quòd idem publicè in scholis Theologicis in promotione ad gradum Licentiæ in sacra Theologia recitavit orationem de potestate Romani Pontificis & aliorum Episcoporum, in qua plurimi graviter fuerunt offensi, quòdque eandem posteà ostenderit Reverendissimo D. Lindano, quasi confideret eâ lectâ ipsum in suam sententiam descensurum. Qua in re non tantùm non consequutus fuit quod optabat, sed etiam sibi ipsum contradicentem sensit. Cùmque perlatum esset etiam ad D. Morillon de eadem oratione, is adeò fuit commotus, ut cùm posteà electus esset in Decanum Sancti Petri, responderit se non confirmaturum electionem, nisi priùs attestationem Facultatis exhiberet super duobus istis. Quòdque non potuit obtinere Facultatis attestationem, ac ne privatim quidem ullius Magistri.*

7. *Quòd idem conatus sit inducere Facultatem Theologicam, ut consentiret in omissionem clausulæ cujusdam positæ ex ejusdem Facultatis conclusione ad juramenta Promovendorum ad Gradus: quæ clausula declarat articulos in Bulla Pii V. notatos habendos esse pro talibus à quibus oporteat studiosos abstinere. An testis tunc fuerit in Facultate: quid eum moverit; & quid Facultas responderit?*

8. *Quòd*

8. *Quòd idem majus illud Scriptum, cujus suprà fuit mentio in interrogatorio secundo, diligentissimè recognovit, manuque propriâ assumptus habens diversis locis varias additiones, partim minio partim atramento delineatas, exhibuit Januarii 8. an. 1579. Gaudano & Molano; præsumens, ut apparet, quòd sic eos traheret in suam sententiam, & persuaderet quòd clausula illa ad juramenta Promovendorum addita, de qua in interrogatorio immediatè præcedenti, deinceps omitteretur, ac tandem deleretur. An testis viderit, &c?*

9. *Quòd idem etiam post ipsi exhibitam ac consignatam Originalem Bullam Apostolicam per Reverendum Patrem Franciscum de Toledo huc directam, rursus Facultatem Sacræ Theologiæ contristavit, nec voluit, cùm id ei ex officio incumberet, prælegere, promovendo ad gradum Licentiæ, clausulam ad juramenta additam, de qua præmittitur. An testis fuerit præsens?*

10. *Quòd idem cùm suscepisset positionem publicè in Scholis Theologicis defendendam de meritis operum, in cujus prima propositione erat clausula suspecta; & Repetens interrogaretur ut sensum illius clausulæ explicaret: non expectatâ responsione Repetentis, animo commoto erupit in verba scandalosa, dicendo quòd ipse non vellet ad hoc respondere; cur esset responsurus, eò quòd timeret accusationes, vexationes & calumnias &c? An testis audiverit &c?*

EX-

585

EXTRACTA EX ACTIS FACULTATIS THEOLOGICÆ LOVANIENSIS CIRCA MICHAELIS BAII NEGOTIUM.

ANno Domini 1570. 16. Novembris, Dominus Morillonus, Vicarius R. D. Cardinalis Granvellani Archiepiscopi Mechliniensis, post decimam horam ingressus scholam Theologorum cum Notario Universitatis publicavit, & publicè legi fecit litteras summi Pontificis, rogavitque DD. Magistros NN. an vellent litteris Apostolicis obtemperare; cui omnes annuerunt. Nota tamen quòd Domini nihil de subscriptione audiverunt, sicut nec discipuli qui ei proximè assidebant. *Ex libro ab An. 1515. usque ad An. 1572.*

Eodem die, vesperi, sub tenebras, misit Rector Bedellum suâ auctoritate, inscio Decano, ad singulos Magistros Facultatis cum chartâ his verbis inscriptâ: *Nos Cornelius Goudanus Almæ Universitatis studii generalis oppidi Lovaniensis Rector pro tempore, Decanus ac Magistri Facultatis S. Theologiæ ejusdem Universitatis infrà scripti, fatemur nos reverenter amplecti resolutionem S. Sedis Apostolicæ in propositis Articulis juxta ejus Bullam Kal. Octobris 1567. desuper editam, & quòd in disputationibus, lectionibus publicis, & omnibus resolutionibus sententiam nostram illi per omnia accommodabimus, & conformem reddemus: in cujus rei fidem hìc nomina & cognomina nostra subscripsimus, Anno Domini 1570. mensis Novembris die 16.*

His præscriptis verbis petebat à singulis subscribi; quod fecerunt quidam: sed cùm ad me res pervenisset, ego (*) Decanus restiti; tum quòd displicebat verbum *resolutionem*, quo nec Pontifex ipse utitur; tum quia Bulla à nullo requirat subscriptionem: maximè verò eò quòd intellexeram Minoritas jactitare sententiam & Doctrinam D. Thomæ Aquinatis de Conceptione M. V. esse in præfata Bulla damnatam & definitam hæreticam; cui sententiæ eorum favere videbatur verbum *resolutionem*. Convocavi igitur

(*) *Decanus tunc erat Baltbasar Textor Ordinis Prædicatorum.*

Facultatem sequenti die in Collegio majori Theologorum horâ 7. manè, & habitâ diliberatione, Facultas ei respondit in hæc verba: *Facultas petit copiam Bullæ, vel vidimus ejusdem, ut pleniùs possit intelligere, quomodò debeat se circa censuras & alia regulare. Quantum ad subscriptionem attinet, nescit ad quem finem petatur, & putat per id, quod heri publicè coram Notario factum est, satisfactum esse intentioni Reverendissimorum Episcoporum. Quòd si habeant causas, propter quas judicent omnes qui sunt in Facultate, debere subscribere, illis cognitis non decrevit Faculias se reddere difficilem.*

Anno 1571. 17. Aprilis horâ 10. ante meridiem in Capitulo minori S. Petri, Facultate sub juramento congregatâ, & præsentibus omnibus Magistris, præter D. ac M. N. Michaëlem, deliberatum fuit super Articulis nuper primâ die Aprilis propositis, & ex conformibus omnium deliberationibus fuit conclusum.

1. Articulos, quorum in prima propositione fit mentio, omninò habendos esse pro suspectis & damnatis, & talibus quales per Bullam Apostolicam declarantur; atque hanc Facultatis conclusionem esse omnibus Facultatis suppositis intimandam, seorsim quidem in promotionibus ad gradus, publicè verò in Congregatione Facultatis apud Prædicatores postridie D. Dionisii, quando statuta publicari consueverunt, ut omnibus constet esse ab illis abstinendum, eosque qui secus fecerint, secundùm statuta Facultatis & promoventium juramenta atque promissiones, ad Facultatem esse deferendos.

2. Libros & tractatus in quibus dicti Articuli ex professo docentur & asseruntur esse è manibus studiosorum auferendos; alios autem unà cum Manuscriptis, quæ studiosorum diligentiâ collecta sunt, permittendos quidem esse, sed ita ut moneantur studiosi, defensiones & assertiones eorumdem Articulorum, ubicumque occurrant, esse expungendas & delendas: quod ut fiat diligentiùs, deputati sunt aliqui ex Magistris ad repurganda scripta sub D. ac M. N. Hessels in sententiis collecta, quorum repurgationes Facultas vult omnes posteà imitari, qui ea scripta habere voluerint.

3. Facultatem acceptare D. ac M. N. Michaëlis declarationem, quam ante dies aliquot fecit in scholis Theologicis post disputationes, dicendo quòd benè velit, imò quòd benè velle debeat Facultatis judicium in hac re subire, & quòd non recordetur se verba in tertia propositione mentionata dixisse; si tamen dixerit quòd respexerit fortè ad partes quasdam in nonnullis articulis comprehensas, & non ad integros articulos.

Denique judicatum fuit, etiam ex conformibus omnium Dominorum deliberationibus, utile futurum ut de nonnullorum articulorum partibus modesta fiat & amica Dominorum inter se Collatio, quatenùs se mutuò pleniùs intelligant, & cum majore concordia semper deinceps omnes unum dicant doceantque: cujus etiam collationis capita & modum scripto comprehendendum Domini commiserunt (*) Decano Facultatis pro tempore.

(*) *Decanus erat Cornelius Reyneri, Goudanus.*

Arti-

Articuli qui erant per Decanum scripto propositi primâ Aprilis, ut præmittitur, sic tradebantur.

1. Quid Domini judicent per Facultatem statuendum de Articulis per Bullam S. D. N. Pii Papæ V., etiam iteratò Facultati lectam & publicatam, notatis: an verè habendi sint pro damnatis & suspectis, ac ob id suppositis nostræ Facultatis mandandum sit, quòd deinceps ab iis tamquàm talibus abstineatur & caveatur, quòdque si quos noverint Facultati subjectos eisdem Articulis adhærentes, eos secundùm juramentum suum aut saltem secundùm promissionem suam Facultati deferant, an non? non solùm propter censuras in eadem Bulla expressas, verùm etiam propter conscientiam suppositorum nostræ Facultatis, & ut omnes Magistri de hac re interrogati conformiter respondeant.

2. Si articuli sint pro talibus habendi, an conveniat supposita Facultatis monere, quòd libros & scripta in quibus illi docentur & asseruntur, debeant à se abdicare?

3. Ut D. ac M. N. Michael ingenuè declaret, an paratus sit secundùm jusjurandum sæpe per ipsum præstitum & renovatum, judicium Facultatis in hac re subire, & si velit, ut imprimis declaret quinam sint illi articuli, de quibus aliàs publicè in Facultate dixit, quòd pro illis deberemus forsitan mori potiùs, quàm eos damnare?

Die Augusti 29. congregata fuit Facultas in S. Petro, in quâ omnes Magistri fuerunt præsentes, excepto M. N. Michaël, idque ad requisitionem D. Rectoris, occasione litterarum à Duce Albano acceptarum, super iis quæ scripta fuerant ex Urbe, potissimùm de primario Professore, &c. quod concernere putabatur nostram Facultatem: & post longam ac maturam deliberationem communibus omnium votis conclusum fuit, prout latiùs habetur in alio libro majore folio 54. & conclusioni subscripserunt omnes & singuli Magistri, & fuit eadem Conclusio posteà ostensa M. N. Michaëli, qui & ipse dixit se eandem approbare & velle subscribere, & etiam eidem subscripsit.

Ex libro ab Anno 1572. ad Annum 1616.

Anno 1572. Julii die 4. ante meridiem sub horam decimam, Facultate ad parvum capitulum S. Petri sub juramento convocatâ omnibusque congregatis, secundùm conclusionem superiori Anno mensis Maii die 7. captam, concorditer conclusum est, & iteratò firmatum, sub doctrina suspecta & certò prohibita in statutis nostræ Facultatis comprehendi articulos in Bulla Pii V. nuper nobis intimata prohibitos, estque constitutum illam conclusionem (ut semel iterumque in scrutiniis Licentiandorum factum fuerat) in posterum accepturis in Theologiâ gradum diligenter recitandam esse, iisque severè præcipiendum, ut à supradictis articulis docendis, defendendis, &

disseminandis abstineant. Quam Facultatis conclusionem Decanus in Licentiæ scrutinio, quod à meridie illius diei factum fuit, (cùm M. N. Du Bay, Hunnæus, Goudanus, Maelcotius, cæterique omnes Legentes & Regentes nemine excepto adessent) sedulò executus est; neque quispiam omnium vel verbulo contradixit.

Anno 1580. sub medium Martii, venit Lovanium R. P. Franciscus à Toleto socius nominis Jesu. S. T. D. & SS. D. N. Greg. XIII. Ecclesiastes, ab eadem Sua Sanctitate admissus: qui post dies aliquot vocato ad se Facultatis nostræ Decano, declaravit ei habere se litteras Suæ Sanctitatis ad Facultatem nostram, quas ei coram cuperet tradere, simulque legationis suæ causam aperire: Petere se itaque ut Facultatem ad certum aliquem diem & horam convocaret: quâ postridie per bedellum sub juramento vocatâ in horam secundam post meridiem, & in Collegio Soc. Jesu, ubi præfatus R. P. hospitio exceptus erat, congregatâ & cubiculum ejus ingressâ, cùm post mutuas salutationes omnes consedissent, protulit R. P. Breve Apostolicum ad Doctores Theologos Universitatis Lovaniensis inscriptum, quod fidem ei juberet adhiberi in iis omnibus, quæ ex Sedis Apostolicæ nomine eis esset dicturus, quibus per Decanum lectis, narravit idem R. P. meminisse Dominos præsentes, quomodò ante annos aliquot Bulla quædam, in quâ certi articuli quidam damnarentur à felicis record. Pio V., emanavit sub data Anni 1567. Kal. Octob. quæ sit quoque in scholis hîc Theologicis publicata. Cùmque Sua Sanctitas, Gregorius XIII. existimaret huic Bullæ reverenter ab omnibus, ut par erat, obediri; ad ipsius aures à fide dignis perlatum aiebat, non deesse inter Theologos, non modò studiosos, sed & Professores, qui articulis in præfata Bulla damnatis auderent adhuc adhærere, eisque non privatim tantùm favere, sed coram aliis quoque eosdem asserere & pertinaciter defendere; imò persuasum non paucis esse præfatam Bullam etiam ad ipsa sede Apostolica aliquando retractandam esse & revocandam; quo accepto Sanctitatem Suam non parvo animi dolore affectam fuisse, proque officii sui ratione, simulque pro charitatis affectu, quem gerat erga Lovaniensem Academiam, imprimis autem S. Theol. Facultatem, non potuisse eam quorumdam temeritatem atque audaciam ad totius etiam Ecclesiæ periculum pertinentem, contemnere atque dissimulare, neglectimque habere. Quare ad coërcenda hujuscemodi ingenia, simulque ad eximendam vanam illam istorum futuræ aliquando retractationis spem ac expectationem, statuisse præfatam Pii V. Bullam suâ quoque auctoritate confirmare, articulosque ibidem comprehensos iteratò damnare, & sub gravibus pœnis ac censuris prohibere; & ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem ac sententiam ignorare posset, suam hanc confirmationis Bullam, in qua altera illa Pii V. comprehensa esset, in scholis hîc Theologicis coram omnibus publicandam & promulgandam esse, atque ab omnibus Professoribus & studiosis S. Theologiæ requirendum, ut propriâ confessione eam se reverenter accipere fateantur, eique se parituros promittant. Quibus dictis protulit R. P. Bullam Gregorii XIII. de quâ dixerat, ejusque inspiciendi facultatem Dominis dedit. Quo facto addebat se in hoc à Suâ Sanctitate per-

per maxima pericula non sine gravissimis sumptibus & expensis missum ut superiora exequeretur, atque ad effectum perduceret; cupere itaque à Facultate certum diem & horam indicari, quâ omnes tum Professores tum Licentiati & Baccalaurei, cæterique S. Theologiæ studiosi ad scholas Theologicas convocarentur, ut quæ in mandatis habebat exequeretur.

Quæ cùm dixisset, egresso (postquam pro sui purgatione nonnulla locutus esset) D. Michaële Baio Universitatis nostræ Cancellario, Facultas suæ Sanctitati pro paternâ erga suam filiam charitate & solicitudine gratias egit; quod autem ad Bullam ejus attinet, eam se gratissimè & obedientissimè, uti par est, recipere & amplecti, orareque ne sinistram aliquam de ipsa suspicionem concipere velit, neve sibi persuadeat aliam ei unquam mentem & voluntatem fuisse erga Bullam Pii V. quin & illam semper reverenter habuerit, eique in omnibus paruerit. Existimare nihilominus vera esse, quæ ad Suam Sanctitatem essent perlata: quare ad iis malis occurrendum, vehementer sibi placere ut nova hæc Gregorii XIII. Bulla in scholis Theologicis proponatur & promulgetur. In quam rem constitutus est Martii 21. dies horâ 10. ante meridiem: in quod tempus ex mandato Facultatis jussit Decanus per bedellum omnes & singulos Facultatis nostræ Dominos, plerosque Licentiatos, Baccalaureos, & quotquot supererant Collegiorum bursarios sub juramento convenire: quibus ibidem frequentissimo numero congregatis ingressus est præfatus D. Franciscus, comitantibus eum honoris causâ DD. Cancellario, Goudano & Gravio: conscensâ autem Cathedrâ cùm eadem ferè narrasset, quæ priùs coram Facultate dixerat, jussit per Conrardum Sylvium Universitatis Notarium publicum, qui ad hoc ibi vocatus aderat, litteras primùm credentiæ ad S. Theol. Doctores datas, deinde ipsam Bullam clarâ & intelligibili ab omnibus voce recitari: quibus lectis convertit sese ad D. Michaëlem de Bay Universitatis Cancellarium, petiitque ex eo, Anne agnosceret in ea Bulla multos Articulos damnari, qui in Libellis quibusdam ejus priùs editis continerentur, etiam in eo sensu quo in Bulla damnarentur? quo agnoscente & respondente quòd sic: Rogavit ex eo deinde, anne eosdem & reliquos omnes ibi comprehensos & lectos damnaret; tum ille, damno, inquit, secundùm Bullæ ipsius intentionem & sicut Bulla damnat. Dehinc præfatus D. Franciscus ad reliquos Doctores Theologiæ conversus interrogavit, anne eosdem articulos omnes damnarent & Bullam reverenter susciperent. Qui omnes uno ore responderunt, eos articulos simpliciter se damnare, & Bullam religiosè habituros & observaturos. Eadem fuit vox omnium Licentiatorum, Baccalaureorum & studiosorum, ex quibus idem interrogaverat prædictus D. Franciscus, omnesque consonâ voce conclamarunt, *Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur.* Quibus feliciter peractis D. Cancellarius de copia Bullæ, ut hîc relinqueretur, mentionem suggessit. Ad quod respondit præfatus Dominus Franciscus non habere se in mandatis ut copiam ejus hîc relinquat, sed acturum se apud Suam Sanctitatem, mox ubi Romam redierit, ut ea transmittatur. Post quæ cùm præfatus Dominus ad obedientiam Sedis Apostolicæ & mutuam concordiam paucis esset Auditorium.

rium cohortatus, quemque dimisit. Extat horum Actorum in scriptis redactorum per Conrardum Sylvium Universitatis Notarium copia in (a) magno libro Facultatis nostræ transcripta folio 63. cui addidimus exemplar Brevis Apostolici ad Facultatem, cujus fecimus mentionem. Scriptum item quoddam manu D. Michaëlis quod tradidit præfato D. Francisco; Postremò copiam litterarum ad Gregorium XIII. quibus Facultas ad ejus Breve respondit.

(a) *Liber iste jam non reperitur.*

Die quartâ Augusti Facultate in S. Petro post vesperas convocatâ congregatâque retulit D. ac M. N. Goudanus binas se Litteras ex Urbe accepisse; alteras à R. P. ac D. Francisco à Toleto, alteras à Reverendissimo ac Illustrissimo D. Cardinali Sabello ad se scriptas, quibus significabant mittere se ad ipsum Bullam Pii V. felicis recordationis, quibus certi quidam articuli damnarentur ac prohiberentur, ut eam D. Doctori Michaëli Baio (cui in publico hîc nuper auditorio exemplar ejus à præfato D. Francisco à Toleto promissum fuerat) exhiberet ac consignaret, & quòd hac in re cum ipso egisset, certiores eos per litteras faceret. Quibus lectis Bullam ipsam protulit, eamque D. Michaëli in manus dedit ac consignavit: quâ ille acceptâ explicatâque, & aliquousque lectâ, protulit & ipse ejusdem argumenti epistolam à præfato R. P. D. Francisco de Toleto ad se missam, imprimis verò & Breve Apostolicum Gregorii XIII. multam erga ipsum charitatis & benevolentiæ significationem præferens; quæ omnia ubi prælegisset, petiit à Facultate præfatæ Apostolicæ Bullæ copiam, quam ei Facultas per suum vel Universitatis Notarium describendam annuit; salvo ut originales litteras ac instrumentum ad manus Decani transcripto exemplari deponat atque restituat, ut in arcâ Facultatis deponatur, ibique ad perpetuam rei memoriam conservetur. Quod se is facturum promisit ac reipsa præstitit. Porrò litterarum, de quibus in superioribus facta est mentio, copiæ & exemplaria invenientur in majore libro Facultatis fol. 63.

Ex libro 3. ab Anno 1608.

Anno 1628. die 3. Aprilis proposuit Decanus inter alia 3. loco, An placeret imprimi aliquot exemplaria Articulorum prohibitorum Pii V. Pontificis: ad 3. conclusit non placere ut imprimantur. . . . . . Insuper ex justis causis animum Facultatis moventibus conclusit in mutatione statutorum Facultatis quæ brevi fieri debet, placere ut ex juramento Baccalaureorum, aut etiam aliunde si forsan reperiantur, tollantur illa verba: *sub quâ declarat Facultas articulos in Bulla Pii V. &c.*

NAR-

NARRATIO CHRONOLOGICA CAUSÆ MICHAELIS BAII,

CELEBERRIMI IN LOVANIENSI ACADEMIA THEOLOGI.

ANno reparatæ ſalutis 1513. Melini in territorio Atienſi apud Belgas, natus eſt Michael de Baii, ſeu Baius; qui cùm primùm ei per ætatem licuit, Lovanium venit ut ſe daret ſtudiis.

Anno 1533. (ætatis ſuæ vigeſimo) ad Philoſophiæ ſtudium admiſſus, ei per biennium operam dedit in Collegio Porcenſi.

Anno 1535. inter philoſophos tertium locum obtinuit, ac Magiſter Artium eſt renunciatus.

Hinc anno 1536. factus eſt Collegii Pontificii alumnus. Ibique quinquennium in ſtudiis Theologicis explevit, eâ modeſtiâ ac morum gravitate, ut qui Domui Standonicæ, in qua ipſe priora ſtudia perfecerat, præficeretur dignior nemo inventus ſit.

Itaque anno 1541. datus eſt in præſidem Domus Standonicæ, quam per triennium rexit.

Anno 1544. die 29. Martii ex Facultate Artium ad Conſilium Univerſitatis admiſſus eſt.

Ab anno 1544. ad annum 1550. hoc eſt, ſexennium Philoſopham cum multa laude ac plurimo Auditorum profectu docuit.

Interea anno 1545. Laureâ Theologiæ decoratus eſt, hoc eſt, promotus ad Sacræ Theologiæ Licentiam.

Anno 1550. die decimâ quintâ Julii, ſacræ Theologiæ purpurâ inſignitus fuit: ac inter Sacræ Theologiæ Magiſtros ſive Doctores annumeratus. Eodemque anno aſſumptus in Collegii Adriani VI. Præſidem.

Anno 1551. à Carolo V. Sacrarum Litterarum Profeſſor eſt inſtitutus in locum Joannis Leonardi Haſſelenſis, qui ad Concilium Tridentinum, hoc anno in menſe Maio reaſſumptum, fuerat delegatus. Eidem Concilio eo ipſo tempore intererant Ruardus Tapperus, & Judocus Raveſtyn, Doctores Theologi ex Academia Lovanienſi pariter à Carolo V. miſſi.

Quan-

Quandoquidem verò Michael Baius animadverterat quòd tam Lutherani quàm Calvinistæ, qui eo tempore per Belgium grassabantur, nihil nisi Scripturam Sacram, & dicta Veterum Patrum vellent auscultare, ipse cum Joanne Hessclio, altero Sacræ Theologiæ in eadem Academia Magistro, hanc docendi Theologiam methodum sibi præscripsit, quâ Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum, ac, præ cæteris, Augustini, quem hæretici se speciatim revereri profitebantur, sententias ac verba discuteret, explanaret ac traderet. Insuper multos noverat, qui se Theologos ac nostræ fidei adversus Hæreticos defensores profitebantur, ab antiqua Apostoli & Augustini circa Christi gratiam doctrina, quam Ecclesia Romana suam fecit, deficere, & ad Pelagiana dogmata declinare: quales fuere inter alios quidam Bartholomæus Camerarius, qui circa annum 1558. librum scripsit in quo prædestinationem ex prævisis meritis defendendam ipsiusmet, ut jactabat, Augustini testimoniis susceperat: Albertus Pighius, qui ita presse Pelagianorum sectabatur vestigia, ut opera ejus cautè legenda meritò censuerit Cardinalis Bona: Alius quidam Theologus Parisiensis, qui, ut in quodam Ms. Codice observatum vidi, eo tempore dicere non erubescebat quæ sequuntur: *Non rectè tractat Augustinus de prædestinatione, nec de gratia. Nec prædestinavit Deus quemquam absolutè, seu pro mero suo beneplacito, sed ex præscientia operum bonorum. Non habet quosdam specialiter electos, quos speciali seu peculiari gratiâ prævenit ac gubernat: sed omnibus offert auxilium sufficiens ad volendum credere & benè vivere: atque ita discrimen est ex solis hominum voluntatibus, auxilium illud vel acceptantibus vel rejicientibus.*

Non potest Deus ex nolentibus facere volentes, nisi cogendo voluntatem, seu libertatem violando: unde consequitur non posse eum plures convertere quàm convertantur.

Deus impropriè dicitur in nobis operari velle & perficere. Non est aliquod speciale donum perseverantiæ præter illud commune auxilium, quod qui vult acceptat. Deus dat omnibus fidem & gratiam operantem & cooperantem; sed ideò non omnes habent, solùm quia non accipiunt. Non est propriè liberum arbitrium in Deo & Beatis.

Non est inscrutabile, neque ad occulta judicia Dei pertinet, cur ex duobus infantibus Christianorum parentum, alterum perducat ad baptismum; alterum non itidem: ut ex duobus justis alterum permittat vinci, alterum non.

Quidam Franciscus Horantius, Minorita Hispanus, his jurè adnumerandus est, qui & in Belgio tum temporis adversus Hæreticos scripsit, in sancti Augustini doctrina tam parum versatus, & in Pelagiana dogmata adeò propendens ut, præter ea quæ de eo infrà referentur, veluti veram catholicam Sancti istius doctoris sententiam hanc traderet: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.*

Mitto Tipperum & alios ex ipsa Academia Lovaniensi, qui ut à Calvinismo caverent, ad Pelagianos errores nonnihil deflexerant. De his omnibus Cardinalis Baronius videtur sapienter monuisse: *Videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, à Sancti Augustini sententia de prædestinatione recedant.*

ad an. 490. n. 36.

Anno

Anno 1552. Cùm die 28. Aprilis Tridentina Synodus propter bellorum tumultus suspensa fuisset, Lovanium repetunt Ruardus Tapperus, & Judocus Ravesteyn Tiletanus, Sacræ Theologiæ in Lovaniensi Academia Magistri. Hi Lovanium reduces cùm intellexissent Michaelem Baium non vulgari scholarum more de rebus Theologicis disserere, sed sacræ Scripturæ verbis ac genuinis veterum Patrum, præsertim Augustini, sententiis firmiter adhærere, in ipsum insurrexerunt, ac adeo vehementer sunt invecti, ut Tapperus, quem Michael Baius in Theologia Magistrum se habuisse profitebatur, sed cujus opiniones jam non defendebat, semel zelo furens de eo dixisse feratur: *Quis diabolus ista dogmata in scholam nostram nobis absentibus invexit &c?* Hinc gravis in Michaelem Baium cœpit excitari procella ab iis qui suis imbuti opinionibus, ac suis definitionibus assueti magis quàm Sacræ Scripturæ ac Sancti Augustini sententiis, impium, blasphemum & hæreticum censebant quicquid extra scholæ suæ usum tradebatur.

Anno 1560. Cunerus Petri Zelandus, cujus non semel meminimus, purpurâ Doctorali in Lovaniensi Academia decoratus est.

Eodem hoc anno inter Fratres Minores Belgii fervebant contentiones de sententiis, quas Michael Baius tenere ac docere ferebatur. Idcircò duo ex illis qui Michaeli Baio adversabantur, nimirum P. Petrus de Quercu, Guardianus, ut vocant, Conventûs Nivellensis, & P. Ægidius de Querceto, Guardianus Athensis, octodecim articulos ad Facultatem Theologicam Parisiensem miserunt, enixè rogantes ut super iis censuram ferret: quod die vigesimo septimo Junii hujus anni 1560. præstiterunt Parisienses aliquot Theologi, qui ex articulis illis quindecim hæreticos esse, alios autem falsos, ac Sacræ Scripturæ repugnantes definierunt.

Statim atque Censuram hanc recepit Michael Baius, in eam doctas ac breves annotationes scripsit, quas decreverat curare ut alicui è Doctoribus Sarbonicis exhiberentur. Verùm cùm quæsivisset ut unum istius Censuræ exemplum sibi mitteretur, quò certò scire posset, an illa à Sorbonæ Theologis verè exiisset; nihilque responsi obtinere potuisset; suas in hanc Censuram Annotationes cum Epistolio misit P. Antonio Sabbonio, Fratrum Minorum in partibus Flandriæ Provinciali, iis quibus fore proficuas judicaret communicandas. Censuram hanc cum istis Annotationibus suprà prodidimus. Plures epistolæ Michaelis Baii ad P. Sabbonium, & P. Sabbonii ad ipsum asservari apud Fratres Minores Leodii & in Provincia Flandriæ, fidem fecit P. Mathias Hauzeur in Anatomia Sancti Augustini. Quidam quoque Superior Franciscanorum, teste Palavicino in l. 5. c. 7. Historiæ Concilii Tridentini, eos severissimè ac durissimè excipiebat, qui propugnabant Michaelis Baii sententias, quas ut hæresim sapientes insipienter damnabat, minatus se earum censuram à Pontifice postulaturum. Baii verò sectatores, ut sententias quas defendebant, non tam illius quàm Sancti Augustini esse cunctis notum fieret; cœperant Opera Prosperi in Gallia typis dare. Verùm ne id perficeretur impedivit Cardinalis Granvellanus, fratris sui in Gallia Legati operâ. Romam pariter scripsit ut à Papa Pio IV. facultas is concederetur præcipiendi utrique parti quod expediret. Id concessum per

Breve scriptum Granvellano qui antequam eo uteretur, Hesselium & Baium, sibi devinxit, eos in suum adsciscendo consilium cum pingui pensione. Interim majora dissidia multæque anno 1561. confictæ propositiones ab æmulis Baii, qui eas Cardinali Granvellano, Belgium regenti, eo anno 1561. exhibuerunt, ipsas Michaeli Baio ascribere non veriti, licèt nonnullæ ipsarum ab ejus sensu omnino essent alienæ; nonnullæ ab eo nunquam in unam aut alteram partem disputatæ; denique ferè omnes eâ arte confictæ & expressæ, ut vel ob solum loquendi modum suspectæ de errore vel de hæresi possent censeri. Granvellanus eas tradidit Michaeli Baio, qui ad eas scripto respondit, suamque responsionem Granvellano porrexit. Hæc desideratur. Româ circa hujusce anni initium de hocce negotio scriptum est Patri (fortè Horantio) qui Regi erat à Confessionibus.

Cardinalis Commendonus, per Belgium tum temporis transiens, ut cum Margareta & Granvellano de resumenda Tridentina Synodo ageret, aures plus æquo faciles præbuerat criminatoribus Michaelis Baii, à quibus circumventus die nonâ Junii hujusce anni 1561. litteras scripsit Cardinali à Mantua, in quibus ei expendendum proponit, an expediret Michaelem Baium & Joannem Hesselium, à Theologorum Lovaniensium collegio jam delectos, ad Tridentinam Synodum mitti: simul tamen adjiciens, se nolle infaustum de iis viris præsagium præcinere. Idem fertur Pio IV. consuluisse, ut utrique parti silentium indiceret, quo hujusmodi disputationum motus componerentur. Die decimâ octavâ Octobris Cardinalis Granvellanus de hujusmodi negotio litteras Regi Philippo scripsit, quas cum Regis responso, ex Vesontiana sancti Vincentii Bibliotheca depromptas, suprà protulimus.

Michael Baius suâ Responsione os æmulorum suorum ita obturaverat, mandatis Granvellani, qui utrique parti virtute prædicti Brevis silentium imposuerat, ita parebat, ut his de quæstionibus nulla jam querela audiretur.

Itaque pacatis omnibus anno 1563. ineunte, priora Michaelis Baii Opuscula, de libero arbitrio, de Justitia, de Justificatione, & de Sacrificio, cum Francisci Sonnii, Buscoducensis Episcopi, & F. Joannis Hentenii, Professoris Theologi, Approbatione, Regisque Catholici Privilegio, dato in mense Februario anni 1563. in lucem prodiere Lovanii. Tumque Michael Baius à Rege Catholico delegatus Tridentum ivit, ibique interfuit Concilio, quod eodem annò abeunte completum est.

Eo absoluto Michael Baius Tridento reversus Lovanium alia sua opuscula, videlicet libros De meritis operum, de prima hominis justitia, & de virtutibus Impiorum, nec non De Sacramentis in genere, & de forma Baptismi, luci publicæ dedit, cum Regis Catholici privilegio, quod mense Februario anni 1564. concessum est. In prima quidem paginâ primùm prodiisse dicuntur anno 1565. licèt anno 1564. abeunte in lucem exierint; ne scilicet annus 1564. abiens Typographo pro anno integro ex iis qui pro editione concessi erant, computaretur.

Per id temporis graves inter Minoritas provinciæ Flandriæ denuò exortæ sunt contentiones circa Contritionem ac necessitatem peccata confitendi; &

& circa Beatissimæ Virginis conceptionem. Quidam ipsorum hanc pro lege habebant consuetudinem, ut si ipsi ad manum non haberent aliquem è suo Ordine Sacerdotem cui peccata sua possent confiteri, sacra nihilominus conficerent ac sumerent absque prævia confessione, etsi publicitùs inebriati fuissent aut fornicati. Contendebant etiam scriptis, quòd confitendi propositum junctum contritioni ad obtinendam peccati remissionem sufficit, ubi excusat probabilis aliqua ratio, qualem putabant esse, si aliquis ex Ordine Sacerdos non adesset. Hinc multa morum corruptela, magnaque erga Christi Sacramenta irreverentia consequebantur. Ii vehementer repugnabant sententiæ, quâ Michael Baius docebat non nisi in singulari aliquo casu, & extrema necessitate urgente, peccata à Deo remitti absque sacerdotis ministerio.

Nec minùs ei indignati sunt, eò quòd non probaret cum tanto ardore defendi sententiam de immaculata Conceptione Virginis, quæ in nullo SS. Patrum legitur, imo quam eorum doctrinæ adversari arbitrabatur. Nonnulli Minoritarum contrà pro Confessionis & absolutionis necessitate, etiam cùm contritio adest, firmissimè stabant, Michaelis Baii libros ipso inscio allegantes, quos rejiciebant alii. Hæc inter dissidia aliqui non ex Minoritis modò, sed & ex ipsa Academia Lovaniensi, Michaele Baio nihil tale suspicante, articulos quosdam ex ipsius Tractatibus malâ fide decerpserunt ac confinxerunt; ac de iis conquesti apud Regem Catholicum, postulaverunt ut sententiæ istæ configerentur.

Die enim vigesimâ Novembris anni 1564. Judocus Ravesteyn Hispano cuidam Patri Laurentio Villavicentio, Academiæ Lovaniensis Doctori Theologo, Ord. Eremit. Sancti Augustini in Hispania tum degenti, iniquissimè scripsit de Michaelis Baii sententiis, quas suo more referebat & exprimebat. Quæsivitque ab eo, an non expediret Michaelis Baii libros simul ac propositiones ad Regem transmittere, & opem ab eo implorare ut hujusmodi articuli censuris Academiarum Hispaniæ proscriberentur: quod facili negotio perficiendum suggerit curâ P. Francisci Horantii, qui Regi erat à confessionibus.

Equidem Judocus Ravestyn libros à Joanne Hessello & Michaele Baio in vulgus editos, eorumque, ut dicebat, sententias misit ad Theologos Complutenses & Salmaticenses, qui Censuras suas tandem, aliis æmulis Baii post Judoci mortem urgentibus, dederunt tempore Gregorii XIII.

Complutensis enim Academia duas Censuras in novem hujusmodi sententias tulit, unam breviorem, prolixiorem alteram. Sed quo anno non mihi constat: attamen post Pii V. Bullam & Apologiam Michaelis Baii, ut ex propositione 6. & 8. liquet. Academia Salmaticensis, quo anno suam in easdem novem propositiones Censuram tulerit, pariter ignoro: eodem, quo Complutensis data est, hanc esse latam facilè crediderim.

Idem Ravestyn à Tileto, seu Tiletanus, censuit ad summum Pontificem simul esse recurrendum; & circa annum 1564., operâ cujusdam P. Godefridi Leodii Minoritæ, alios plures articulos, veluti ex Michaelis Baii libris collectos, misit Pio IV. Pontifici, ac ejus super iis Censuram ac judicium

ursit. Anno 1566. dum ista adversus Michaelem Baium in Belgio, in Hispania & Romæ clanculum movebantur, excessit è vivis Pius IV. in cujus locum Pius V. eodem anno suffectus est.

Hoc ipso anno Michael Baius iterum typis dedit libros *De libero arbitrio*, *De Justitia*, *De Justificatione* & *De Sacrificio*, qui an. 1563. Lovanii primùm editi fuerant; eisque adjunxit libros *De peccato originis*, *De Charitate*, *De Indulgentiis*, & *De oratione pro Defunctis*.

Eodem anno Parisiis prodierunt *Loci Catholici* F. Francisci Horantii, Hispani Minoritæ, qui cùm ad Pelagianos propiùs accederet, ut liquet speciatim ex l. 1. c. 20. 24. 25. 26. & 28. ubi naturæ bonum singulariter commendat; non mirum si Michaeli Baio summopere infensus fuerit. Huic Operi præfixa est Autoris epistola Regi Hispaniarum scripta Venetiis idibus Quintilibus anni 1544.

Eo ipso tempore Patres Societatis bellum indixere Academiæ Lovaniensi. Et die 4. Julii hujus anni 1566. P. Provincialis Jesuitarum per Belgium, unà cum P. Rectore Collegii Lovaniensis, Facultati Theologicæ, quam illius Magistris in invicem pugnantibus divisam, & aliis negotiis intentam cernebat, primùm exhibuit Litteras Indulti, quo à Romanis Pontificibus fuerat Societati concessa Facultas eos, qui student in Jesuitarum gymnasiis, creandi Baccalaureos, Licentiatos ac Magistros ceu Doctores, si contigerit quòd eos gratis admittere nollent Rectores Academiarum. Hujus virtute privilegii Provincialis & Rector postulaverunt à sacra Facultate Lovaniensi ut nonnullis, qui laureâ donandi tunc temporis erant, ea gratis concederetur. Facultas id repulit, & Decanus tot tamque urgentia protulit pro Facultatis juribus, ut Provincialis & Rector nihil habuerint quod opponerent.

Interim æmuli Michaelis Baii, qui priores sententias Pio IV. denunciaverant, alias plures addidere, quas tam ex posterioribus quàm ex prioribus ejus Opusculis excerptas & collectas asserebant: easque omnes, numero septuaginta sex Pio V. qui in Pii IV. locum novissimè successerat, exhibuerunt, instantes vehementissimè ut eas proscriberet. Et ad id promptiùs obtinendum, Minoritas delatores non parum adjuvisse existimaverim. Patrem Montaltium, quem Pius V. Fratrum Minorum recèns fecerat Generalem, & qui posteà fuit Xistus V. Imò Minoritæ Belgii, quos Sablonius eorum Provincialis represserat, duos è suis, videlicet P. Petrum le Roy, qui Mariæ Austriacæ, Reginæ Poloniæ fuerat à Confessionibus, & P. Theodorum à Leodio, qui apud Ducem *d'Alve* gratiam invenerat, ad Regem delegavere, qui ab iis circumventus rogavit Pontificem ut turbas componeret quas disputationes istæ in Belgio excitaverant.

Itaque anno 1567. Kal. Octobris, Michaele Baio nihil istorum sciente quæ in ipsum agebantur, & ejus libris, ex quibus extractæ dicebantur hujusmodi sententiæ, malè consultis vel intellectis, Pius V. Bullam dedit (a) quâ eas omnes conglobatim ut hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè damnavit: ita tamen ut nonnullas ipsarum declararet defendi posse in rigore & in proprio verborum sensu ab assertoribus intento, ac Michaelis Baii nomen, sicut &, titulus,

(a) *Vide alteram Granvellani Epistolam die 13. Novemb. 1567. Morillono scriptam; & relatam supeiùs.*

 591

titulus libri ex quo dicebantur collectæ, reticeretur. Hanc Bullam suprà ex integro relatam habes.

Sed nec visum est Pontifici Constitutionem hanc Romæ affigere aut promulgare. Satis esse ratus est, si Michaeli Baio, ac strictæ Facultati Theologicæ Lovaniensi in privatis ædibus intimaretur.

Quamobrem Papa suæ Bullæ executionem commisit Cardinali Granvellano, primo Archiepiscopo Mechliniensi, qui tum Romæ commorabatur. Ipse verò ad id operis delegavit Maximilianum Morillon, suum in Diœcesi Mechliniensi Vicarium Generalem; simulque die 13. Nov. 1567. binas ei litteras scripsit, in quibus significabat se, ut Michaelis Baii honori ac famæ consuleret, egisse apud Pontificem ut ejus nomen in Bulla non exprimeretur, & ut in ea declararetur quòd multæ ex his sententiis sustineri possent in rigore & aliquo sensu.

Hanc Pii V. Bullam cum Cardinalis Granvellani litteris statim ac accepit Morillonus, Baio scripsit ut Bruxellas die 22. Decembris veniret, & ipsum accederet. Die 20. ejusdem mensis Baius rescripsit Morillono se indictâ die venturum, simulque Pastori Ecclesiæ S. Johannis Mechliniæ, suam erga Sanctæ Sedis Decreta observantiam obtestatus. Die 21. Decembris Morillonus ea omnia scribit Cardinali Granvellano, adjungens sibi videri Bullam Patri Pepin, Provinciali Minoritarum in Flandria, & Guardianis Namurcensi, Athensi, & S. Audomari intimandam, quia Baio adhærebant. Has Morilloni litteras habes suprà.

Tandem die vigesimâ nonâ Decembris Maximilianus Morillon, Ecclesiæ Sancti Petri Ariensis Præpositus, ac Cardinalis Granvellani Mechliniensis Archiepiscopi Vicarius Generalis, tanquam ab eo delegatus Lovanium venit, ac Cornelio Jansenio, qui Sacræ Facultatis pro tempore Decanus erat, Judoco Raveſtyn, Michaeli Baio, Hunnæo, Gosio, & Cunero Petri, qui de stricta Facultate erant, privatis in ædibus Judoci Raveſtyn Tiletani, significavit Litteras Apostolicas Romæ datas esse Kal. Octobris hujus anni, *quibus*, dicebat, *certæ sententiæ damnantur respectivè tanquam hæreticæ, erroneæ scandalosæ, & piarum aurium offensivæ*, QUANQUAM EARUM NONNULLÆ ALIQUO PACTO SUSTINERI POSSENT IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO. Deinde eas Litteras distinctè legit, eos ad pacem & concordiam cohortatus. Subdidit sibi seriò præscriptum, ut & libros excusos, ex quibus articuli isti ferè omnes desumpti ferebantur, prohiberet. His auditis Decanus nomine omnium Magistrorum dixit, quòd quâ par erat reverentiâ reciperent Litteras Apostolicas, ac eis essent obtemperaturi. Et ut eas meliùs observare possent, petiit ab isto Delegato ut ipsarum exemplum eis traderet: subjungens gravibus ex causis nullatenus expedire ut libri Michaelis Baii inhiberentur. Quapropter nec illi prohibiti fuerunt: Nullum verò Bullæ exemplum Delegatus porrigere voluit, sed duntaxat Articulos suâ manu transcriptos, & eâ quidem lege ut nullis aliis communicarentur.

Tum Sacra Facultas Morillonio tradidit scripto Declarationem, quâ Magistri suprà recensiti testantur, ut extat in Tabulis istius Facultatis, exhibitas

 sibi.

ſibi fuiſſe Litteras Apoſtolicas, *quibus certæ ſententiæ & ſcripturæ, proloquia, & Diſputationes damnantur reſpectivè tanquam erroneæ, ſcandaloſæ & piarum aurium offenſivæ*; QUANQUAM EORUM NONNULLÆ ALIQUO PACTO SUSTINERI POSSINT IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO.

Cætera quæ ea in re peracta ſunt, deſcripſit Morillonus in litteris quas retuli ſuprà: & habentur in Atteſtatione ſeu Declaratione Janſenii ſuperiùs adducta.

Hoc anno ad ea quæ in Conventu ſive Synodo Cameracenſi circa Hæreticorum baptiſmum ac matrimonium, nec non violatores Reliquiarum fuerant deliberata, ſententiam ſuam protulit Michael Baius cum Cornelio Janſenio & Rithovio in Theologia collegis, qui unà cum ipſo ad hanc Synodum vocati fuerant.

Anno 1568. ineunte, Morillonus rurſum Cardinali Granvellano ſcripſit litteras, quibus ei ſignificabat ſe Confeſſario Ducis Albani ſeriem ac modum intimationis Bullæ narraſſe, & iſtum Duci retuliſſe, qui cuncta probavit.

Interim ipſe Morillonus Patrem Angelo Averſa Minoritarum Flandriæ Commiſſarium advocavit, & ei intimavit Bullam, inhibens ne quis Ordinis iſtius de his controverſiis ampliùs diſputaret: ei inſuper juſſit ut Patrem Miniſtrum qui brevi venturus expectabatur, ad ſe adduceret, ut ei Bulla pariter intimaretur. Die decimâ Januarii eam intimavit Patri Petro Lupi, ac ejus Lectori. Poſtridie ea omnia ſcripſit Cardinali Granvellano in litteris ſuprà ſuo ordine relatis; ubi ei proponit Patrem à Leodio Baii inſectatorem, inſtituendum Provincialem in locum Patris Pepin Baio adhærentis. Menſe Maio, vel circiter, multa cum Baio egit ac locutus eſt Morillonus, eum non urgens ut articulos in Bulla proſcriptos ejuraret, quia nimio dolore oppreſſum eum videbat. Hæc & alia habes in litteris à Morillono die 20. Junii hoc anno ſcriptis, quas ſuperiùs retuli.

Eodem hoc anno, die vigeſimâ ſextâ Novembris, in Sabbathina diſputatione Theologica, in quâ Mathias Hovius, Burſarius Collegii Pontificii, reſpondebat, Michaele Baio præſide, actum eſt de ratione Sacrificii. In fine autem diſputationis Cunerus Petri exprobravit Michaeli Baio, quòd à ſententia inter noviſſimè damnatas quadrageſimâ quintâ non recederet: quod & Judocus Raveſtyn palam confirmare auſus eſt. Ipſos ut ſcriptis convinceret, ſuamque adverſùs eorum contumelias vindicaret fidem Michael Baius, die proximâ, hoc eſt, vigeſimâ ſeptimâ Novembris Collationem cum ipſis per litteras inſtituit, ac primam ea de re epiſtolam ſcripſit Cunero Petri. Integra hæc Collatio ſuperiùs edita habetur.

Quandoquidem verò contentiones de Baianis, ut dicebantur, ſententiis maximè inter Fratres Minores Belgii efferbuerant, idcircò eorum Præpoſiti in ſuis, quæ hoc anno Nivellæ habita ſunt, Comitiis, iſtos 76. articulos ſuo totiuſque Provinciæ nomine ejuraverunt.

Anno 1569. octavâ Januarii die, Michael Baius Summo Pontifici ſcripſit, conqueſtus quòd nullum Bullæ, quæ ſibi ac aliis Theologis exhibita fuerat, exemplar poſſet obtineri neque Romæ neque Lovanii: & quòd nihilominus

ominus per Belgium circumferrentur ſeptuaginta ſex articuli à Sua Sanctitate damnati. Huic epiſtolæ adjunxit Apologiam, in qua demonſtrat 1. quàm mendaciter ac calumnioſè ipſi tribuantur hi ſeptuaginta ſex articuli. 2. Quo ſenſu plerique ipſorum veri ſint & ad mentem Sancti Auguſtini.

Apologiam hanc cum ſuis litteris ac altera breviori eorumdem articulorum explicatione direxit ad Cardinalem Simonetam, quem in Concilio Tridentino noverat. Verùm dum hæc eſſent in via, Cardinalis Simoneta humanis exemptus eſt. Nihilominus Michaelis Baii Litteræ & Apologia Pio V. ſummo Pontifici redditæ ſunt.

Et Pius V. die tertiâ Maii ejuſdem anni 1569. Michaeli Baio reſcripſit quòd cauſa maturè diſcuſſa fuiſſet, eum adhortans ut ſe ipſius Cenſuræ ſubjiciat: adeò rarum his temporibus quòd Judices, præſertim ſupremi, ea quæ ab ipſis quantumcunque deluſis ſemel judicata ſunt ac definita, ad examen revocari patiantur.

Die vigeſima Junii hujuſce anni 1569. Morillonus prædictum Breve Pontificis Michaeli Baio tradidit cum Litteris Granvellani. Summopere autem miratus eſt Baius ſecum agi ac ſi ſuas vindicias & Apologiam ſcribendo Pontifici, in eum fuiſſet rebellis, ac Excommunicationis & Irregularitatis cenſuras incurriſſet: à quibus cùm peteret abſolvi, Morillonus abſolutionis beneficium ei impertiri noluit, quin prius Articulos per Bullam confixos ejuraverit. Has & alias tanti viri moleſtias & quomodo nullum Bullæ exemplar quo ſe tueri poſſet, obtinere potuerit, intelligere eſt ex litteris quas ea de re Morillonus eadem die 20. Junii ſcripſit Cardinali Granvellano; & quas ſuprà adduximus.

Jam poſt illam Cenſuram & iſtud Breve fit cuivis liberum in Michaelem Baium, ac ſi hujuſmodi ſententias docuiſſet, palam invehi. Nec Fratrum Minorum Præpoſitis in provincia Flandriæ ſatis fuit iſtos articulos in Comitiis Nivellenſibus anno ſuperiori ejuraſſe. Quidam P. Julianus à Quercu, iſtius provinciæ Miniſter, hoc anno 1569. primâ die Septembris, Decretum tulit quo omnibus ac ſingulis Guardianis ſibi ſubditis mandat, ut hujuſmodi articulos cum eorum Cenſuris in Capitulo legant, ejurent, & à ſingulis non modò Sacerdotibus & Clericis, ſed & Laicis curent ejurari, omniaque Michaelis Baii ſcripta, ſi quæ habent, Præpoſito tradi: imo ut ab ipſis Sororibus, quæ ab ipſis regebantur, ſui Decreti tenorem exponerent, eis ſub graviſſimis pœnis præcipiendo, ut omni contentione ac querelâ, ſuper his doctrinis aut propter eos qui eos defenderunt, in poſterum abſtinerent.

Hoc anno 1569. Michael Baius duarum curationum, quæ miraculoſè contigerant, teſtimonia comprobavit, exhortans ut ad Dei gloriam evulgarentur: ſimulque ſcripſit Virgines Cirenenſes ad clauſuram non teneri, nec poſſe cogi.

Anno 1570. ineunte, ſeptimâ videlicet Februarii die, vitâ functus eſt Judocus Raveſtyn, unus è præcipuis Michaelis Baii æmulis.

Nihilominus junior quidam Theologus, de quo jam non ſemel feci mentionem, nimirum, Cunerus Petri, in Sabbathinæ ſcholæ exercitationibus, &

& quidam F. Godefridus Leodius Minorita, in concionibus quas hoc anno 1570. per Quadragesimam in Templo Fratrum Minorum Lovanii habebat, Michaelem Baium denuo exagitare cœperunt, tanquam qui Judoco Tiletano mortuo novos motus excitaret, ac proscriptos articulos audaciori animo defenderet.

Has calumnias Michael Baius in modesto silentio sustinebat, donec tandem Martinus Richtovius, Episcopus Iprensis; Franciscus Sonnius, Sylvæ-Ducensis Episcopus; & Cornelius Jansenius, Episcopus Gandensis, iniquiùs ferentes tam exquisitæ eruditionis ac tam humilis patientiæ virum hujusmodi æmulorum dentibus sic discerpi, ipsi die undecimâ Aprilis prætercurrentis hujusce anni 1570. consuluissent, ut se ab iis calumniis publicitùs vindicaret, suamque mentem palam exponeret circa istos Articulos.

Ipsorum itaque consilio ac suasu Michael Baius, die decimâ septimâ Aprilis ejusdem anni 1570. horâ decimâ, cœpit in Scholis Theologorum quid circa hujusmodi Articulos sentiret, cum multa humilitate ac modestia aperire: declarans nonnullos ipsorum esse falsos ac jure confixos, sed à se nunquam traditos: alios esse arte ac dolo confictos, qui pravum sensum pati possunt, quem nunquam tenuit, licèt & in sano intelligi quoque facilè possent.

Die decima nonâ ejusdem mensis, explicationem, quam die decimâ septimâ susceperat, in publicis Scholis prosecutus est: nec prætermisit dicere quòd quidam, cujus nomen tacuit, qui ejus sententiam non capiebat, duriora fuisset de ipso locutus: sed postquam ipse suam mentem ei aperuisset, veniam ab eo supplex petierit, & scripto quidem testimonio. Verùm neque his sedati sunt animi in Michaelem Baium improbè commoti.

Quidam enim apud Ducem Albanum, Belgii eo tempore Præfectum, quem Michaeli Baio infensum suis calumniis reddiderant, conquesti sunt quòd ipse Pontificiæ Constitutioni, quâ ejus, ut dicebant, errores fuerant proscripti, impunè morem non gereret eo obtentu, quòd ista Constitutio non solenni ritu fuisset promulgata, sed duntaxat privatis in ædibus Doctoris Tiletani aliquot Theologis Doctoribus prælecta: institeruntque apud Ducem ut in publicis Lovaniensis Academiæ Scholis promulgaretur, eique subscriberent Michael Baius cæterique Sacræ Theologiæ Magistri.

Cùm itaque eodem hoc anno 1570. die undecimâ Junii, Mechliniæ Synodus haberetur omnium Episcoporum Belgii, cui Martinus Rithovius, Episcopus Iprensis, Cardinale Granvellano, Archiepiscopo Mechliniensi absente, præerat; Dux Albaniæ ad eos de isto negotio scripsit, urgens ut Pii V. Bulla adversùs 76. articulos lata solemniter publicaretur Lovanii, ac ei ab omnibus subscriberetur Lovaniensis Academiæ Theologis Doctoribus & Professoribus. Id se præstituros Duci Albano polliciti sunt; licèt per priorem, quæ anno 1567. contigerat, Bullæ intimationem mandato Pontificis adeò plenè fuisset satisfactum ut à Pontifice nihil ulterius requireretur. Ut igitur fidem suam liberarent hi Episcopi, in Synodo constituerunt præter præscriptum Papæ, qui suæ Bullæ executionem Cardinali Granvellano nominatim commiserat, Lovanium denuò mittendum esse eundem Maximilianum

lianum Morillon, qui Pii V. Constitutionem ibi publicitùs ac more solemniori promulgaret, ac Theologos induceret ad subscribendum.

Id antequam exequerentur visum est istius Synodi Patribus, ut ex ipsis duo, nimirum Martinus Rithovius & Cornelius Jansenius, Episcopus Gandensis, istud Synodi propositum Michaeli Baio communicarent, qui Sacræ Facultatis Lovaniensis erat senior. Illi itaque venerunt Lovanium, rem Michaeli Baio communicaverunt, quem ad omnia præstanda quæ ad pacem salvâ veritate conducebant, invenerunt paratissimum. Indeque recedentes Duci Albano promptum ad obediendum testificati sunt Michaelis Baii animum, quod Ducem summopere mitigavit.

Cùm igitur consilium hoc omnibus istius Synodi Episcopis & Belgii Præfecto probaretur, memoratus Morillon Lovanium iterum venit, ibique decimâ sextâ Novembris die præterlabentis anni 1570. Pii V. Rescriptum seu Bullam in scholis publicis ritu solemni promulgavit, nullo tamen istius Bullæ exemplo relicto: Instititque ut Theologiæ Magistri huic Censuræ subscriberent. Deinde petiit ab omnibus Theologis, an Litteris Apostolicis ab ipso præbitis vellent obtemperare: ad id se esse paratos clamaverunt omnes: sed de subscriptione cuncti siluerunt.

Eodem die, vesperi, Rector, inscio Decano P. Balthasare Textore, Ord. Prædic., Bedellum Facultatis privatâ suâ autoritate misit ad singulos Doctores Theologos cum quadam formulâ, quâ profitebantur se reverenter amplecti Sedis Apostolicæ definitionem circa recensitos 76 Articulos, seque in omnibus Disputationibus, Lectionibus ac responsionibus sententiam huic definitioni conformem fore secuturos. Statim ac Decano exhibita est ut ei subscriberet, ipse se hujusmodi subscriptionibus strenuus opposuit; ac postridie Facultati Theologicæ in Majori Collegio convocatæ declaravit istius Formulæ subscriptionem à Theologis exigi. Hoc audito, Sacra Facultas respondit 1. se postulare exemplum Bullæ ut pleniùs intelligere valeat quomodo se debeat circa has Censuras gerere. 2. Quod subscriptionem attinet, se existimare quòd per solemnem Bullæ promulgationem menti sit satisfactum Episcoporum Synodi Mechliniensis.

Igitur nulla subscriptio obtineri potuit à Theologis, qui fraudes & insidias in novo isto subscribendi mandato subolfaciebant. Imò statim ac Maximilianus Morillon Lovanio discessit; ferebatur alteram hanc proprio nutu, sub ementito Episcoporum nomine, Pianæ Bullæ evulgationem suscepisse; novamque illam exegisse subscriptionem, ut qui illi subscripsissent, veluti erroris ac relapsûs convicti haberentur ab iis qui eos criminabantur, etsi mendaciter, recensitos tenuisse articulos, etiam postquam Pontificio Diplomate fuissent proscripti.

Ubi hujusmodi querelæ pervenerunt ad Morillonium, Martino Rythovio & Cornelio Jansenio per litteras significavit quàm molestè ferret suspicionem hanc de ipso haberi, & quàm vehementer ab ea liberari cuperet.

Eam ob causam ambo hi Episcopi, die vigesimâ tertiâ Decembris hujus anni 1570. Sacræ Facultati Lovaniensi scripserunt litteras, quibus illam certiorem faciebant quòd Maximilianus Morillon non privato suo nomine, sed ex

 com-

commissione, quam gravissimas ob causas ei dederant Patres Synodi, Bullam Pii V. in Scholis Lovaniensibus novissimè promulgasset, & præscriptæ Formulæ subscribendum proposuisset. Deinde ipsi Sacræ Facultatis rogant & hortantur ut vanâ fraudis alicujus suspicione depositâ, Pontificiæ subscribant Censuræ, ad odiosissimam, ut aiunt, causam consopiendam. At frustra id ipsos postulasse, ac Lovanienses Theologos nunquam potuisse ad id adduci ut Pianam Censuram suâ subscriptione firmarent, facilis crediderim. Id enim ab eis præstitum nullibi reperio.

Anno 1571. ineunte, Commentarius à Cunero Petri (qui anno superiori ad Episcopatum Leuwardiensem provectus fuerat) Leuwardiæ in 76. articulos à Pio V. damnatos scriptus & absolutus est. In ipsa operis istius valde prolixi præfatione declarat, quòd recensitæ sententiæ à Sede Apostolica, prout anno 1567. ipsi ac Facultati Theologicæ à Morillonio exhibitum fuerat, sub hac verborum forma damnatæ sint: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas*, QUANQUAM EARUM NONNULLÆ ALIQUO PACTO IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO SUSTINERI POSSENT, *tanquam erroneas tamen, & hæreticas, & quæ scandalum & offensionem in pias aures immittant, damnamus & abolemus &c.* Deinde ibidem hic Baii æmulus ingenuè disertèque fatetur, quòd inter hujusmodi sententias quædam reperiantur, quarum sensus ab authoribus intentus, quem præ se fert rigor & proprius verborum sensus, si aliter exprimerentur, posset sustineri.

Post præfationem referuntur omnes illi articuli per ordinem, quibus hic titulus præfixus est; *Sententiæ quædam à Sede Apostolica damnatæ & abolitæ, ita ut* QUANQUAM EARUM NONNULLÆ ALIQUO PACTO IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO, SUSTINERI POSSENT; *erroneæ tamen, hæreticæ, & quæ scandalum & offensionem in pias aures immittant, respectivè prohibitæ.* Quæ omnia totam de famoso commate litem dirimunt.

Toto hoc Opere Cunerus Petri nititur demonstrare quòd singulæ istæ sententiæ jure merito damnatæ sint ac prohibitæ tanquam vel hæreticæ, vel erroneæ, vel scandalosæ, vel immittentes offensionem in pias aures.

Primâ die Aprilis Cornelius Reyneri, Gaudanus, Facultatis Theologicæ Lovaniensis pro tempore Decanus, eam convocavit, eique convocatæ proposuit 1. an memorati Articuli pro damnatis verè ac certò habendi sint, adeò ut suppositis Facultatis sit mandandum quatenus iis deinceps tenendis ac defendendis abstineant. 2. An non consultum sit eadem Facultatis membra monere, ut libros & scripta abjiciant, in quibus isti Articuli docentur. 3. Ut Michael Baius declaret an sincerè paratus sit, juxta jusjurandum ab eo sæpe præstitum ac renovatum, subire hac in re judicium Facultatis: & quinam sint articuli, de quibus etiam publicè in Facultate dixit, quòd pro illis deberemus forsitan mori potiùs, quàm eos damnare.

Die Aprilis decimâ tertiâ Facultas congregata, Michaele Baio excepto, super articulis à Decano die prima ejusdem mensis propositis, respondit 1. prædictas 76. sententias esse pro damnatis ac suspectis habendas, illisque absti-

abſtinendum ab omnibus Facultatis membris; & id ipſis publicitùs intimandum eo tempore, quo Facultatis ſtatuta ſolent palam prælegi; & ſeorſim, quando quis ad Gradus Theologiæ promovetur.

2. Libros & Tractatus in quibus iſtæ ſententiæ defenduntur, eſſe Theologiæ candidatis auferendos. 3. Se recipere declarationem, quam Michael Baius nuper in Scholis Theologicis poſt diſputationes fecerat. Ipſe verò declaravit ſe non meminiſſe quòd id dixerit quod ipſe dixiſſe fertur, niſi fortè de aliqua parte alicujus Articuli. Denique omnium votis judicatum eſt expedire ut de nonnullorum Articulorum partibus modeſta inſtituatur inter Doctores collatio, ut unanimes deinceps idipſum loquantur ac ſentiant; cujus Collationis capita & modum diſponendum commiſerunt ipſi Cornelio Reyneri qui Decanus erat.

Anno 1574. Michael Baius inter diſputandum dixiſſe fertur, quòd homo in actuali voluntate exiſtens aliquod mortale peccatum perpetrandi, peccet dando etiam eleemoſynam; ut ſi aliquem proſecutus ut occidat, pauperi occurrenti det denarium; etiam ſi ei dicat: *ora pro me*: peccet imprimis peccato hyprocriſis, quia ſimulat ſe odiſſe iniquitatem, & amare Dei legem, quam reapſe odit: unde præſtaret tunc non dare eleemoſynam.

Anno 1575. mendaciis, impoſturis ac calumniis, quæ de Michaele Baio & ejus doctrina ſparſæ fuerant, Cenſuriſque à variis Academiis & ab ipſo Pontifice in ſententias quæ ipſius eſſe dicebantur, latis, nihil obſtantibus, ipſe renunciatus eſt Cancellarius Academiæ Lovanienſis, & Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Petri Decanus.

Eo ipſo anno ſingularem Orationem in ſcholis Theologicis habuit: in qua demonſtrat, quòd omnes Epiſcopi ſuam juriſdictionem à Deo abſque medio recipiunt. Et cùm in quadam Academica exercitatione dixiſſet, quòd ex his Chriſti verbis: *Ego pro te rogavi, Petre*, &c. non clarè conſequitur Romanum Pontificem in ſuis definitionibus non poſſe errare: Laurentius Weſterhove, Moderator Majoris Collegii, dubitationem hanc adeò iniquè tulit, ut eam non abſurdam modò, ſed & ſcandaloſam pronunciaverit. Ut igitur ſe ſuamque hanc dubitationem ab hujuſmodi cenſura vindicaret Michael Baius, confeſtim ſcripſit Tractatum circa Quæſtionem hanc: Utrùm ex præcitatis Chriſti verbis clarè ac certò arguatur Romanus Pontifex in definiendo ea quæ ſunt fidei errare minime poſſe. Weſterhovius quaſdam authoritates ei oppoſuit: quas Baius veluti ineptas & quæſtionem non tangentes rejecit in Reſponſione, quæ in prima parte primùm edita extat, licèt non integra.

Eodem anno 1575. quorumdam de vera Chriſti Gratia minùs catholicè ſentientium curâ ac ſtudio excuſus Antuerpiæ prodiit antiquus liber, quem inſcripſerunt: *Sancti Xiſti Tertii, Pontificis Martyris:* cum Cenſura Ariæ Montani. Totum illud opus eſt Pelagianum, & creditur eſſe non alicujus Sancti Xiſti Martyris aut Pontificis; ſed illius Xiſti, de quo Sanctus Hieronymus loquitur in ſuâ ad Cteſiphontem contra Pelagianam hæreſim epiſtolâ.

Circa idem tempus quidam Doctor Pariſienſis docuiſſe fertur 1. quòd

Auguſtinus de prædeſtinatione & gratia non rectè tractaverit. 2. Quòd nulli ſint ſpecialiter electi; ſed omnibus impenſum auxilium ſufficiens, quo qui bene erunt uſuri, prædeſtinati erunt. 3. Deum minùs propriè dici in nobis operari velle; & dare cor novum. Adeò ut mirum minimè ſit multos iſtis temporibus Michaelis Baii ſententiis contradixiſſe.

Anno 1577. cœpit ſingularis diſputatio per litteras, Michaelem Baium inter & Philippum Marnixium Sanct-Aldegondium, Calviniſtam. Iſtius enim anni 1577. die Octobris decimâ quartâ Philippus Marnixius famâ motus profundæ eruditionis Michaelis Baii, miſit ei per Dominum de Wignacourt varias Quæſtiones de Eccleſia ac ejus autoritate in definiendis controverſiis fidei; ſimulque Quæſtiones de Sacramento Altaris: & ad eas reſponſum poſcebat Michaelis Baii.

Die ejuſdem menſis Octobris vigeſimâ ſecundâ Michael Baius ad priores Marnixii Quæſtiones, quæ erant de Eccleſia, reſpondit. Die quintâ Novembris Marnixius reſcripſit Baio litteras, quas non niſi die decimâ quintâ iſtius menſis deſtinavit, cum epiſtolio quo ſe excuſat. Iis autem in litteris declarat ſibi circa primam Quæſtionem à Baio ſatisfactum: innuens tamen ſe optaſſe ut quæ de Eccleſiæ Conſtitutionibus reſpondit, paulò dilucidiùs expoſuiſſet. Deinde rogat Michaelem Baium, ut ſuam ad Quæſtiones de Euchariſtia reſponſionem quamprimùm mittat. Decimâ nonâ die Novembris hæ Marnixii litteræ Bruxellis datæ, Michaeli Baio redditæ ſunt. Die verò ejuſdem menſis vigeſimâ ſextâ Michael Baius miſit Marnixio ſua reſponſa ad Quæſtiones de Euchariſtia: & iis paulò poſt adjunxit dilucidiorem de Eccleſiæ Conſtitutionibus explicationem, per litteras die vigeſimâ octavâ Novembris datas.

Philippus Marnixius Antuerpiâ Bruxellam reverſus accepit Michaelis Baii, ad Quæſtiones de Euchariſtia, Reſponſa: quibus multa oppoſuit per litteras Bruxellæ datas die undecimâ Decembris.

Die decimâ octavâ ejuſdem menſis Michael Baius demonſtravit quomodo ea quæ reſponderat, & quæ ſibi mutuò repugnare dixerat Marnixius, perfectè ſimul cohærerent.

Anno 1578. Alia, quæ Marnixius Sanct-Aldegondius reſponſionibus Michaelis Baii circa Euchariſtiam oppoſuerat, Baius fuſè diſſolvit per litteras die ſeptimâ Januarii ineuntis hujuſce anni 1578. Verùm hæ litteræ Marnixio, qui in Friſiam iverat, tardiùs redditæ ſunt. Et quoniam ſtatim atque ex Friſia redux eſt, in Germaniam denuò ablegatus eſt, nihil potuit niſi poſt annum ultimis his Baii reſponſionibus reponere.

Interim hoc anno 1578. Michael Baius in Conſervatorem Privilegiorum Academiæ Lovanienſis aſſumptus eſt; ejus æmulis indubiè frendentibus.

Die decimâ Decembris anni 1577. proximè elapſi Belgæ confœderati, cùm Catholici tùm Acatholici, arctioris unionis fœdus pepigerunt. Et hoc anno 1578. Ordines Belgii edixerunt ut ipſi quoque Monachi & qui de Clero, fidem ac obedientiam Mathiæ Archiduci, & defectionem à Joanne Auſtriaco Præfecto Belgii, jurare compellerentur. Id tacitus ferre non potuit Michael Baius; imò litteras ſcripſit Ambroſio Lootſio, Abbati Parcenſi; in

in quibus eum Christianâ libertate corripit, quòd huic unioni consensisset, demonstratque quantùm Religioni ac Regi injuriosa esset hujusmodi jurisjurandi exactio & ista unio.

Die Julii decimâ nonâ hujus anni 1578. scriptus & absolutus est Tractatus *De Communione sub utraque specie*, quem à Michaele Baio dictatum hæc suadent: nimirum illum invenio in Ms. Codice scriptum esse in Collegio Pontificio, ubi Michael Baius præerat, ac docebat. 2. ex istius Tractatus initiis non obscurè innuitur Autor interfuisse conclusioni Tridentini Concilii: cui constat Michaelem Baium adfuisse.

Eodem hoc anno scriptum puto à Michaele Baio Tractatum *De Ecclesia*, quem in eodem Codice eâdem manu Michaeli Baio adscriptum reperio.

Dum in his detinebatur, ac fidem & Ecclesiam adversùs hostes ipsius defenderet Michael Baius; ejus æmuli suas in eum calumnias clanculùm prosequebantur. Scripserunt enim ad Regem Hispaniarum & ad ipsum Pontificem, quòd Michael Baius articulos à Pio V. reprobatos teneret adhuc ac defenderet. Non levis quidem in Belgio erat contentio de veritate Bullæ Pii V. Nonnulli enim eam supposititiam esse èx eo suspicabantur quòd nulla ipsius exempla haberi poterant. Aliqui eam contendebant obreptione obtentam, & brevi revocandam. Alii verò ipsam acerrimè defendebant. Ut hæ disputationes compescerentur, Rex Catholicus per suum Legatum, ac aliqui ex Academia Lovaniensi Theologi per P. Franciscum Toletum, institerunt apud Gregorium XIII. qui Pio V. successerat, ut his malis efficax & opportunum remedium adhiberet.

Itaque anno 1579. inchoante, die nempe vigesimâ octavâ Januarii, Gregorius XIII. Constitutionem à P. Francisco Toleto conceptam edidit, in qua Litterarum Pii V. tenorem sic inseruit, ut eas tamen nec approbaret nec confirmaret, nec articulos in iis recensitos iterum damnaret: sed declararet solummodò se hujusmodi Litteras in Pii V. Registro invenisse, jubens ut ipsis sic insertis fides integra habeatur.

Ut verò de his quæ de Michaele Baio dicta fuerant, accuratiùs inquireretur; motusque ac tumultus, qui propter hæc continuò audiebantur in Academia Lovaniensi, potentiùs sedarentur, Gregorius XIII. Societati Jesuitarum impensè addictus, P. Franciscum Tolet, qui ei erat à Concionibus, misit Lovanium.

Iste sub anni 1580. initium Lovanium venit Brevi Apostolico ad Facultatem Theologicam Lovaniensem directo munitus, ac novâ Pontificis Bullâ. Convocatâque & congregatâ Facultate ipse suas litteras fiduciarias dedit istius Facultatis Decano, qui eas cæteris audientibus legit. Deinde P. Toletus palam dixit quòd à viris fide dignis (nempe Michaelis Baii æmulis, qui eum tanquam in suos errores relapsum tam apud Regem Hispaniarum, quàm apud Summum Pontificem accusaverant) ad aures Summi Pontificis perlatum esset inter Lovanienses Theologos non deesse qui Articulos in Pii V. Bulla proscriptos clam palamque defenderent, ac sibi aliisque persuasum vellent Bullam hanc à Sancta Sede revocandam. Adjunxit quòd ad coercenda hujusmodi ingenia & ut omnis spes revocationis adimeretur, Pontifex statuisset prædictum

Pii V. Diploma confirmare & articulos in ea prohibitos, iteratò damnare, ac prohibere sub pœnis gravioribus. Hæc ubi P. Toletus privatim coram Doctoribus Theologis præfatus est, requisivit ut, ne quis Sedis Apostolicæ mentem ignoraret, Gregorii Bulla in scholis Theologicis Lovaniensis-Academiæ solemniter promulgaretur, & ut indiceretur dies & hora, quâ omnes Theologiæ Professores, Licentiati, Baccalaurei, ac auditores in scholis Theologicis convenirent, ut quæ in mandatis habebat exequeretur. Hunc in finem Sacra Facultas diem indixit vigesimum primum Martii, horamque decimam matutinam.

Igitur anno 1580. die Martii vigesimâ primâ, statutâ horâ, P. Franciscus Tolet, Jesuita, tanquam à Pontifice delegatus, eum deducentibus Michaele Baio, Cornelio Reyneri, & Henrico Gravio, S. T. Magistris, Scholas Theologicas Academiæ Lovaniensis ingressus, cathedram conscendit, ac in omnium consessu Sacræ Theologiæ Professorum, Licentiatorum, Baccalaureorum, cæterorumque Theologiæ candidatorum, jussit Litteras suas Fiduciarias à Conrado Sylvio, Academiæ Notario, legi, deinde Bullam Gregorii XIII.

His perlectis ipse se ad Michaelem Baium convertit, & ab eo quæsivit an non articulos in Bulla recensitos damnaret: cui Baius modestè prudenterque respondit: *damno secundùm intentionem Bullæ, & sicut Bulla eos damnat.* Tum P. Toletus ad reliquos Doctores Theologos conversus petiit, an non susciperent Bullam, & articulos in ea relatos damnarent: Qui uno ore omnes responderunt se eos damnare ac Bullam reverenter suscipere. Idem Licentiati, Baccalaurei ac cæteri Theologiæ auditores unâ voce clamarunt. Et ita è Scholis discessum est, nullo tamen Theologis aut aliis concesso Bullæ exemplo.

His peractis P. Franciscus Tolet privata cum Michaele Baio colloquia habuit, in quibus cùm exprobraret isti Doctori quòd à suis æmulis accusaretur suos discipulos his sententiis, etsi à Pio V. proscriptis, clanculum imbuere: respondit se hujus rei non esse conscium, & quòd si à Cornelio Reyneri Gaudano, & Henrico Gravio ejusdem Thologicæ Facultatis Doctoribus, quos ista suggessisse suspicabatur, horum convinci possit coram Judice ac secundùm ordinem juris; se esse paratum ad omnem pœnam subeundam. Cùm autem eorum qui Michaeli Baio ista imposuerant nemo àuderet ea in judicio legitimo afferere; Pater Toletus intellexit ea quæ adversùs Michaelem Baium scripta & dicta fuerant, mera mendacia esse ac putas calumnias, miratusque summam tanti viri innocentiam, patientiam ac modestiam, pollicitus est se illius honorem, quem alii labefactare studuerant, apud Romanum Pontificem reparaturum, imò effecturum ut ipse Pontifex quantociùs Regi Hispaniarum in Baii gratiam ita scriberet, ut de Baio malè præconcepta sententia è Regis animo penitus deleretur. Quandoquidem verò ejus æmuli vehementer contendebant ipsius libros esse proscriptos: P. Toletus declaravit lectionem Operum Michaelis Baii nullatenus esse prohibitam. Verùm etsi Michael Baius nihil nisi catholicæ fidei ac pietati Christianæ valde consentaneum unquam tenuisset ac docuisset; P. Toletus, tam ut Romanæ Sedis hono-

honori consuleret, quàm ut ejus æmulis aliquid concederetur; ei præscripsit quandam Confessionis formulam, in qua fateri debuit multos ex damnatis 76. Articulis à se esse traditos, ac eo sensu proscriptos quo eos docuisset; cui formulæ optimus hic Doctor undique lacessitus ac calumniis obrutus, ut tandem pace aliquâ frueretur, subscripsit die vigesimâ quartâ Martii hujus anni 1580.

Sic cum Theologo Lovaniensi quantumvis tam in doctrina quàm in moribus irreprehensibili, non mirabitur qui in Historia legerit quomodo idem Papa paulò ante, anno videlicet 1576. ipsummet Caranza, Archiepiscopum Toletanum, primatem Hispaniæ, pluribus titulis illustrem, coëgerit nonnullas ejurare propositiones, licèt solemni istius Pontificis sententiâ eas declaravisset nunquam tenuisse saltem in sensu falso & hæretico qui ipsis adfingebatur. Vide Varillas to. 5. Histor. Revolut. in Monito.

Antequam P. Toletus Lovanio discederet, Michael Baius litteras scripsit Summo Pontifici, in quibus ei exposuit quantas calumnias à duodecim annis sustinuisset occasione hujusmodi Articulorum, cuncta Dei, supremi Judicis, committens arbitrio. Deinde precatus est Pontificem ut Bullæ exemplum ei juberet transmitti. Has litteras Baius Toleto confestim Romam reversuro contradidit, ut eas summo Pontifici porrigeret: quod & ipse sine morâ præstitit.

Igitur decimâ quintâ Junii die prætercurrentis hujus anni 1580. Gregorius XIII. Michaeli Baio Breve rescripsit multæ benevolentiæ testimoniis plenum, simul ipsi mittens Bullæ Pii V. exemplum, quod tam per litteras, quàm per P. Toletum postulaverat.

Die duodecimâ Novembris ejusdem anni 1580. Michael Baius cuidam præfuit disputationi de meritis operum, de quibus ipse eum librum ediderat ex quo plurimi ex proscriptis Articulis ferebantur extracti. Cùm verò ad Impugnantis argumentum Baius sapientissimè dixisset: *creatus est homo ut bona opera faciat, quemadmodum avis, ut volet: & sicut avis volare non potest fractis alis; ita nec homo bene operari potest, confractis viribus.* Cornelius Reyneri, ut eum in verbo caperet, cœpit quærere: *An igitur quemadmodum avi volatus, ita justitia primo homini fuerat naturalis*: quæ vigesima septima sententia erat inter 76. damnatas.

Interrogantis mentem ac artem intelligens Baius respondit se hoc non dicere, sed tantùm in eo instituere similitudinem, quòd quemadmodum avis fractis alis volare non potest, ita nec homo, si non ei adsit Spiritus Sanctus, qui ei instar alarum est, & quo in sublime fertur & valet bene operari. Cornelius Reyneri institit his verbis: *an ergo justitia & ejus meritum fuerunt homini naturalia in primo statu*: ut si Michael Baius respondisset, meritum primi hominis non à gratuita Dei ordinatione descendisse, sed ex lege naturali: hoc uno convinceretur in Pianam Bullam impegisse, quæ sententiam hanc damnaverat. Tum Joannes Lensæus, dictus Belliolanus, Academiæ Lovaniensis pro tempore Rector, se jungens Cornelio, id dixit rectè sequi ex tertia Conclusione quæ defendebatur; quòd si lege & ordinatione naturali opus bonum habet rationem meriti in homine integro; bona opera etiam

etiam post lapsum naturali constitutione fiant meritoria: cùm lex naturalis eadem & inconvulsa persistat. Baius insidias æmulorum advertens, nihil ad captiosa hæc, quæ extra Thesim erant, respondit, etsi Cornelius Reyneri variis eum tricis vexaret: adeò suâ phantasiâ seducti æmuli Baii in eum fremebant, ut ejus sententias perversè intelligentes ac exponentes, nullam eum calumniandi occasionem non quærerent ac arriperent.

Denique hoc anno 1580. die Februarii decimâ quintâ Coloniæ obiit Cunerus Petri, Episcopus Leuwardiæ, de quo multa hîc mentio facta est.

Ut ad ea revertamur quæ Michaelem Baium Philippo Marnixio scripsisse vidimus: P. Horantius, cujus jam suprà meminimus, Michaeli Baio ita adversabatur, ut quid in ejus scriptis morderet, studiosè quæritans, ea reprehenderet quæ laudem magis merebantur quàm vituperium. Æquo animo ferre non potuit quòd Baius humaniori stilo suas ad Marnixium scripsisset epistolas. Hinc exacerbatus Horantius quandam sub hujusce anni 1580. initium scripsit epistolam, in qua postquam Michaelis Baii Responsa ad Marnixii Quæstiones de Eucharistia non potuit non commendare: ejus Responsiones ad Quæstiones de Ecclesia reprehendit, conquerens 1. quòd ejus epistolæ Marnixio scriptæ nimis benignæ fuissent. 2. quòd Baius Augustinum secutus dixisset judicium de Ecclesia esse ex sola Scriptura petendum. Horantius epistolam hanc Antonio Ghennart, Canonico Leodiensi, ac Censori librorum, approbandam ac Leodii edendam obtulerat. Verùm cùm nec ab isto nec ab aliis librorum Censoribus suæ epistolæ approbationem obtinere potuisset, eam Coloniæ mense Februario typis dedit: etsi Lindano, Episcopo Ruremundano, se eam non editurum in lucem promisisset, quin priùs eam misisset Baio, & iste se explicare recusasset. Id Lindanus per litteras die octavâ Februarii anno 1580. datas significavit Baio, qui continuò se explicuit. At ista Baii explicatio desideratur, nec ullum illius exemplum comperire potui, ideò fortè quia ipse Baius, ut ipse innuit, nullum sibi exemplum illius servavit.

Hoc eodem anno 1580. Philippus Marnixius suam ad posteriores Michaelis Baii litteras die 18. Decembris anni 1577. & die 7. Januarii anni 1578. datas, Responsionem valde prolixam absolvit ac publici juris fecit, simul cum iis quæ tam ab ipso quàm à Michaele Baio disputata hactenus fuerant. Et Michael Baius tam oblocutionibus Horantii per Epistolam Apologeticam memorato Antonio Ghennart scriptam respondit, quàm ultimæ Marnixii Responsioni per Apologiam eorum quæ ipsius Quæstionibus ac Objectionibus hactenus responderat.

Anno 1581. Lovanii edita prodiit ista Michaelis Baii adversùs Marnixium Apologia, cui præfixa est ejusdem Epistola Apologetica contra Horantium.

Anno 1582. Marnixius in lucem misit suam ad Apologiam Michaelis Baii Responsionem.

Anno 1583. die decimâ Martii ad Michaelem Baium perlatâ hâc Marnixii Responsione, eam ipse statim confutavit scripto ac edito libro, cui titulus: *Defensio Apologiæ ad Responsionem Michaelis Baii ad Quæstiones & Objectiones Marnixii.*

Anno

Anno 1584. Joannes Franciscus Bonhomus, Episcopus Vercellensis, à Gregorio XIII. tanquam Legatus in Flandriam missus est. Statim ac Bruxellas advenit, intellexit Bullis Pontificum pacem Academiæ Lovaniensi non esse redditam, imò istius Scholæ schismata, quæ ab æmulis Baii fovebantur, in dies invalescere.

Ipse igitur anno 1585 Lovanium ivit, ac nonnullis Disputationibus Scholasticis voluit interesse. Eâ occasione æmuli Baii, ac præ cæteris Cornelius Reyneri, novas adversùs eum instituerunt criminationes, de quibus postulabant ut ab isto legato interrogaretur. Ipsi idcirco articulorum indicem exhibuerunt, de quibus ut Michael Baius distinctim responderet, instanter urgebant; sed frustra, ut existimo: ea enim in re aliquid à Legato actum fuisse nullibi reperio, præter id quod mox sum relaturus.

Joannes Franciscus Bonhome cùm Lovanio Bruxellas rediit, nihil ad veteres illas contentiones componendas, & ad concordiam in ista Academia stabiliendam consultius arbitratus est, quàm si Facultas Thologica brevi aliquâ expositione suam circa Articulos à Pio V. damnatos mentem declararet; hancque explicationem, postquàm Pontifici esset probata, tenerent ac sequerentur omnes Sacræ Theologiæ Professores.

Itaque sub mensis Novembris finem Archiepiscopus Mechliniensis Henricum Gravium, Sacræ Facultatis pro tempore Decanum, vocavit ad se, eique declaravit se à Pontificis Legato recepisse mandatum procurandi ut ista explicatio quamprimùm scriberetur. Cura illam concipiendi Joanni Lensæo, ejusdem Academiæ Doctori Theologo, demandata; & postquàm descripta & reliquis S. T. Magistris ad id requisitis prælecta probataque est, tradita fuit huic Pontificis Nuncio. Ea inter Baiana superiùs integra habetur ex MSS. Codicibus emendata. Hic Nuncius obiit a. 1587. Quantùm autem faveret Jesuitis liquet ex ipsorum Historia de Censura Lovaniensi, quæ refertur in Justificatione istius Censuræ.

Annis 1586. & 1587. pervenit ad Academiæ Lovaniensis Theologos quòd Jesuitæ, qui Theologiam Lovanii in suo Collegio docebant, nonnulla de Sacris Scripturis ac de Gratia Christi traderent catholicæ fidei minùs consentanea. Eapropter ut de rei veritate penitiùs inquirerent hi Theologi, Dictata istorum Professorum seriò ac diligenter excusserunt: & ex iis ita discussis quasdam sententias censorio suo calculo confixerunt in laudem divini Verbi ac Gratiæ Christi gloriam.

Censuræ Lovaniensi suam Facultas Theologica Duacena adjunxit anno 1588. die vigesimâ Januarii. Nihilominus Jesuitæ, nullâ interpositâ morâ, suæ doctrinæ vindicias contra hujusmodi Censuras scripsere; quæ tamen non nisi mense Julio in manus venerunt Doctorum Lovaniensium, qui iis adhuc magis offensi, anno 1588. suæ Censuræ Defensionem, jussu Episcoporum Belgii, edidêre.

Anno 1589. dum Catholici gloriabantur Philippum Marnixium ita fuisse à Michaele Baio convictum, ut quod Baio reponeret nihil ipsi superesset; ipse tandem hoc anno scripsit ac edi jussit ultimam suam Responsionem, quæ absque refutatione ideò remansit, quia hoc anno die Septembris decimâ

 sextâ,

ſextâ omnium bonorum luctu extincta eſt lux Academiæ Lovanienſis, & humanis exemptus eſt Theologorum hujus temporis facilè princeps, MICHAEL BAIUS.

VINDICIÆ
ECCLESIÆ ROMANÆ.
IN QUIBUS ADVERSUS

Tam Proteſtantes quàm Arminianos, cæteroſque renaſcentes Pelagianos hîc demonſtratur quòd ex Pontificiis adverſùs ſeptuaginta ſex articulos, qui Michaeli Baio perperam adfiguntur, Diplomatibus, malè arguitur Eccleſia Romana à priſca ſua fide ac à tutis inconcuſſiſque Sancti Auguſtini dogmatibus de Gratia Chriſti receſſiſſe, aut ſententias tenere quæ ab Arminianis & à Ludovici Molinæ Schola docentur ac defenduntur.

TRiſti lugendoque experimento comperimus, quàm verax fuerit eorum vaticinium qui multo cum animi ſenſu non ſemel dixere ea quæ primò in Michaelem Baium, deinde in Cornelium Janſenium agi ac decerni intelligebant, non levia Eccleſiæ Romanæ hoſtibus adverſùs eam arma ſuppeditare. Ipſi perſpicaci mentis oculo præviderunt una ex parte redivivas Pelagianorum reliquias ex his anſam gloriandi aliquando accepturas, ac ſi Romana Eccleſia ad ipſorum caſtra convolaſſet, ac jam ſtaret ab ipſorum partibus: & ex altera parte Calvini Sectatores ex iiſdem occaſionem ſumpturos eandem Romanam Eccleſiam conviciandi, ei exprobrando quòd priſcam ſuam fidem, ac Apoſtoli Auguſtinique doctrinam circa Chriſti Gratiam, non modo abjecerit, ſed damnaverit ac veluti hæreticam proſcripſerit.

Iſtius

Istius vaticinii veritatem probavit exitus. Nemo enim nescit quantâ cum audacia hæretici Arminiani cæterique renascentis Pelagianismi vindices jactent suam de divina prædestinatione subsequente hominum merita, ac de gratia omnibus communi, humanæque voluntati subdita sententiam, ita esse Ecclesiæ Romanæ doctrinam, ut oppositam pro erronea ac pro hæretica habeat. Frustra immorarer locis omnibus hîc referendis in quibus redivivi isti Pelagiani, aut, si malis, semipelagiani, sibi de Ecclesia Romana secum, ut putant, in his sentiente applaudunt. Unus sufficiat in quo Arminius ipse dicere ausus est, quia *res ipsa loquitur Ecclesias.. etiam Papistarum doctrinam* hanc, scilicet, de prædestinatione merita hominum antecedente, *pro hæretica habere*: & quòd *nullum sit doctrinæ caput quod Papistæ acriùs oppugnent.* Eadem jactare non desinunt qui eadem dogmata profitentur, quocunque titulo eos insignire placeat. In declaratione sententiæ suæ.

Quis etiam nesciat quanto impetu Calviniani in Ecclesiam Romanam invehantur, ei exprobrantes quòd ipsa, ejuratâ Apostoli ac Sancti Augustini doctrinâ, à fide defecerit ac in Pelagianismum turpiter prolapsa sit? Omnia quæ ea de causa in Ecclesiam Romanam ipsi evomunt, ut suam ab ea secessionem multo jure factam fuisse demonstrent, huc adducere nimis prolixum foret. Satis sit audire id quod hisce temporibus duo inter ipsos non ignobiles Scriptores in ipsam protulere.

Melchior Leydeckerus, in Academia Ultrajectina Theologiæ Professor, hæc scribit quæ vel cogitare horret animus: Ecclesiam Romanam à principio fides habuit: at ista casta olim virgo facta est fornicatrix perfida, ubi cum Judaismo ac Gentilismo impudens commisit adulterium, dignaque evasit, quæ ad exemplum Israeliticæ accepto repudii libello *cæleste divortium* pateretur. Pristinæ illius Ecclesiæ fidei & fidelitatis Pauli ad Romanos Epistola apertissima demonstratio est. Etenim gratuitam edocta pridem justificationem ad tempus professa fuit gratiam Christi unicam, uti in origine, sic in progressu & consummatione, salutis causam, donec Antichristi passa constuprationem, Pelagianismo, qui Judaismi ac Gentilismi excrementum est, suos fœtus enutrivit. Sic verò cœpta Christi unici Mediatoris, solis justitiæ, gloria obscurari, ac gratia in naturam verti, imò aboleri substitutis liberi arbitrii viribus, vel propriis atque alienis operum meritis. Id quàm maximè fuit evidens proximis sæculis; neque aliunde (*Nota bene*) Reformatio sua sumpsit initia atque incrementa, nisi ex sancto pro Christi justitia & gratia zelo. Ardorem adauxerunt Jesuitæ, qui recentioris exortus non certiorem sibi viam ad suæ Societatis gloriam putaverunt, quàm vehementem Calvinismi oppugnationem per laudes naturæ & humanæ libertatis. Ita enim Pelagianis ex principiis conversione & fide in liberum arbitrium refusis, vera apparebat methodus propugnandi justitiam propriam nec non bonorum operum quævis merita, quæ Papatus omnis fontem ac fundamentum constituunt. In prima Disputatione historico-Theologica de vario Jansenistarum fato. Thesi 1.

His exorditur Leydeckerus primam suam de Jansenistarum fato Disputationem, quam claudit istis: *Non quidem nos ægrè ferimus has Jesuitarum artes* (quibus in Jansenium tanquam in Baianum ac Calvinistam Vaticana Ibid. Thesi 12.

 fulmi-

fulmina excitaverant) *quò patesceret ampliùs insanabilem esse Babelem, jure factam à nobis ex ea secessionem, Pelagianismum esse Papatûs fidem, nec posse coli cum Italica sede communionem ab illis, qui quodammodo gratiæ gustum habuerunt.*

Ipse in altero opere, quod inscripsit: *Demonstratio Evangelica:* demonstrasse se putat quòd quibus sapit vera Christi gratia, ab Ecclesia Romana discedere debeant, cùm dixit *quòd ipsa à fide exciderit, hoc est*, ut ipse se explicat, *à doctrina quæ propugnat gratiam quâ Deus peccatorem ad salutem perducit. In ista enim Societate seu Ecclesia hæresis Pelagiana verè sedet in throno.*

Jurieu Gallus Calvinianæ Sectæ Minister, in libello, quem contra Antonium Arnaud scripsit, & cui titulus est, *l'Esprit de M. Arnaud;* observandum vult quòd Ecclesia Romana doctrinam Sancti Augustini de Christi gratia damnaverit: ut inde ostendat quàm jure merito ipsi eam semipelagianismi insimulaverint, & eam dixerint doctrinæ Apostoli & Sancti Augustini esse inimicam. Verba ejus hæc sunt: *Cecy desole l'Eglise Romaine, & confirme l'accusation dans laquelle nous la traitons de Semipelagienne, & d'ennemie de la doctrine de Saint Paul & de Saint Augustin touchant la grace.*

Prejugez legiti. contre le Papisme. 1. partie c. 10. pag. 258. & 259.

Unde in suis adversùs Ecclesiam Romanam præjudiciis; inter ea ex quibus consequi pro certo tradit, quòd Ecclesia Romana jam non sit Ecclesia Christi, sed synagoga Diaboli, recenset speciatim Theologiam illius, ut vocat, superbam ac plusquam semipelagianam, quæ gratiam ac æternum Dei propositum circa hominum salutem nutui humanæ voluntatis subjicit.

Primum autem caput, ex quo Protestantes arguunt Ecclesiam Romanam à prisca fide ad Pelagianismum deflexisse; & ex quo Remonstrantes aliique horumce temporum Pelagiani jactitant ac glorìantur hanc Ecclesiam secum sentire: illud est; videlicet quòd Pius V. cedens malevolentiæ æmulorum Michaelis Baii, qui ex ejus scriptis ac dictatis varias propositiones collegerant & eas sollicitis precibus Romæ instabant, ut authoritate Pontificiâ condemnarentur, Bullam confecerit anno 1567. quâ omnes oblatas prohibuit, seu hæreticas & erroneas, seu suspectas, temerarias, scandalosas ac piarum aurium offensivas. Et quòd Gregorius XIII. anno 1579. in Baium censuram strinxerit, cùm prior tumultuantibus videretur parum profecisse.

Disput. Historico-theologica 2. de vario Jansenistarum fato: Th. 13. 14.

Hæc habet Leydeckerus suprà memoratus, qui postquam plures ex his propositionibus retulit, subjungit: *Ecce invisas Romæ propositiones*, &c. & tandem Pontificiam censuræ conclusionem sic adducit: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè, & quæcunque super his verbo scriptove emissa, præsentium authoritate damnamus, circumscribimus & abolemus &c.*

Post hæc addit: *Pium V. secutus est Gregorius XIII. suum prædecessorem. Vidit enim non defuisse suo tempore Theologos & Professores qui articulos in præcedenti*

Thesi 15.

Constitutione damnatos asserere & defendere pergerent. Igitur eorumdem temeritatem & audaciam ad totius Ecclesiæ scilicet periculum pertinentem minimè dissimulandam censuit; sed verò ad coërcenda hujusmodi ingenia, quarto Cal. feb. 1570.

(per

(per errorem Typographi, loco 1579.) editam Pii Bullam confirmavit, articulosque ibidem notatos iteratò condemnavit, referente Urbano VIII. in suo contra Jansenistas seu Baianos decreto.

His enarratis eâ veracitate, quam posteà discutiemus, Romanos istos Pontifices sic insilit: *Atqui non sic* PIUS *egit ex devota in veritatem, gratiæ gloriam, & Christi merita, pietate: Non se ostendit Gregorius Pastorem verè γενναῖον pro sancta fide, resumente suas vires in dies Pelagianismo... Sed & datus erat Ecclesiæ Romanæ jam libellus repudii, & debuit illa deserta* PALAM FACERE SE PLANE EXCIDISSE EX GRATIA, PELAGIANISMUM AMPLEXAM, QUI ANTICHRISTI FIDES ESSE DEBUIT, UTI SUBRUIT CHRISTIANISMI FUNDAMENTA. Th. 16.

Tum ex historia demonstrat Pontificiam Bullam Jesuitarum consilio confectam esse atque evulgatam. *Motus ergo*, ait, *per M. Baium controversiis acta omnia fere per Jesuitas.. Franciscanorum secutos vestigia, Dominicanis æmulos atque invisos.* Th. 17.

Et refert, quia missus est Lovanium Bellarminus magnus Jesuita, qui de quæstionibus cognosceret, remve omnem componeret, vel ad Papale Tribunal deferret; & quia Hic suâ benè usus est legatione, auditoque Baio, Romam recessit indignabundus, quòd plurimas Scholasticorum, etiam suas opiniones, ab ipso ut Pelagianas perstringi audivisset. *Conficitur ergo*, concludit Leydeckerus, *Decretum Michaelis Baii, &c.*

Denique totis viribus contendit certum esse Baianas propositiones quovis modo ut scandalosas, falsas & erroneas, eòque condemnatas in Romana Ecclesia fuisse habitas. Et cùm hujusmodi propositionum censuræ opposuisset Theses, ut vocat, in libro Domini Bossuet, cui titulus: *Exposition de la Doctrine Catholique &c.* à Cardinalibus & ab ipso Papa a. 1679. die 4. Januarii approbatas, dicit quia ipsæ *Veterem Romam ut Apostaticam condemnant, Bullam contra Baium reddunt evanidam, Papatus horrorem tegunt &c.* Nec inde demonstratum putat injustam esse ipsorum ab Ecclesia Romana secessionem. Imò iterum vehementiori impetu instat his verbis: *Adhuc dico, justa fuit Patrum nostrorum ex Babele secessio, æquum manebit nostrum in Romam odium, frustra invitabimur ad regressum, qui novimus Pontificiæ Curiæ solitas artes, dolos, fraudes. Si hæc* (quæ in relatis propositionibus Domini Bossuet docentur) *Romanæ Ecclesiæ fides est; condemnentur antè evulgatæ Bullæ contra Baium & Jansenium, anathemate percutiantur statim omnes Jesuitæ, quibus Condomensis (modò Meldensis Episcopi) hyppotheses opponuntur: agnoscant Romanenses suam Ecclesiam antè à fide aberrasse, & opus habuisse Reformatione, &c.* In tertia Disput. historico-Theologica de fato Jansen. Thesi 24.

Ista satis superque sunt ut constet, quòd Calviniani Ecclesiam Romanam Apostoli ac Sancti Augustini doctrinam ejurasse ac à prisca fide in Pelagianismum fuisse delapsam; suamque proinde ab ea secessionem justam esse: Arminiani verò & alii novi Pelagiani Ecclesiam secum sentire in his quæ Gratiam spectant, eo maximè argumento demonstrent, quòd Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. Michaelis Baii propositiones proscripserint.

Ut ergo tanta injuria ab Ecclesia Christi removeatur, & hujusmodi cohibeantur insultus; evertenda imprimis est communis hæc tam Calvinianorum, quàm Arminianorum aliorumque hujusce ætatis Pelagianorum machina: demonstrando scilicet hujusmodi Censuris ac Bullis nihil veritati, nihil priscæ fidei, nihilque Apostoli & Augustini, imò nec ipsiusmet Michaelis Baii doctrinæ fuisse detractum. Id apertum fore puto ex iis quæ citra omnem adulationis fucum, & absque iniquo partium studio, juxta historiæ fidem ad hujusmodi censuras observanda veniunt.

OBSERVATIO I.

A Theologis aliquot Parisiensibus latam esse anno 1580. Censuram in octodecim sententias suprà recensitas, nemo inficias ierit. At de ista Censura quàm immeritò glorientur Pater Stephanus Deschamps, & P. Joannes de Ripalda, aliique è Molinæ Schola Theologi, ac si suæ sententiæ & aliorum qui gratiæ operationem libero subjiciunt arbitrio planè faveret; eorumque doctrinam confixisset, qui cum Augustino & Ecclesia medicinali Christi gratiæ subjiciunt liberum voluntatis arbitrium, facilè percipiet qui adverterit primò quæ fuerit occasio octodecim hujusmodi articulos denuntiandi Theologis Parisiensibus.

Cùm inter Minoritas Belgii nonnulli doctrinæ, quam in Academia Lovaniensi tum temporis absque fuco docebant Michael Baius & Joannes Hesselius, firmiter adhærerent; aliis, qui futilibus scholarum tricis ac vanis disputationibus magis erant addicti, quàm Sacræ Scripturæ ac Sanctorum Patrum studio, visi sunt nova & hactenus inaudita sequi dogmata. Inde graves inter Minoritas Belgas exortæ sunt contentiones, quas ut sisterent eorum Præpositi, singulariter Guardianus Conventus Nivellensis, & Guardianus Conventus Athensis, consulendos duxerunt Theologos, non Lovaniensis Academiæ qui eorum fraudem vel inscitiam faciliùs deprehendissent à quibus aliorum sententiæ minùs sincerè fuerant expositæ; sed Parisiensis Universitatis, quibus imponere facilius erat, & inter quos quidam ab Augustino aversi turpiter pelagianizabant: ut ex superiùs in historica Narratione relatis liquet.

2. Ab hisce æmulis conflati sunt octodecim Articuli, & Theologis Parisiensibus ad censuram denunciati, quorum quidam ut 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 15. 16. 17. & 18. sunt manifestè catholici, nec nisi à Pelagianis & in Sancti Augustini doctrina peregrinis poterant reprobari: quidam, ut primus, 3. & 14. apertè hæretici, quos nemo defendebat; & quos proinde iis falsò adscribebant, qui Sancti Augustini doctrinam sincerè profitebantur.

3. Censura, quam in hos Articulos tulerunt Theologi Parisienses, subreptione obtenta ex multis arguitur. Nam 1. nulla fertur demandata selectis ex ista Academia Theologis cura excutiendi hujusmodi Articulos, & referendi sacræ Facultati suum de illis, post diligentem inquisitionem, judicium.

cium. 2. Nullæ dicuntur præmissæ preces, antequam Theologi suam circa istos articulos sententiam pronunciarent. 3. Nulla facta invenitur in sequentibus Facultatis Comitiis Censuræ istius confirmatio : quæ tamen Theologica Facultas Parisiensis in condendis suis Censuris non solet omittere.

4. Licèt plerique ejusmodi articulorum obscuri sint & ambigui ; censura tamen in illos fertur absque ulla discretione sensuum : adeò ut novis contentionibus exciendis, quàm iis sedandis quæ subortæ dicebantur, aptior esset. 5. Falsum & hæreticum absolutè censet quòd Liberum arbitrium ex se, seu de suo, hoc est, sibi dimissum, omnique destitutum divinæ gratiæ adjutorio, non possit nisi peccare ; ceu de suo non habeat nisi peccatum: & (quod eundem habet intellectum) hominem facientem quod in se est, peccare: Item, quòd posse peccare non sit de ratione liberi arbitrii hominis: hæc, inquam, tanquam falsa & hæretica reprobat, quæ tamen tanquam veritates Catholicas fides nos edocet, ab Augustino, Concilio Arausicano & aliis Sanctis Patribus traditas.

Demum, quod integram istius Censuræ authoritatem elevat, in ea hæreseos arguuntur qui solum Christum dixerint fuisse absque peccato originis. Hac enim definitione non solùm omnes Sancti Patres qui id asseruere, hæretici pronunciantur : sed & isti Censores ac Parisienses Theologi incurrerunt excommunicationis pœnam à Xisto IV. paulò ante in eos latam, qui aliquâ erroris notâ sententiam hanc afficere præsumpserint. Adde quòd Michael Baius nullum unquam Censuræ istius exemplum ab ista Facultate obtinere potuerit ; quia Censura hæc fœtus adeò deformis erat, ut ejus ipsam matrem puduerit.

OBSERVATIO 2.

Censuras ab Academiis Hispanicis in novem sententias, quas Michaeli Baio tribuebant, emendicasse Judocum Ravestyn, vulgò Tiletanum, cum quibusdam Minoritis, fidem faciunt litteræ ab eo scriptæ Laurentio Villavicentio, quas simul cum Censuris ex quodam Collegii Malderi in Academia Lovaniensi Mf. Codice, in lucem primùm emisimus. Et circa illas

Advertendum 1. has Academiæ Complutensis Censuras nonnisi post Pii V. tempora latas esse. Nam in sexta propositione Michaelis Baii Apologia dicitur scripta Gregorio XIII. Summo Pontifici ; quam Pio V. Gregorii XIII. prædecessori scriptam constat. Hic autem error manifestè arguit, Pium V. decessisse, antequam sexta ista propositio conficta fuisset, & ad Censuram exhibita. Sed & simul demonstrat quâ fide Opera Michaelis Baii protulerint hi delatores, qui quam ille Pio V. scripserat Apologiam, dixerunt Gregorio XIII. scriptam.

Animadvertendum 2. quòd in iis Censuris Michael Baius has sententias tenuisse asseritur in sola ejus æmulorum fide, qui nec testes adhibuerunt, nec loca adduxerunt ubi illas docuisset. Sic in solo istorum calumniatorum verbo, absque ulla veri inquisitione, hæreticæ in sensu authoris pronunciantur ;

ciantur; quod quàm temerè & quàm iniquè definitum sit, judicet qui vel primas naturalis æquitatis regulas novit.

Animadvertendum 3. ab his Theologis in secundi Articuli censura confidenter definiri quòd error sit ac sapiat hæresim, non agnoscere in sanctis hominibus merita, ut vocant, supererogationis; quoniam Ecclesia (si Theologis fides est) & Catholici semper senserunt Job & Tobiam Deo plus satisfecisse, quàm deberent. Verùm si ab iis quæreretur quis sanctorum Patrum vel quod Concilium in hominibus etiam sanctitate præclaris, quandiu in corpore mortis hujus fuerunt, aliqua supererogationis sic intellectæ merita agnoverit; certò mihi constat quòd ne unum quidem proferre possent. Dolendum sanè tales in Ecclesia inveniri Theologos, qui novitia nescio quæ commenta pro fidei dogmatibus ac Ecclesiæ sententiis venditare non erubescunt.

Animadvertendum 4. propositiones quartam & quintam esse malâ fide relatas. Nusquam enim Michael Baius in terminis, dixit quòd in illis verbis: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua;* Petrus gestaverit personam Electorum, sicut Judas est caput Reproborum: sed inter disputandum & in Tractatu de hujusmodi verborum intellectu & alibi protulit varia Sancti Augustini loca, ubi Petrus asseritur Ecclesiæ gestasse personam: & inter alia indicavit Sancti Augustini enarrationem in Psal. 108. in qua sanctus iste Doctor sic loquitur: *Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum pertinere videntur; nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam,* CUJUS *ille agnoscitur in figura gestasse* PERSONAM, *propter primatum quem in Discipulis habuit, sicuti est*: Tibi dabo claves regni cælorum, *& si qua hujusmodi: ita Judas* PERSONAM *quodammodo sustinet inimicorum Christi Judæorum.* Quæ sanè Censores non ausi essent reprobare, si cautiores fuissent, & magis in Sancti illius scriptis versati, ubi & ista verba adhuc expressiora legissent: *Si in Petri* PERSONA *significati sunt in Ecclesia* BONI: *in Juda* PERSONA *significati sunt in Ecclesia* MALI: quæ habentur in tract. 50. in Joannem.

In sua quoque Oratione de jurisdictione Episcoporum, ex qua malè collecta est quinta propositio, non negavit Baius Summum Pontificem jure vocandum vocatumque esse Universalem Patriarcham, sed non fuisse appellatum Episcopum Universalem asseruit; quod qui Orationem ipsius legit, nequaquam debuit reprehendere.

Animadvertendum 5. quàm falsa & calumniosa sit octava propositio, quâ Michael Baius asserebatur etiam post Bullæ Summi Pontificis promulgationem, has & alias à Sancta Sede prohibitas sententias docuisse ac defendisse; ex suprà (a) relatis satis innotuisse: ubi, juxta MSS. fidem, annotavimus ejus æmulos & criminatores nihil potuisse adversùs eum proferre, unde ea legitimè probare possent quæ de ipso dixerant: ac Toletum à Pontifice delegatum inde intellexisse mira esse mendacia, quæ de Michaele Baio dicta ac summo Pontifici scripta fuerant.

(a) Narrat. Epistolari & in Narrat. historica ad an. 1588.

Animadvertendum 6. quòd Censura Academiæ non *Salvatoren.* quia nulla eo nomine appellatur in Hispania, sed Salmaticensis, quam Exscriptor

Sal-

Salvatoren. corruptè ſcripſit pro *Salmaticen.* Authorem non minùs iniquè quàm temerè damnat abſque ullis teſtimoniis & in ſolo Delatorum verbo. Deinde ſecundum Articulum in eo ſenſu veluti temerarium & hæreſi proximum reprobat, in quo eum damnari minimè poſſe Academia Complutenſis cenſuit: adeò concordes ſunt iſtarum Academiarum Cenſuræ. Hæreſim quoque ſapere declarat iſta Academia, ſi quis dixerit Sanctos Martyres à Chriſto habere omnia. Quibus autem id hæreſim ſapiat niſi Pelagii diſcipulis, planè ignoro. Idcircò Cenſuram hanc non ab ipſa Academia, ſed à nonnullis in ea Pelagii errores ſectantibus latam crediderim.

Prætereà ex Articulo ſexto, qui totus à mente & verbis Michaelis Baii alieniſſimus eſt, facilè poteſt intelligi quantâ calumniandi libidine hunc & alios conſcripſerint ejus æmuli, & ad cenſuram exhibuerint. Ex octavo autem Articulo, & ex relatis Narrationibus conjicere licet, Gaudanum & Gravium, ejuſdem Theologicæ Facultatis Lovanienſis Doctores, veluti acerbos Michaelis Baii æmulos, ejuſmodi Articulorum cenſuram urſiſſe. Immeritò ergo Jeſuitæ queruntur, ac ſi Academiæ Lovanienſis Cenſura adverſùs errores Societatis ſcripta fuerit in vindictam confixionis propoſitionum Michaelis Baii: Cùm Cornelius Reyneri Gaudanus, & Henricus Gravius, qui inter præcipuos Cenſuræ Lovanienſis authores recenſentur, acerbi fuerint Michaelis Baii æmuli.

Porrò quandoquidem Academici Doctores non ſunt arbitri fidei, nec judices controverſiarum; eorum Cenſuræ non ſunt definitiones credendorum, ſed duntaxat declarationes mentis ipſorum, quæ ab aliis Theologis ad examen poſſunt revocari, imò & rejici, ſi ab æqui verique regulis deflexerint. Præmiſſarum itaque Cenſurarum non ea eſt authoritas cui refragari non liceat, maximè cùm ſanæ doctrinæ ac naturali æquitati adverſari deprehendantur.

OBSERVATIO 3.

Circa eos qui primarii fuêre Michaelis Baii æmuli.

Animadvertendum 1. inter eos ex ipſa Lovanienſi Academia recenſendos eſſe Ruardum Tapperum; Judocum Raveſtyn à Tileto, ſive Tiletanum; Cornelium Reyneri à Gauda, ſive Gaudanum; Henricum Gravium, & Cunerum Petri: & extra Academiam, Joannem Strienum, Epiſcopum Middelburgenſem, P. Franciſcum Horantium, & alios nonnullos ex eodem FF. Minorum Ordine. Hos autem viros, qui eruditione ac zelo catholicæ fidei ſibi nomen fecerant, Michaeli Baio adverſatos fuiſſe nemini mirum videbitur, qui noverit quantùm iſti Pelagiano furfure conſperſi fuerint, & à Sancti Auguſtini doctrina alieni, cujus Opera imbuti ſuorum Præceptorum opinionibus legerant non ut ejus mentem aſſequerentur, ſed ut eum in ſuum ſenſum pertraherent, quem unicè tenendum putabant. Ruardus Tapperus, qui Driedonis fuerat auditor, æmulorum verò Michaelis Baii caput ac Magiſter, tam procul ab Auguſtino recedebat, & tam propè

accedebat ad sectatores Pelagii, ut in Articulo septimo contra Protestantes disputans de libero arbitrio, apertè doceat *sine gratia ex viribus naturæ multa bona ab hominibus fieri posse*: imò quòd *Impii & Infideles per solam naturæ legem, sicut Deum cognoscere, ita eum solum adorare & glorificare potuerunt*: & quòd *Impius & Infidelis solis naturæ talentis naturalibusque viribus relictus possit vitare peccata: quia*, inquit, *discernit inter multa licita atque illicita, ita pro tempore & loco potest non peccare, nolle fornicari, ex eo quod judicat illa esse illicita.* OMNE ENIM QUOD MALUM ESSE NOVIT, ODISSE ATQUE ABOMINARI POTEST.

Et de Gratia posteà differens ait, quòd *proxima causa cur unus sit altero sanctior & justior, est ejus industria & conatus in usu Gratiæ Dei*: Item, quòd *ex similiter tractis & interiùs in corde vocatis unus credit & convertitur, & alius manet incredulus nec convertitur, contingere potest ex* SOLA *arbitrii divinitùs præparati libertate: nec aliter contingere potest si similiter sunt affecti, & vocantur secundùm quod apti sunt ad sequendum*; Insuper, quòd homo fidelis non indigeat actuali aliquo supernaturali auxilio ad utendum habitibus divinarum virtutum fidei, spei, & charitatis &c: *Homo enim*, inquit ipse, *fidelis potest credere & cogitare Deum Trinum quando vult; nec opus est ibi motione aliquâ speciali, &* SIMILITER OPERARI OPERA SALUTIS, &c.

Divina autem prædestinatio ab eo definitur *efficax ordinatio & directio Electorum per media congrua ad salutem æternam.* Noluit cum Augustino dicere quòd prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicunque liberantur. Nec magis consentit huic Sancto Doctori in definitione liberi arbitrii, quod ipse sic describit: *Liberum est facultas, quâ positis omnibus requisitis ad eligendum & agendum, possumus non eligere & non agere: à qua facultate dicitur causa aliqua libera & agens liberum.* Et ex his à se ita assertis manifestum dicit quòd, *Libertas, quâ possumus ex nobis in opposita, sit naturalis proprietas sequens naturam intellectivam, & inseparabilis ab ea*: & quòd *non sit liberum arbitrium, in quibus solum determinatum est judicium.* Ex quibus principiis Augustini doctrinæ omnino repugnantibus, ac Pelagiano errori consentaneis ipse sic infert: 1. *Si igitur deest gratia, quâ opus est, ut ad Deum cor converti possit*; NEC PECCATUM EST *quòd quis non convertitur; quia non potest pro tunc ad Deum converti, & necessariò non convertitur, & per consequens non liberè.* 2. Quòd *ea quæ per ignorantiam secundùm quid invincibilem committuntur, non sunt peccata. Idem est*, addit, *judicium de universis operibus, quæ sunt suprà hominis facultatem, qualia sunt, credere Evangelio, super omnia Deum diligere, in eo sperare, & similia, quorum omissio* NON EST PECCATUM, *quando præter nostram propriam culpam non sunt in nostra potestate*: hoc est, non nobis adest gratia quâ ista implere valeamus. Quàm Pelagiana & justitiæ Christianæ regulis adversa hæc sint, nemo non intelligit qui Augustini contra Pelagianos disputationes legit.

Porrò in eodem articulo septimo Tapperus asserit non derogari Dei Gratiæ si quis dixerit, hominem ex solis ingenitis naturæ stimulis sese modo quodam præparare aptumque facere ad quem juvandum veniat Deus. Et ut quantùm Pelagianis faverit, neminem lateret, Faustum Regiensem Episcopum,

pum, qui Semipelagianorum fuit antesignanus, & cujus libri à Sancto Gelasio Papa in Concilio Romano è Catholicorum albo deleti sunt, passim commendat & inter Patres adducit. Qui cum Pelagianis, qui Augustinum dixerunt diabolum, ita sentiebat ac docebat Tapperus, nihil mirum est quòd cùm Michaelem Baium intellexisset mera Sancti Augustini sententiam in scholis Lovaniensibus tradere, exclamaverit: *quis diabolus hæc zizania seminavit?*

Judocus Raveftyn, qui Tapperi auditor fuerat, non minùs ægrè ferebat sententias quas à Tappero didicerat, à Michaele Baio tanquam catholicæ Sancti Augustini doctrinæ adversas rejici: & speciatim eas, quibus admittebat vires naturales ad morale aliquod bonum in homine remansisse post peccatum: ut in ejus Apologia contra Illirinum & in Apologia Concilii Tridentini contra Kemnitium videre est.

Cornelius Reyneri, qui Judoco Raveftyn in Præbenda Majori Ecclesiæ Sancti Petri Lovaniensis subrogatus fuerat, non minùs durè ac iniquè egit cum Michaele Baio, ut ex disputatione liquet cujus narrationem primùm protulimus, & ex sollicitudine quâ apud Summi Pontificis legatum institit, licèt conatu irrito, ut lectio librorum Michaelis Baii prohiberetur. Unde colligere fas est, ipsum Augustinianis sententiis, quas in suis operibus docebat Michael Baius, non minùs adversatum fuisse, quàm Judocus Raveftyn ac Ruardus Tapperus. Cùm enim ipse nihil scripsisse feratur, non mihi conceditur ex ejus libris explorare quare & quantùm ad partes Pelagii deflexerit.

Quid Henricum Gravium moverit ad falsò conquerendum quòd Michael Baius nullâ habitâ ratione Censuræ Pontificiæ suos Auditores iis sententiis imbueret, quas ab Apostolica Sede damnatas dicebat: non est unde intelligam. Ab ipso quidem conscripta est Censura Lovaniensis anno 1586. Verùm non paucos reperi inter ipsosmet Doctores Theologos, qui dum gratiæ efficaciam propugnant ac gratuitam prædestinationem; alia Doctrinæ Augustinianæ principia, de libero arbitrio, de natura integra, & de virtutibus impiorum, reprobant, non intelligentes adeò strictam ipsorum cum reliquis de Gratia & prædestinatione veritatibus esse concatenationem, ut si unus ex ejus annulis dissolvatur, totam doctrinæ Augustinianæ catenam dissolvi necesse sit. Quòd ergo à Facultate Theologica Lovaniensi cura conscribendi Censuram Henrico Gravio commissa sit, non mihi argumento est ipsum primaria illa Augustinianæ doctrinæ capita cum Michaele Baio tenuisse. Sic Joannes Lensæus, ejus Collega, & in concipienda memorata Censura socius, nihilominus ab Augustiniana doctrina in multis capitibus deflexisse deprehenditur tam in sui de libertate Christiana libri c. 3. ubi non adeò collapsam vult in homine corrupto libertatem ut ad virtutes non valeat suis viribus derelicta assurgere: quàm in toto hoc primo libro, ubi oracula quibus Augustinus, Fulgentius & Concilium Arausicanum definierunt cum peccato periisse liberam benè vivendi facultatem, ita contorquet ut non nisi de libertate à peccati reatu & à miseria intelligenda velit; ut præconcepta de libertate idea, quæ illam in potestate ad opposita essentialiter constitutam

tutam imaginatur, integra permaneat. Imò in toto ejusdem instituti libro decimo quinto, confutandam suscipit Michaelis Baii, tacito tamen ejus nomine, sententiam de malis hujus vitæ, quæ Michael Baius post Augustinum censuit esse peccati pœnas. Denique in explicatione 76. articulorum, quam suprà retulimus, Augustino & Michaeli Baio totus adversatur circa statum hominis integri & Angelorum, circa libertatis naturam, & circa meritum operum.

Cunerus Petri his Michaelis Baii æmulis se adjunxit, nec solùm in multis opposita Doctoris istius vel potiùs S. Augustini sententiis tenuit; sed eis palam contradicere ac eas confutare cœpit tam in tractatibus de peccato originis, de libero arbitrio, de charitate & Justificatione & de Indulgentiis, quos libris à Michaele Baio iisdem de rebus scriptis opposuit; quàm in suis in articulos à Pio V. damnatos animadversionibus. Nam circa finem sui Tractatus de peccato Originali, tanquam imaginationem rejicit Michaelis Baii aliorumque Sancti Augustini discipulorum sententiam, qui censent Concupiscentiam, quæ in renatis manet, prohibitam esse præcepto, *non concupisces*, licèt ad peccatum non imputetur, ejus reatu, sed non vitio, per baptismum sublato. Et in Tractatu de Gratia Christi c. 13. communem asserit adultis omnibus sufficientem dari gratiam, quâ ad Deum possunt converti. *Hanc*, inquit, *generalem esse super omnes filios Adæ misericordiam Dei in Christo Jesu, ut quibus hujus lucis & rationis usum concedit, prorsus* NEMINEM OMNINO RELINQUAT, *quin saltem paulatim seu gradatim ad verum bonum attolli queat, quod equidem auxilium in divinis instinctibus, pulsibus, inspirationibus & illustrationibus positum esse, & omnibus pro tempore & loco sufficienter adesse crediderim; ut ex illis, cooperante Deo, homo converti & ad cor redire queat.* Sed nec in c. 14. ferre poterat à Michaele Baio & aliis Sancti Augustini discipulis dici, quòd nulli tentationi ex veræ virtutis amore, resistere sufficiamus absque Christi auxilio: quòd omnia in gloriam Dei referre teneamur; *Quemadmodum*, ait Cunerus, *potest homo sine speciali gratia pro victu comparando laborare, & in hoc non peccare: sic etiam absque simili gratia potest honestâ ratione ductus nolle furari, vel latrocinari. Hæc est enim lex naturaliter scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas, quæ furtum improbat. Quis enim æquo animo furem patitur? Quamvis autem in singulis actibus homo finem aliquem ultimum habeat in quo quiescit, & impii non in Deo finem hunc constituant;* NON EST TAMEN IS RIGOR SENTENTIÆ DEI, *ut omnia & singula in verum ultimum finem, qui Deus est, referre teneamur. Nam nimis angusta, dura, & absurda reputatur sententia, quòd omnia justi hominis opera vel peccata sunt, vel vitæ æternæ meritoria; utpote qui multa ex naturæ necessitate vel civili ac politicâ ratione facit; & quibus hoc studium & hæc intentio sufficit ne quid admittant quo vel offendatur Deus, vel scandalizetur proximus.*

Cùm igitur quædam in natura honestatis semina & rectæ rationis lineamenta remanserint, & non necesse sit ut singula in determinatum aliquem finem referantur: non rectè statuitur quòd homo nullum opus sine gratiæ adjutorio præstare potest, in quo non delinquat.

Hæc Concilii Arausicani verba: *Homo non habet de suo nisi mendacium & pecca-*

peccatum, sic vult intelligenda, ut homo sine Dei donis naturalibus nihil valeat: non quòd sine gratia nihil possit: *Ad verba Concilii*, inquit ibidem, *dicendum est, aliud esse quippiam habere de suo, aliud sine gratia Christi. Nam quicquid ex na uræ talentis, sine peccatis facimus, Dei cooperatione ex naturalibus ejus donis præstamus: unde verè in nullo gloriandum est.*

Deinde illud Apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* ab Aug. non vult ita intellectum, ut omnia Infidelium opera quæ ad Deum verum non referuntur, sint peccata, sed ea solùm quæ infideli & impiâ voluntate fiunt: *Ab Apostolo quoque dictum est*, (ait in fine sui Tractatus de Gratia) OMNE QUOD NON EST EX FIDE PECCATUM EST, *quia quicquid ex infidelitate vel malâ fide peragitur, verè peccatum est.*

Hæc quantùm Pelagianis faveant, & Augustini sententiis repugnent novit vel inter istius Sancti Doctoris discipulos tyro. Porrò in Tractatu de lib. arb. c. 9, hæc docet: [ideoque rectè dici potest discrimen istud quo alter reluctatur, alter verò acquiescit, proximè tribuendum esse libero arbitrio: quoniam uterque quod facit, cum libertate facit, ut diversum vel contrarium facere potuerit. &c.]

Et c. 10. *Notanda est*, ait, *profunda quædam propositio D. Ruardi, Cancellarii Lovaniensis, quòd ex similiter tractis & internè corde vocatis, unus credit & convertitur, & alius manet incredulus, nec convertitur, contingere potest ex sola arbitrii divinitùs præparati libertate, nec aliter contingere potest, si similiter sunt affecti, & vocantur secundùm quod apti sunt ad sequendum.*

In prolixiori autem commentario quem Cunerus Leuwardiæ anno 1571. scripsit in 76. articulos à Pio V. damnatos, & quem ipsius vel cujuspiam alterius manu descriptum evolvi, magis adhuc mentem suam aperit Semipelagianâ tinctam fuligine: Ex quibus omnibus colligas quàm rari fuerint etiam tum temporis in ipsa Academia Lovaniensi Doctores Theologi, qui Sancti Augustini sensum planè assecuti sint; ac ita secuti, ut à sancti illius Doctoris mente in multis non aberraverint: Et quòd Michael Baius, qui unicus S. Augustini dogmata ita pressè sectabatur ut in nullis ab eo deflecteret, non alios in sua Academia æmulos habuerit, nisi qui ipsi Augustino in multis adversarentur, ac cum Semipelagianis in multis sentirent.

Sed nec mireris extra Academiam Joannem Strienum, Episcopum Middelburgensem, qui se Ruardi Tapperi ac Judoci Tiletani auditorem fuisse gloriabatur, ac Censuræ Lovaniensi ita repugnabat, ut eam Episcopis probari iniquissimè se ferre, dissimulare non potuerit in quadam Epistola quam Lindano Episcopo Ruremondensi anno 1587. scripsit; infensum fuisse Michaeli Baio imbutumque Pelagianis Ruardi Tapperi, Judoci Ravestyn, & Cuneri Petri opinionibus, dixisse in alia ad Archiepiscopum Mechliniensem Epistola, quòd ut *Africa semper aliquid monstri, ita hæc Theologica Lovaniensis Facultas novæ doctrinæ aliquid gignit:* his enim, quæ sola vera putabat, dogmatibus assueto nova videbatur Sancti Augustini sententia quam non audierat.

Quod Franciscum Horantium attinet, quisquis ipsius Locos Catholicos attentè perlegerit, facilè comperiet quàm peregrinus fuerit in Sancti Augustini

doctrina; quantumque familiaris ei fuerit sententia Pelagianorum; mirumque proinde non esse quòd Michaeli Baio contradixerit.

Ipse l. 1. c. 24. nullam interiorem gratiam vult tentationibus vincendis esse necessariam; sed hanc Philosophorum sententiam laudat ac defendit: *humani intellectus ratio gubernationi morali rectæ & studiosæ satis sufficit: voluntas verò illi subjacens à sensu quidem ad mala sollicitatur: sed ut liberam electionem habet, impediri nequaquam potest quin rationem ducem per omnia sequatur, si velit.*

Et c. 25. postquam retulit *quæ quorumdam antiquorum Philosophorum incredibilis probitas* fuerit: ipse sic arguit; *Id verò*, nempe quòd quorumdam philosophorum incredibilis pietas sit, *nos manifestè docet multorum qui in illo sæculo vixerunt, & sub illa luce innocenter & honestè transacta vitâ*: omnibus sanè *sæculis extiterunt, qui naturâ duce ad virtutem intenti totâ pene vitâ fuerunt*: *&c.*

C. 26. dicit in Camillo exemplum mirabile haberi naturam si studio excitetur, nimium bonitate præstare; & naturæ non deesse ad virtutis studium non parvam liberamque facultatem. Et ad Augustinum l. 4. contra Jul. c. 3. respondet non eum sentire quòd Paganorum facinora, quæ in Deum non relata sunt, fuerint peccata; sed quòd excellentissimo gradu virtutis fuerint privata.

Imo in c. 28. temeritatis arguit eos qui pronunciarent antiquos illos Philosophos esse ab æterna salute exortes. Unde hoc capitulum sic inscripsit: *Sicut indecorum est antiquorum Philosophorum opera omnia obelo notare: sic temerarium est de eorum salute certi quicquam affirmare.* Et in textu Capituli ait: *Multum tamen hujusmodi actibus Ethnicorum naturam nostram excelluisse, nimiumque ad bonum valere, si quidem excolatur, intrepidè cum eodem Augustino dicere audeo* Et paulò pòst: *De Philosophorum salute æterna neque rei causa neque tempus agere permittunt. Secretiora sunt ista & majora, quàm quæ brevi ac simplici sermone nunc ego persequar. Tantùm id dicam.. crimen esse & scelus quòd solùm longâ pœnitentiâ expiari possit, sic in universum tantorum sapientum & sapienter enunciata, & religiosè summaque cum virtute gesta bilioso stomacho, tanquam peccata & quasi scelera reprehendere.* Magisne unquam ipse Pelagius naturam commendavit, quàm iste Philosophorum Ethnicorum laudator? Istum aliosque similes habuisse æmulos satis est vindicandæ Michaelis Baii fidei.

OBSERVATIO 4.

Circa sententias quæ Michaeli Baio ab ipsius æmulis adscriptæ sunt, ac Pio V. ad censuram exhibitæ.

Advertendum 1. sententias illas in omnibus tam manuscriptis quàm excusis Codicibus, præterquàm in Bulla Urbani VIII. quæ incipit, *In eminenti*, numeris distinctas quidem haberi; sed in his numerandis multam esse variationem: alii enim duntaxat septuaginta quinque computant, alii & quidem emendatiores computant septuaginta sex, alii septuaginta novem, & alii octoginta: non quòd aliæ vel plures aut pauciores fuerint in uno exemplo quàm

in

 604

in alio, sed quòd eædem diversis modis distinctæ sint, unâ nonnunquam in duas divisâ, vel duobus aliquando in unam contractis, seu recensitis sub eodem numero: exempli gratiâ, duæ illæ sententiæ: *Omnia opera Infidelium sunt peccata:* Et *virtutes Philosophorum sunt vitia*, in nonnullis exemplaribus tanquam duæ, videlicet 25. & 26. computantur; in aliis tanquam una, scilicet vigesima quinta, numerantur. Ego verò emendatiores Codices secutus eas in septuaginta sex distribui.

Advertendum 2. non paucas in Codicibus variationes circa ipsum textum hujusmodi sententiarum reperiri, quarum præcipuas ad marginem annotavi in Bulla Pii V. ubi integræ referuntur.

Advertendum 3. illas omnes Michaeli Baio fuisse attributas. Licèt enim nullius autoris nomen expressum sit, libri tamen prænotati sunt, ex quibus extractæ dicebantur, & quos à Michaele Baio scriptos constat ac in lucem editos.

Advertendum 4. quòd ex illis septuaginta sex sententiis, quæ Michaeli Baio adscriptæ sunt, plus quàm sexaginta falsò sint ipsi impositæ: ac vix quatuordecim, nimirum 2. 4. 5. 6. 8. 12. 18. 22. 27. 28. 48. 49. 50. & 56. (iis inter eas computatis quæ non sunt nisi tituli capitulorum videlicet 2. 12. 28.) in ejus operibus assertæ legantur. Imò inter eas, quæ ipsi calumniosè ascriptæ sunt, decem numerantur scilicet 30. 35. 40. 42. 45. 63. 64. 65. 66. & 73. quæ à Michaelis Baii mente prorsus alienæ sunt, & tanquam falsæ ac hæreticæ ab ipsomet reprobantur.

Non tamen dissimulandum quòd ex his quæ in ejus libris non leguntur, sed adulteratæ sunt vel malâ fide ex eis excerptæ; quadraginta sex vel septem, videlicet 1. 3. 7. 9. 10. 16. 21. 22. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. ex parte, 31. 32. 33. 34. 36. 37. 38. 39. 41. 43. 44. 46. 47. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 61. 62. 67. 68. 69. 70. 74. 75. & 76. sensum ferre possunt qui ab eo non abhorret, quem Michael Baius post Sanctum Augustinum docuit, & qui extra omnem censuram est: sed non propterea ejus dici possunt. Quæ ut faciliùs discernantur indicem illarum ob oculos hîc ponere visum est, discernendo quæ ejus sunt.

SEN-

SENTENTIÆ 76.

PIO V. EXHIBITÆ,

ET AB EO DAMNATÆ

ANNO 1567.

Ex libro primo *De meritis operum.*

(a) Al. *gratia.* 1. *Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur* (a) *gratiæ.* Non est Michaelis Baii, sed ex c. 4. libri primi *De meritis operum*; malè excerpta.

2. *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium; sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.* Est duntaxat titulus capitis 2. l. 2. *De mer. oper.*

3. *Et bonis Angelis & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, fœlicitas esset merces & non gratia.* Non est Michaelis Baii, sed ex ipsiusmet Sancti Augustini sensu & verbis à Michaele Baio relatis in c. 2. 3. & 4. l. 1. *De mer. oper.* malè excerpta.

4. Vita æterna homini integro & Angelo promissa fuit intuitu bonorum (b) Al. omit. per se. operum: & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam (b) per se sufficiunt. *Est Michaelis Baii l. 2. c. 2. De mer. oper. in terminis & in sensu catholico.*

5. In promissione facta Angelo & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur. *Est Michaelis Baii l. 1. c. 2. De mer. oper. in terminis, & in sensu valde catholico.*

(c) Al. *perseveraret.* 6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia (c) perseverasset, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset. *Est Michaelis Baii l. 1. c. 3. De mer. oper. in terminis & sensu catholico.*

7. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera ; sed juxta modum loquendi Sacræ Scripturæ non* RECTE *vocantur* (a) *gratiæ: quo fit ut tantùm merita, non etiam gratiæ, debeant nuncupari.* Non est Michaelis Baii, sed ex c. 4. l. 1. *De mer. op.* malè excerpta. (a) Al. *gratia.*

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum. *Est Baii l. 1. c. 4. De mer. oper. in terminis & sensu catholico.*

9. *Dona concessa homini integro & Angelo forsitan non improbandâ ratione* (b) *possent dici gratia: sed quia, secundùm usum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur quæ per Jesum Christum malè merentibus & indignis conferuntur: ideò neque merita neque merces quæ illis redditur, gratia dici* (c) *debet.* Non est Baii, sed ex c. 4. l. 1. *De mer. oper.* malâ fide excerpta. (b) Al. *possunt.* (c) Al. *potest.*

10. (d) *Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato remisso sæpe remanet, & corporis resurrectionem non nisi Christi meritis adscribendam esse.* Non est Baii, sed ex c. 9. l. 1. *De mer. oper.* malè excerpta. (d) Al. *solutio... resurrectio... adscribenda est.*

11. *Quòd piè & justè in hac vita mortali usque in finem conversati vitam* (e) *consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim in initio creationis constitutæ* (f) *justo Dei judicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est ut justo Dei judicio, obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.* Non est Baii, sed ex c. 9. l. 1. *De mer. oper.* malè excerpta. (e) Al. *consequemur.* (f) Al. *& justo.*

(g) Ex libro 2. *de meritis operum.* (g) Al. *omit.*

12. *Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum non* (h) *est regni cœlestis meritorium.* Est duntaxat titulus capitis 4. l. 2. *De mer. oper.* (h) Al. *esse.*

13. *Opera bona à filiis adoptionis facta non recipiunt rationem meriti, eò quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei: sed tantùm ex eo quòd sint conformia legi, quòdque per ea præstetur obedientia* (i) *legis.* Non asseritur à Michaele Baio, sed inter quæstiones salvâ pace disputatas refertur in l. 2. c. 2. *De mer. oper.* (i) Al. *legi.*

14. *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio merentur accipere.* Non asseritur à Baio, sed inter quæstiones salvâ pace disputatas proponitur in c. 9. l. 2. *De mer. oper.*

(a) Al. *Ratio meriti non consistit.* 15. (a) *Docet rationem meriti non consistere in eo quòd qui benè operatur habet gratiam & Spiritum sanctum inhabitantem; sed in eo solùm, quia obedit legi divinæ.* (b) *Quam sententiam sæpè repetit, & multis rationibus probat toto fere libro.* Non asseritur à Baio, sed inter sententias quæ salvâ pace disputantur, refertur in c. 1. l. 2. *De mer. oper.*

(b) Al. omittuntur ista omnia.

(c) Al. omittitur, *In eodem libro sæpe repetit quòd.* 16. (c) *In eodem libro sæpe repetit quòd non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.* Non asseritur à Baio, sed inter eas quæ salvâ pace possunt disputari, refertur in c. 1. l. 2. *De mer. oper.*

(d) Al. *Sentiunt enim.* 17. (d) *Dicit sentire cum Pelagio qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.* Non est Michaelis Baii, sed ex l. 2. c. 4. *De mer. oper.* malè excerpta.

(e) Al. *Opera &c.* 18. (e) Dicit opera Catechumenorum, ut fidem & pœnitentiam, ante remissionem peccatorum facta, esse æternæ vitæ merita; quam tamen non consequuntur Catechumeni, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur. *Est Mich. Baii l. 2. c. 6. De mer. oper. licèt minùs accuratè collecta.*

(f) Al. *Opera.* 19. (f) *Videtur insinuare quòd opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint majorem valorem.* Non est Mich. Baii, sed ex c. 7. l. 2. *De mer. oper.* malè excerpta.

(g) Al. *mortem.* 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur* (g) *pœnam æternam.* Non asseritur à Mich. Baio, sed inter eas quæ salvâ pace disputantur inter Catholicos, refertur in l. 2. c. 7. *De mer. oper.*

(h) Al. omittuntur ista.

(h) Ex libro 1. *de prima hominis justitia.*

21. *Naturæ humanæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* Non est Mich. Baii, sed ex ejus c. 4. l. *De prima hominis justitia,* malè excerpta.

22. Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt;* intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus. *Est Mich. Baii l. De prima hom. just. c. 6. in terminis & sensu catholico.*

23. *Absurda est eorum sententia qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe & charitate Deum supernaturaliter coleret.* Non est Baii, sed ex ejus c. 7. l. *De prim. hom. just.* malè excerpta.

24. *A vanis*

24. *A vanis & otiosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum excogitata est sententia: hominem ab initio sic constitutum ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus: & ad Pelagianismum rejicienda est ista sententia.* Non est Baii, sed ex ejus c. 8. lib. *De prima hom. just.* malè excerpta.

(a) Ex libro 2. *De virtutibus Impiorum.*

(a) Al. omittuntur ista.

25. *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Non est Baii: sed collecta ex S. Augustini testimonio relato in c. 5. l. 1. *De virtutibus Impiorum.*

26. *Et Philosophorum virtutes sunt vitia.* Non est Michaelis Baii; sed ex iis quæ ex Augustino profert l. *De Virtutibus Impiorum*, c. 7. collecta.

27. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio:* (b) *quam sententiam repetit & probat per multa capitula.* Est duntaxat titulus Capitis 4. l. *De prima hom. just.*

(b) Al. omittuntur ista.

28. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Est duntaxat titulus capitis 8. l. *De virtut. Impiorum.*

29. *Pelagianus est error dicere quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* Non est Baii; imò eam in aliquo sensu hæreticam ipse in sua Apologia declarat, sed est ex S Augustini sententia adducta à Baio in c. 8. l. *De virtutibus Impiorum*, malè excerpta.

30. *Non* (c) *solùm fures ii sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicunque aliunde quàm per Christum in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt: Aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur aut* (d) *ab ea non superetur.* Non est Baii, licèt prima ejus pars habeatur in ejus c. 9. l. *De virtut. Imp.* & altera sit Innocentii 1. & Cœlestini 1. in sancto & vero sensu.

(c) Al. *soli.*

(d) Al. *ab ea superetur.*

(e) Ex libro *De Charitate.*

(e) Al. omittuntur ista.

31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Non est Baii, sed ex ejus l. *De Charitate*, c. 7. malè excerpta.

32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Non est Baii, sed ex ejus l. *De Char.* c. 7. malè excerpta.

33. *Catechumenus justè & rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.* Non est Baii, sed ex ejus c. 7. *De Char.* & ex c. 7. *De justitia*, malè excerpta.

34. *Distinctio illa duplicis amoris, videlicet naturalis, quo Deus amatur ut autor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut* (a) *beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris ac plurimis Veterum testimoniis excogitata.* Non est Baii, sed ex ejus c. 4. *De Charitate*, collecta.

(a) Al. *sanctificator.*

35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Nullatenus est Baii; imò ipse eam ut hæreticam abominatur in Apologia. Et ipse (b) Ripalda fatetur eam non esse Baii.

(b) in suo opere contra Baianos.

36. *Amor naturalis, qui ex naturæ viribus oritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.* Non est Baii, sed ex c. 5. l. *De Charit.* malè excerpta.

37. *Cum Pelagio sentit qui* (c) *boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* Non est Baii, sed ex ejus c. 5. l. *De Char.* malè excerpta.

(c) Al. *bonum aliquod naturale.*

38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus* (d) *amatur.* Non est Baii, sed ex S. Augustini & S. Leonis sensu & verbis adductis in l. *De Char.* c. 6. malè excerpta.

(d) Al. *corda diffusum.*

(e) Al. omittuntur ista.

(e) Ex libro *De libero arbitrio.*

39. *Quod voluntariè fit, etiamsi* (f) *necessitate fiat, liberè tamen fit.* Non est Baii, sed ex ejus l. *De libero arb.* c. 7. malè excerpta.

(f) Al. *necessariò.*

40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Nullatenus est Baii: imò ab eo tanquam hæretica rejicitur in sua Apologia. Et ipse Ripalda fatetur eam in Baii operibus non haberi.

41. *Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis; sed solùm nomen libertatis à peccato.* Non est Baii, sed ex ejus l. *De lib. arb.* c. 7. malè excerpta.

Ex

(a) Ex libro *De justitia.*

(a) Al. omittuntur ista.

42. *Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratia aliqua animo infusa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps benè vivere & mandatis Dei obedire possit.* Nullatenus est Michaelis Baii; imò ipse eam execratur in sua Apologia.

43. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.* Non est Baii, sed ex ejus l. *De justitia*, c. 7. malè excerpta.

44. *Operibus plerisque, quæ à Fidelibus fiunt ut mandatis Dei pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicido, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines quia sunt legis obedientiæ, & veræ legis justitiæ, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.* Non est Baii, sed ex ejus l. *De justitia*, c. 5. & 6. & ex l. *De justificatione* c 5. malè excerpta: unde & ipse eam, ut concepta est, hæreticam declarat in sua Apologia.

(b) Al. *obedientiæ. justitiæ.*
(c) Al. *incrementum.*

(d) Ex libro *De Sacrificio.*

(d) Al. omittuntur ista.

45. *Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illâ quâ omne opus quod fit ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.* Non est Baii: imò ipse eam simpliciter hæreticam declarat, & e l. *De Sacrificio*, c. 6. pessimè excerptam.

(e) Ex libro *De Peccato Originis.*

(e) Al. omittuntur ista.

46. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium: Nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium. Unde peccatum Originis verè habet rationem peccati, sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.* Non est Baii, sed ex ejus l. De pecc. Originis, c. 7. malè excerpta.

47. *Peccatum Originis est habituali parvuli voluntate voluntarium: & habitualiter dominatur parvulo, eò quòd non gerat contrarium voluntatis arbitrium. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine Regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus (f) est, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.* Non est Baii, sed ex l. *De pecc. Orig.* c. 7. malè excerpta.

(f) Al. *erit.*

48. Prava desideria quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: *Non concupisces. Est Michaelis Baii l. De pecc. Orig. c. 11. in terminis & sensu catholico.*

49. Concupiscentia sive lex membrorum & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. *Est Baii l. De pecc. Orig. c. 4. 15. & 16. in term. & in sensu catholico.*

50. Omne scelus ejus est conditionis, ut suum autorem & omnes ejus posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. *Est Baii l. De pecc. Orig. c. 13. tam in terminis, quàm in sensu catholico.*

(a) Al. *prima transgressionis.*

51. (a) *Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.* Non est Baii, sed ex ejus l. *De pecc. Orig.* c. 6. malè excerpta.

52. *Definitiva hec sententia: Deum nihil homini præcepisse impossibile, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.* Non est Baii, sed ex c. 12. l. *De pec. Orig.* malè excerpa.

53. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Non est Baii, sed ex l. De pec. Orig. c. 5. malâ fide collecta. Ipse pater Ripalda fatetur eam non haberi in Michaelis Baii operibus.

(b) Al. omittuntur ista.

(b) Ex tractatu *De Oratione pro Defunctis.*

54. *In peccato duo sunt, actus & reatus: transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. Unde in sacramento baptismi aut Sacerdotis absolutione proprièreatus peccati duntaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.* Non est Baii, sed ex ejus Tract. De orat. pro Defunct. c. 4. malè excerpta.

55. *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.* Non est Baii, sed ex S. Augustini verbis relatis in c. 4. Tract. De orat. pro Defunct. collecta.

(c) Al. omittuntur ista.

(c) Ex tractatu *De Indulgentiis.*

56. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera, Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus; sicut quidam errantes autumant: nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte nostri redemptores: sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi

Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur. *Est Baii c. 8. Tract. De Indulg. etsi minùs accuratè collecta.*

57. *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* Non est Baii, sed ex c. 8. Tract. *De Indulg.* malè excerpta.

58. *Celebris illa Doctorum distinctio: divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo, quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero, quantùm ad certum quemdam modum, videlicet, secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritorium: commentitia est & explodenda.* Non est Michaelis Baii.

59. *Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariam bonum; vel quia ex objecto & ex omnibus circumstantiis rectum est, quod moraliter bonum appellari consuevit; vel quia est meritorium regni æterni, eò quòd sit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda putatur.* Non est Baii.

60. (a) *Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ; alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius verò, quæ fit ex inspiratione Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur; odiosissimè & pertinacissimè rejicitur.* Non est Michaelis Baii. (a) Al. *Sed &.*

61. (b) *Denique & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur & palmes vivus in Christo vite efficitur, commentitia* (c) *judicatur, & Scripturis minimè conveniens.* Non est Baii; & ipse P. Ripalda agnoscit eam in ejus libris non haberi. (b) Al. *Iterum &.* (c) Al. *est.*

62. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.* Nullatenus est Baii, ut fatetur ipse Ripalda. Imò Baius eam, ut jacet, hæreticam pronunciat in *Apol.* licèt in alio sensu sit Sancti Augustini.

63. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Nullatenus est Baii: imò ipse eam damnat in Apologia.

64. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Nequaquam est Baii, ut ipse Pater Ripalda fatetur. Imò Baius eam detestatur in sua Apologia.

65. *Infide-*

65. *Infidelitas purè negativa in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Non est Baii, ut agnoscit ipsemet Ripalda. Imò Baius eam damnat in sua Apologia.

66. *Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis: Non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos facit implere legem.* Non est Baii: imò ab illo rejicitur in sua Apologia.

67. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Non est Baii, sed ex ejus Tract. *De charitate*, c. 7. truncatim excerpta.

(a) Al. *cum charitate perfecta.* 68. *Per contritionem etiam* (a) *charitate perfectam, & cum voto sacramentum suscipiendi conjunctam, non remittitur crimen extrà casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* Non est Michaelis Baii.

69. *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde & Job & Sancti Martyres quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.* Nequaquam est Baii, & ipse P. Ripalda fatetur eam in ejus operibus non inveniri.

70. *Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.* Nullatenus est Baii, & eam in ejus libris non reperiri ultrò agnoscit P. Ripalda.

71. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.* Nequaquam est Baii, ut agnoscit Ripalda: sed ex c. ultimo l. *De pecc. Orig.* malè excerpta.

72. *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto:* NON CONCUPISCES: *Unde homo eos sentiens & non consentiens, transgreditur præceptum:* NON CONCUPISCES: *quamvis transgressio in peccatum non deputetur.* Non est Baii, sed ex ejus c. undecimo l. De pecc. Orig. collecta.

73. *Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum:* DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO. Non est Baii: Imò ipse tanquam hæreticam illam execratur in sua Apologia.

74. *Satis-*

74. *Satisfactiones laboriosæ Justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Non est Baii, sed ex cap. 8. l. *De Indulg.* malè excerpta.

75. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Non est Baii, sed ex c. 8. lib. *De Indulg.* malè excerpta: imò P. Ripalda fatetur eam in libris Baii non legi.

76. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine justitia naturali.* Nullatenus est Baii, & Ripalda fatetur eam inter Baii opera non haberi.

Ex quibus nemo non intelligere valet quanta fuerit eorum qui hujusmodi sententias collegerunt ac Summo Pontifici exhibuerunt adversùs Michaelem Baium æmulatio, audacia ac nequitia, imò & erga Sanctam Sedem irreverentia; ut eximio huic Doctori tot sententias, quarum aliæ erant hæreticæ, aliæ magis Augustini quàm ipsius, aliæ adulteratæ & ex ipsius scriptis malâ fide excerptæ, adscriberent; ac ipsi per summam imposturam adscriptas Summo Pontifici exhiberent ad censuram.

OBSERVATIO 5.

Animadvertendum nihilominus 1. quòd isti Delatores ac impostores suis fraudibus ac mendaciis Pium V. ita circumvenerunt, ut tandem ab eo Censuram ac Diploma adversùs has sententias extorserint; Michaele Baio non solùm non audito nec vocato; sed nullâ, quæ sciatur, nisi levissimâ institutâ disquisitione, & absque librorum Michaelis Baii examine, quos si vel aperuissent, fraudem Delatorum comperissent ac nequitiam.

Animadvertendum 2. hâc Pii V. Bullâ articulos in quibus vix aliquis pravus sensus potest deprehendi, & qui intellectum fidei ac catholicæ Sancti Augustini doctrinæ planè consentaneum præ se ferunt, nudè ac simpliciter proscribi, in multam Sedis Apostolicæ injuriam, ac grave omnium Eruditorum scandalum.

Ibi enim damnatus legitur tertius articulus, qui non nisi verba Sancti Augustini habet & sensum. Ibi proscribitur octavus, cujus verba ac sensus obvius nos edocent, omnia nostra merita esse Dei dona, ac divinæ misericordiæ munera. Ibi damnatur decimus sextus, qui planissimum Sancti Augustini sensum præ se fert, passim adversùs Pelagianos docentis, quòd qui non ex amore justitiæ seu ex charitate facit quæ lege præcipiuntur, non legem verè & ut debet observat: quod prorsus idem est ac si diceret, non veram esse legis obedientiam, quæ fit sine charitate.

Ibi configuntur articuli vigesimus quintus & vigesimus sextus, quibus non nisi sensus Sancti Augustini exprimitur. Ibi censurâ notatur articulus vigesimus octavus, qui catholicam S. Augustini, seu potiùs Ecclesiæ, veritatem præ se fert.

Ibi damnantur, in trigesimo articulo, qui cum Ecclesia adversùs Pelagianos

nos corde credunt ac ore confitentur hominem nulli tentationi absque gratia adjutorio resistere posse.

Ibi denique, præter alios, in articulo septuagesimò censuræ subjiciuntur qui senserint cum omnibus antiquis Patribus, quòd nemo præter Christum est absque peccato Originali: quod quo sensu censuram eo tempore meruerit, nemo verè Theologus intelligit.

Animadvertendum 3. plures ex proscriptis in isto Diplomate articulis esse valde ambiguos seu æquivocos, adeò ut in sensu vero & catholico æquè intelligi valeant ac in falso & hæretico. Nihilominus verò Censura in illos ita absolutè ac indistinctè lata est, ut discerni minimè possit in quem sensum cadat, an in falsum & hæreticum, an in eum quem verum credimus ac catholicum. Exempli gratiâ, articulus quinquagesimus tertius, quo dicitur Deus non potuisse hominem ab initio talem creare, qualis nunc nascitur: vel ita intelligi potest, ut Deus non potuerit hominem ab initio creare filium iræ ac vindictæ, qualis nunc nascitur: vel ita ut Deus non potuerit hominem creare ab initio morti obnoxium, qualis modò nascitur; & adhuc istud duplicem potest habere intellectum: quòd videlicet hoc Deus non potuerit ratione potentiæ, vel ratione justitiæ suæ ac sapientiæ: & tamen absque ulla distinctione sensuum articulus iste, sicut & alii, simpliciter in Pii V. Diplomate damnatus est.

Animadvertendum 4. In istas sententias, quarum aliæ sunt hæreticæ, aliæ simpliciter falsæ dicuntur, aliæ temerariæ ac scandalosæ; censura ita indiscriminatim fertur, ut ex ea nullatenus intelligi possit quænam reprobandæ sint ut hæreticæ, quæ ut simpliciter falsæ, & quæ duntaxat ut temerariæ vel scandalosæ. Et inter Theologos quidem multùm disputatur in quo sensu proscripti sint à Pio V. isti articuli. Vasquez enim & aliqui alii nonnullos in uno sensu defendunt, in quo Ripalda & alii eos à Pontifice contendunt esse damnatos. Cunerus Petri eos vult juxta hunc intellectum, Bellarminus juxta istum, Torrez juxta alium, Stejaert juxta alterum, Autor Doctrinæ per Belgium manantis juxta Theologorum Lovaniensium mentem esse à Pio V. confixos. Alii cum Toleto & Vasque plurimos ipsorum non propter doctrinam, sed duntaxat propter censuræ acerbitatem, prohibitos asserunt; alii cum Ripalda singulos dicunt ob doctrinam damnatos à Pontifice. Deinde alii cum Ripalda eos volunt in sensu Michaelis Baii censuram subiisse Pontificis: Alii cum Steyaertio eos esse Pontificis censurâ notatos, ut erant à delatoribus descripti & Papæ oblati. Porrò quâ censurâ afficiantur singuli articuli, hoc est, quinam ut hæretici, quinam ut simpliciter falsi, quinam ut duntaxat temerarii ac scandalosi, à Pio V. dispuncti sunt nondum constat inter Theologos, adeò ut vaga Pontificis censura, dum quid circa unumquemque hujusmodi articulorum sit sentiendum non definivit, nihil definivisse videatur.

Ex quibus æquiores arbitri deducunt non inutilem modò, sed fovendis & augendis, quàm sedandis ac componendis contentionibus aptiorem: Imò magis in catholicæ veritatis perniciem, quàm in errorum extirpationem latam esse arbitrantur Censuram hanc, quæ sensum verum & catholicum à falso

falso & hæretico non discernens, istum æquè ac illum indiscriminatim damnat. His adde quòd cum tanta oscitantia istud Pii V. Diploma conscriptum sit, ut contra ipsas Latinæ Grammaticæ leges peccet, usurpando in multis articulis verbum, *dicit*, *docet*, *repetit*, *probat*, *&c.* licèt nullum nomen præcesserit, quo indicetur quis dicat, doceat, reputat & probet, &c.

Sic N. Le Bossu ex Regali Monasterio Sancti Dionysii propè Parisios, Doctor Sorbonicus, dum Congregationibus *De Auxiliis* sub Clemente VIII. interesset, continere se non potuit, quin de iis conquereretur, quos honori Sanctæ Sedis parum consuluisse dicebat evulgando Pii V. Bullam, cujus dispositio seu contextus tam indiligenter, inquiebat, ordinatus est, ut major pars articulorum sensum contineat qui vix intelligi potest, & multi possint sensum habere saniori doctrinæ consentaneum; adeò ut non nisi cum summo rigore & in sensu violento videantur aliquâ censurâ digni. Imò, addebat iste Doctor, nec Grammaticæ leges in eo contextu observantur. Nam postquam in exordio Bulla in numero plurali locuta est de his qui falsos articulos defendebant, & non paucos sine numeri mutatione recensuit, nonnullos inserit cum verbo, *dicit*, *docet*, *repetit*, *probat*, etsi in toto præcedenti contextu nullus nominativus reperitur. Hæc in Collectancis D. Pegna referuntur. Non minùs æquum, nec magis favens de ista Bulla judicium ferebat Cardinalis à Sancto Clemente circa annum 1643. ut ipse Joanni Sinnichio Academiæ Lovaniensis Doctori Theologo, ad Pontificem delegato, significavit.

Animadvertendum 5. ita damnatas fuisse à Pio V. istas septuaginta sex sententias, ut nonnullæ teneri possent ac defendi in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, ut idem Pontifex in eadem Bulla disertè declaravit his verbis: *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Ista Pontificis declaratio summè premebat recentiores doctrinæ Michaelis Baii æmulos, qui eam à Censura in tuto hâc declaratione positam molestissimè ferentes, nihil non commenti sunt ut hæc Pontificis verba non modò non favere Baio, sed magis eum damnare demonstrarent. Excogitaverunt post hæc verba: *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent;* comma esse interjiciendum, ut ista verba, *in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, ad præcedentia non referrentur; sed ad hæc quæ sequuntur, *hæreticas*, *erroneas*, *suspectas*, *&c.* & sensus sit illas omnes sententias esse à Papa proscriptas, *ut hæreticas*, *erroneas*, &c. *in rigore & in sensu ab Assertoribus intento; quanquam nonnullæ aliquo pacto possent sustineri.* Imò Vasquez, aut is qui Bullæ exemplum, quo ipse usus est, descripsit, ipsius textum corrumpere non dubitavit, non solùm inserto hujusmodi commate, sed & additâ voce, *tamen*, ut sic legeretur: *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore* TAMEN *& proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, &c. damnamus, &c.* Natæ inde sunt inter Theologos graves de famoso illo commate contentiones. Verùm illud comma in antiquioribus genuinisque Censuræ Pii V. exemplis non reperiri, proindeque non nisi à quibusdam Michaelis Baii æmulis in posterioribus istius Bullæ exemplaribus appositum, manifestè demonstratur,

 1. Ex

1. Ex adductis superiùs ipsiusmet Cardinalis Granvellani litteris, cui Pius V. suæ Bullæ commisit executionem. In his enim postquam ipse significavit se ad avertendam Articulorum censuram apud Pontificem plurimùm allaborasse, nec id potuisse consequi, eò quòd concepti essent terminis à scholastica locutione alienis; scribit se tamen id à Pontifice obtinuisse, ut Baii nomen subticeretur; imò declarat quòd nonnulli hujusmodi Articulorum *sustineri possent in rigore ac aliquo sensu*. Idem confirmatur ex litteris Morillonii die 20. Junii 1569. scriptis, quas superiùs protuli, & in quibus verba ista leguntur: *pour estre par icelle Bulle dit*, QU'AUCUNES PROPOSITIONS S'EROIENT SOUTENABLES IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU.

2. Quia ipse Cunerus Petri Doctor Lovaniensis, Michaelis Baii æmulus, in prolixo Commentario, quem anno 1571. scripsit pro hac Pii V. Bulla, verborum formam sub qua ista Censura Pontificis ipsi ac cæteris Doctoribus Theologis Lovaniensis Academiæ anno 1567. exhibita fuerat refert; &, ut egomet in antiquo Mſ. Codice legi, suam præfationem sic incipit: Quod ,, ad præsentes sententias attinet, Sedes Apostolica iis omnibus commemo- ,, ratis, de iis sub hac verborum forma decrevit, prout anno Domini 1567. ,, nobis legitimè exhibitum est: *quas quidem sententias stricto coram nobis exa- ,, mine ponderatas, quanquam earum nonnullæ aliquo pacto & in rigore & proprio ,, verborum sensu ab assertoribus intento sustineri possent, erroneas, hæreticas & ,, etiam quæ scandalum & offensionem in pias aures immittunt respectivè damna- ,, mus & abolemus*. Cum enim, addit Cunerus in istius Declarationis expli- ,, cationem, numero circiter 76. inveniantur, quædam sine dubio reperiun- ,, tur, QUARUM SENSUS AB AUTORIBUS INTENTUS, QUEM RIGOR ET ,, PROPRIUS VERBORUM USUS ADMITTIT, si aliter exponerentur, ALIQUO ,, PACTO SUSTINERI POSSENT, &c.

Post præfationem præfigit hunc titulum: *sententiæ quædam à Sede Apostolica damnatæ & abolitæ, ita ut*, QUANQUAM EARUM NONNULLÆ ALIQUO PACTO IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO SUSTINERI POSSENT, *erroneæ* TAMEN, *hæreticæ, & quæ scandalum & offensionem in pias aures immittunt, respectivè prohibitæ*.

3. Ex litteris, quas quidam Licentiatus Lovaniensis anno 1580. scripsit Episcopo Sylvæ-Ducensi, suprà adductis: in his apertè scribit, *quòd sicut Bulla loquitur, plerique illorum* Articulorum *in rigore verborum, & juxta sensum ab Authoribus intentum veri sunt*.

4. Ex authentico Instrumento, quod Facultatis Theologicæ Lovaniensis jussu scriptum est sigilloque munitum anno 1567. refert, quâ ratione Pii V. Bulla adversùs 76. articulos ipsi intimata est. In eo sic habetur: *Notum vobis facimus quòd die datæ præsentium indictâ ad hoc specialiter Congregatione dictæ Facultatis comparuit coram nobis R. D. Maximilianus Morillonius* ,..... *qui ibidem exposuit brevi se accepisse Bullas Apostolicas S. D. N. Pii Papæ V. expeditas Romæ Calendis Octobris ultimò præteriti, Pontificatûs sui anno secundo, quibus certæ* SENTENTIÆ, & Scripturæ, proloquia, & disputationes DAMNANTUR RESPECTIVE *tanquam erroneæ, hæreticæ, scandalosæ, & piarum aurium offensivæ*, QUANQUAM EARUM NONNULLÆ ALIQUO PACTO SUSTINERI

POSSENT

POSSENT IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO. Hoc Instrumentum habui non solùm ex Codice Ms. Jansonii; sed & ex altero Codice manu ipsiusmet Gaudani, acerrimi inter Baii æmulos, exarato.

5. In eodem Codice eàdem manu eodemque tempore exarato recensentur omnes illæ sententiæ cum Pii V. Censura his verbis expressa: *Quæ quidem sententiæ in Bulla Apostolica damnatæ sunt respectivè tanquam hæreticæ, erroneæ, scandalosæ, & piarum aurium offensivæ, quamvis nonnullæ aliquo modo sustineri posse ibi dicantur, in rigore & proprio verborum sensu ab Authoribus intento.*

6. In Codice, qui anno 1571. scriptus est, & quem notavi litterâ A. referuntur hæ sententiæ cum explicatione abbreviata Michaelis Baii, quibus præfixus hic titulus legitur: *Articuli Calendis Octobris anni* 1567. *à Pio V. per Bullam plumbeam damnati, tanquam respectivè erronei, hæretici, scandalosi, vel piarum aurium offensivi, quanquam, ut ait* (Bulla) NONNULLI SINT QUI JUXTA SENSUM AB ASSERTORIBUS INTENTUM VERI SUNT, quos *prohibuit* doceri, &c.

7. In alio Codice, eodem tempore scripto, & quem notavi litterâ B. eædem sententiæ recensentur cum eodem planè titulo qui in præcedenti illis præfixus est: *Articuli Calendis Octobris... offensivi,* QUANQUAM, UT AIT, NONNULLI SINT QUI JUXTA SENSUM AB ASSERTORIBUS INTENTUM VERI SINT &c.

8. In alio Codice, qui anno 1570. scriptus est, & quem dono dedit D. Loos, pastor Xenodochii Antuerpiensis, habentur iidem articuli cum eadem hac epigraphe: *Sequuntur articuli Calendis Octobris anni* 1567. *à Pio V. per Bullam plumbeam damnati, tanquam respectivè erronei, hæretici, scandalosi, vel offensivi,* QUANQUAM, UT AIT (Bulla) NONNULLI SINT QUI JUXTA SENSUM AB AUTHORIBUS INTENTUM VERI SINT, &c.

9. Eandem prorsus inscriptionem præferebant isti Articuli in Ms. Monasterii Parcensis, propè Lovanium siti, quo continebatur explicatio, quam Facultas Theologica Lovaniensis anno 1585. super iis Articulis dederat Nuncio Apostolico; & cujus exemplum à se descriptum Adrianus Estius, istius Cœnobii subprior, ad Guillelmum Estium, fratrem suum, Duacum miserat anno 1586. unde minimè intelligitur quâ fide Theologi quidam Duaceni, in libro quem adversùs Jansenium anno 1649. ediderunt inscriptum, *Veritas & æquitas Censuræ Pontificiæ, &c.* & in quo istam Explicationem ex isto exemplo inseruerunt, hanc inscriptionem sustulerint; imò in suo ad Lectorem monito audenter affirmaverint istos Articulos in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento esse Bullâ Pontificiâ damnatos: *Scimus*, inquiunt, *docti Bullâ eâdem* (Urbani VIII.) *Articulos horum nonnullos* aliquo pacto sustineri posse, *ut sustinent Vasquez, Suarez, Bellarminus, aliique Catholici, à quibus etiam discimus acerbitatem censuræ in illis esse damnatam à Pontificibus: sed cum iisdem Orthodoxis credimus definitum esse Bullâ Pontificiâ nullas ex his propositionibus non esse* hæreticas, suspectas, temerarias, scandalosas respectivè... in rigore & proprio verborum sensu ab asser-

 toribus

toribus intento, *totis libris ac maximè obvio, quem Facultas ipsa Lovaniensis assecuta est olim luculentâ ingenuâque Explicatione Illustrissimi D. Vercellensis Episcopi & Apostolici per utramque Germaniam Nuncii voluntate ac jussu conceptâ.* Si enim in isto exemplo Adriani Estii descripti habebantur isti Articuli cum titulo, quem in Codice Parcensi præferebant, non nisi summâ nequitiâ ac fraude, Autores istius libri, qui Jesuitis quibusdam magis tribuitur, quàm memoratis Theologis Duacenis, subducere potuerunt hujusmodi inscriptionem, ac profiteri istos articulos in sensu ab Assertoribus intento fuisse Bullâ Pontificiâ proscriptos: cùm oppositum ex ista inscriptione liquidò constet.

10. In Codice Mf. H. qui eandem explicationem continet, & cujus scriptor animum in multis prodit à Michaele Baio valdè aversum, refertur Bulla Pii V. in Gregorii XIII. diplomate inserta; & clausula hæc, *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*; clauditur parenthesi, quam tamen fateor recentiore manu videri delineatam.

11. Valerius Andræas in Fastis Academicis studii Generalis Lovaniensis, 2. edit. pag. 365. de Pii V. Bulla hæc dicit: *quâ damnantur certæ sententiæ seu propositiones, uti hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandolosæ, & in pias aures offensionem immittentes respectivè*: QUANQUAM NONNULLÆ, UT EADEM LOQUITUR BULLA, ALIQUO PACTO SUSTINERI POSSENT IN RIGORE ET PROPRIO VERBORUM SENSU AB ASSERTORIBUS INTENTO.

12. In tribus Mff. Codicibus, quos Johannes Sinnichius, Lovaniensis Academiæ Doctor Theologus anno.... Sacræ Facultati exhibuit, eadem profertur Pii V. censura cum commate non post verbum *possent*, sed post verba hæc, *in sensu ab assertoribus intento*: eodem planè contextu ac in Mff. quos superiùs protuli, & qui alii sunt ab istis. Id liquet ex authentico ejusdem Facultatis instrumento. Porrò etsi in multis Codicibus antiquis articulos legi qui à Pio V. confixi sunt, in nullo reperi comma positum post verbum *possent*. Ut autem Mff. his Codicibus fides habeatur, sciendum quòd ab ipso Morillonio, qui Bullam intimavit Theologis Lovaniensibus, primum exemplar hujusmodi articulorum traditum fuit, ex quo alia statim transsumpta sunt; quibus proinde eadem debetur fides quæ primo exemplo, quod Morillon, qui Bullæ istius fuerat promulgator, Facultati Theologicæ porrexerat.

13. In ipsa Urbani VIII. Bulla, quæ anno 1642. in Jansenii librum & Theses Jesuitarum typis Cameræ Apostolicæ evulgata est, insertum habetur integrum Pii V. Diploma adversus 76. articulos, cum ista interpunctuatione, *quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c*: ut testatur Ludovicus à Sancto Amore, Doctor Sorbonicus, qui istius Bullæ typis Cameræ Apostolicæ primùm excusæ exemplum idcircò studiosè servabat. Si ergo in posterioribus Bullæ Urbanianæ exemplis comma post verbum possent invenitur, illud ibi fraude positum est. Nec dicant illud reperiri in exemplo quod à Notariis exscri-

exscriptum est, ac Sinnichio à Lovaniensi Academia Delegato traditum. Si enim Albizzi tot falsa inseruit in ista Bulla, dum illam composuit, ut Sinnichius demonstravit ipsis Cardinalibus; multò faciliùs apponere potuit istud comma, quando Jesuitæ, quibus divenditus erat, adverterunt id suæ causæ conducere. Cardinalis Lugo, Jesuita, die 26. Octobris anni 1644. testatus quidem est se vidisse in ipso Francisci Toleti autographo comma post verbum *possent*; sed id contra alia tot testimonia nihil probat, nisi quòd post Toleti mortem comma ibi in Toleti autographo ab iis insertum sit, quorum intererat ut eò loci insereretur. Si Bellarmini & ipsiusmet Toleti opera multis in locis adulterata sunt, ut norunt qui varias eorum editiones consuluerunt; sique in istius Bullæ exemplari quod Vasquez legit, post verbum *in rigore* addita est vox *tamen*, quâ expressiùs in sensu Baii damnatæ intelligerentur 76. sententiæ: quidni ab iisdem in Toleti autographo inseri potuit famosum illud comma?

14. Ipse Mathias Hauseur in sua Anatomia doctrinæ Augustinianæ Bullam Pii V. refert cum ista interpunctuatione: *quas quidem sententias*, stricto co. n. ex. ponderatas, *quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas*, &c.

Animadvertendum 6. Pii V. Bullam adversùs 76. articulos nunquam fuisse Romæ affixam aut promulgatam; ut in Congregatione De Auxiliis prudenter observavit suprà memoratus N. Le Bossu, Sorbonæ Doctor; & ut facilè intelligitur ex ipso Gregorii XIII. Diplomate, in quo hanc Bullam referens fidem facit se illam reperisse in Registro sui Prædecessoris; ad quod non recurrisset, si solemniter Romæ affixa fuisset ac promulgata. Unde nec uspiam ista Bulla reperitur, nequidem in ipsis Bullarum Archivis, nisi in Gregorii XIII. Diplomate. Significata quidem fuit Doctoribus sacræ Facultatis Lovaniensis, sed privatim in ædibus Doctoris Tiletani, ut suprà relatum est. Anno 1570. ipsa solemniùs ab eodem Morillonio in scholis Lovaniensibus publicata est; sed non mandato Pontificis aut Cardinalis Granvellani, cui Pontifex istarum Litterarum executionem commiserat, sed jussu Præfecti Belgii ac quorumdam Prælatorum, qui Synodo Mechliniensi aderant. Deinde quæque sit ista promulgatio, non sufficit ut cæteris Academiis & aliis Theologis promulgata censeatur ista Pii V. Constitutio, nec ut illos alliget.

Ipsam Gregoriano Diplomati insertam nemo nescit ab Urbano VIII. fuisse confirmatam in Bulla, *In eminenti:* quæ quidem solemni ritu Romæ affixa est. Verùm Urbanus VIII. non propterea istam Pii V. Censuram approbasse existimandus est, nisi quia illam cum debitis juris solemnitatibus exiisse, & à Gregorio XIII. fuisse confirmatam ei suggestum est ab Albizio & aliis: Si enim hujusmodi solemnitates huic Censuræ novisset Urbanus, eam sanè suæ Bullæ non inseruisset; cùm ipse se nihil aliud in sua Bulla intendisse declaraverit, quàm suorum Prædecessorum Constitutiones, debito scilicet ritu ab eis emanatas, renovare. Quandoquidem ergo Urbanus eas non confirmaverit, nisi supponendo quæ falsa sunt; ex ista confirmatione nullum robur accedit istis suorum Prædecessorum Constitutionibus: quod enim

enim in sua origine vitiosum ac nullius roboris est, rati-habitione non fit
ff. de Reg. Jur. & 6. Decret. eod. tit. validum, vel, ut jura loquuntur, *quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere: nec firmatur tractu temporis, quod jure ab initio non subsistit.*

Animadvertendum ultimò quòd etsi Pii V. Diploma Lovaniensibus Theologis fuerit à Morillonio prælectum; nullum tamen istius Diplomatis exemplum Lovanii aut alibi affixum fuit; imò nec ipsis traditum, quantumvis id requisierint: quod omnibus legibus repugnat quibus præscribitur, ut Judicum sententiæ scripto iis concedantur quorum interest, maximè si id requirant.

Qui igitur memoratam Pii V. Bullam, juxta Juris regulas expendere voluerit, ipsam profectò censebit nullius planè roboris, sed prorsus evanidam, sive materiam spectet, sive formam. Comperiet enim 1. eam esse inutilem, quia judicium profert in sententias quas nemo tenuit aut docuit sive in terminis, sive in sensu in quo aliquâ dignæ erant censurâ. 2. Eam in destructionem & Ecclesiæ perniciem, magis quàm in ejus bonum & ædificationem Fidelium latam esse: quoniam magis excitandis ac fovendis, quàm sopiendis aut compescendis contentionibus nata est; ac amaro zelo turgentibus vel minùs eruditis occasionem præbuit vehementiùs invehendi in Theologos catholicæ veritatis per omnia tenacissimos. Deinde quia in intricatos & ambiguos articulos indiscretam & absque ulla explicatione sententiam pronunciat quæ æquè in verum ac in falsum hujusmodi articulorum intellectum cadere potest. Demum quia articulos, quorum alteri verissimi sunt ac piissimi in sensu quem verba præ se ferunt, alteri verò falsi & hæretici, promiscuè ac sine discrimine dispungit. 3. Eam esse injustam, eò quòd eandem excommunicationis pœnam, quæ extremum in Ecclesia supplicium reputatur, infligit tam iis qui opinionem, cui aliqua inesset temeritas, aut ex qua nonnulla oriretur offensio, teneret vel doceret; quàm iis qui planè hæreticas sententias assererent.

4. Eam esse obreptitiam, non solùm quia peccat in Grammaticæ latinæ leges, in multis articulis, videlicet 15. 16. 17. 18. & 19. ubi verba ista: *dicit, docet, repetit, probat, insinuare videtur*, in singulari numero leguntur, licèt nullum nomen in tota Bulla præcesserit, ad quod ista verba referri valeant: sed maximè quia fraudibus obtenta est ac mendaciis, quibus suggestum est Pontifici plus quàm septuaginta articulos doceri Lovanii, ac in Michaelis Baii operibus contineri: etsi vix ac ne vix quidem quindecim illorum in Michaelis Baii scriptis possunt reperiri, ut ex suprà annotatis liquet. Ripalda ipse fatetur saltem decem ex illis non inveniri in Operibus Baii, & alios dicit à Michaele Baio in privatis colloquiis, & in disputationibus fuisse assertos: verùm id gratis ac falsò dicitur; cùm eorum quæ Michael Baius inter disputandum vel colloquendum dixerit nulla, quæ sciatur, facta fuerit inquisitio, nullique de iis legitimè auditi testes. Deinde ipsemet Baius omnes istos articulos veluti è suis libris excerptos, ut eorum indicant tituli istis articulis passim præfixi, intellexit fuisse ad censuram summo Pontifici exhibitos; In sua enim Apologia ad eosdem sub iisdem titulis recensitos, sub quibus fuerant damnati, respondit.

5. Istam

5. Istam Pii V. Constitutionem nunquam legitimè promulgatam fuisse: quippe quæ ne Romæ quidem unquam affixa inveniatur: aliàs Gregorius XIII. ut eam declararet non esse fœtum suppositititium, non recurrisset ad sui prædecessoris Registrum, in quo se illam invenisse profitetur, sed Chartophylacium consuluisset in quo Bullæ quæ affixæ sunt ac promulgatæ, diligenter asservantur: ut sapienter advertit memoratus Sorbonæ Doctor, Le Bossu, tempore Congregationis *de Auxiliis*, ubi istius Bullæ vitia non dissimulavit.

In Congregatione de Auxiliis nulla indefinitæ Pii V. in 76. articulos Censuræ habita est ratio: etsi enim inter damnatas assertiones ista vigesima tertia sit: *Virtutes Philosophorum sunt vitia:* nihilominus die 20. Martii anni 1602. Papâ præside de ista quæstione disputatum est, utrùm veræ virtutes in Infidelibus reperiantur, Jesuitis affirmantibus, & negantibus Dominicanis, quorum sententia omnibus Censoribus probata est.

Die 4. Decembris 1643. Doctores Sinnichius & Paepius ab Academia Lovaniensi Romam delegati, Francisco Albicio sancti Officii Assessori, qui, ut ipse fatebatur Urbani VIII. Bullam adversùs librum Jansenii conceperat, dixerunt: *Miramur unde sit confictum quod in hac Bulla de Gregorio XIII. narratur; eum nimirum suâ Constitutione Pianam Constitutionem confirmasse, articulosque ibidem comprehensos iteratò damnasse. Extat apud nos Gregoriana Constitutio, ex cujus tenore manifestum est legentibus, quicquid hîc* [in Bulla Urbani VIII.] *de Pianæ Constitutionis confirmatione, & iterata articulorum damnatione asseritur, esse fictitium. Cùm enim à quibusdam in dubium revocaretur utrùm verè à Pio V. prædicta Constitutio emanasset, Gregorius suâ Constitutione dubium hoc sustulit, fidem faciens & attestans se in registro Pii prædecessoris sui reperisse diploma, cujus tenorem continuò subinserit, nullam prorsus faciens mentionem novæ Confirmationis, aut iteratæ damnationis.* Quibus Albicius nihil habuit quod opponeret.

Die quintâ Februarii anni 1644. iisdem Sinnichio & Paepio Cardinalis à Sancto Clemente dixit, magnam Pio V. injuriam fuisse illatam ab illis qui sub ejus nomine BULLAM TAM FRAUDULENTER EXTORTAM EVULGARUNT: & quòd hæc Bulla à Lovaniensibus fuerit in dubium revocata.

Die 28. Aprilis ejusdem anni 1644. in Congregatione Cardinalium, qui ad examen causæ Jansenianæ erant delecti, ab iisdem Delegatis demonstratum est, adductâ Gregorii XIII. Bullâ, id esse falsum, quod in Bulla Urbani VIII. adversus Augustinum Jansenii asseritur de Confirmatione Constitutionis Pii V. & de iterata articulorum in ea recensitorum damnatione, factâ à Gregorio XIII. qui merè declarat se in Pii V. Registro reperisse litteras tenoris sequentis; hoc est Pianam Bullam quam ex integro inserit. His auditis Cardinalis Pamphilius (qui paulò pòst Innocentius X. fuit) assentiens, subjunxit Bullam Pii V. videri sub Gregorii XIII. Pontificatu in dubium fuisse revocatam. Hæc omnia Joannes Sinnichius vir animi per omnia sinceri, refert in suo Diario, ubi singula descripsit quæ in sua delegatione contigerant.

OBSERVATIO 6.

Circa Bullam quam Gregorius XIII. ea de re edidit,

Animadvertendum 1. Bullam hanc urgentibus Michaelis Baii ex ipsa Academia æmulis, ac P. Francisco Toleto Jesuita procurante, esse eo tempore editam, quo Lovaniensem Academiam inter & Jesuitas, quibus Gregorius XIII. addictissimus fuit, graves exortæ erant discordiæ pro Academiæ istius juribus, quæ Jesuitæ invadere cupiebant: ut in Fastis Academicis 2æ editionis habetur, & in Tabulis istius Academiæ.

Animadvertendum 2. Gregorium XIII. idcirco hanc Bullam condidisse, quia cùm Lovanienses Theologi nullum Bullæ Pii V. exemplum obtinere potuissent, nonnulli ipsorum dubitare cœperant ac disputare an Pius V. Censuram hanc verè tulisset. Ut igitur novas has contentiones de Bullæ Pii V. veritate compesceret Gregorius XIII. Constitutionem istam condidit, in qua duntaxat declarat, se Pii V. Bullam in ipsius registro invenisse qualem in suis litteris inserit: & id unum præcipit, nimirum, ut eadem fides isti exemplo in sua Constitutione inserto, ac Originalibus Litteris habeatur.

Animadvertendum itaque 3. Eâ Constitutione Bullam Pii V. nullatenus confirmari aut innovari: & articulos in ea prohibitos nullâ ratione denuò reprobari aut damnari: cùm in ea ne verbulum hujuscemodi confirmationis vel alicujus Censuræ legatur. Hinc manifestus fit eorum error, qui passim ac perperam dicunt ac scribunt Pii V. Bullam adversùs memoratos articulos à Gregorio XIII. fuisse confirmatam, & ab eo rursum proscriptos esse istos articulos.

Animadvertendum 4. istam Gregorii XIII. Constitutionem nec Romæ affixam esse aut promulgatam: sed in Lovaniensibus scholis duntaxat à Francisco Toleto publicatam. Itaque nullam Pontificiæ Constitutionis vim habere potest Diploma istud, nisi fortè Lovanii.

Animadvertendum 5. quòd etsi Gregoriana illa Constitutio Lovanii publicitùs ac solemni ritu prælecta est, ut superiùs retulimus; nullum tamen ipsius exemplum concedere voluit Pater Toletus; licèt, ut juxta præscripta legum, exemplum authenticum ipsis daretur, institerint Theologi Lovanienses, qui proinde ipsam Gregorii XIII. Bullam minùs legitimè etiam Lovanii promulgatam dicere possunt.

Animadvertendum est 6. quòd Urbanus VIII. in Bulla superiùs memorata enunciaverit quidem à Gregorio XIII. confirmatam fuisse Pii V. Constitutionem, articulosque in ea confixos denuò fuisse damnatos. Verùm hæc Urbani VIII. Bulla apertè falsi ea saltem in parte convincitur, sicut & ab Joanne Sinnichio Lovaniensis Academiæ delegato Romæ convicta est, ex ipsomet Gregorii XIII. Diplomate, in quo nihil de ista confirmatione, aut de iterata hujusmodi articulorum dispunctione habetur. Ne autem id innotesceret, Albizzius, Jesuitarum stipendiarius, qui Bullam Urbani VIII. conscripsit, in ea quidem Pii V. Bullam integram inseruit, sed non Gregorii XIII. Constitutionem, ex qua singulis patuisset ejus mendacium, &

quàm falsò in Bulla Urbani dicatur Pii V. Bulla à Gregorio XIII. confirmata, proscriptique in ea articuli, iterum à Gregorio XIII. prohibiti: cùm Gregorius XIII. duntaxat testificetur tenorem Bullæ quam inserit, esse planè conformem tenori Bullæ quam in Pii V. registro invenit; & isti tenori eam fidem adhibendam, quæ ipsius Bullæ protographo debetur.

His omnibus attentè animadversis manifestum fit 1. Arminianos, Menonistas, aliosque hujus temporis Semipelagianos, ac liberi arbitrii inflatores ex memoratis Pontificum Bullis, quibus recensiti 76. Articuli confixi sunt ac prohibiti, non posse nisi valde ineptè deducere, quòd Ecclesia Romana ipsorum sententiæ faveat; ac Baii opiniones damnando, ipsiusmet Augustini assertiones vel reprobaverit vel saltem mitigaverit.

2. (a) Leydeckerum cæterosque Protestantes ex iisdem Censuris non potuisse nisi iniquissimè & cum enormi calumnia Romanam Ecclesiam arguere, ac si catholicam Pauli & Augustini doctrinam per hujusmodi Censuras in Baio ejurasset & in Pelagianismum esset prolapsa.

(a) locis supra cit. & novissimè in sua historia Jansenismi.

Nam ex suprà relatis animadversionibus liquidò constat, 1. Quòd illæ Censuræ hujusmodi articulos, eos maximè qui Christi gratiam spectant & liberum hominis arbitrium, non proscripserint in sensu Baii & Augustini: cùm Bulla Pii V. disertè declaret nonnullas ex recensitis assertionibus, hoc est, eas præsertim quæ de Christi gratia ac libero hominis arbitrio juxta Augustinum loquuntur, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento esse veras ac posse sustineri. 2. Quòd (juxta ipsiusmet Joannis de Turrecremata regulam, innuentis inter Apostolicas sanctiones ea non esse recensenda quæ occultè & inconsultè à Romano Pontifice proferuntur; ac istâ ratione cum Archidiacono distinguentis inter sanctiones Apostolicas, & sanctiones Apostolici) omnes illæ Censuræ non habendæ sint tanquam Ecclesiæ Romanæ judicia, sed nec tanquam sedis Apostolicæ definitiones; cùm per obreptionem obtentæ sint, ac plures in eis defectus deprehendantur, qui efficiunt ut vim Constitutionum Apostolicarum non obtineant. Unde nec Bulla Pii V. quæ tamen cæterarum fundamentum est, inter Pontificia Diplomata quæ Romæ asservantur in Archivis reperiri dicitur, nisi in aliis Constitutionibus inserta.

Juxta enim præmissas observationes certo certius est ac luce clarius, 1. Pii V. & Urbani VIII. Censuras non nisi fraudibus ac mendaciis fuisse extortas. 2. Bullam Pii V. à Gregorio XIII. nullatenus fuisse confirmatam, & Articulos à Pio proscriptos nequaquam à Gregorio fuisse iteratò confixos; ut falsò à Leydeckero & aliis pluribus etiam Catholicis hactenus creditum est, & in ipsa Urbani VIII. adversùs Jansenii Augustinum Bulla enunciatur. 3. Ipsas Pii V. & Gregorii XIII. Bullas superiùs adductas, ne Romæ quidem promulgatas fuisse aut affixas, multoque minùs publicatas & receptas in aliis Ecclesiis aut Universitatibus Catholicis, si Lovaniensem exceperis.

Itaque his omnibus Censuris inconcussa illibataque manet, perpetuumque manebit in Ecclesia Romana Sancti Augustini, nec non Michaelis Baii, ubi hunc sequitur, doctrina: nec nisi per mendacium & calumniam potest Ecclesiæ Romanæ exprobrari, quòd per hujusmodi Censuras Semipelagianis erroribus

roribus in ullo consenserit, vel quod à Pauli & Augustini vel latum ungue deflexerit unquam.

APPARITIO DOMINI MICHAELIS DE BAY.

D. M. N. MICHAEL DE BAY sacræ Theologiæ Doctor & Professor, S. Petri Lovanii Decanus, Universitatis Cancellarius, & Privilegiorum Conservator, Præses Collegii Pontificis piè in Domino quievit in eodem Collegio 16. Septembris 1589. in cujus animæ à corpore separationis momento, quasi Columna ignea directè supra locum in quo recumbebat ter ex infimo aëre in cælum usque ascendere pluribus fide dignis Religiosis Dominicanis simul eo momento in suo horto congregatis visa est, qui jure jurando se paratos esse confirmare ita se vidisse mihi infrascripto fidem fecerunt: ac post ejusdem exequias me procurante solemniter in Octobri celebratas, verum esse declaro, quòd initio Novembris immediatè subsequentis inter tertiam & quartam matutinam, dum de surgendo cogitarem, ut ad templum S. Jacobi, in quo Decanus eram, me conferrem, audivisse repentè quemdam in cubiculo meo fortiter cum pedum displosione ambulantem, quo sono commotus dixi, quis est ibi? quo nihil respondente, sed ab ostio cubiculi usque ad lectum deambulante, secundò rogavi, quis est ibi? ac tertiâ peractâ deambulatione usque ad lectum venit, ac ibi immotus consistens cortinas lecticæ levi motu agitans paululum aperuit, motuque æneorum circulorum & apertione nonnihil attonitus, dixi quis es tu? Neminem nec umbram quidem vidi aliquam, sed responsum leni voce audivi: ego sum, vocemque Domini Patrui mihi notissimam ac familiarem optimè agnoscens, correptusque subitâ admiratione dixi: unde Dominus hic est? quomodo cum eo agitur? Respondit non benè. Mox intuli: Dominus est in statu salutis? Respondit, ita sum. Subiunxi, cur Dominus luit pœnas, an propter doctrinam? Respondit non, sed propter neglectum Decanatus officium: non putabam quòd ibi sic acciperetur. Quibus dictis, cortinas meas latiùs

latiùs aperuit & evanuit. Ego porrò attonitus hæc audiens mox surrexi, ac pro ejusdem salute oravi, & sacrificium obtuli, interea nihil audivi nec conspexi. Sed mox de abdicando Decanatus officio, quo multis annis in S. Jacobo Lovanii perfunctus eram, cogitare cœpi, quod etiam re ipsâ dimisi, non parum hâc ratione commotus. Ita esse hæc gesta & dicta eisdem verbis aut æquivalentibus declaro, Jacobus de Bay, S. Theologiæ Doctor & Regius Professor anno ætatis 58. Præsidentiæ collegii Sabaudiæ trigesimo primo, professionis in Theologiâ inchoatæ anno 29. Infrà habebatur: Hanc copiam ego infrà scriptus declaro esse verbotenus ex originali ab eximio Domino Jacobo scripta desumptam 28. Aprilis 1657. & erat signatum J. Billou, & in aversâ parte primæ paginæ habebantur hæc: Hanc Copiam Copiæ à R. D. Billou quondam Collegii Baii Procuratore & modo Canonico Aëriensi scriptæ, Ego infrà scriptus Pastor loci de Wyers declaro esse verbotenus desumptam, subsignatum Franciscus de Thuin 5. Junii 1683. Inferiùs habebatur: Concordat Copia Copiæ supradicta, quod attestor I. B. de Vaddere Notarius Publicus.

Dum Baiana hæc sub prelo erant, ab Exi. Martino Steyaert, Lovaniensi Doctore Theologo, proditum est alterum ejusdem Apparitionis exemplum, quod licèt ab alio in nonnullis discrepet, neutrum fidem alteri detrahit, sed aliqua tantummodo supplet quæ in altero omissa sunt. Et facilè quidem contingere potuit ut Jacobus Bayus, vir integerrimæ fidei, non semel Apparitionem hanc sit testificatus, & nonnulla in uno testimonio distinctiùs declaraverit, quàm in altero. Unde ne quid desideretur, secundum hoc priori duximus subjiciendum.

ALTERUM
EJUSDEM
APPARITIONIS
EXEMPLUM.

Dominus M. N. f. r. MICHAEL DE BAY, Sacræ Theol. Doctor & Professor, S. Petri Lovanii Decanus, Universitatis Cancellarius, nec non Privilegiorum Conservator, Præsesque Collegii Pontificis, in eodem Collegio piè placidèque in Domino quievit die XVI. Septembris 1589. in cujus animæ à corpore separationis momento directè supra locum in quo recumbebat quasi columna ignea ter ex infimo aëre in cœlum usque ascendere pluribus fide dignis Religiosis Dominicanis simul eo momento in suo horto congregatis visa est, qui jurejurando se paratos esse ad confirmandum ita se vidisse, mihi infrascripto retulerunt; atque post mortem usque ad aliquot dies corpus reservatum flexibilia omnia membra retinuit, cujus rei testes oculati plurimi supersunt. Ac post ejusdem exequias me procurante in Octobri solemniter celebratas, initio Novembris immediatè subsequente, manè inter secundam & quartam, audivi repentè quemdam in cubiculo meo fortiter cum pedum displosione incedentem, quo sono commotus, dixi: Quis est ibi? Suspicabar enim Famulum subintrasse ad porrigendum lumen nimis citò ut apparebat ex somno: quare nullo respondente, nec lumine conspecto, sed ab ostio cubiculi usque ad lecticam in angulo cubiculi existentem iterum deambulante, secundò rogavi. Quis est ibi? Ac nullo respondente, sed tertiò à janua usque ad cortinas deambulante, audivi quemdam ante cortinas meas consistentem, qui proximè accessit, & cortinas meas aperire (levi excitato sono motu æneorum circulorum) cœpit: quo sono & apertione cortinarum nonnihil attonitus, ambigens

gens an forsitan aliquis per fenestras intrasset qui mihi vim inferre tentaret, dixi: (diligenter prospiciens an aliquem conspicerem qui arma haberet) Quis es tu? loquere. Neminem verò ne quidem umbram notans, audivi suaviter respondentem: Ego sum. Vocemque Domini Patrui Michaëlis paulò ante defuncti mihi notissimam agnoscens, correptusque subitâ admiratione, intuli: Unde Dominus hic est? Quomodo cum eo agitur? Respondit: Non bene. Subintuli. Saltem Dominus est in statu salutis? Respondit: Ita sum. Subjunxi. Cur Dominus luit pœnas? Propter Doctrinam? Respondit: Non; sed propter negligentiùs administratum Decanatus Officium: non putabam quod ibi sic acciperetur. Quibus dictis cortinas meas latiùs aperuit ac evanuit. Nec ab ea hora quidquam aliud audivi, nec tunc plura vel pauciora verba à me, vel ipso, dicta recordor. Sed mox surrexi & pro ejus salute Deum precatus sum, & sacrificium deinde obtuli, atque per alios varios idipsum fieri procuravi. Quem spero brevi posteà in Beatorum cœtum evolasse, Deique conspectu frui.

Hæc ita esse dicta, facta & gesta, eisdem verbis aut æquivalentibus declaro, JACOBUS DE BAY, *Sacræ Theol. Doctor, Regiusque Professor, propriæ manus scripto.*

Concordat cum Originali in Collegio Baiorum reservato: edi potest. Lov. 28. Martii 1696.

M. STEYAERT V. A. S. D.

FINIS.

CORRIGENDA

IN 1. PARTE.

Pag. 14. linea 17. *respondendum. Longè,* dele punctum.
57. l. 21. *Cassianum,* lege *Cassianus.*
66. l. 3. *concludes,* l. *concludens.*
68. l. penult. *totius,* l. *tutius.*
111. l. 18. *ex legis,* l. *es legis.*
127. l. 6. *futuro,* l. *futura.*
130. l. 31. *vereber,* l. *verebar.*
162. l. 34. *eguntur,* l. *leguntur.*
176. l. 20. *quam,* l. *quæ.*
181. l. 23. *Celchisedech,* l. *Melchisedech.*
217. l. 6. *Item,* l. *Ite.*
250. l. 24. *conservavit,* l. *consecravit.*
264. l. 1. *veniri,* l. *inveniri.*
l. 3. *sive,* l. *sine.*
294. l. 37. *invidiosò,* l. *invidiosè.*

FINIS

303. l. 34.

303. l. 34. *fef*, l. *fed.*
306. l. 35. *cormar*, l. *cormat.*
309. l. 35. *Cena*, l. *Cenæ.*
317. l. 40. *quicquam*, l. *quifquam.*
324. l. 9. *hoc etiam*, dele *etiam.*
335. l. 37. *Siclefia*, l. *Ecclefia.*
337. l. 12. *ferte*, l. *forte.*
345. l. 17. *divifim*, l. *divifi.*
369. l. 16. *eftenderes*, l. *oftenderes.*
391. l. 18. *quidam*, l. *quidem.*
397. l. 3. *fulcero*, l. *fulcro.*
in marg. 8. l. 3.
404. l. 33. *ib*, l. *ibi.*
405. l. 7. *feria*, l. *ferie.*
406. l. 20. *Tappardi*, l. *Tapperi.*
414. l. 23. *captibus*, l. *capitibus.*
435. l. 28. *fpritaliter*, l. *fpiritaliter.*
440. lin. ult. *delineat*, l. *pertineat.*
448. l. 9. *reveri*, l. *revereri.*
457. l. 30. *confractins*, l. *confractis.*
476. l. 30. *Epifcopas*, l. *Epifcopos.*
479. l. 29. *Auguftinus* l. 4. lege *Auguftinus*, l. 3.

IN 2. PARTE.

28. l. 29. *cendo*, l. *nafcendo.*
33. l. 13. *aviames*, l. *aviamos.*
l. 15. *abftiniaffen*, l. *abftinieffen.*
l. 24. *vegendos*, l. *vyendo.*
l. 25. *el qua*, l. *el qual.*
l. 27. *quiera*, l. *quiera.*
Perdieffemes, l. *perdieffemos.*
34. l. 3. *fo mio*, l. *lo mio.*
l. 11. *mefmo*, l. *mifmo.*
l. 24. *confeffionibus eft*, adde *per Miniftrum Generalem.*
45. l. 31. *venerandi*, l. *elevandi.*
50. l. 19. *fit*, l. *fit.*
55. l. 26. *ut fummus*, l. *ut fimus.*
76. l. 10. *Buftoduocenfis*, l. *Bufcoducenfis.*
81. l. 10. *perducant*, l. *perdurant.*
90. l. 1. *inicia*, l. *infcitia.*
l. 4. *indicium*, l. *judicium.*
94. l. 30. *circumftantia*, l. *circumftantiam.*
105. l. 11. *quantà orte*, l. *quantà arte.*
141. l. 21. *docet*, l. *decet.*
168. l. 10. *indicium*, l. *judicium.*
193. ubi legitur *Sabbonio*, *Sabbonium*, *Sabbonii.*
l. *Sablonio*, *Sablonium*, *Sablonii.*
l. penul. *is*, l. *ei.*
199. l. ult. *Sabbathines*, l. *Sabbathinis.*
202. l. 3. *Facultatis*, adde *Magiftros.*
207. l. 8. *reprehenfibili*, adde *actum.*
l. 12. *declaraviffet*, l. *declaratus fuiffet.*
216. l. 45. *mira*, lege *mera.*
218. l. 24. *Liberum*, adde *arbitrium.*
219. l. 5. *mera*, l. *meram.*
l. 12. *Illirinum*, l. *Illiricum.*
239. l. 40. *Cenfura*, adde *defuiffe.*